ANNALES
MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS NONUS

Editio secunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

S.T.Lect. Jub. S.& U.Inquisit. Consultoris, S.C.Consistor. Vot. Episcop. Examinat. Ord.Min.in Cismont.Fam.tam Observ.quam Refor.& Discalc. Cōmiss.Gen. &c.



ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXIV. Superiorum permissu.

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obfervantia
FELICITATEM



S*I quis umquam populus domefticis rerum magnifice, ac præclare geftarum exemplis abundavit,* Beatissime Pater, *eorum profectò, Te Pontifice Maximo, tanta fuppetit copia populo Romano, ut ad quaf-*

cumque actiones Tuas prope Divinas, atque immortales mente, & cogitatione se converterit, maximi, latissimique laudis, & gloriæ campi sese illi aperire, atque explicare videantur. Sunt enim virtutes Tuæ, quibus hanc urbem, hanc ætatem illustras, excelso, magnoque animo dignissimæ: sunt gravitatis, sapientiæ, pietatis, justitiæ, liberalitatis, amoris in omnes ordines plenissimæ. sed ut ex his eas, quæ ad juris æquabilis descriptionem, quæ ad justitiam, quæ ad religiones, ac cæremonias pertinent, pretermittam, vellem mihi tanta suppeteret orationis facultas, ut singularem munificentiam, ac liberalitatem meritis laudibus efferre possem. Quantis enim muneribus bonarum artium cultores invitavisti? quarum aliæ postliminio revocatæ, altæ aliæ magnificis operibus excitatis, præmiis omnes, atque honoribus cumulatæ. Hæc illa sunt maximorum Principum ornamenta præclara, hæc illa studia, quibus & splendor civitatum, & felicitas

civium,

civium, & præstantium virorum commoda, ac dignitas unice constant. Quoties igitur, Beatissime Pater, *de urbe Roma, de ejus tectis, ac viis, de ejus templis, atque ædibus cogitabis, toties de incredibili liberalitate Tua, toties de maximis Tuis beneficiis, toties de bonorum fortunis, populique Romani, cui tantopere studes, felicitate cogitabis. Præcipue vero Lateranensis Basilica, & arcus Constantini Cæsaris trophæis insignis, & Capitolium vetustis elogiis, simulacris, aliisque antiquitatis monumentis a Te nuper nobilitatum, ad omnium gentium, posterorumque sæculorum admirationem, repræsentabit memoriam Pontificatus Tui. In his merito Tibi places, ad hæc Principis, per egregia facta immortalitatem petentis, sapientissima consilia, ad hæc magnam curarum partem abs Te dirigendam jure optimo censes. Quæ mecum ego cum reputarem, nihil ad veræ, solidæque virtutis commendationem illustrius, nihil ad nominis æternita-*

tem

tem parandam conducibilius isto, quem tenes, agendi cursu excogitari a Summo Principe potuisse sum arbitratus. Tantus enim est in his actionibus splendor, tanta in magnitudine animi, & consilii dignitas, ut hæc a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

NONNULLOS fuiſſe intelligo, candide Lector, qui cum noſtram epiſtolam perlegiſſent, quam ſecundo volumini hujus Operis præpoſuimus, in ipſum Auctorem graviter deliquiſſe nos dicerent, ac, ſi Superis placet, intolerandæ temeritatis, audaciæque inſimularent. Illud eos offendit, quod Annales Waddingi Typographorum depravatos incuria cum videremus, Augiæ ſtabulum repurgandum, & ad nitorem, munditiamque adducendum nos ſuſcepiſſe præfati ſumus. Quibus ego reſponſum velim, nihil deteri a nobis de nativo ſplendore, laudibuſque Waddingi, ſi male acceptum a Bibliopolis opportune queramur. Quæ cauſſa fuit egregio viro ex Obſervantium Familia, ut iſtis Annalibus, quanta maxima poſſet, diligentia emendandis operam daret, perficeretque, ut clariſſimus Auctor priſtinum decus, ac dignitatem poſtliminio recuperaret. Itaque in hoc Opere edendo, quod interpoſita auctoritate graviſſimorum virorum polliciti ſumus, ut ſqualore, ſituque deterſo, nitidus tandem, integerque Waddingus in lucem prodiret, id omni ope non adhuc modo præſtitimus, ſed & aliorum impreſſione voluminum ſancte præſtabimus. Quod ſi in margine quarti, ſextique voluminis notata quædam reperias, quæ in exem-

pla-

pluribus antea vulgatis desiderantur, id profitemur neutiquam publico factum esse consilio, sed privati cujuspiam incogitantia, qui, haud consultis Familiæ præfectis, in eo lapsus profecto est, ut hoc sibi licere arbitraretur. Ceterum nihil nobis antiquius, aut potius ducimus, quam Franciscanæ Familiæ viris, totique adeo litteratorum reipublicæ nostram fidem probare, benevolentiam, concordiamque inter eos, quos studiorum similitudo conjungit, constantissime retinere. Cujus rei caussa hujusmodi annotationes deinceps irrepere non sinemus.

REIM-

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AN-

ANNALES MINORUM.

Anno Christi 1377.	Gregorii XI. anno 7.	Caroli IV. Imp. anno 30.	Religionis Minorum anno 170.

ARGUMENTUM.

Trucidantur in Umbria Jacobus & Philippus martyres. Nascitur beata Angelina novi Instituti primiceria. Moritur beatus Thomasuccius vir mirabilis. Acta omnium diffuse narrantur. Fridericus III. Trinacriæ Rex, & filii tumulantur Messanæ apud Minoritas.

I. FULGINEUM, nobilis Umbriæ civitas, sancto Francisco, ejusque sectatoribus addictissima, tria nobis ministrat hoc anno argumenta, quæ calamum exerceant; depositionem beatorum Martyrum Jacobi, & Philippi Minoritarum, præludia vitæ beatæ Angelinæ, præclaræ apud Fulginates Monialium institutricis, & mortem beati Thomasuccii Ordinis Pœnitentium. Atque ut a Martyribus incipiamus, turbulento hoc tempore, quo passim urbes Italiæ, & maxime Umbriæ, Marchiæ, & Lombardiæ inconstanter agebant, & dominorum suorum imperium detrectabant; Fulgineum occupabat Trincius Trincii severus & immitis dominator. Dubitaverat is de fide populi Bevanii, sibi subjecti, & ad suggestionem calumniatorum misit sibi similes, Guillelmum Fulginatem, & Petrum Coccoranum, sævissimos militum (quorum pars magna erat ex advenis hæreticis) præfectos, qui in defectionis excogitatæ auctores & conspiratores severe animadverterent. Omnia illi repleverunt cæde, sanguine, rapinis, incendio, nullo habito delectu status, aut sexus. Erant tunc eo in oppido prædicti Martyres, qui sævitiam detestati, in publico foro modo populum ad tolerandam a Deo fortassis immissam pro peccatis vindictam, pie hortabantur; modo Tyrannis crudelitatem, & innocentum injustam oppressionem audacter objiciebant. Indignati sceleris auctores, jusserunt satellites, in Fratres rebellis populi fautores, irruere. Illi verberibus opprobriisque affectos, demum occiderunt sub vesperam diei secundi Septembris, & corpora ignominiose ad aliorum terrorem projecta, decreverunt die sequenti projici in prolabentem fluvium Topini.

Urbs Fulginei Minoribus addictissima.

Jacobil. de Sanctis Fulgin. pag. 287. Marc. 2. par. l. 9. c. 31.

Occiduntur Bevanii Jacobus, & Philippus Minoritæ.

II. Pii aliquot oppidani sublata clam noctu, & arcæ inclusa cadavera

deferebant sepelienda; sed a militibus circumventi, piam prædam impiis prædonibus, injurias & vulnera perpessi, reliquerunt. Sine mora crudeles carnifices sacrum depositum flumini crediderunt. Ille vero in cujus conspectu pretiosa est mors servorum suorum, noluit sine honore in aquis sepeliri, verum mirabiliter naturæ immutato ordine, contra impetuosum cursum fluminis ascendere fecit arcam, usque ad pontem, a sancto Magno nuncupatum. Qui transibant videntes sine velis, sine remis, sine ductore occulta quadam vi ligneam trahi molem, mysteriosum quidpiam suspicati, partim pavidi, partim avidi, vel divinum aliquod veneraturi, vel lucrum reportaturi, arcam ad littus traxerunt, eo in loco, quo nunc conspicitur Ecclesia beatæ Mariæ ad sanctum Magnum. Detracto operculo, viderunt sacra corpora religiose composita, recenti vulnere hiantia, & suavissimum odorem spirantia, quibus signis judicarunt, pios viros propter justitiam occubuisse. Re delata ad Fulginates, Clerus obviam processit, & funebri pompa funus in urbem, mox ad Ecclesiam Cathedralem sancti Feliciani deduxit. Sed præ foribus oportuit hærere, nulla enim vi, arte, vel industria templo huic potuerunt inferri. Interim insolito tinnitu nullo trahente, resonant campanæ ædis Franciscanæ; quibus miraculis non immerito crediderunt omnes, satis persuasum iri, his Martyribus deberi sepulcrum apud sui Instituti consodales. Illuc proinde directa totius populi, & cleri supplicatione, magno honore in sacello ad dexteram altaris præcipui, nobili sepulcro condita sunt; ubi in hunc diem fidelium patent venerationi. Paulo post ultus est Dominus sanguinem servorum suorum; periit enim miserabiliter Trincius e fenestra præcipitatus, uti clarius mox narrabimus, & carnificinæ auctores, qui gladio percusserunt, gladio perierunt.

Projiciuntur in flumen. — *Sed mirabiliter educuntur.* — *Fulgineum advehuntur.* — *Et apud Minoritas sepeliuntur.*

III. Denatis mundo istis præclaris Martyribus, nascitur cœlo beata Angelina Corbaria, in castro Montis-Jovis x. m. p. ab Urbe-Veteri, patre Jacobo Angioballi, Comite prædicti castri, Marsiani, Montis-Martis, Montis-Jovis, Milliani, Citonæ, Montis-Leonis, Montis-Cambionis, aliorumque vicorum in districtu præfatæ urbis, Tudertinæ & Perusinæ; matre vero Anna ex Comitibus Corbariæ. In baptismo Angelina nuncupata, ab ipsa infantia angelicis moribus assueta, quam proprie ei nomen convenerit, ostendit. Puellaribus annis nihil in ea humile, aut vulgare apparuit, omnia excelsa, omnia singularia. Solum pietatis, & virtutis studium in verbis & factis elucebat; altariola domi erigebat, ornabat, & virgunculas convicinas ad preculas, & pietatis exercitiola convocabat; quibus præludiis indicabat, & sacras ædes se fabricaturam; & sub divinis obsequiis multas virgines collecturam. Duodennis matre præclarissima fœmina, orbata, consideravit quam vana sunt mundi oblectamenta, & fugitiva connubii solatia, quæ vel cito pereunt, vel assiduitate vilescunt, vel diuturnitate obsolescunt, & emisso voto de non admittendo sponso terreno, suam virginitatem Deo consecravit. Deinde cœperunt ei mundana cuncta sordescere, & Christus solus placere. Hunc ubique precibus, & affectu quærebat, maxime vero in pauperibus, quia ut nostram ditaret paupertatem, factus est quasi unus ex illis. His omnia, quæ aliunde colligebat, distribuebat, & pio quodam furto bis in hebdomada descendebat in culinam, extractæque ex olla carnis partem in quinque frusta dissecabat, quæ totidem dabat pauperibus, in memoriam quinque Christi plagarum. Semel deprehensa, & furti accusata, a coquo interrogavit, an aliquando probaverit carnes imminutas? cui, dum ille respondit; *numquam*, idque experimento tunc comprobasset, subjunxit illa: *Quod tibi non nocet, & alteri prodest, non debet displicere: hac arte absque*

Jacob. cit. p. 118. & speciali de eadem edito libello. Marc. 3. par. l. 1. c. 38. — *Nascitur beata Angelina.* — *Infantiæ pia rudimenta.* — *Pium puellæ furtum.*

que tuo damno ſæpe refocillantur egena viſcera miſerorum. Hæc libuit præludia ſanctitatis virgunculæ prælibare, reliqua dabimus juxta factorum, & annorum diſtributionem.

IV. Præmiſimus etiam alias primordia virtutum beati Thomæ, ſive Thomaſuccii, reliqua in hunc annum, quo apud Fulginates deceſſit, vita rejecta. Diximus perpetuum ſibi extruxiſſe ergaſtulum, in quo dum annis tribus recluſus, rebus vacaret cœleſtibus, tandem apparuit ei Chriſtus, monuitque ut inde egreſſus nomen ſuum portaret ad gentes rebelles, & a Sede Apoſtolica apoſtatrices: *Exi*, inquit, *de ſepulcro hoc, & denuntia populo Etruſco ſcelera, quæ committunt, neque formides a facie eorum, quia ego ero tecum, & miniſtrabo, quæ te oporteat loqui*. At ille ſe tanto miniſterio reputans indignum, conſtanter renuit, audenterque nimis dixit, ſe e voluntario illo carcere non exiturum. Paulo poſt falſò accuſatus coram Nucerino Epiſcopo, quod ſingularem, & ſuperſtitioſam illam elegerit vitam, ſacra contempſerit audire, & Pœnitentiæ Sacramento conſcientiam non expiarit, illinc eductus, totus horridus & piloſus, ſed facie venerandus, crimina diluit, maxime circa Confeſſionem ſacramentalem, dum ſingulis menſibus, teſte ipſo Parocho, ſua peccata faſſum eſſe probavit. Cum veneratione ab Epiſcopo dimiſſus, dum ad ſuum vellet ergaſtulum redire, monetur ab Angelo, ut divinis pareat præceptis, & in Tuſciam abeat, denuntiaturus mala ſuperventura genti tunc iniquæ, niſi reſipiſcat: *Te etenim*, ait, *conſtituit Dominus hujus populi doctorem, & prophetam*. Denuo ille recuſavit, & veluti alter Jonas, ſciens populum illum eo tempore duræ cervicis, gravem iniquitate, & quanta mala intulerit Eccleſiaſticis, voluit fugere a facie Domini, & enavigare in Syriam Sarracenis potius prædicaturus.

Tom. 7. an. 1333. n. 21.
Marian. lib. 5. c. 2.
Marc. 3. par. l. 2. c. 5.
Jacobil. de Sanctis Fulgin. pag. 167. & peculiari de eodem libello.
B. Thomaſuccio apparet Chriſtus.
Falſo accuſatur.
Monetur ab Angelo ut prædicet Etruſcis.
Sed recuſat.

V. Anconam eunti, ut navem conſcenderet, apparuit Dominus, & inobedientem increpavit, interrogavitque, ut quid potius Sarracenis, quam Etruſcis mallet prædicare? Reſpondit, a Sarracenis ſe expectare in præmium ſuſcepti laboris coronam martyrii. *Et hanc*, inquit Dominus, *afflictionis multæ, & pœnarum in Tuſcia conſequeris: Abi: ne tardes quæ juſſi perficere*. Non eſt auſus amplius contra ſtimulum calcitrare, accinxitque ſe laborioſo itineri, & periculoſo miniſterio. Dum pergeret, apparuit Dominus nondum egreſſo Marchiam Anconitanam, juſſitque ut protinus illo in loco exordiretur ſuos ſermones, & divina vaticinia. Timens & tremens ad inſolitum, populiſque ingratum eloquium, cœpit enuntiare cœleſtes vindictas famis, peſtis, belli, aliorumque malorum, quæ parabantur, niſi ad cor, & Eccleſiæ obedientiam redirent. Integro menſe timens, & pavens tremula voce hæc prophetabat, agnoſcens injuncti ſibi miniſterii majeſtatem: ſed mox ita intrepide & ferventer hæc exponebat, ut populis metum, & melioris vitæ propoſitum infunderet.

Denuo apparet ei Chriſtus.
Tandem obſequitur.
Tertio apparet ei Chriſtus.
Incipit prædicare in Marchia.

VI. Dum illo Piceni loco prædicaret, convixit cuidam ſui Inſtituti pio Eremitæ, in tuguriolo a populo ſemoto, ubi aquæ laborabant inopia: ſed toto incolatus Thomæ tempore, quotidie ſub auroram præ foribus inveniebat Eremita aquæ limpidiſſimæ amphoram, quod dum Thomæ meritis tribueret, rogavit ille, ut dum eo eſſet in loco, hoc Dei beneficium nemini propalaret. Ægydio Cardinali Albornotio, Pontificio in Italia Legato, tunc prædixit felices belli eventus, & glorioſas victorias, ſed in felicitatis culmine, mortem immaturam. E Marchia tranſivit in Umbriam, inde declinaturus in Tuſciam; hæſit tamen in urbe Nucerina per integrum menſem, ubi tot flagella civibus magno ardore prædixit, ut publicis ſupplicationibus, flagris, lacrymis, & jejuniis, Dei iram placaſſe merito viderentur. Obtinuit hanc apud Nucerinos opinio-

Prædixit Card. Albornotio victorias & mortem.
Tranſit in Umbriam.
Magni fit apud Nucerinos.

Miraculum.

nionem tum vitæ candore, tum manifesto miraculo. In Prætorio ingens cet cidit super puerum columna; membris attritis ne omnino periret, accurrit populus, ut columnam amoveret. In vanum laborantibus, vocatus est in adjutorium Thomas, qui puero compassus, & oratione præmissa, velut alter Samson, solus ingenti hoc pondere juvenculum levavit.

Perusii prædicit cuidam malum exitum.

VII. Inde translatus Perusium, prædixit civiles discordias & intestina bella mox futura, nisi peculiares quibus ardebant, inimicitias deponerent. Hæc sæpe in publico foro prædicentem quidam irrisit, pseudo-prophetam appellans; cui Thomas: *Heu te misellè, qui Dei dona contemnis; age cito pœnitentiam, a te Dei incipiet vindicta, crudeli namque morte ante aliquot dies infeliciter vitam terminabis*; verumque dixisse paulo post ipse demonstravit eventus. Eo ipso tempore Perusii consanguineæ filium, Franciscum nuncupatum, ferox equus currens calcavit, & cerebro per plateam sparso, membra contrivit. Infelix mater lacerum infantem ulnis ad Thomam deportavit, rogavitque, ut vel matrem restituto filio solaretur, vel ita laceratum corpusculum ipse sepeliret. Res mira! collectum cerebellum cranio immisit, confracta brachiola, & crura composuit, emissaque oratione, protracto super corpusculo Crucis signo, matri vivum & integrum restituit. Illa ad tantum attonita miraculum, ne ingrata videretur: *a Deo acceptum, Deo*, inquit, *& tibi, consanguinee, reddo, ut divinis devoveas obsequiis*. Assentientem puerulum libenter admisit, & bonis moribus instructum in suo habuit comitatu, qui tamdem virtutibus & miraculis clarus, obiit Bononiæ.

Puerulum occisum revocat ad vitam.

Prædicit Minoritis casum campanæ.

VIII. Minoritæ Perusini horribilia quæque frequenter populo minitantem graviter increparunt, quibus ille sedato & tranquillo animo solum illud respondit, ut fortiori nexu alligarent sui Cœnobii campanam, aliter brevi casuram. Irriserunt illi responsum, sed post paucos dies cadente, & fracta campana, cognoverunt vere recepisse donum prophetiæ, & in pretio habuerunt. Ibi reprehendit humiliter & reverenter, in secreto cubiculo Geraldum Abbatem Monasterii majoris prope Turonem, Vicarium generalem Pontificium in nonnullis terris Ecclesiæ, male se habentem in regimine, & vitam ducentem non omnino laudabilem. Ille indignanter ferens, se a contemptibili viro reprehendi, vehementer commotus, cum confusione rejecit. Cui Thomas zelo plenus: *Scias, o homo fere, & incorrigibilis, paratum jam tibi supplicium; propter tuam tyrannidem, & scandalosam vitam, ignominiose brevi ex hac ejicieris civitate*. Amplius excandescens Abbas opprobriis, & verberibus affectum Perusio jussit exulare, & per satellites suos extra urbem deduci; quasi vero procul facto propheta, procul fieret quod prophetavit. Non ita sane; nam rebellantibus paulo post Perusinis, & cum Florentinis conspirantibus, extra urbem, non sine opprobrio jecerunt Abbatem.

Et Vicario Pontificio mala supervenura.

Cortonæ Rectori prædicit periculum.

IX. Thomas Perusio ejectus, divinum executurus præceptum Tusciæ fines ingreditur, & Cortonæ Rectorem secreto monet excogitatæ mortis a quodam occulto inimico. Reddit Gubernator gratias præmoniti periculi; rogat tamen hostem detegat, ut melius sibi possit cavere. Negat hoc se facturum Thomas, ne in apertas, & obstinatas prodeant inimicitias: sat vero sibi consulturum si lorica ferrea, aut alio præsidio, pectus a vulnere defendat. Ita consulenti magno suo bono acquievit; nam post paucos dies quidam ex civibus, cum quo in platea amice confabulabatur, & qui occultum virus diu sub pectore versabat, lethali vulnere eum configere tentavit in pectore, sed irrito ictu resistente lorica, Rector incolumis evasit.

X. Cortona abiit Aretium, ubi peccatorum horribilia prædixit supplicia, ho-

hostium invasionem, urbis incendium, & deprædationem. Sed cum his
comminationibus nihilo meliores fierent Aretini, depositis vestibus, sequen-
tibus sociis, nudus processit in forum, & scopis mundata platea, ex stipulis
collectisque lignulis & sordibus, pyram construxit, cui igne supposito
omnia exarserunt. *Ita*, (inquit more Prophetarum) *eveniet tibi civitas
infelix & misera; hostes coangustabunt te, superabunt, & capta præda re-
digent in favillas.* Paulo post uti prædixerat, evenit; ibidem doctum ex
Hebræis Rabbinum, magnæ opinionis in populo ad fidem reduxit, revelatis ei
secretis sui cordis cogitationibus; & mulierem a fœdi serpentis molestia, qui Varia patrat mi-
noctu lectum conscendebat, & fortiter mammillis adhærebat, donec lac racula.
omne exsugebat, oratione, & Crucis signo liberavit. Civem Aretinum fe-
bricitantem; Justum Rosam Florentinum pulmone infectum sanavit, sana-
tum novem mensibus cœlestibus instruxit disciplinis, demum in eremum di-
misit, ubi vitam sancto fine absolvit. Magistratum monuit proditionis urbis
a quodam heroe excogitatæ, & nocte sequenti hostium auxilio exequendæ,
nisi cives omni astu, & diligentia damnum præcaverent. Fecerunt, traditoris
artes eluserunt, hostium insidiis occurrerunt.

XI. Aretio Senas profectus, hic etiam solitos terrores & supplicia præ- Senis prophetat.
nunciabat, sed irridebat populus sermones veluti hominis insani & stulti.
Ille, ut fidem extorqueret, media æstate prædixit, nocte sequenti rigido
gelu omnia novalia peritura. Illi amplius insanum dicere, & prophetias
spernere, impossibile putantes exæstuante cœlo terram rigere. Sed suo ma-
lo vere prædixisse probaverunt: nam luce sequenti viderunt congelata stagna
aquarum, & intenso frigore campos adustos. Fuere tamen qui malo spiritu
agitatum, & magum dicerent, & apud Inquisitorem traducerent. In ju- Accusatur inju-
dicium vocatus, carcerem, asperas increpationes, & dura sustinuit tormen- ste, & punitur.
ta, in quibus pene animam exhalavit. Sed ea tulit patientia, ut semper Divinitus libe-
oraret pro persequentibus. Apparuit viribus confracto, & nervis dissoluto, ratur.
Angelus Dei confortans eum, & annuncians beatam Virginem ejus causam
egisse in cœlo; proinde protinus ab omni malo liberandum; sed adhuc alibi
plures pro nomine Domini oportere pati molestias.

XII. Restitutis repente viribus, & perfecta corporis temperie, com-
perta etiam ejus innocentia, a vinculis solutus prædicare non destitit, ser-
monem confirmante Domino sequentibus signis. In publico foro accessit ad
eum Bartholomæus adolescens Grossetanus, lepra facie coopertus, petens
sui mali remedium: cui Thomas; *Vende prius quæ habes, & da pauperibus,
& sequere me.* Ita fecit quantocyus, & Xenodochio Senensi omnibus do- Mundat lepro-
natis, Thomæ se credidit disciplinæ. Extemplo deducto per faciem Crucis sum.
signo, eum magister perfecte mundavit. Sed cum post annos sex, insaluta-
to præceptore, Romam abiret, statim pristini mali reditu inobedientiæ sensit
supplicium. Constantior & utilior fuit conversio cujusdam pistoris Senensis, Prunas illæsa
a quo cum Thomas prunas peteret ardentes, & in pallio absque ulla læsione portat pallio.
portaret in forum, relictis omnibus, secutus est eum, & pio fine in Eremo
quievit. Alias ad populi terrorem, & denuociatæ veritatis testimonium
lychnos aliquot accensos ore, & summis labiis inoffeosus portavit. Miles
quidam præcepti Ecclesiastici de jejunio quadragesimali contemptor, mite
reprehensus, quod publico scandalo carnes, ova, & lacticinia vetitis man-
ducaret diebus, ovum quod manu tenebat, projecit in faciem. In vultu non Dispersum ovũ
est confractum, quasi reverentiam exhiberet servo Dei, sed in terram deci- refecit.
dens ad pedes ejus sua fragilitate deperiit. Collegit tamen fragmenta Tho-
mas, & nullo rupti ovi remanente vestigio, integrum militi porrexit. Ad mi-
racu-

raculum hoc obstupefactus, qui prius injuriam irrogavit, omnem detulit venerationem, promisitque emendare in quibus errabat.

Traditorem monens male afficitur.

XIII. Erat ibi quidam militiæ præfectus Lombardus, qui occulte prodere volebat civitatem Barnabovi Tyranno Mediolanensi. Monuit eum Thomas pacifice & secreto, secretissimæ, nulli patefactæ proditionis: sed ille fremens & turbatus detecti sceleris conscientia vociferans, & improperans e cubiculo deduxit, & servorum exposuit insolentiæ. Illi pugnis, & calcibus e palatio deturbarunt: versa tamen facie dixit ille hero: *O miser & obdurate corde, qui divina respuis monita, & ad pacifica excandescis consilia; provocasti contra te Numen cæleste, quod de te digna ignominiosæ mortis pæna ante quindenam sumet vindictam.* Porro ita contigit; nam infra præfixum terminum, detecto scelere, inter tumultuantis populi furorem, misere interiit. Potiori fructu admonuit virum alterum, ea in urbe nobilem, Henricum Tolomæi, vitæ dissolutæ & scandalosæ. Cum indignatione increpantem, & meliora suadentem rejicere voluit Henricus; sed ille lucrandæ animæ zelo ductus, patienter tulit, quæ referebat convicia, & ad divinas artes se convertit: *Nihil*, inquit, *Henrice, intentatum relinquam, ut te Christo lucrifaciam, cælestem nunc apponam tuo pectori arietem, ut rebellem hanc tuæ animæ arcem expugnem. Si quos intus habes, inferni satellites, & defectionis auctores enumerem, & omnia etiam occulta peccata explicem, an credes missum tibi hoc e cælo nuncium, & Deum efficaciter nunc tuam operari salutem? Credam*, respondit, *si præter operis peccata, etiam cogitationum reatus expanderis.* Nihil non dixit Thomas distincte & aperte, prociditque statim ad pedes ejus jam victus & humiliatus Henricus, rogans ut viam salutis ipse conversionis auctor edoceat. Jubet ille, ut distributis in pauperes facultatibus, pœnitentiam agat de peccatis. Obsecutus Henricus, suscepta vili sui præceptoris, seu Tertii Ordinis veste, adhæsit ei per integrum annum; mox simul cum supradicto pistore amandatus est ad Eremum asperrimam in Alpibus sitam, ubi uterque in continua pœnitentia ad mortem usque perseveravit.

Sed non impune.

Secreta cordis revelans, peccatorem convertit.

Donum accipit linguarum.

XIV. Heros quidam Senensis de Salimbenis, aliquando invitavit ad prandium, & experiri volens, an ultra communem hominum sortem, quidquam in Thoma eluceret, & vere missus esset a Deo prædicator? cupiit scire an donum haberet linguarum. Tentandi provinciam commisit servo septilingui, qui absoluto convivio, interrogavit coram hero, an præter Italicum maternum, aliud idioma calleret? Respondit solum hoc se didicisse, attamen Deum, quando oporteat, infundere servis suis alia genera linguarum, uti sacræ, & Ecclesiasticæ testantur historiæ: *Interroga*, inquit impavide, *qua vis lingua, fortassis respondebo.* Septem linguis multa ille proposuit, cui per omnia tot generibus idiomatum Thomas diserte satisfecit. Admiratus heros plene credidit virum hunc a Deo amandatum prophetam, & populorum instructorem. Cuidam civi, cui nomen Joannes, dixit, ut quantocius ab urbe recederet, quia imminebat mortis periculum. Nolentem terribiliori facto præmonuit: captum animalculum capite plexit in conspectu ejus, nihil locutus. Paulo post captus Joannes, capite abscisso, antiqui sceleris pœnam subivit. Alteri dixit, ut caveret sibi a machina fabri lignarii; hæc contemnentem ingens machina oppressit. His, & aliis miraculis procuravit Thomas Senensium conversionem & pœnitentiam; sed cum propter impœnitens cor thesaurizasse sibi iram conspiceret, & paratum a Deo flagellum cœlitus intelligeret: oravit instanter Dominum, ne vellet continere in ira sua misericordias suas, sed evaginatum gladium remitteret;

Mortis periculũ quibusdam prænunciat.

pœ-

pœnitendi tempus dignaretur largiri. Cui divinum oraculum: *Amplius sufferre non possum abominationes, & peccata nefanda Italiæ, præsertim Etruriæ: hucusque laboravi sustinens, & abstinui a vindicta, continui zelum meum, sperans an forte pœniterent: video tamen quotidie multiplicari delicta, & contaminatam terram ab operibus eorum, & inundare rapinis, incendiis, stupris, & omni genere libidinum. Recede itaque a populo isto, quia descendet super eos furor meus, vastabit eos foris gladius, intus civiles discordiæ, & inimicitiæ.* Deprecatur Dei misericordiã pro peccatoribus.

XV. Obsecutus imperio divino, abiit ad sancti Miniati urbem, prædixitque Ludovico Rectori & Domino civitatis ultimum excidium, si Barnabovi Mediolanensi contra Florentinos confœderaretur. Ille vero despectui habuit prophetam, cui dum eadem repeteret, & Florentinos prædiceret e gradu suo dejecturos, & ab universo statu depulsuros; illusum, & contemptum tamquam fatuum commisit pueris illudendum, & ab urbe ejiciendum. At ille ad Ludovicum conversus: *heu te miserum! quia utilia prædicantem hoc afficit præmio, scias tuum tibi præparatum supplicium: Mediolanensibus adhærebis, sed non defendent te a Florentinorum furore: hi omnia tibi eripient, & demum caput amputabunt.* Rerum eventus prophetiæ testimonium perhibuit. Cuidam malum exitum prædicit.

XVI. Ex hac urbe Pisas profectus, alta & sonora voce annunciabat pœnitentiam, & prædicebat mala superventura, præsertim duræ servitutis. Pisani homines irridere prædictiones, fatuum vocare, & in peccatis sordescere ceperunt: ille e contra instare, continuo clamare, & ad pœnitentiam invitare. Sed dum in sua incredulitate persistunt: *Nisi signa*, inquit, *& prodigia videritis, non credetis: Crucem hanc ferream non exiguì ponderis, quam ego manu fero, si in præterlabentem hunc Arni fluvium projecero, & contra suam naturam supernataverit, fidem adhibebitis? sin autem naturali pondere & gravitate descendat in profundum, ego vobis ero prophetans vana, & divinans mendacia.* Admiserunt Pisani pactum; & ille projecit Crucem in flumen, quæ veluti aridum lignum, aut levis stipula aquis eminebat. Ad hoc spectaculum obstupefacti cives, verbis ejus aurem accommodarunt, & multi vitæ male transactæ pœnituerunt. Peculiari prodigio Pisanos invitat ad pœnitentiam.

XVII. Dehinc transivit ad Lucenses, ubi solitum exequebatur ministerium, & vitia publica reprehendebat. Inter hæc vidit militem quemdam, in quadragesima jecur bovinum domum portantem, ut manducaret. Reprehendit ille intrepide hominis gulam, & scandalum: sed in præmium fraternæ correctionis reportavit insignem injuriam; ultra enim verba mala, miles eum contemptibiliter jecore in facie percussit. Vidit sutor, qui e regione laborabat militis insolentiam, & increpavit ardore Christiano. Non tulit hic reprehensionem, sed insania militari irruit in eum gladio, & occidit. Videns Thomas misellum sua causa trucidatum, dolens & flens abiit cum discipulis duobus Francisco & Bartholomæo ad Xenodochium a misericordia nuncupatum, ubi longa oratione & lacrymis oravit pro sutore, dicens: *Tua res hic agitur, clementissime Domine, causam tuam defendit hic innocenter occisus, pro te occubuit, a te debet resuscitari, & quam pro te vitam perdidit, a te decet recipere. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi in populis: ego a te institutus sum prædicator in gentibus, & factus sum opprobrium illis, videntes me, commovent super me capita sua. Adjuva itaque me Domine Deus in afflictione hac, & salvum fac hunc servum tuum secundum misericordiam tuam; & sciant omnes, quia manus tua hæc, & tu fecisti eam. Ita fiet, ut qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus læ-* Sua causa occisum resuscitat.

lætabitur. Hunc in modum efficacissime deprecanti apparuit Angelus Domini confortans eum, jussitque in Cathedralem Ecclesiam, ubi funus parabatur, abire, atque ex feretro defunctum e nomine appellare, & domum incolumem remittere. Fecit Thomas quæ Angelus præceperat; sutorem ex nomine vocavit coram numeroso clero, qui defuncti exequias celebrabat; & ille protinus surrexit, ac coram omnibus astitit sanus. Laudarunt omnes Dei potentiam, & servi sui virtutem, quam deinceps affatim deprædicabant. Sutor vero descendit in domum suam in omnium conspectu exiliens, & psallens, & laudans Deum.

Invisit corpus B. Jacobi ad Compostellam.

XVIII. Post hæc peregrinari voluit, & invisere corpus beati Jacobi ad Compostellam. Nihil secum duxit in itinere præter solum baculum, & spicas septem, quas manu gestabat, in his contemplans septem Ecclesiæ Sacramenta, & septem dona Spiritus sancti. Sub horam nonam semel in die panem manducabat, & aquam, sub dio pernoctabat, ingruente pluvia sub porticibus dormiebat. Sociorum neminem advocavit, ne illorum confabulatio impedimentum esset rebus cœlestibus, & sacri Apostoli meritis contemplandis. Ut pervenit ad desiderata limina, integra nocte perstitit in oratione, deprecans Deum, & sanctum Apostolum, ut peccatorum reportaret veniam, admitterentque humile, licet laboriosum hoc suæ peregrinationis obsequium. Apparuit Apostolus magno coruscans fulgore, choris circumdatus Angelorum, qui bono animo esse jussit, exauditamque ejus orationem annuntiavit; & quidquid laboris, aut tædii in hoc itinere perpessus erat, totum esse descriptum in cœlis. E Compostella abiit veneraturus imaginem beatæ Virginis Rupis-scissæ, vulgo *Montisserrati*, ubi sacratissima Virgo eum suo conspectu, & benedictione consolata est vehementer.

Et Templum B. Virginis Montisserrati.

XIX. In Italiam reversus pristinum reassumpsit prædicandi, & prophetandi ministerium. Genuæ tribus substitit diebus, Pisis aliquot, Florentiæ multis. Hic graviora passus, quia non loquebatur populis placentia, sed adversa quæque minabatur. Tamdem ab Inquisitore conjectus in carcerem, multis affectus calamitatibus, inediam sustinuit trium dierum, absque potu ullo, aut cibo. His & aliis, quæ retulimus, malis, probavit verum esse quod Dominus prædixit, non breve, sed diuturnum se passurum in Etruria martyrium. In his pœnis constituto apparuit Angelus Domini admonens, ut patienter & fortiter tribulationes toleraret, repositam dicens in cœlo coronam. Magno repletus Thomas gaudio, gratias egit, quas potuit, bonorum omnium benefico largitori: *quia non sunt*, inquit, *condignæ passiones istæ ad futuram gloriam, quam promittis*.

Florentiæ multa patitur incommoda.

XX. Ex carcere tamquam insanus dimissus, ivit Perusium, ubi puerili quodam facto, prædixit fortalitii, quod Pontificii extruebant Ministri, demolitionem. Coram cœmentariis extruxit ille ex assere & lateribus, uti pueri solent, turriculam; projectis deinde in eam lapidibus, dejecit. Nihil locutus abiit deridentibus operariis, aliisque circumstantibus ludicrum hominis ingenium. Paulo post insurrexerunt tumultuarie Perusini in arcis constructores, universumque opus demoliti sunt; quo eventu intellexerunt, non tam fatuam quam propheticam fuisse hominis opellam. An. MCCCLXXIII. mense Augusti, in extasim raptus rudibus rythmis incipientibus: *Tu voi pur che dica, dirò con gran faticha*, multa prædixit, quæ Bartholomæus Riccardus Lardi ei familiaris, raptim dum ab ipso quibusdam intervallis promerentur, excerpsit. Circumferuntur ad vitæ finem, Italice descriptæ, eo quibusdam cariores, quo veriores ipso rerum eventu apparuerunt, de quibus istud protulit judicium sanctus Antoninus: *Propheciam in scriptis vir san-*

Arcem Perusii prædicit demoliendam.

Rythmis multa vaticinatus.

Anton. tit. 22. c. 1. § 6.

sanctus Thomasuccius dimisit in rythmis vulgaribus, in qua satis aperte prophetavit excidia plurimarum Civitatum Italiæ, quæ omnia reperiuntur impleta diversis temporibus. Multa de eo audivi ab iis, qui viderunt eum, & conversationem ejus noverunt. Et Petrus Rodulphus: *Edidit prophetiam lingua vernacula, sed rudi admodum stylo; fuit enim spiritu prophetiæ clarus.* Rodulph. fol. 14.

XXI. In urbe ista præmonitus, ut Fulgineum iret, ibique ad mortem usque moraretur, Perusio discessit, comitantibus discipulis Francisco Perusino, Justo Roseo Florentino, Bartholomæo Grossetano, & aliis. Diebus octo Assisii non otiose conversatus, dum Nuceriam proficisceretur in festivitate omnium Sanctorum, Ecclesiam semidirutam & derelictam ingressus, contemplari cœpit majestatem, splendorem, & varietatem illius festivitatis in cœlis. Deinde extra se raptus, ab Angelo ductus est in spiritu, ut Beatorum gloriam cominus conspiceret, quam plene ei repræsentavit, distinctis ordinibus omnium ostendens excellentias. In hac visione & imaginaria gloria perseveravit immobilis ab ortu Solis usque ad occasum. In se reversus, instanter rogatus a discipulis, omnia per ordinem narravit, exscribuntque aliqui vitæ ejusdem auctores. Die sequenti Nuceriam pervenit, ubi parum substitit, deinde Assisium reversus, dum Fulgineum pergeret, Hispelli Dominum quorumdam sceleris admonuit, hortatusque est, ne Perusium, quo ire parabat, proficisceretur, sin aliter in via occidendum prædixit. Flocci fecit omnia Hispellas, magno tamen suo malo; nam prope Assisium incidit in Pontificios milites, quibus erat infestus, & occubuit.

Vidit cœtum Beatorum.

Mortem prædixit Domino Hispellati.

XXII. Fulginei tamdem itineribus, & decursibus finem posuit; ubi annis quatuor ad mortem usque remansit. Multa hic in proximorum utilitatem operatus est miracula, ex quibus tria enarrabimus. Puerulum antea incognitum ex nomine vocavit, & immisso in pollicem annulo ex scirpo contorto, prænunciavit fore, ut in Episcopum consecraretur: & sicut prædixit, evenit. Ea in urbe dominabatur, Vicaria potestate a Sede Apostolica concessa Trincius hujus nominis tertius, Ugolini Trincii filius, vir elati animi, vitæ intemperatæ, & tyrannici imperii. Hunc Thomas non semel fraterne correxit, & aliquando acriter objurgavit. Ille indigne ferens se a contemptibili viro toties reprehendi, decrevit eum in ignem projicere; nihil tamen servis dixit, sed ficta sub honoris specie hominem vocavit. Thomas cœlitus præsciens paratum sibi periculum, abiit ad vicinum furnum, & chlamyde involvit prunarum acervum. Ut pervenit in Trincii conspectum ardentes prunas illæsa chlamyde expandit, & per pavimentum sparsit, dicens: *Ecce paratum ignem: ecce etiam sacrificium: decrevisti me in rogum projicere, libenter pro Domino sacrificabor.* Duplici obstupefactus miraculo, & illæsæ vestis, & secretæ agnitæ cogitationis, in veneratione habuit virum Dei, & prophetico effulsisse spiritu cognovit. Voluit proinde ab eo scire (uti est hominum curiositas, & longitudinis vitæ desiderium) si annis multis sibi vita protraheretur. Cui Thomas: *Eo usque vives, donec æramentum, sive campanum æs, quod communibus Urbis ministeriis inservit, confractum deciderit, & vituli super turrim evolaverint.* Utrumque difficile reputans Trincius longiorem sibi vitam promisit; sed claritate facti reseratum est obscurum mysterium; nam Florentini, Pontificiique hostes hoc anno MCCCLXXVII. devictis Camertibus, Duce Lucio Tedesco, Fulginates ad defectionem excitarunt. Conspirante populo, cum æramenti sonitu ad arma cierent, confracta campana cecidit, & hostes turri imposuerunt sua vexilla, in quibus vituli duo erant depicti. Mox irruerunt in Trincii palatium, ejectum-

Puerulo Episcopatum prænunciat.

Magno miraculo secretas explicat cogitationes, & mortem prædicit.

ctumque per fenestram misere occiderunt, die XXVIII. Septembris.

XXIII. Paucis antea diebus Thomas ipse suam peregrinationem absolvit. Habitabat in Xenodochio sanctissimæ Trinitatis, ubi nunc est Ecclesia sancti Sebastiani, & Collegium sacrarum Virginum, sub institutione beatæ Angelæ Brixiensis, prope Monasterium sancti Augustini, perpetuis contemplationibus, vigiliis, & corporis macerationibus intentus, nuda decubans humo, in angusto angulo, unius dumtaxat jacentis hominis capaci. Conspicitur adhuc locellus in eadem, qua tunc erat, proportione, & mensura, ac lapis, quo utebatur pro cervicali, adjunctumque sacellum, & altare, depicta ejus imagine. Hic suspitiis multis & lacrymis, dum incolatum suum in hac miseriarum valle prolongari deplorat, apparet ei Angelus Domini in festivitate Assumptionis Virgineæ, & cito ex hoc mundo ad gloriam, quam ante annos quatuor in speculo vidit, evocandum pronunciavit. Lætus Thomas, & cupiens ex hoc ergastulo dissolvi, atque esse cum Christo, avide diem expectabat meditationibus sacris, & piis operibus assidue intentus. Febri correptus, & finem vitæ prope esse præsentiens, devote postulatis, receptisque Ecclesiæ Sacramentis, assistentibus Angelis, pie obdormivit in Domino XVII. Kalendas Octobris, anno ætatis LVIII. Paulo ante mortem interrogatus, ubi vellet sepeliri? respondit inter corvos. Cum ergo post obitum circa sepulturæ locum Minoritæ, & alii disceptarent: judicatum est sepeliri debere apud Eremitas Augustinianos, quos valde diligebat, & propter atrum colorem *corvorum* nomine intellexisse interpretati sunt Fulginates. Post annos multos exhumatum sacrum corpus, omnino integrum & illæsum, & in loculo super altare conditum die XIX. Novembris, qua de causa hoc die in illa urbe illius celebratur festivitas, cum primum coleretur die XV. Septembris, quo decessit. Requievit multis annis in Sacello, ad latus sinistrum altaris majoris, a Martino Puccioro Rubino anno MCCCCL. in Thomæ honorem constructo: sed ante annos viginti translatum fuit ad sacellum Crucifixi, e latere dextro prædicti altaris majoris, in quo aliæ conservantur reliquiæ. Habentur ibi in veneratione sancti Viri Rosarium, & Capitium. Scripserunt ejus vitam Justus Roseus Florentinus, quam Vincentiæ ante annum MD. typis evulgavit Henricus de sancto Urso; auctor Anonymus, cuius opellam habeo MSS. Marcus Ulyssiponensis: omnium copiosissime Ludovicus Jacobillus Fulginas, qui patriam suam illustravit, vendicatis ab oblivione sacris monumentis, & scriptis omnium Fulginatum Sanctorum vitis stylo candido, absque fuco, & aliorum offensione. Breviori compendio de eo egerunt sanctus Antoninus, Jacobus Oddo Perusinus, Petrus Rodulphus Tossinianus, Franciscus Gonzaga, Jovianus Pontanus lib. 1. Commentariorum, & Petrus Buoninsegnius lib. 4. historiæ Florentinæ. De ejus nativitate contendunt, & suum esse volunt Gualdenses, Nucetini, & Fulginates; sed nos ex coævo scriptore socio, & discipulo ortus locum enarravimus: verum est in territorio Gualdi commoratum annis XXVII. & in ditione Nucerina natum, Fulginei denatum, & sepultum; atque ex hoc vario incolatu, ortas varias has opiniones. Nucerini autem inter urbis annumerarunt patronos. Hujus sancti Viri discipuli, præsertim Vasco Lusitanus, inchoatunt, seu restaurarunt Ordinem sancti Hieronymi in Hispania, uti illius Instituti referunt historiæ, de quo videri possunt Petrus Vega lib. 1. c. 7. & 40. & Josephus Siguntinus tom. 2. lib. 1. c. 2.

Præmonetur mortis.

Pie moritur.

Sepelitur apud Eremitas Augustinianos.

Exhumatur, & decenter collocatur.

Quinam ejus vitam scripserunt.

Marc. 3. part. lib. 1. c. 4.

Antoninus citatus.

Oddo in spec. c. 9.

Rodulph. fol. 146.

Gonz. 1. p. page 101.

Fazel. dec. 2. lib. 9. c. 6. in fine.

Vide Zurit. in Ind. Arag. lib. 7. ann. 1377.

Frideric. Rex tumulatus apud Minores Messanen.

XXIV. Hoc anno, non vero MCCCLXVIII. uti scribit Fazelius, Fridericus III. cognomento Simplex, Petri II. filius, Rex Trinacriæ, relicta Ma-

Maria unica filia, deceſſit Meſſanæ, & in templo ſancti Franciſci, regio more tumulatus eſt. Ornavit tumulum Joannes Vega Prorex Hiſpanus, hac adjecta epigraphe, in qua cur Fridericus appelletur *Aragoniæ Rex* plane neſcierim.

Sepulcrum Sereniſſimi Friderici Regis Aragoniæ, Siciliæque. Obiit anno Domini MCCCLXXVII. XV. *Indict. Friderico Aragonio Siciliæ Regi, hujus nominis III. ejuſque matri Eliſabethæ, filiiſque Guillelmo, & Joanni Randacienſi Duci, Principibus bene merentiſſ. Joannes Vega Prorex ſepulcrum erexit. M. D. LIV.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Petrus Epiſc. Elnen. & Majoricen. *Mut. tom. 2. hiſtor. Major. l. 11. c. 2.*

„ XXV. Capitulum Majoricenſis Eccleſiæ hoc anno in ſuum elegit Epi- „ ſcopum fratrem Petrum de Cima Epiſcopum Elnenſem Majorica oriun- „ dum, virum doctum, multiſque virtutibus ornatum. Electionem con- „ firmavit Pontifex hoc anno die VII. Auguſti. Poſſeſſionem accepit ineunte „ anno ſequenti. Eccleſiæ fabricam auxit, magnamque partem Cœnobii „ ſancti Franciſci prædictæ urbis conſtruxit, totumque Conventum oppi- „ di Incæni in Inſula Minoricæ. Anno MCCCLXXXIV. duo inſtituit ſacerdotia „ Primicæriorum, & anno MCCCLXXXVI. majori cultu, ſolemnitate, „ varioque apparatu curavit in feſtivitate Corporis Chriſti circumferri „ ſanctiſſimam Euchariſtiam. Obiit anno MCCCLXXXVII. pietatis, Reli- „ gionis, & in pauperes liberalitatis præclara opinione relicta.

XXVI. Propter Pontificis itinerationes, Curiæ Romanæ motum, ſtudium componendi res Romanas, ac rebelles civitates ad obedientiam revocandi, præſertim Florentinam, ad quam duos miſit Legatos, unum Franciſcanum, alterum Auguſtinianum Magiſtros in ſacra Theologia viros, ut inquit Antoninus, ſagaces & eloquentes; tranſit hic annus jejunus abſque privilegiis, aut favoribus Pontificiis. Sola duo invenio diplomata, quibus indulgentias largitur inviſentibus Eccleſiam Fratrum Minorum Stronconii, diœceſis Narnien. & Sacellum beatæ Luciæ in Eccleſia Minorum urbis Lucanæ, per quondam Franciſcum de Omnitiis conſtructum: *Licet is de cujus munere*. XV. Kalendas Junii, & VII Kalendas Septembris. *Anton. tit. 22. c. 1. §. 6.*

XXVII. Sub hoc tempus in terra Lemburgæ, in Ducatu Ruſſiæ, quæ nunc Metropolitani Leopolienſis ſedes eſt, Fratres domicilium habuiſſe ſub invocatione ſanctæ Crucis, conſtat ex aliquibus litteris, quas produximus hujus Pontificis, & ex diplomate Ladislai Ducis Opolienſis & Ruſſiæ, in quo concedit hoc anno feria VI. poſt Dominicam *Reminiſcere* privilegium Fratribus Lemburgæ commorantibus, ut Cœnobium ſibi conſtruant in civitate Sanocenſi. Urbs hæc regia eſt capitaneatus in Podogoria, quam alluit flumen Sanoc, a quo cognomen accepit. Supra fluvium in loco eminenti, ſatis amœno, ſitus eſt Conventus. Spectat ad cuſtodiam Leopolienſem provinciæ Poloniæ Patrum Conventualium. Conv. Lembergæ. *Vide Scrobiſſew. de Arch. Halicen.* Conv. Sanociæ.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Conv. Ferroli. *Idem in Prov. S. Jacobi Con. 17.*

„ XXVIII. Ad Ferrolanum oppidum, Diœceſis Compoſtellanæ, in „ Galecia ſub hoc tempus conſtructum eſt Cœnobium Minoritis, ſub ſan- „ cti Franciſci nomine, regnante Henrico II. Rege Caſtellæ, Petri Cru- „ delis Regis fratricida. Ipſum Henricum aliqui dicunt conditorem, alii „ Ferdinandum Perez de Andrada, Henrico familiarem, a quo Andradæ „ Comites originem acceperunt. Inſignia templi oſtio infixa, alterius ab „ utroque iſtorum opus eſſe deſignant.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. ADeo gratus fuit fummi Pontificis adventus in Urbem, ut univer-
„ fus populus multiplicia figna lætitiæ per plures dies publice de-
„ derit: ille vero paci ftudens, Florentinos qui defecerant, reducere fata-
„ gebat; at illi nequam fufpicati quofcumque tractatus pacis renuerunt; ac
„ inde perplura damna, multorumque cedes exortæ funt. Interea fra-
„ trem Didacum Valentinum ad magifterium facræ Theologiæ promoveri
„ poffe conceffit, datis litteris ad quemdam fratrem Petrum: *Viri facræ &c.*
„ VII. Kalendas Februarii, & IV. Kalendas ejufdem Menfis pro Fratribus
„ habitantibus inter Infideles Pontificium diploma: *Ex Apoftolicæ Sedis &c.*
„ expedivit.

Dogl. p. 4. fol. 407.

„ II. Joannes interea Lugdunenfis vir doctrina & fanctitate florens,
„ Villæ Francæ in Gallia obiit hoc anno, ut notavit Caronus. Eodem etiam
„ tempore Thomas Nucerinus, natione Umber, fpiritu prophetico, fignis,
„ & miraculis admirandus micabat. Fulginei in Umbria fepultus; que-
„ madmodum Thomas de Mantua animadvertit. *

Joannes Lugdun. floret.

Thomas Nucerinus emicat.

Chron. in Catal. SS. & BB. Ord.

* *Hic eft beatus Thomafuccius, de quo hoc anno Auctor diffufe differit; hujus propterea opus non erat in Supplemento iterato meminiffe.*

ARGUMENTUM.

Moritur Gregorius Pontifex, & fuccedit Urbanus VI. cui opponitur Clemens VII. Anti-Papa; unde ortum fchifma graviffimum & diuturnum. Ex Minoritis creantur Cardinales quatuor. In Religionibus nafcuntur ex fchifmate divifiones. Moritur Carolus IV. Imperator. Trucidantur ab idololatris Minoritæ duo, & florent aliquot pietate infignes. Multiplicantur domicilia.

I. INSIGNIS, fed infauftus fuit hic annus, morte Gregorii Pontificis, & Caroli Imperatoris, præftantiffimorum Principum, optime de Republica Chriftiana meritorum, inchoatoque diuturno omnium graviffimo fchifmate Pontificum Romanorum. Illis menfibus, quibus hoc anno vixit fanctiffimus Pontifex, confirmavit ampla privilegia, a fuis prædecefforibus, præfertim Clemente IV. & VI. & Joanne XXII. conceffa Fratribus Minoribus proficifcentibus in terras Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, aliorumque plurimorum infidelium in litteris Pontificiis expreftorum; aliquos ad Magifterii gradus promovit, domicilia ædificandi poteftatem conceffit, uti mox dicemus, aliaque multa tum hoc anno, tum toto Pontificatus tempore adjecit, quibus plurimum fibi univerfum Sodalitium devinxit. Obiit demum Vir optimus, VI. Kalendas Aprilis calculi dolore, communi omnium luctu, fepultus in Diaconia fanctæ Mariæ Novæ, qua ante Pontificatum gaudebat. Omnes honorificis efferunt elogiis, & longiori dignum afferunt Pontificatu. Felicior fane mundus, & tranquillior Ecclefia, fi diutius vixiffet, nec pacifico, & candido viro immature fubtracto fucceffiffet turbulente turbulentus homo, qui omnia turbavit, commovit, univerfi orbis fcandalo confudit. Is fuit Urbanus VI. genere Prignano, Neapoli natus, Bartholomæus nuncupatus, egregius Pontificii juris Doctor, qui Avenione in contubernio Petri Cardinalis Pampilonenfis, Vicecancellarii, Apoftolicum iftud tribunal rexit, & Romæ, eodem abfente, hoc munus prudenter exercuit; a Gre-

Gregorius Pontifex plurima præftat Ordini beneficia.

Moritur bonorum omnium dolore.

Succedit tumultuarie Urbanus VI.

gorio XI. ob virtutes maximas, quibus elucebat, ab Archiepiscopatu Acheruntino ad Barensem translatus, vir vitæ laudabilis, & Pontificatu, si non esset adeptus, dignissimus. Hic a tredecim Gallis, quatuor Italis Cardinalibus inter se diffidentibus, in Vaticano Conclavi electus IV. Idus Aprilis, sive quod Pontificio fastigio, quippe optimæ famæ, & sacræ aulæ peritum, dignum æstimarint, sive quod frequentius dicitur, timuerint perstrepentia arma populi Romani, circumsonantis, & clamantis, aut Romanum, aut Italum se velle Pontificem; ne scilicet Avenionem iterum Sedes transferretur. Nihil sane mirum, ut facile utriusque gentis Cardinales in hunc convenerint; neque magna violentia opus erat, ut hominem apud Pontifices maximos Avenione in gratia, apud omnes auctoritate summa habitum ad dignitatem hanc, de qua maximo nationum studio contendebatur, evexerint, dum suum & Galli & Itali existimare possent. Inter plausum tamen populi, atque tumultum divisi Patres, alii molem Hadriani tenuerunt, alii extra Urbem elapsi sunt, plerique in ædes quisque suas præsidio defensas, vim illatam accusantes, execrantes factum. Verum universi, sive mutata repente voluntate, sive inserviendum tempori judicantes, in Vaticanum reversi, Urbanum Pontificiis insignibus, tiaraque unanimiter pompa magna exornarunt XIV. Kalendas Majas in Paschate Resurrectionis; & quidquid Romano Antistiti debetur obsequii, privatim, & publice exhibuerunt.

II. Ille vero cum in honore esset, non intellexit, oblitus statim qualis fuerit, virtutes illas, quibus antea illuxit, obscurasse, & prudentiam, qua prius enituit, visus est omnem exuisse. Severe animadvertere cœpit in suæ dignitatis auctores, intempestive eorum mores increpare, a donis muneribusque accipiendis, a simoniæ ambitu, & labe ut abstineant, jubere, vitia corruptissimorum temporum tollere, moresque depravatos emendare, aliaque id generis adjicere, quæ animos mitioribus Pontificibus assuefactos, atque Italorum moribus adversos, in pœnitentiam a se creati Pontificis adduxere. Debuisset certe Urbanus temporum meminisse, præsentibus obsecundare, meliora voto expetere, turbulentam, infirmamque, profecto nutantem, suam electionem diuturniori Cardinalium obsequio stabilire, & dulci præludio ad graviora excipienda mentes potentum allicere. Non tulit hoc elati animi, infaustique temporis conditio. Principes alios in Pontificatus auspiciis offendere perrexit, Ottonem Brunswicensem, generosissimum adolescentem, Joannæ Siciliæ Reginæ virum, contempsit; Honoratum Cajetanum Fundorum Comitem, Campaniæ præfectura spoliavit. Ita aliorum iræ, Cardinalibus male cogitantibus, opportunitatem præbuere publicæ pacis turbandæ. Urbanos æstus, cœlique Romani gravitatem causati, Anagniam primo diversi, ac dissimulanter, mox Fundos, Cajetani prædicti Comitis in ditione Joannæ Reginæ urbem, palam conspirantes, Galli omnes concesserunt. Callide advocati Itali, sub spe promissæ unicuique seorsim supremæ dignitatis, plenis Comitiis, concordibusque suffragiis, Robertum Gebenneusem Cardinalem, Pontificem renuntiarunt XIII. Kalendas Octobris Clementis VII. nomine imposito. Extemplo ad Francorum Regem miserunt, ne fidem ullam haberet litteris nuntiisve Urbani, se Pontificem Maximum prædicantis, utpote vi, vitioque creati: seque Gebennensem liberis Fundorum comitiis creasse, qui Avenione, ut sancta jam, & urbis Romæ æmula civitate, sedem sibi delegit. Publicis deinde execrationibus inter se uterque Pontifex certabant, uterque in suam causam Principes, integra regna, præclara ingenia, viros Sanctos, & eorum quosdam divinitatis signis, miraculoque illustres evocarunt; & demum initis conciliis, per-

qui-

Offendit Cardinales.

Et Principes.

Conspirant contra eum Cardinales.

Alium sibi statuunt Pontificē.

Disceptatur inter utrumque Pontificem.

quiſitiſque Academiarum ſententiis, toto orbe Chriſtiano dubitatum eſt, uter verus Pontifex eſſet cenſendus.

Potior pars Urbani.

III. Potior in controverſia Urbani pars, majorque ſequela cui Itali, Germani, Angli, Hiberni, Hungari, Belgæ, Britanni, Luſitani, & mutata ſententia, tamdem Aragones, & Catalani adhæſerunt; Clementis partes ſequentibus Gallis dumtaxat, qui ſtatim confœderatos Scotos, mox Navarræos, deinde Hiſpanos, multis legationibus in ſuam ſententiam adduxerunt. Baldus peritiſſimus Juris Civilis, Pontificiique Interpres ſuper tanta re, eaque recenti conſultus, reſpondit; Urbanum ſibi videri verum Pontificem, tum quod iis præfulſerit meritis, quæ Pontificatui deferendo, abſque ulla violentia ſufficerent, iiſque allecti Patres hunc aliis Curiæ Prælatis, ſuiſque collegis prætulerint; tum quod loco, ſummæ Sedi velut natali, ſederit; tum demum quod conticeſcente populi Romani tumultu, uti dictum eſt, ad Urbanum regreſſi electores, eum inſulis Pontificiis magna excoluerint ceremonia: quod ſane præcipuum eſt cauſæ fulcimentum. Si enim inviti elegerunt, cur in Urbem reverſi, inaugurationis majeſtati interfuerunt? Si voluntate, quæ perverſitas cum publico periculo quæ probaveris retractare? Tum poſtremo quod ritæ electionis verbis, his factis, his ſententiis, omnes repleverint regiones, ut totus ferme orbis terrarum ita ſit opinatus, quorum adhuc extant epiſtolæ, eæque præſertim, quas univerſis Regibus Europæis, & purpuratis Patribus, qui Avenione hæſerunt, ſcripſerant in eamdem ſententiam. Joannes quoque Lignanus ſacri Juris conſultus, tunc Urbani cauſam defendit; imo & ipſe Gebennenſis, teſte Froſardo, ſub recentem Urbani electionem, ad Flandrum Comitem, & Britannos ſcripſit eumdem conſenſu riteque delectum; & proinde gens utraque ab Urbano vita deinceps omni ſtetere; Gebennenſi ante exortam æmulationem affirmanti potius, quam cum poſtea de Pontificatu certaret, neganti credentes.

Bald. lib. 6. Cod. tit. ſi quis aliquem.

Froſſar. l.2.

IV. Triginta duo volumina hujus ſchiſmatis ſervantur in Archivo Vaticano, in quibus omnia congeſta reperiuntur, quæ pro utraque parte acta, vel ſcripta ſunt, atque inter hæc multa autographa ipſorum Cardinalium ſeptemdecim Urbanæ electioni ſubſcribentium. Habentur etiam Doctorum virorum tractatus, Urbanum verum Pontificem indubie probantes; & multa alia adminicula hujus ſententiæ. Extant Catarinæ Senenſis, Virginis ſanctiſſimæ, revelationum, & miraculorum gloria tunc illuſtris, epiſtolæ ad Carolum Imperatorem (ſive is adhuc in vivis fuerat, ſive putaretur) ut credat legitime electum, aliæ ad Italicos Cardinales, qui ab Urbano deſciverant, ut ad ſanam mentem redirent, & octo ad ipſum Urbanum, quibus hortabatur ad Eccleſiam Romanam novis, iiſque optimis Cardinalibus muniendam, qui eſſent veluti columnæ fortiſſimæ, & ad omnem Satanæ impetum inconcuſſæ. In eadem fuit ſententia ſancta Catarina Sveca, divæ Birgittæ filia, & frater Petrus Aragonius Infans, vir uti regia nobilitate, & factorum gloria ante Monachatum, ita poſt virtute, & revelationum dono illuſtris. Revelatione ſibi facta perſuaſiſſe Urbano V. adventum in Urbem, & diſſuaſiſſe regreſſum in Avenionem alias enarravimus. Hoc anno, uti refertur in prædictis codicibus Vaticanis, alteram habuit, per quam firmiter credidit, & omnibus enuntiabat, Urbanum verum Pontificem, Clementem vero intruſum fuiſſe. Illic vero monetur non leviter virum graviſſimum has propalaſſe revelationes, ſed prius mature examinaſſe; primo ſub Urbano V. decretis per ipſum Pontificem, qui ſingulas diſcuterent, aliquot Cardinalibus, & ſuo Confeſſario: ſecundo ſub hoc Urbano VI. congre-

Petrus Aragon. partes tuetur Urbani.

Tom. 8. anno 1366. n. 11.

Cod. 2. fol. 124.

gregatis ex mandato Regis Aragonum, in domo Fratrum Minorum Barcinone, anno MCCCLXXX. die Veneris x. Julii, Joanne Archiepiscopo Turritano, Ferdinando Episcopo Oscensi, Jacobo Matthæi, & Antonio Folquati Ordinis Prædicatorum & Arnaldo Pelegrino Reginæ Confessario, & Bernardo Brolli Ordinis Minorum Magistris, multisque aliis Ordinum sancti Augustini & Carmelitarum viris doctis, Decretorum etiam Doctoribus, & Regiis Consiliariis. Aliud porro hujus assertionis argumentum ex alterius pii Minoritæ contestatione opportunius adducam, cum de Hispanorum erga Clementem propensione sermonem instituam. Demum universa nunc ita tenet Ecclesia, dum Urbani decreta uti canonica probat, Clementis uti spuria, & adulterina condemnat: atque omnes jam Scriptores in hanc abeunt sententiam, dum in recta serie Romanorum Pontificum Urbanum, & successores enumerant, extra seriem vero Clementem, & suos constanter reponunt. *Ann. 1381.*

V. Illinc vero nobilior aula Clementis, & excellentior conditio, quod omnes ei adhæserint Cardinales, relicto solo Urbano; sed hic ut isti mederetur dedecori, hoc anno XIV. Kalendas Octobris novos creavit ad sanctam Mariam Transtyberinam, quod in Vaticano, aut in urbe Leonina non licuit, propter possessam sancti Angeli arcem a Clementis sectatoribus. Inter hos, quatuor creasse Minoritas Thomam Farignanum Patriarcham Gradensem, Bartholomæum Cothurnum, Archiepiscopum Januensem, Leonardum Giffonum Ministrum Generalem, Ludovicum Donatum Inquisitorem Venetum, scribunt communiter Auctores. Priores duos in prima hac creatione electos non dubito, de duobus posterioribus, præmissis priorum elogiis, quid senserim, adjiciam. Primum, Farignanum ex Ministro Generali perfuncto in Apostolicæ Sedis obsequium præclaris muneribus, a Gregorio XI. institutum Patriarcham Graden. alias enarravimus. Ultra hanc dignitatem concurrebant in eo, & generis splendor, & eruditionis ornamentum: nam Mutinæ nobilibus parentibus ortus, insignis Theologus, & egregius evasit Concionator. Hunc ergo tot meritis effulgentem Urbanus creavit Cardinalem tituli sanctorum Nerei & Achillei, & postea Episcopum Tusculanum. Præfuit examini canonizationis sanctæ Birgittæ anno sequenti; inter alios Cardinales in ipso nominatur processu. Obiit Romæ, anno MCCCLXXXI. sepultus in æde sui Ordinis Capitolina, ante sacellum beatæ Virginis Aracœli. Sepulcralis lapidis epithaphium exolevit; ultimi dumtaxat versus legi potuerunt, qui obitus annum coarrant.

Creatur IV. Cardinales Minoritæ.

Fr. Thomas Farignanus.

Tom. 8. an. 1371. n. 15.

.... mille currentibus annis
Trecentis quater vicenis, unoque juncto.

VI. Secundus erat frater Bartholomæus de Cucurno, alias de Cothurno, ex Clavari Liguriæ provinciæ, & Custodiæ Genuensis, celebris Theologiæ Magister, & divini verbi facundus declamator, Archiepiscopus Genuensis, uti inscribunt Ciaconus, & nostri Auctores; licet in Catalogo Præsulum Genuensium apud Claudium Robertum non recenseatur. Ab Urbano creatus est Cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso, eique commissa est anno MCCCLXXXIII. XV. Kalendas Junii facultas absolvendi Genuenses, Mediolanenses, & Placentinos a Censuris, propter delatas merces vetitas Sultano Ægypti. Postea simultatibus cum duro Pontifice susceptis, cum eum Neapolim profectum Romæ subsistens deservisse videretur, in ipsius incidit indignationem. Multas ob hanc causam contumelias passus, multis minis exagitatus, tandem Regis Caroli Dyrachii interventu, Neapolim accedens, Pontificis gratiæ restitutus est. Sed non duravit diu amoris redio-

Fr. Barthol. de Cothurno.

Vide compend. histor. Neapol. l. 5.

te-

tegratio; nam in suspicionem adductum, quod cum aliis Cardinalibus, & Carolo Rege in Pontificis necem conspirarit, Urbanus cepit Nuceriæ IV. Nonas Januarii, anno MCCCLXXXV. tormentis examinavit, præduro carcere diu detinuit, & tamdem horrendo supplicio cum aliis quatuor Cardinalibus Genuæ interfici præcepit.

Fr. Leonardus Giffoneo. Marian. lib. 5. c. 3.

VII. Tertium Leonardum Giffonensem Campanum, Diœcesis Salernitanæ, Ministrum Generalem, hac eadem creatione renuntiatum ab Urbano Cardinalem scribunt plerique ex nostris Auctoribus, præsertim Marianus, qui missum refert galerum cum litteris suæ creationis ad eumdem Neapoli hærentem, & maxima auctoritate apud Joannam Reginam pollentem, eoque honore voluisse Urbanum, hunc a Clementis sequela, & Joannæ Reginæ partibus ad suas trahere: fecisse tamen Reginam, ut oblatum ab Urbano honorem respueret, & a Clemente susciperet. Ipso hoc anno XVII. Kalendas Januarii in prima creatione Pseudocardinalium Fundis peracta, creatum Cardinalem Presbyterum tituli sanctorum Silvestri & Martini in Montibus, scribit Ciaconus; sed Sumontius id factum refert, anno MCCCLXXIX. Neapoli, postquam summo honore ibidem a Regina, regiaque stirpe exceptus est Clemens die XXVIII. Maii. Avenione missus est ad eamdem Reginam a Clemente Legatus Siciliæ, eo tempore quo Carolus Dyrrachinus ab Urbano contra Joannam evocatus, Neapolim, & Reginam cepit, & regnum in suam potestatem reduxit. Sed cum eadem Regina, & Jacobo de Viss. Patriarcha Constantinopolitano, Clementis etiam Cardinale, in arce nova captus, a Gentili de Sangro Cardinale Legato Urbani VI. pridie Nonas Septembris anno MCCCLXXXII. in templo magno sanctæ Claræ, coram Rege Carolo, & regni proceribus Urbanum legitimum Papam, Clemente ejurato, profiteri coactus est. Deinde Cardinalitiis insignibus combustis, ab eodem Legato Gentili primo Beneventum, mox in Aprutium, deinde Aversam cum aliquot Prælatis, Clementis sectatoribus, ductus, post diuturnum carcerem, tamdem dimissus est. Avenionem regressus, tamquam Cardinalis eum honore suscipitur, & demum a Benedicto XIII. Episcopus Ostiensis, & Veliternus renuntiatur. Obiit sub eodem Antipapa Avenione anno MCCCCV. sepultus apud Minores.

Sumont. lib. 3. fol. 455.

Frat. Ludovicus Donatus.

VIII. Quartus Ludovicus Donatus, Patritius Venetus, Procurator Generalis Ordinis, Inquisitor hæreticæ pravitatis Venetiis, provinciæ sancti Antonii Minister, Vicarius Generalis Ordinis, suffectus Leonardo Giffono, propter sequelam Clementis Antipapæ exauctorato, non hoc anno, neque in prima creatione Cardinalium purpura donatus est, uti perperam scribunt Ciaconus & alii: quippe non nisi anno sequenti, uti tunc dicemus, electus est Minister Generalis in Comitiis Strigonii habitis, & anno MCCCLXXXIII. in ejus locum suffectus est frater Petrus de Conzano al. Cassana. Quare omnino reducendus est Ludovici Cardinalatus ad annum MCCCLXXXI. & tertiam Urbani creationem factam Romæ, in quatuor temporibus Adventus. Rexit tamen Ordinem titulo Vicarii Generalis usque ad Comitia generalia. Juvat hanc assertionem, quod Ciaconus excedat in numero Cardinalium primæ creationis, dum viginti novem enumerat, si tamen vere Theodorus Niemus Urbani scriba, oculatus testis, tantum viginti sex tunc creatos affirmet. Titulum accepit sancti Marci, & Legatus missus est ad prædictum Carolum Regem. Sed cum in sinistram suspicionem læsæ majestatis Pontificiæ incidisset, eamdem miseram sortem cum Cardinale Cothurno subivit. Eum inter Archiepiscopos Panormitanos Rochus Pyrrhus recenset, de quo ego valde dubito.

Ciacon. in Urb. creat. 1. Rodulph. f. 123. Ann. 1379.

Niem. de schism. lib. 1. c. 12.

Tom. 8. vide anno 1367. n. 9.

IX. Di-

IX. Distracta ita miserabiliter in partes, & scandaloso ambientium studio scissa Ecclesia, malum hoc ad omnes transivit regiones & religiones. Sicuti enim divisa sunt regna in Pontificum obsequium, ita etiam oportuit religiosa Sodalitia eos sibi præficere superiores, qui ei obedirent Pontifici, quem Reges sequebantur. Partim ita licuisse putabant, dum in controversia positum videbant, cui potius obsequendum esset; partim cogebantur a Principibus, qui adversi Pontificis potestatem uti negabant, ita a suis dominiis procul faciebant. In nostro Sodalitio hoc accidisse aliqui negant, unumque caput, & Ministrum Generalem toto schismatis tempore fuisse contendunt, sed decipiuntur; præterquam enim quod Urbanus in Pontificatus auspiciis exauctoraverit Leonardum Giffonum, Ministrum Generalem, propter contemptum a se oblatum purpuræ honorem, & Clementis sequelam, eique suffecerit Ludovicum Donatum, substituente sibi nihilominus Giffono alterum per votorum suffragia, uti sequenti anno dicemus, invenio in Regesto Clementis, & successorum Anti-Pontificum saltem duos Anti-Ministros, qui in iis dumtaxat imperabant regionibus, quæ schismaticis parebant, uti suis locis admonebimus.

Schisinata in religionibus.

Vide Castillo 3. part. histor. ord. Præd. lib. 2. c. 2. Antonin. tit. 24. c. 9. §. 21.

Marian. lib. 5. cap. 1. Chronic. antiq. MSS.

X. Hinc etiam ortum habuisse hoc anno provinciam Lusitaniæ scribit Gonzaga, quæ cum una, eademque esset cum illa, quæ sancti Jacobi in Castella nuncupatur, se ab illa divisit, quia Lusitani Urbano, Castellani Clementi adhærebant. Sed hoc anno ea de causa id accidere non potuit, cum integro triennio fluctuarint Castellani, & frequentia consilia inierint, cui potius Pontifici esset obediendum, nec ante annum MCCCLXXXI. Clementi obsequi decreverint. Errorem certe in annorum calculo apud Gonzagam facile deprehendere licet, dum secundo, aut tertio ab incepto schismate anno, divisionem hanc accidisse narrat: sed schismatis exordium ponit sub annum MCCCLXXVI. & provinciarum separationem hoc anno MCCCLXXVIII. Cum ergo non nisi hoc anno inchoatum sit schisma, in aliud tempus rejicienda est hæc divisio, & novæ provinciæ erectio. Et certe ann. MCCCXCVIII. adhuc fuberant custodiæ Lusitanæ prædictæ provinciæ, uti ex diplomate Pontificio tunc a me producendo constabit; & in Catalogo Pisani, anno MCCCXCIX. compacto, absque ulla mutatione sub eadem sancti Jacobi provincia recensentur.

Gonza. in exord. Prov. Portug. Quando separata Provincia Portugalliæ a S. Jacobi. *Vide Marian. de reb. Hispan. lib. 18. cap. 8.*

XI. Obiit hoc anno ætatis sexagesimo tertio, magno Imperii malo, Carolus IV. Imperator, nemini veterum vel pietate, vel magnitudine rerum gestarum secundus. Incidit ejus mors in vigiliam sancti Andreæ, uti Trithemius, & meliores habent scriptores, non in diem XXVII. Martii, uti Bzovius ex Dubravio in fine Tomi secundi contra ea, quæ scribit de exequiis Caroli, in principio Tomi tertii, ubi ex Codice MSS. minutim refert ritus funeris, diebus septemdecim peracti, & die sanctæ Luciæ pernoctasse cadaver in æde sancti Jacobi Fratrum Minorum, quam ipse Carolus magnifice extruxit. Imperavit annis XXXI. feliciter, bis ereptus a mortis periculo, meritis & precibus beatæ Agnetis Clarissæ, suæ consanguineæ, sicuti alias diximus; qua de causa, & propter crebra virginis miracula, impense egit de connumeranda inter Cælites, eamque curam moriens filio Wenceslao commendavit. Multa contulit in Ordinem Minorum beneficia, & sunt, qui scribant, Tertii Ordinis Franciscani mites leges subiisse, quod constantius de ejus uxore Elisabetha post Caroli mortem, & in humili hoc habitu reliquum vitæ magna cum sanctitatis opininione exegisse, ita ut miraculis claruerit, affirmant. Horum autem filius patri, & matri valde dissimilis, Sardanapalo potius, quam Carolo similis, electus est patre vivente,

Moritur Carolus Imperator.

Trithem. in Chronic. Sponheimen. Bzov. an. 1378. n. 3. in fine tom. 14. & eodem anno n. 46. in princip. tom. 15.

Tom. 5. an. 1289. n. 4.

Pisan. confor. 8. Marian. citat. Ipsa & conjux an fuerint Tertii Ordinis. *Marian. citat. Bzov. ann. 1378. n. 4.*

Carolo succedit Wenceslaus filius. Rex Romanorum; sed propter ignaviam, socordiam, & voluptates improbas, neque Imperii obtinuit coronam, neque ab Electoribus collatam, diu retinuit dignitatem.

Pisan. confor. 8. Marian. citat. Trucidantur in Valachia duo Minoritæ. Floret Valentin. Narnien. *Rodul. fol. 130. Marian. cit.* XII. In Cereth civitate Valachiæ minoris, Vicariæ Russiæ, Minoritæ duo crudeliter trucidati sunt, quia stultam eorum arborum latriam increpabant, & Dei veri cultum persuadebant. Floruerunt hoc tempore in Ordine pietate & virtute Valentinus Narniensis, provinciæ sancti Francisci alumnus, nobili genere natus, cujusdam castri dominus, qui dum filias duas in Monasterio sanctæ Claræ Deo consecraret, ipse cum tribus filiis Minoribus nomen dedit. In eo vixit laudabiliter annis triginta, panem solum, & aquam manducans, & annis decem aquæ immiscuit absinthium, in memoriam propinati Christo fellis in Cruce. Aspero cilicio perpetuo carnem edomuit, habitu dumtaxat, femoralibus, & chordula opulentus. Diu habitavit in Cœnobio Carcerum Assisii, ubi vitam terminavit; illinc translatus ad Ecclesiam sanctæ Claræ, & hinc ad Templum sancti Francisci, ubi Fr. Nicolaus Assisias & Fr. Ventura. multis claruit miraculis. In Conventu Perusii frater Nicolaus Assisias, & frater Ventura laici, virtutibus, & pietate insignes, quorum sepulcra Deus Fr. Leonardus de Montepol. multis honestavit prodigiis. In provincia Tusciæ frater Leonardus de Monte Politiano doctrina, virtute, & rerum agendarum dexteritate insignis. Fr. Andreas. In provincia Bononiæ frater Andreas vir mitis & placidus, regulari Observantia insignis. Jacet Arimini, ubi multa patravit miracula. Tabulæ Ecclesiæ Mazarien. in Sicilia referunt, Episcopum hoc anno ibidem fuisse fra- Fr. Roger. Episcop. Mazarien. trem Rogerium Minoritam sacræ Theologiæ Magistrum, & obiisse Panormi, anno MCCCLXXXII.

XIII. Fratrum industria, & laudabili zelo in excolenda vinea Domini in partibus Hungariæ, ita crevit erga eos populi devotio, & Principum pietas, præsertim Reginæ Elisabethæ Tertii, uti diximus, Instituti sancti Fran- *Hoc anno n. 11.* cisci, ut multa sibi acquisiverint domicilia. Gregorius Pontifex antequam Conventus quinquaginta in Hungaria. hoc anno vitam absolveret, confirmavit eis quinquaginta Conventus, quos ibidem possederant: *Solet annuere Sedes Apostolica*, XIV. Kalend. Februa- Conv. Arachen. rii. Et in Aracha Cenadien. diœcesis, ad preces dictæ Reginæ, eis concessit Ecclesiam sancti Nicolai, cum adjuncto Monasterio ab eadem constru- Conv. Madropsi. cto; necnon Cœnobium alterum in oppido Madropsi, Corbanien. diœcesis a Stephano Comite Serviæ ædificatum: *Sacræ vestræ religionis*, eodem die. Et deprecante eadem Regina, voluit Clarissas Veteris Budæ, Vesprimien. diœcesis esse liberas ab omni tributo, & exactionibus quibuscumque: *Vestræ devotionis sinceritas*, eodem die.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. AB Urbano XII. Kal. Januarii exiit diploma: *Devotionis sinceri-*
„ *tas &c.* quo Fratribus concedit posse hæreticos absolvere: XII.
„ vero Kal. Octobris a Clemente dato brevi: *Vacante nuper &c.* frater
„ Ludovicus Præses Neapoli institutus est: ex quo apparet statim enato
„ schismate, etiam nostram Religionem divisionem passam fuisse.

Obit Carol. IV. Imperator. „ II. Carolus IV. Imperator etiam hoc anno ætatis suæ LXIII. nemini ve-
„ terum vel pietate, vel rerum gestarum magnitudine secundus, Pragæ in
„ Boemia, magno Imperii malo, supremum diem clausit in vigilia san-
B. Agnetis Virg. canonizationem recomendat filio „ cti Andreæ: imperavit annis XXXI. feliciter, bis a mortis periculo, me-
„ ritis & precibus beatæ Agnetis Virginis, Clarissæ sibi consanguineæ,
„ cujus ob id & crebra etiam tantæ Virginis miracula, canonizationem in

Ro-

„ Romana Curia apud summum Pontificem impense sollicitabat; & moriens „ Wenceslao filio id negotii summe commendavit. Sunt qui scribunt Carolum Tertii Ordinis S. P. Francisci, quod creditu difficile non est: plura „ contulit in Ordinem Minoriticum beneficia; unde nec immerito hoc in „ Opusculo speciali memoria dignum reputantes, ex Ecclesiasticis Annalibus præcipua, quæ videbuntur referemus. Princeps profecto non tantum „ pietate, sapientia, linguarum peritia, cunctisque generosi animi virtutibus illustris, sed etiam Natalium splendore maxime nobilis & conspicuus; etenim Imperatoria & Regia stirpe progenitus, nepos quippe „ Henrici VII. Imperatoris, Comitis Lutzemburgensis, & filius Joannis „ filii ejus, cui Wenceslai VII. Boemiæ Regis filiam Elisabeth pater Imperator desponsaverat, per quam & Regno potitus fuit. In baptismo dictus „ Wenceslaus: in confirmatione a Franciæ Rege, apud quem adolescentiæ „ rudimenta adipiscebatur Caroli nomen accepit. Fratrem habuit Joannem, „ natu minorem, cui Moraviæ Marchionatus cessit: filios vero duos genuit, „ Wenceslaum natu majorem, quem mox secundo ætatis anno Boemiæ „ sceptro donavit, & Sigismundum alterum Hungariæ regno destinatum, „ tradita ei uxore Maria Regis Ludovici Hungariæ filia. Felix profecto per „ omnia pater, Rex & Imperator, si nec Regno nec Imperio sufficisset „ Wenceslaum, qui nec patris nec avi virtutes retulit: similis potius Sardanapalo fuit, quam suis progenitoribus Carolo & Elisabethæ conjugibus. „ Hic enim, patre adhuc vivente, Rex Romanorum dictus est; sed ob ignaviam, socordiam, & vitam voluptuosam & improbam, nec imperii obtinuit coronam, nec ab electoribus collatam dignitatem in finem usque „ vitæ legitime retinuit: at cum gloria patris non redundet in degenerem „ filium, manebit in patre: quamobrem recurrit calamus ad Carolum.

Wadd. ad ann. 1373.

Ad annum 1400.

„ III. Carolus ergo electus & confirmatus a Romano Pontifice Imperator, ut prædictum est, Imperium fortiter tenuit, atque prudenter rexit, ac ideo feliciter adeo regnavit, & magnifice imperavit, ut vel de „ sola Praga Metropoli Boemiæ, ad indicium aliorum operum, potuerit „ dicere, quod de Roma dixisse ferunt Augustum, nempe marmoream se „ relinquere, quam lateritiam acceperat. Princeps equidem magnificus & „ pius, qui non solum Pragæ, verum etiam in toto Boemiæ regno, divinum ubique adauxit cultum, pluribus extructis Templis & Monasteriis; „ imo & in Italia collegiatam erexit Ecclesiam in Villa Terentii Parmensis „ agri, dedicatam Deo, in honorem Dei Genitricis Virginis Mariæ, quam „ & magnifice dotavit, ita tamen, ut patriæ interim non esset immemor; „ constituit enim Patronum illi Ecclesiæ Præcentorem Ecclesiæ Pragensis; „ Pragensem vero Ecclesiam, quæ sub Metropoli Moguntina Cathedralis „ erat, ad Metropolicum decus, Romani Pontificis auctoritate, evexit. „ Quam sane Ecclesiam Uratislaus I. Rex Boemiæ anno Domini MLXXXVI. „ sub Alexandro Papa II. & Henrico IV. Imperatore fundasse perhibetur, „ eo sane cum privilegio & honorificentiæ splendore, ut quando agitur „ res divina, Præpositus & Decanus Episcopalibus uti possint infulis & ornamentis: quod certe decus & privilegium in hodiernum usque diem illi „ Ecclesiæ salvum permanet. Cæterum Carolus longe magnificentius illam „ exaltavit, atque adauxit privilegiis, honoribus, opibus, Sanctorum reliquiis plurimis, auro, argento, gemmisque ornatis, vasis item argento „ & auro prætiosis, aliisque ornamentis & structuris, & amplissimis dotationibus; nam non solum Archiepiscopum, sed & Præpositum, totumque „ Capitulum multis donavit possessionibus: ipsum vero Templum ex qua-

Ad annum 1346. & 1347.

„ drato lapide, juxta exemplar & formam Metropolitanæ Ecclesiæ Colo- „ niensis ædificavit. Multas præterea ædes sacras & Monasteria vel extruxit „ a fundamentis & dotavit, vel vetusta collapsa restituit, censibusque & „ ornamentis adauxit, non solum Pragæ, sed & in aliis regni oppidis atque „ castellis; quorum fœdæ hodie cernuntur ruinæ, & magnificentiæ vesti- „ gia in excelsis Templorum parietibus, ac turribus turpe ustulatis etiam- „ num utcumque intuentibus apparent. Maxime igitur sub tantæ pietatis „ Principe Boemorum Religio, cultusque divinus augebatur, ut Æneas Syl- „ vius, postea Pius Papa II. scripserit, ea tempestate nullum fuisse regnum „ in tota Europa tam frequentibus, tam augustis, tam ornatis ditatum „ Templis, quam erat Boemicum.

„ IV. Et quidem nullis parcebat sumptibus pius Princeps in omnibus, „ quæ ad augendum Dei cultum & populi devotionem spectare viderentur, „ ut non immerito possimus illud scripturæ de eo prædicare: *Qui curavit* „ *gentem suam, & liberavit eam a perditione: qui prævaluit amplificare* „ *civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: qui ingressum* „ *domus & atrii amplificavit: & quasi sol refulgens sic ille effulsit in Tem-* „ *plo Dei*. Nam ex iis quæ hæreticorum furore devastata non sunt, facile „ conjicere poterit homo cordatus, quantus fuerit ubique in Templis orna- „ tus & splendor. Quod enim sacellum vel Romæ augustius videtur eo, „ quod Pragæ in majoris Ecclesiæ choro sancto Wenceslao dedicatum cer- „ nitur? quanta ibi parietum sublimitas, quantus decor? vestiti enim sunt „ parietes partim crustis lapidis porphyretici, adeo eo ruscis & expolitis, ut „ eas vulgus meras gemmas existimet; & partim picturis magnificis; & „ fornix affabre concameratus, latitudine sua parietum, altitudini & sacelli „ amplitudini pulchre respondet. Quantum vero fuerit Monasterium „ Fratrum Carmelitarum, ingens adhuc moles, & in cœlum erecta Templi „ pars, quæ devastationi superest, per conjecturam admirantibus indicat, „ & ædes D. Jacobi, quæ Monasterium Fratrum Minorum S. P. Francisci „ sibi conjunctum habet, a Janiis defensa contra hæreticos, clare demon- „ strat sua magnitudine, quam celebris fuerit ibi & Fratrum Conventus, „ & populi devotio. Ex his igitur factum est, ut inclytum Boemiæ regnum „ sub pio Rege Carolo maxime floruerit in omnibus bonis; quia Dominus „ abunde retribuit magno cum incremento, & meritorum & frugum quo- „ que, opumque terrestrium quidquid in cultum & honorem ejus impendi- „ tur; juxta illud quod per prophetam dicit: *Inferte omnem decimam in* „ *horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit* „ *Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedi-* „ *ctionem usque ad abundantiam*: nil igitur mirum quod Carolus abunda- „ verit pecuniis, & omnibus opibus, fortunæque indulgentia & rerum „ prosperitate, quo plus in cultum divinum erogasset: & quidem immen- „ sas illi opes Deus ex mineris & fodinis auri, & argenti in montibus Cut- „ liniæ rependit. Habuitque etiam omnibus diebus vitæ suæ, ut totum „ regnum in pace floreret, ac proficeret adeo, ut non solum Rex pius ma- „ gnifica & sumptuosa extruxerit opera & ædificia ecclesiastica, sed etiam „ secularia ad magnificentiam & publicam utilitatem & ornamentum, quo- „ rum bona pars adhuc hodie Pragæ, alibique cernitur; ut regium in Arce „ Pragensi palatium multis, amplisque ædificiis magnificentissime exorna- „ tum: & Pons Multaviæ lapideus, cujus latitudo adeo spatiosa est, ut tres „ currus simul transeuntes capere queat, longitudo vero per decem & octo „ arcus extenditur: Murus item & mœnia maximi ambitus per colles & val-

Ecclesiast. 50. 4.

Monasterium FF. Minorum D. Jacobi celebre.

Malach. 3. 10.

„ valles extensa, quibus cinxit urbis partem, quæ parvum latus dicitur, „ tam pulchram exhibendam speciem intuenti, ut Praga situ & spatio Romæ quam simillima videatur. Arces præterea ut plurimæ ita & munitissimæ, quarum nonnullæ a Carolo nomen retinent; ea maxime Arx, in „ qua corona regni per Burgravios asservatur; & multæ præterea Sanctorum reliquiæ, & prisca regni privilegia: plerique etiam Procerum ac Baronum regni, atque Cives nonnulli, pii Regis exemplo provocati, Templa & Monasteria quædam privatis sumptibus extruxerunt: constat enim „ eximium Pragæ Templum, quod Innocentum Bethlehem dicitur, opus „ fuisse cujusdam Civis Pragensis: sed Hussiticis postea concionibus factum „ est patriæ perniciosum.

„ V. Ultra hæc omnia maximum regno decus instituit sapientissimus „ Princeps Academiam Pragensem, auctoritate Romani Pontificis Innocentii VI. conductis ex universitate Parisiensi Magistris, in omni facultate „ peritissimis: quæ sane schola impensis & studio Regis, in tantam brevi „ excrevit celebritatem & frequentiam, ut ex una Germanorum natione „ numerata ibi fuerint supra duo (quidam supra quinque ajunt) Studentum millia: quorum studiis ita favit, ac delectatus fuit Rex, ut ad scholam cum purpuratis aliquando veniens, per tres aut quatuor horas conti- „ nue audierit Magistrorum disputationes & exercitia. Cumque ab Aulicis „ admoneretur esse tempus cœnandi, responderit: *Ite vos ad cœnam; hic* „ *meus cibus est*. Talis ergo fuit erga patriam & regnum paternum Carolus; qui tamdem ætate grandævus, annorum scilicet LXIII. relictis suæ „ scientiæ & Christianæ sapientiæ scriptis monumentis (scripsit enim rerum „ a se gestarum historiam, & sancti Evangelii per semetipsum factam expositionem) in vigilia sancti Andreæ piissime obiit. Post ejus obitum orationem funebrem habuit in publica concione Illustrissimus Dominus „ Joannes Archiepiscopus Pragensis, pro themate propositis verbis: *Justorum animæ in manu Dei sunt*: ac tamdem piissimo ac munificentissimo „ Imperatori & Regi pro merito parentatum est: non pigebit autem ritus „ funeris, quibus elatus fuit referre. Carolus IV. scripsit a se gesta & exposuit Evangelium.

„ VI. In primis undecim continuis diebus cum cantu in omnibus parochiis & Monasteriis exequiæ celebratæ sunt, die duodecimo, qui fuit „ sabbati, & vigilia sanctæ Luciæ, in feretro longo cubitis XIV. lato III. & „ alto IV. depositus, a Baronibus usque ad pontem delatus fuit: deinde a „ XXX. Senatoribus magnæ & novæ civitatis trans pontem usque ad sanctum Clementem: deinde ab aliis XXX. Civibus usque ad Sclavonicum „ novæ civitatis Monasterium: deinde ab aliis usque ad Burgravii domum, „ omnes pulla veste: sic etiam & portitores cereorum CL. vestiti erant omnes „ de Senatu. Præcedebant autem CCC. cerei; item ex Boemiæ regione „ MCCCC. Viri cereos & ipsi gestabant: prosequuti sunt funus omnes Scholastici in vestibus atris; Sacerdotes, Monachi, Professores, & Studiosi „ Academiæ numero 7000. Jacebat corpus super feretro in auratis pannis „ & pulvinis, ad caput tres coronæ ejus; ad dexteram Mediolanensis, ad „ sinistram vero Romani regni: juxta erant pomum, crux, & gladius nudus, sed ad dexteram sceptrum: chirothecæ albæ in manibus cum annulis „ multis: auratis indutus caligis: corona majestatis in capite: super ipso „ umbellam auratam portabant duodecim viri. Obviam venit Cesarissa, „ Regina, Marchionissa, cum viginti pullatis: fœminæ item civitatis in „ triginta sex rhedis atræ: insignia Imperii, Regnorum & variarum ditionum ab armatis Equitibus portabantur: unus galeam & ensem illius, Ejus mors & funeralia.

eu-

„ cuspide versa deorsum. Gestabatur & labarum sacri Imperii, alba crux in „ campo rubro, nigra Aquila Imperialis, capite deorsum, in equo pullato: omnes equi nigri nigro contecti, omnes Proceres, Equites & Nobiles numero circiter 500. lugubri veste amicti. Die sanctæ Luciæ delatus „ est ab æde sancti Jacobi Minorum in qua pernoctaverat in ædem divæ „ Virginis, in qua iterum justa persoluta fuere. Feria v. in Curiam, Rex „ distribuebat singulis diebus MCCCC. cereos, quorum quisque fere sex librarum erat: quotidie suo ejus sepulcro quingenti ardebant cerei. Feria VI. in summa Basilica cum tota sua majestate elatus, antequam reconderetur, factæ sunt oblationes; itaque Archiepiscopo oblata fuere prædicta vexilla cum viginti sex equis, cum ultimo quorum Cæsaris clypeus „ & galea cum corona aurea; omnes reliquiæ Sanctorum, quæ circa ipsum „ erant. Oblationes deinde factæ ab augusta, a Regina, ab aulico Gynæcæo, ac tandem a Civibus utriusque sexus. Verumtamen cum erat Imperatricis accedere ad offerendum, cum præ luctu & mœrore non valeret, „ per Reginam complevit.... præsentibus circiter 100. Virginibus pedissequis „ Nobilibus. Ultimo in eleganti Sarcophago cum sua corona aurea, pomo, „ sceptro, ense nudo, reconditus Carolus cum Labaro imperiali, post „ diem decimamseptimam sui transitus, resurrectionem justorum expectat. Hæc ex citatis Annalibus Ecclesiasticis, de tanto Imperatore collegisse sufficiat.

ARGUMENTUM.

Celebrantur Comitia Generalia in Hungaria, in quibus assumitur in Ministrum Generalem frater Ludovicus Donatus. Alia habentur Neapoli, & creatur Pseudo-Minister frater Angelus...... Floret miraculis beatus Joanninus. Referuntur aliqua Clementis Indulta.

Desunt sub Pontificatu Urbani monumenta graviora.

I. Deperditis omnibus Urbani VI. monumentis, præter unum & alterum volumen rerum Cameralium, collectæ pecuniariæ, & negotiorum minoris momenti, jejunas & aridas oportet esse undecim, quibus sedit, annorum narrationes; nullum enim fœcundius, aut solemnius Regesto Vaticano nobis occurrit nostrarum rerum promptuarium, uti alias admonuimus. Ex mutilo etiam, & manco Regesto Antipapæ Clementis multa desunt, quæ pleniorem nobis lucem rerum nostrarum afferre possent, in iis præsertim Provinciis, quæ ei obtemperarunt. Aliqua tamen decerpimus, quæ suis annis ministrabimus, non ut auctoritatem ullam tribuamus Clementi, sed ut rerum memoriam, seculorum decursu avolantem, per fimbriam saltem retineamus, & res Gallicas, Hispanicas, Scoticas, haud contemnere, aut sepelire videamur, quia sub Clemente gestæ sunt: factum narramus, quod a Pseudo-Pontifice prodiit, non approbamus.

Capitulum generale 61. Strigonii. Fr. Ludovicus Donatus Minister Generalis. *Anno 1378. n.8.*

II. Celebratum est hoc anno, non sequenti, uti habet Rodulphus, & alii, Capitulum generale, in civitate Strigoniensi in Hungaria, ita deprecante Ludovico Rege, sancti Ludovici Episcopi consanguineo, & matre ejus Elisabetha Regina, Minoribus addictissimis. Electus est in Ministrum Generalem frater Ludovicus Donatus, Minister Provinciæ sancti Antonii, uti alias diximus, Ordinis Vicarius generalis, ab Urbano per depositionem Leonardi Giffonensis, institutus. Convenerunt Fratres ex duodecim dumtaxat Provinciis, reliquis adhærentibus Clementi. Ministri Provinciarum Ro-

Romaniæ, & Terræ sanctæ inter utrumque Pontificem fluctuantes venire renuerunt. Acta capituli inveni in regesto antiquo provinciæ Mediolanen. quæ in opere de Capitulis Generalibus, Deo dante, producemus. In his Comitiis constitutum est, ut religiosi, & docti viri seligantur, & excitentur ad propagationem fidei in partibus infidelium, eosque ad subsidiariam hanc operam, suis confratribus numero imminutis præstandam, sollicite exhortentur Ministri. Deinde ut alii probi, pii, in regendis Fratribus experti, & Regularis disciplinæ zelum habentes, deputentur, qui de tollendis abusibus, & moribus reformandis diligenter agant, & regulas præscribant. In speculo Minorum, in constitutionibus generalibus antiquis admoneo, errorem esse in annorum numero, dum hoc anno MCCCLXXIX. Assisii celebratum ait Capitulum generale; nam pro *trecentesimo* scribi debet *ducentesimo*, quia eo anno MCCLXXIX. habita sunt Comitia Assisii; iisque interfuerunt, qui illic nominantur, Patres, frater Bonagratia Minister Generalis, frater Gualterus Minister Franciæ, frater Joannes Minister Hiberniæ, & frater Bartholomæus Minister Bononiensis.

III. Celebravit etiam hoc anno aliud Capitulum Leonardus Giffonensis partes sequutus Clementis, qui cum ab eo hoc item anno, uti diximus, crearetur Cardinalis, & institueretur Ordinis Vicarius, convocavit Neapolim electores in dictis Comitiis, ad primum Octobris, in quibus electus est Anti-Minister, Leonardi successor, quidam frater Angelus ignoti prorsus mihi cognominis. Hæc habeo ex libro 4. MSS. hujus Schismatis ad archivum Vaticanum, in quo inter pleraque alia, turbas has concernentia, habentur litteræ hujus Angeli, ad Joannam Neapolitanam Reginam, datæ Avenione, anno MCCCLXXX. die XXIX. Maii seriem electionis Urbani & Clementis continentes. Refert, se ante inchoatum schisma fuisse Vicarium Ministri Generalis Leonardi absentis, & sibi commendatam concionem primo die Conclavis ad sanctum Petrum, post mortem Gregorii, eamque habuisse, turbato tamen populo, & dum hoc anno abiret ad Comitia Neapolitana, dilapsum ad Castrum Taleacotii, invisisse tres Cardinales Italos illic commorantes, Florentinum, Mediolanensem, & Jacobum Ursinum, atque ab eis multa audivisse de Clementis præferenda electione. Demum in recessu Ursino indicasse, se pro viribus laboraturum, ut in plenis Comitiis expeteretur in Ordinis Protectorem. Postremo lectis litteris antiquorum Cardinalium Clementi adhærentium, & persuadente Anti-Cardinale Giffonensi, Capitulares illius confessus jurasse in verba Clementis, atque se elegisse in Generalem Ministrum. Parvum hunc, & tumultuarium fuisse Conventiculum, aliunde mihi constat, neque omnes, neque præcipuos Ordinis Patres illuc confluxisse, partim retrahente eos conscientia, præsertim prohibente Urbano, & Ludovico ab eo instituto Vicario, in Hungariam avocante, partim interclusis viis a factionum partiariis. Hinc origo schismatis in Ordine, quod cum Pontificio ortum & finem accepit: & sane Angelus hic in Gallia, & partibus Clementi obsequentibus, multis annis etiam sub Benedicto XIII. gubernavit.

Aliud Capitulū Neapoli.

Eligitur Anti-Minister frater Angelus.

IV. Crebris miraculis celebris fuit hoc tempore memoria beati Joannini, sive Joannioli, vulgo *Gioagnoli*, tertii Ordinis, Callio, alias Civitate sancti Angeli Papalis (ita nuncupata, quia sub annum MCCLXXXIX. Nicolaus IV. eam transtulit a Monte Rochettæ, ad subjectam planitiem, in qua præexistebat Ecclesia sancti Angeli) ante aliquot annos defuncti, in Ecclesia sancti Francisci sepulti, & in locum honorificum, opera Magistri Antonii Calliensis anno MCCCLXXII. translati. Corpus loculo inclusit, sub altare san-

Floret beatus Joanniolus miraculis.

ſancti Joannis, & caput conſpiciendum per cratem ferream expoſuit, marmoreo lapidi inciſis rudibus his carminibus.

Miraculis claret hic Sanctus, ut ſemper apparet,
Quem Deus Deorum vocavit ad regna polorum.

Ejus geſta qui plene ſcripſerit, non invenio, aliqua dumtaxat miracula coram teſtibus, & notariis examinata, ad meas manus pervenere. Anno MCCCLXXIII. Claram de Molione epidimia in extremis laborantem, viſu, & loquela deſtitutam, mirabiliter ſanavit, prout interpoſito juramento pater, mater, & maritus depoſuerunt coram Bartholomæo Guidone Giraldi, Imolenſi publico Notario. Eodem anno, menſe Novembri, Antonius Ciccoli Rigutii, ejuſdem Civitatis incola, Paulum natum quadrimulum, tribus epidimiæ, ea in urbe graſſantis, tumoribus, & febre acutiſſima, animam ferme agentem, impenſe commendavit beato Joanniolo, ſuo olim familiari amico, jam ſanctitatis, & miraculorum gloria inſigni, promittens eum ſe delaturum ad ipſius tumulum, veſtes pueruli, & juſti ponderis candelam oblaturum. Statim qui languebat, cœpit convaleſcere, & pater votum ſolvit, die x. Decembris, convocatis ad miraculi teſtimonium Superioribus, & Fratribus dictæ Eccleſiæ, multis civibus, & prædicto Notario. Anno MCCCLXXIV. Benedictum Tomocettum de Caſtro Vallis, Comitatus Spoletani, ab eodem malo, & manifeſto vitæ diſcrimine: Dominicum Joannini Faventinum ab intenſa febri, & capitis dolore; Guillelmum Joannis Tavinarii, diœceſis Valentinæ, tertii Ordinis ſancti Franciſci ſectatorem, a quartana, qua per integrum laborabat annum; Chriſtophorum Petri, caſtri Gonetti, Callienſis diœceſis, a maxima febri, & epidimiæ ulcere liberavit.

Et frater Joann. de Vafordia. * al *Veterfordia.*

Circa hoc tempus floruiſſe beatum Joannem de Vaſordia in provincia Hiberniæ, de quo alias ſermonem, oblata occaſione inſtituimus, ſcribunt Marianus, & Marcus Ulyſſiponenſis.

Fr. Guillelmus Epiſcop. Urbin. Archiep Hydrũt & Patriarc. Conſtantinop.

V. Clemens Antipapa aſſumpto ad Cardinalatum Jacobo de Viſſ. Gallo, Archiepiſcopo Hydruntino, & Patriarcha Conſtantinopolitano, ſubſtituit in Archiepiſcopatu, & Patriarchatu fratrem Guillelmum Minoritam, Epiſcopum Urbinatem, ſibi fortaſſis adhærentem: *Ex paternæ caritatis officio.* XII. Kalendas Februarii. Aliquot hujus Inſtituti viros in Sacellanos, & Pœnitentiarios ſuos aſſumpſit, alios Magiſterii honore affecit; ut Conventus Vaſatenſis, de quo alias egimus, propter bellorum diſcrimina, quæ in Ducatu Aquitaniæ diu viguerunt, penitus deſtructus, & ornamentis ſpoliatus, infra urbis fortalitium transferretur, indulſit: *Quia noſtra potiſſime.* XII. Kalendas Februarii; utque Eccleſiaſtica ſuppellex, & alia prædicti Cœnobii bona, ab occultis detentoribus reſtituerentur, præcepit: *Exhibita nobis* XI. Kalendas Martii. Ut domus etiam Ebredunenſis ab hoſtibus deſtructa infra Civitatem, & parochiam ſancti Marcellini, in ædibus quondam Arnulphi Salvati, reædificaretur, conceſſit: *Inter eccleſiaſticos Ordines.* VIII. Idus Octobris. Circa hunc annum, annuente Pontifice Urbano, ædificaſſe Galeatium Sfortiam Ducem Mediolanen. Fratribus regularis Obſervantiæ Conventum ad ædiculam ſancti Ruffi, populi pietate celebrem CC.P. ab oppido Binaſcho, & X. M. P. ab urbe Mediolanenſi, affirmat Gonzaga, commutato tit. ſancti Ruffi, in alium ſanctæ Mariæ de Campo Binaſchi. Sed duo mihi occurrunt ſcrupuli, primus, quod gens Sfortia longo poſt tempore, rerum potita ſit Mediolani; & non niſi anno præterito die IV. Auguſti Galeatius Vicecomes, fratris ſui Barnabovis in dominio conſors, obierit, relicto hærede Joanne Galeatio: ſecundus, quod novellum germen regularis Obſervantiæ adhuc hoc anno non ſe extenderit in Italia extra Um-

Tom. 5. an. 1291. n. 76.

Conv. Vaſaten. transfertur.

Item Ebredunen.

Conv. Binaſchi. *Gonz. in Provin. Genuæ Con. 49.*

Vide Corium 3. par. hiſt. Mediolanen. Chron. Boſſian. ad hunc annum.

Anno Christi 1379.	Urbani VI. anno 1. & 2.	Wenceslai Imp. anno 1. & 2.	Religionis Minorum anno 172.

Umbriæ fines, uti anno sequenti referemus, cum admissa enumerabimus
Eremitoria. Quare vel posterioris erit originis hic locus, vel Observanti- B. Balthassar a Clavario.
bus non potuit attribui. Sepultus est hoc in loco beatus Pater Balthassar a
Clavario, sanguine, & prosapia Ravaschiorum illustris, vita moribus, &
miraculis illustrior. ,, Cujus corpus adhuc conservatur incorruptum, & ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
,, integrum. Postquam hæc scripseram, & propter dubia illa, quæ proposue-
,, ram, valde hærerem, transmissum mihi est ex ipso Cœnobio exemplar
,, originariæ Bullæ Urbani VI. qua anno IX. sui Pontificatus, Christi scili-
,, cet MCCCLXXXVII. concedit facultatem Blanchæ relictæ quondam Galea-
,, tii de Vicecomitibus Conventum hunc ædificandi prope Ecclesiam sanctæ
,, Mariæ de Campo pro decem Fratribus Minoribus Provinciæ Januensis.
,, Ita ut jam remotus sit omnis scrupulus circa tempus, auctorem, & institu-
,, tum Fratrum, quibus est concessus. Bullæ damus hic compendiosam nar-
,, rativam.

URBANUS &c.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Januensis, secundum morem dicti Ordinis &c.

,, VI. *Sacræ Religionis, in qua devotum, & sedulum exhibetis Altissi-* Ut in Regesto Tom. 8. fol. 399.
,, *mo famulatum &c. usque* ad favorabiliter annuamus. *Sane*
,, *petitio pro vestra, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Blanchæ,*
,, *relictæ quondam Galeatii de Vicecomitibus militis, Viduæ Mediolanensis,*
,, *parte nobis nuper exhibita, continebat, quod eadem Blancha de propria*
,, *salute recogitans, & terrena in cælestia, & transitoria in æterna cupiens*
,, *fælici commercio commutare, in terra Binaschi, Papiensis diœcesis, prope*
,, *Ecclesiam sanctæ Mariæ de Campo in eadem Terra, in loco ad hoc congruo*
,, *& honesto, unam domum cum Ecclesia, seu oratorio, & campanili &c.*
,, *pro usu, & habitatione unius Guardiani, & decem Fratrum vestri Or-*
,, *dinis, ibidem Domino perpetuo servituris de bonis a Deo collatis de novo*
,, *construere, & ædificare proponit, si ad id licentia Sedis Apostolicæ acce-*
,, *dat. Quare pro parte vestra, & dictæ Viduæ nobis fuit humiliter suppli-*
,, *catum, ut eidem Viduæ faciendi præmissa, & vobis domum hujusmodi re-*
,, *cipiendi, & perpetuo retinendi licentiam concedere, de benignitate Aposto-*
,, *lica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati &c.*
,, *plenam, & liberam, tenore præsentium, licentiam elargimur &c. Nulli*
,, *ergo &c. Datum Lucæ* III. *Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno* IX.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. A Morte Caroli Wenceslaus filius Imperiale sceptrum tractabat: Wenceslaus Imperator.
,, Urbanus vero & Clemens invicem anathematum mucronibus
,, sese lancinabant: sed valide Urbanus, & haud ita Clemens ut videbatur.
,, Hinc pluribus in partibus Italiæ, etiam Romæ Catholici, atque Schisma-
,, tici invicem armis ferociebant, primis tamen semper prævalentibus.
,, Hinc Januenses & Veneti, revirentibus odiis, qua mare, qua tellus, ad
,, destructionem invicem sese persequebantur: hinc in partes scissi Minori-
,, tæ duo Capitula Generalia celebrarunt; etenim ob sequelam Clementis Schisma inter Fratres.
,, exauctorato Giffone Ministro Generali, Ludovicus Donatus Patritius
,, Venetus ex Procuratore Ordinis ejusdem ab Urbano institutus Vica-
,, rius Generalis in Archiepiscopali urbe Strigonia, ad Danubium a Bu-

„ da XV. leucis distante in Hungaria, ad petitionem Ludovici Regis & Elisabethæ Reginæ ejus matris, celebravit Comitia Generalia, in quibus ipse idem in Ministrum Generalem electus est: ex altera vero parte Leonardus Giffonus præfatus, ex Ministro Generali a Clemente factus Cardinalis, & ab eodem institutus Ordinis Vicarius in dictis Comitiis ad primum Octobris, Neapolim convocavit electores, qui in ministeriatu Generali successorem ejusdem Leonardi elegerunt quemdam fratrem Angelum ignoti cognominis & patriæ, ut in annalibus legitur.

Indic. ex nostro Bullar. — *Ex Vatic.*

„ II. Interea Urbanus cuidam Fratri posse commorari Hierosolymis apud sanctum Sepulcrum indulsit, datis litteris: *Devotionis vestræ &c.* XVII. Kalendas Januarii. Sed Clemens Antipapa XII. Kalendis Martii, Fratres Petrum, & Arnoldum de Valentia suos Sacellanos instituit: *Virtutibus clarens &c.* & fratrem Bertrandum ad liberandum captivos dimisit: *Pium apud Deum &c.* Bertrando autem Ostiensi Kalendis Aprilis, expeditis litteris in favorem fratris Matthæi de Crema pro ejusdem magisterio: *Sacræ Theologiæ &c.* paulo post V. scilicet Kalendas Junii, in suum Sacellanum assumpsit fratrem Joannem: *Virtutibus clarens &c.* & II. Kalendas præfati mensis Junii, pro magisterio fratris Joannis scripsit Cancellario Parisiensi: *Viri sacræ &c.* cui pariter Cancellario in eumdem tenorem litteras expedivit IV. Nonas Junii: & XVI. Kalendas Augusti fratri Petro de Ramelliaco quoddam beneficium contulit: *De Religionis sinceritate &c.* ac tamdem, pro Monialibus sanctæ Claræ breve signavit: *Provisionis nostræ &c.* VIII. Idus Decembris.

Conventus Andegavensis magna floret Observantia. — *Ad ann. 1216.* — *Mon. M.SS. illius Prov.* — *Ad ann. 1341.*

„ III. Jam pluries de Andegavensi Conventu, Custodiæ Bituricensis in provincia Turoniæ majoris egimus, cujus tamen etiamnum cum odore virtutum incrementa referre tenemur. Tanta siquidem in eo regularis observantia vigebat, ut cujuscumque status, conditionis, & præeminentiæ seculares Fratres Minoritas Andegavi commorantes admirarentur, & singulari benevolentia prosequerentur. Interea vero Cœnobium cunctis mutilum videbatur, nec magnifico Urbis decori, Ducatus Andium non pridem in Metropolim erectæ respondere: præ cæteris enim displicebat, ante Ecclesiæ fores publico nihil esse plateæ, & angustia viæ communis premi. Rem tacitus inter alios considerabat quidam Reverendus Mauritius Chamaillardi, sancti Martini Turonensis olim Decanus, qui Minoritas ut Fratres in Domino singulariter adamabat: ac tamdem Civium commodo, & majestati Ecclesiæ, ad introitum ejusdem, magnam, ut nunc visitur, aperuit plateam: ipse vero ad Remuneratorem bonorum operum properans, hoc anno MCCCLXXIX. suæ corruptionis sarcinam in eadem Ecclesia ante altare sancti Laurentii tumulatam voluit.

ARGUMENTUM.

Nascitur sanctus Bernardinus Senensis, cujus vitæ primordia referuntur. Frater Petrus Aragonius laborat pro extinguendo schismate. Florent aliquot Minoritæ illustres. Augetur Institutum regularis Observantiæ, & multiplicantur Ordinis domicilia.

Nascitur S. Bernardinus. — *Anton. cit. cap. 5.*

I. NOVUM hoc anno exortum sydus, Ordinis Minorum gloria fecunda, collapsi decoris gloriosus instaurator, Bernardinus Senensis, cujus vitæ primordia a piis sancti Antonini verbis licet auspicari: *Apparuit gra-*

gratia Dei, Salvatoris nostri, diebus istis novissimis, in servo suo Bernardino, qui cooperante clementia Patris misericordiarum & luminum, ut novum sydus in opaco seculo, cælestium charismatum illustratione præfulgens, mirabiliter claruit, & in densissimas humanæ insipientiæ tenebras, celebris vitæ, & doctrinæ micantes radios propagavit, ut cæcutientem populum, qui a cælestis patriæ recto tramite declinabat, prævia vitæ sanctitate, in Dei timore dirigeret, & verbo doceret pariter & exemplo. Evangelici hujus Viri vitam multi scripserunt, ferme coætanei, & discipuli; novem variorum Auctorum habeo præ manibus Legendas, ex his quatuor manuscriptas. Omnibus præferendæ tres, illa, quam scripsit beatus Joannes Capistranensis, discipulorum potissimus; secunda, quam ex Anonymo Surius transcripsit; tertia his brevior, & prior, quam Leonardus Senensis Bernardino ab ineunte ætate familiaris, rogante Capistrano, scripsit an. MCCCCXLVI. biennio post sancti Viri mortem, apud me manuscripta, ex qua potiora Capistranus in suam Legendam corrivavit. Neque contemnenda quarta etiam MSS. quam libris quatuor complexus est Maphæus Vegius, Martini V. Datarius, præmisso peculiari officio recitando in hujus Sancti festivitate. „ Alteram scripsisse Callimachum Florentinum illius ætatis virum, „ Principis Alberti Casimiri Regis filii præceptorem, eamque misisse ad „ Sbigneum de Olesnica Episcopum Uladislaviensem, Sbignei Cardinalis, „ & Episcopi Cracoviensis nepotem, mihi constat ex epistola nuncupatoria „ ipsius ad prædictum Episcopum, inter monumenta quædam Poloniæ MSS. „ reperta; Legendam autem ipsam non vidi. „ Illud est nostrum de omnibus judicium, ut quædam, confuso rerum ordine, & inversa temporum serie, historiam confundant; aliæ laxiori, & molliori stylo longa orationis semita lectorem prius tædio afficiant, quam ad metam perducant; aliæ breviores sint, quam ferat rerum gestarum magnitndo, omnes presso demissoque exaratæ sint sermone, quem illa tulit ætas, & nostra condemnet. Ex omnibus, & quibusdam processus Canonizationis fragmentis ea nos colligemus, in quibus conveniunt; in quibus discrepant, discutiemus, & universa per temporum seriem, nostro qualicumque stylo distribuemus.

Quinq. ejus acta scripserunt.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

II. Natus est itaque vir sanctus Bernardinus hoc anno, in die Nativitatis Virginis Mariæ, in civitate Massana, ditionis, & agri Senensis, uti universi vitæ ejus conspirant Auctores. Sed Æneas Sylvius Massanis hanc invidens gloriam, & suæ volens adsciscere Civitati, ita constanter nimis sententiam fert: *Fuit*, inquit, *Bernardino clara inter Senenses origo, nec vera est assertio eorum, qui patriam illi Massam fuisse tradunt, quamvis illic pueritiæ nonnulla fundamenta peregerit. Ceterum Pater, ac majores sui longa serie inter nobiles Senenses habiti sunt, ubi & ipse natus, & majori ex parte educatus*. Vere tamen injustum tulit judicium, dum contrarium scribunt omnes sive discipuli, sive coævi, & nonnisi anno undecimo ætatis, patre & matre defunctis, Senas evocatum affirmant. Fuit Pater Senensis, ex nobili, & vetusta familia de Albicceschis, * Tollus Dini nuncupatus, domini Bandi militis filius: vir prudens, humanus, candidus, & bonæ inter cives opinionis. Ante annos tres amandatus a Magistratu Senensi Massæ urbis Præfectus, quem Tollus alter, patruus ter, & cum laude in eadem Præfectura præcessit. Mater fuit Massanensis nobilis viri Bindi, aliarum urbium Rectoris, filia, Raynerii militis de Advedutis * neptis, Nera dicta, cui soror unica Diana, alteri nobili viro collocata. Nescio sane unde Laonicus Chacacondylas, vir Græcus Atheniensis, Bernardinum Canilium cognominat; neque enim in prosapia paterna, aut materna, hujus cognomenti vestigium

Ubi natus S. Bernardinus.

Sylv. in Europa cap. 64.

* *al. Albicesis. Quibus parentibus.*

* *al. Avedutis.*

Laonic. de rebus Turcicis lib. 8.

Illis puerulus orbatur. reperio. Parvo ille tempore potitus est genitrice; obiit enim Nera in juventutis flore, anno vigesimo secundo, trimulo relicto Bernardino; quam secutus est conjux post annos tres, pueruli nondum completo sexennio.

Pueri virtutes. III. Matertera Diana, suscepta in se cura, quantum ea ferre potuit ætas, bonis moribus Bernardinum instruebat, præsertim pio in beatam Virginem affectu. Etsi vero instar puerorum quædam pueriliter ageret, reliquos condiscipulos in feriis superabat, maxime in Grammaticis institutionibus, aliisque perdiscendis. In intellectibus etiam manuum suarum ita eum deduxit Dominus, ut in ipsis puerilibus, & quibusdam rebus fabrilibus, seu manu conficiendis, ita omnibus placeret, ut certo sibi persuaderent ingeniosum, & ad res magnas fore idoneum. Loca sacra, Sanctorum limina frequenter invisebat, piis operibus, præsertim eleemosynis, ita sedulo insistebat, ut pietas ingenium, ingenium ætatem præcurrisse videretur. Accidit ut pauperi stipem petenti negaret Matertera, causata pauxillum panis in cœnam superesse. Ad pauperis repulsam dolens puerulus: *Demus*, inquit, *pauperi, quod mihi in cœna præstaretur, potius mihi subtrahi cupio, quam Christo in paupere denegari*. Lætabatur valde pia Matertera ad optimam pueri indolem, & speciosa virtutum præludia, cœpitque eum ad jejunia Ecclesiastica provocare, quæ ultra quam tenelli anni pati viderentur aggressus est, & observavit, maximæ Sabbatinum in beatæ Virginis reverentiam.

Senas advocatur. IV. Undecim (non tredecim, uti habet Surii Legenda) factus annorum, Senas advocatus est a Christoforo & Angelo Albizeschis, Tolli defuncti, & Philippi Regulini Germanis fratribus, sub disciplina Christophori, & honestissimæ conjugis, Piæ nuncupatæ, educandus. Hi prole nulla suscepta, Bernardinum, uti filium diligenter & solerter instruxerunt, & humanioribus imbuendum litteris cuidam Honofrio præceptori tradiderunt.

Ejus pietas. In his profecit supra omnes coætaneos suos, admirante Magistro pueri docilitatem, & virtutes, quibus omnium animos sibi conciliabat. Supervacaneas horas in altaribus domi extruendis & ornandis, aliisque pietatis præludiis impendebat; diebus festivis piam tutricem ad proximum sancti Augustini Templum libenter comitabatur, & attente divinum eloquium a concionante excipiebat. Domum reversus pueros convocabat, & tanta venustate, quæ audiebat, pro suo captu repetebat, ut multi præsagirent insignem aliquando fore Ecclesiasten. Venit sub hoc tempus Senas Joannes Spoletanus, moralis vitæ, & Philosophiæ optimus instructor, cui Bernardinus honestatis, & doctrinæ cupidus, per aliquot annos solerter adhæsit; atque adeo in virtute, & litteris sub eodem profecit, ut ipse Magister palam assereret, neminem e schola sua doctiorem, aut puriorem prodiisse; quippe qui mira facilitate Philosophiæ erudimenta didicerit, & tanto morum candore illuxerit, ut nihil verbo, nutu, opere prætulerit, quod honestissimam mentem non indicarit. Ad obscena, vel minus honeste prolata verba, conturbatus erubescebat, nec minorem reputabat injuriam similes coram se effundi sermones, quam si colapho in facie cæderetur. Hinc sibi cavebant pueri, & condiscipuli, ne quidquam hujusmodi coram ipso loquerentur, & dum inania miscebant colloquia, adveniente Bernardino, missa faciebant, dicentes: *En Bernardinus adest; hi facessant sermones, transeant in meliores*.

Facilitas discendi. Mira modestia.

V. Integritatem hanc, & pudicitiæ candorem sollicito custodiens studio, insidias timebat inimici, & maculandæ vitæ occasiones perhorrescens, severe animadvertebat in eos, qui turpia, aut inhonesta suadebant. Ut erat

erat speciosissimus, & decorus valde, civis quidam haud infimæ conditionis inhonestum verbum insusurravit. At ille protinus pugno respondit, & insani hominis repulit impudentiam. Post annos multos cum eadem in platea Bernardinus prædicaret, & hic civis præ reliquis interesset, ad ignita egregii concionatoris verba, & malefacti memoriam ita corde compunctus est, ut crebris suspiriis & lacrymarum irriguo, dolorem patenter expresserit. Eodem ferme tempore contigit, ut alienigena, nutibus, & verbis impurum animum frequenter indicaret, cujus insolentiam dum comprimere cuperet Bernardinus, advocatis quibusdam sociis, iterum tentantem lapidibus excepit, & fugientem insecutus est a Porta Salaria usque ad Pasterulam. Utroque hoc facto tantum apud omnes virtutis, pudicitiæ, & integritatis Bernardini fama percrebuit, ut nihil illi suggerere, verum neque coram eo proferre, quod honestum, & castum non esset, quisquam auderet. Omnes eum tamquam honestatis speculum, & castitatis exemplar venerabantur; neque id mirum, cum convictores, socii, & Confessarii præstito juramento testati sint, se constanter credidisse immaculatam semper servasse virginitatem, neque mortalis reatus labe aliquando sanctam animam commaculasse; idque ipse in gravi quadam infirmitate revelavit piæ fœminæ Tobiæ suæ consobrinæ. *Immaculata Virginitas.*

VI. Postquam adolevit, relictis humanioribus, & Philosophicis studiis, ad sacros Canones se convertit, in iisque intelligendis triennium absolvit; mox sacris litteris animum applicuit, in quibus evolvendis, enodandisque, tanta capiebatur voluptate, ut reliqua studia nauseam parerent, & fastidium. Hinc illi continua conversatio & perpetua familiaritas cum viris religiosis, & sacræ Scripturæ peritis; hinc summa voluptas Bibliorum interpretes, & sacros declamatores audiendi. Decimum septimum ubi attigit annum, prædictam consobrinam Tobiam, Dianæ amitæ filiam, relictam viduam viri nobilis Guidonis Bartollii de Ptolomæis, Tertii Ordinis sancti Francisci professam, Bernardino annis triginta seniorem, fœminam lectissimam, pietatis operibus, orationi, jejunio, chameuniis, & corporis macerandi studio solerter intentam, crebro invisebat, aliarum fœminarum abhorrens consortium. Cum hac ei frequens sermo de rebus divinis: nam & illa cœlestibus meditationibus assueta, huic in misericordiæ exercendis operibus adlaborabat; & erga peregrinos, pauperes, ergastulis inclusos, universa exhibebat caritatis obsequia. Hæc illa, quæ in Xenodochio Senensi, a Scala nuncupato, magna grassante lue, feminis diligenter inservivit. Hæc illa, cujus animam in cœlum assumi vidit Bernardinus, cum Mediolani die primo quadragesimæ prædicaret, & propterea, sermone incompleto, in cellam descendisse fassus est discipulis. Cujus rei periculum facere volens Dux Mediolanensis, secreto misit Senas, qui an ita esset, exploraret, comperitque cursor eadem die & hora, qua Bernardinus dixit, obiisse feliciter. *Sacras litteras addiscit.* *Tobia 3. ordinis Bernardinq cara.*

VII. Hæc illa, quæ Bernardinum præ omnibus consanguineis dilexit, & veluti mater aliquoto tempore enutrivit, magnam probæ educationis curam agens, & proinde numquam patiebatur a se divelli, quin secum duceret in templum, ad divina officia, & sacros sermones audiendos, ad Xenodochia, ad carceres, infirmis & egenis ministraturum; summopere cupiens velut altera Anna Samuelis mater, ipsum immaculatum & sanctum custodire, & christiane enutritum, Deo tamdem offerre. Postquam ad pubertatis annos pervenit adolescentulus, nihil Tobiæ magis curæ, quam virginitatis thesaurum illæsum custodire; hinc diurnæ nocturnæque preces ad domi-

minum, ut concreditum hunc sibi filium, immaculatum & impollutum servaret; hinc frequentes ad Bernardinum sermones de virginitatis excellentia, & quotidianæ exhortationes ad eamdem servandam. Ille sanctum, & solliciti timoris plenum, Tobiæ zelum perspiciens, subridens aliquando majori angebat cura, veluti jocose innuens, sibi pulchram esse amasiam, cujus amore ardenter tenebatur, addebatque: *Pulcherrimam habeo amicam, quæ animam deprædata est meam*. Et alias: *Ibo*, inquit, *visum dilectam meam, quam tota anima diligo, neque hac nocte requiescerem, nisi prius spetiosissimam ejus faciem contemplarer*. Subdubitans Tobia interrogabat; *quænam hæc tua spetiosa, & cara amica, aut ubi habitat?* Cui ille; *præ omnibus Senensibus puellis hæc est spetiosissima, & nobilissima, habitatque extra portam Camollinam*. Ducebat hæc porta Florentiam, habebatque desuper depictam pulchram beatæ Mariæ Virginis in cœlum assumptæ imaginem, quam bis quotidie mane, & vesperi Bernardinus solebat devota prece salutare. Fluctuabat pia fœmina: videbat adolescentulum pietatis operibus, jejunio, precibus, sacris audiendis perpetuo addictum, haud exutis vestibus brevem somnum delibare, noctu numquam exire, profanos sermones nusquam miscere, nusquam otiose divagari. Ex alia parte considerans adolescentis formam egregiam, timebat dœmonis insidias, carnis fragilitatem, hominis in deteriora propensionem, verebatur ne extra illam portam juvenculam aliquam adamaret, aut blanditiis irretiretur alicujus Monialis, quod prope erat, Cœnobii.

Ejus in B. Virginem affectus.

VIII. Inter spemque metumque in varias agitata cogitationes, decrevit semitas observare Bernardini, & secreto se abscondit loco prope portam, ubi prætereuntem videret, & in quas diverteret ædes exploraret. Vidit vero non alio tetendisse, sed ad ipsam portam nudis genibus, & ferventi oratione salutata Virginis, quæ desuper erat, imagine, domum rediisse. Observavit hoc non semel per se, fidamque sociam, cui suos revelavit timores, nihilque aliquando vanum, otiosum, aut quod in profani amoris suspicionem adducere potuisset, deprehendit, præter sanctum in Virginem affectum, & quotidianum istud obsequium. Amota jam omni mali suspicione, & periculi metu, dixit lætabunda adolescentulo: *Sæpe mihi inculcasti te speciosæ puellæ amore captum; oro, dic mihi aperte, quæ sit ista, neque celes me rem istam, aut moleste hoc scrupulo patiaris amplius torqueri*. Cui Bernardinus: *Quoniam ita jubes religiosissima, & carissima consobrina, pro filiali, quam tibi debeo ex materno erga me affectu reverentia, rem omnem propalabo, quam nulli mortalium indicare proposui. Placuit Deo bonorum omnium auctori, ab ipsis unguiculis ardentem suæ Genitricis mihi instillare amorem: hanc semper amavi, in hac spem meam reposui, hanc unice diligo, ubique requiro, totisque præcordiis videre desidero. Sed cum id in hac vita non liceat, constitui saltem ejus umbram, aut penicillo delineatam speciem extra portam Camollinam, utpote venustam, & meo arridentem genio, quotidie bis saltem venerari. Hæc illa mea est amica, spes mea certissima, cujus meritis spero divinam me aliquando consecuturum gratiam & misericordiam*. Hæc audiens Tobia, summo exultavit gaudio, rogavitque ut illum tepere non permitteret amorem, sed novis subjectis facibus magis accenderet. Ita fecit Bernardinus, quod plane conspicitur in ejus operibus, quibus nihil præclarius, nihil ardentius scriptum est de Virgine, quippe ea peculiaria attribuit beatæ Virgini elogia, quæ recentiores Theologi cum laude prosequuntur, Bernardinum secuti antesignanum. Ita etiam in ejus factis eluxit; quippe ante, & post datum Minoribus nomen, nihil quod in

Vir-

Virginis cederet cultum, prætermisit; nullum ferme habuit ad populum sermonem, in quo Mariæ laudes non intermisceret; nullam ferme religiosam ædem suis extruxit Consodalibus, cui Mariæ titulum non præfigeret, vel Jesu nomini non affigeret. Ita ipse testatus est publica concione anno MCCCCXXVII. in die Nativitatis beatæ Virginis ex rostris dicens: *Semper sacratissimam Virginem dilexi, & debui; in hac enim suæ sacratissimæ Nativitatis die, lucem aspexi, sacro baptismate renatus sum; eodem die sanctum hoc beati Francisci Sodalitium ingressus sum; recurrente anno, eodem die solemnibus me votis adstrinxi; eodem die primum sacrificium in altare Deo exhibui, primumque ad populum habui sermonem.* Testatur beatus Joannes Capistranus, quoties de beata Virgine prædicabat, faciem ejus tamquam Seraphin solari fulgore irradiari, & igniri solitam, prout ipse, & plurimi auditores, præsertim in festivitatibus, conspexit.

IX. His adde, in Mariæ Virginis obsequium eum voluisse confratribus disciplinatorum beatæ Mariæ Virginis in Xenodochio *de la Scala* nuncupato adscribi; in quam Sodalitatem ii tantum admittebantur, quorum fama integra, & bona apud omnes existimatio. Erat enim domus illa schola virtutum, sanctitatis speculum, & piorum hominum seminarium. Hinc ad reliquas Italiæ partes emanarunt piæ exercitationes, & devotionis studia, in sodalitatibus observanda. Hinc prodiit beatus Joannes Columbinus Jesuatorum institutor, & individuus comes Franciscus Vincentinus; hinc Montis Oliveti Congregationis fundatores; hinc beatus Petronius de Petroniis Carthusianus; hinc Andræas de Galleranis virtutis, & pietatis idea; hinc multi Viri sancti, & innumeri religiosi, tamquam ex conserto alveario examina proruperunt. Cum autem ferventi Bernardini devotioni domus hujus exercitia, licet pia, licet corpori molesta, non sufficerent, adinveniebat novos modos corporis macerandi, crebro flagellis e funiculis contextis se cædebat, & urtica, ac cilicio carnem affligebat. Multis annis vestitus dormiebat in scamno, vel tabula, cibus & potus communis quidem, sed parcus erat, in escis delicatis nullum excessum, in vilibus nullam prætulit singularitatem. Jucundum, hilarem, affabilem se omnibus exhibebat, tristitiam, torporem, ignaviam abhorrebat. Malo animo irasci uon novit, candidum, & verum sermonem semper dilexit; caritatem, & misericordiam erga egenos exhibebat, in agendis prudens & circumspectus, in conversatione hilaris, neque ullus erat mœrori locus, ubi Bernardinus divini salutaris lætitiam propinabat.

Adscribitur confratribus Sodalitatis B. Mariæ Virginis.

X. Sæviente ubique peste, anno MCCCC. quo Bonifacius IX. Jubilæum indixit, confluebant innumeri peregrini ad Xenodochium illud Senense, adeoque crevit inter eos epidemiæ morbus, ut ministri ægris inservientes, maxima ex parte obierint, nec esset, qui ob loci fœtorem, & quotidianos morientium cumulos, etsi magna proposita mercede, infirmis vellet inservire. Ita fiebat ut tum vel maxime insigne hoc pauperum, & peregrinorum refugium necessaria ministrorum opera destitueretur, cum major urgeret necessitas. Joannes Landaronus Xenodochio præfectus, vir optimus, a pietate, & caritate commendatissimus, cum omnem posuisset operam his malis medendis, sed frustra, dum nullus esset qui pestis contagionem non formidaret, impense rogabat Virginem Dei Genitricem, Xenodochii tutelarem, ut in tanta ministrorum inopia suæ domui provideret. Infudit illa piam cogitationem Bernardino, vitam pro ipsa in egrotorum obsequium offerendi, & pro lucro reputandi, si in domo ejus, & inter ministros vitam poneret, quæ vitam attulit mundo, eumque genuit, qui pro nobis omnibus se obtulit in ho-

Magna pestis sub annum 1400.

Pestilentibus inservit Bernardinus.

holocaustum. Nec diu distulit opere complere, quod corde concepit. Annum tunc agens vigesimum, beatæ Virginis se credidit tutelæ, & per aliquot hebdomadas officiose, & diligenter infirmis ministravit. At dum tantæ multitudini solus non sufficeret, duodecim Religiosos, & pios convocavit adolescentes amicos, quos piis exhortationibus ad idem excitavit ministerium, & insigne genus Martyrii. Illi præmissa reatuum confessione, & sumpta sacra synaxi, animas suas Deo devoverunt, & præeunte virtutis magistro Bernardino, toto epidemiæ tempore, omne, etsi vilissimum, molestum, & laboriosum obsequium infirmis præstiterunt, lucri loco ponentes, si in his caritatis officiis vitæ cursum absolverent; non aliter, quam illi Presbyteri, & Diaconi Alexandrini, spectatæ virtutis in populo: *Eos qui in sua Urbe epidemia laborabant, nulla sui cura, aut cautione adhibita, sedulo inviserunt, illis inservientes assidue pro viribus, ob Christi amorem, cum quibus decesserunt e vita, cum aliorum mortem in se derivantes, vitam amiserunt*. Horum meminit Martyrologium Romanum: *Quos velut Martyres piorum fides venerari consuevit*. Neque immerito, etenim: *Istud genus mortis, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem, suscipiebatur, nihil a Martyrii splendore abesse videtur*. Horum adolescentum exemplo accesserunt alii, itaut non deficerent domui, in tanto vitæ periculo, ministri, neque infirmis opportuna solatia. Inter tot vitæ pericula, & corporis labores, ea fuit Dei providentia, ut Bernardinus, cui ministrorum præfectura, & rerum ministrandarum cura commissa, firma potiretur salute, omnibus adesset, omnibus inserviret. Promptus in obsequio, hilaris in ministerio, indefessus in labore, omnibus omnia factus, omnibus compatiens, cum dolente dolebat, cum flente plorabat, cum ridente canebat, universis talem se exhibebat, qualem consolandis afflictis putabat expedire.

Vide Dionys. Alex. apud Euseb. Cæsar. lib. 7. c. 17.

Martyrol. die 28. Februar. Euseb. citat.

XI. Lue extincta, domum se recepit, & paulo post gravi repentinaque febri corripitur, in domo nobilis viri Hildebrandini de Manettis, sibi amore, & familiaritate conjunctissimi. Jacuit menses quatuor patientissime ferens morbi molestias, plus compatiens nobilibus Matronis Justinæ de Manettis, & Tobiæ consobrinæ, sedulo inservientibus, quam sibi ipsi graves, & diuturnos dolores patienti. Excussa febri, & recuperata valetudine, ad pristina rediit pietatis exercitia, religiosi in Deum cultus, & continui in proximos obsequii. Audivit amitam suam Bartholomæam, venerabilem matronam, olim nobilis viri Trogliardi de Ptolomæis conjugem, prope nonagenariam, cæcam, nervis dissolutam, in lectulo perpetuo jacentem, necessaria ope, & ministerio destitui. Statuit ergo ei omnia caritatis, & servitutis officia impendere, & veluti parenti officiose etiam in vilibus, & immundis inservire. In hoc caritatis ministerio annum integrum, & menses aliquot complevit, donec pia matrona naturæ debitum persolvit. Ad cœlos migrasse suadent vita religiose transacta, sub Instituto, & regula sancti Augustini, continua jejunia, perpetuæ vigiliæ, & preces, miræ corporis macerationes, erga sanctissimum Jesu nomen inexplicabilis devotio. In ea sunt plerique sententia, ut quemadmodum sanctus Augustinus ad Deum conversus est, precibus, & lacrymis beatæ Monicæ genitricis; ita pia hæc fœmina longa multorum annorum intercessione impetrarit, ut Bernardinus in via Dei magis proficeret, stabiliusque confirmaretur. Suadebat frequenter ut Monasticum subiret institutum Eremitarum, * sancti Augustini in religioso Cœnobio Lecetano, * in quo vigebant Fratres, virtute, & pietate venerandi. His exhortationibus illectus, cum religiosis illis patribus libenter & assidue conversabatur; quorum mores, & vita laudabilis usque adeo placebant, ut pro-

Diuturno laborat morbo.

Humiliter inservit consanguineæ ægrotanti.

* *al. Canonicorum.*
* *al. Licetano.*

probabiliter conjicerent multi eum ſuum nomen his daturum, niſi ipſius hortatricis amor eum ab ingreſſu retardaret; firmiter enim ſecum conſtituerat, dum illa in humanis ageret, eam non deſerere in tanto languore, ab aliis deſtitutam. Tamdem hac defuncta, alio Deus vocavit pium adoleſcentem, uti ſub annum MCCCCII. quo divinitus vocatus eſt ad Ordinem Minorum, amplius referemus.

Naſcitur B. Coleta. Stephan. Juliacen. in ejus vita. Marc. 3. par. l. 3. Legenda MSS. Virtutes in pueritia.

XII. Peculiari Dei providentia orta eſt etiam hoc anno beata Coleta Virgo, reformatrix Clariſſarum, ut ſicut beatus Bernardinus Fratrum, ita iſta eodem tempore Sororum collapſam diſciplinam inſtauraret. Nata eſt apud Corbejam, nobile Picardiæ, ad dexteram Somonæ fluvii, Diœceſis Ambianenſis oppidum, Patre Roberto, Matre Margarita fœmina religioſiſſima. Mirabilem divinæ cognitionis gratiam ei contulit Spiritus ſanctus, largitor liberaliſſimus, idque in ætate tenerrima. Cum enim quadrima eſſet, præter communem naturæ uſum, cœpit ita mentem habere ad cognoſcendum Deum perpetim elevatam, ut nullus vir prudens aliqua ratione poſſet ambigere, divinitus id illi eſſe inſpiratum. Sicut autem de Joanne Baptiſta Domini Præcurſore legimus, eum teneris ſub annis civium fugiſſe turmas, & antra petiiſſe deſerti, ita etiam hæc ancilla Chriſti, divinæ cognitionis multiplici percepta gratia, in annis puerilibus fugere cœpit ludos omnes & levitates, atque curioſitates puellarum, contemnere mundi vanitates & applauſus. Etſi autem ſexus infirmitate prohibente, non ſeſe abdidit in eremum, attamen in paternis ædibus, quoad ejus fieri potuit, plane ſe geſſit ſolitariam: quemdam ſibi parvum deligens locum, ab aliis ſeparatum, ubi tamquam in oratorio accurate ſeſe exercebat in piis meditationibus, in timore & amore Dei, ejuſque cultu ac famulatu, crebris quoque orationibus devotis, nec unquam ab illo niſi raro, idque compulſa & invita, egrediebatur.

Mira verecundia.

XIII. Porro coram ſeculi hominibus mirum in modum verecunda fuit, eiſque plane extranea toto vitæ ſuæ tempore. Unde quoties aliqua religionis neceſſitas, vel alia quævis cauſa extra Monaſterium, vel ſua privata oratoria, eam coegit exire, coram quibuſlibet etiam privatis perſonis adeo erubeſcebat, adeo ſibi contemptibilis, & reprehenſione digna videbatur, ut ſuo ipſius judicio numquam vel dicendo, vel faciendo publice quidpiam boni, tantum ſe profectum feciſſe exiſtimaret, quantum feciſſet, ſi ſecum permanſiſſet domi apud Deum & Dominum ſuum. Solebant interdum puellæ coetaneæ eam inviſere, & in eam curam diligentiſſime incumbere, ut ſecum eam educerent, ſed nihil efficere poterant: immo vero ſentiens illa plerumque in ſpiritu illas venturas, ſtudioſiſſime ſeſe occultabat, vel ſub lecto, vel alibi, donec cognoviſſet eas abiiſſe.

Senſuum cuſtodia.

XIV. Erat quidem corpore parva, ætate juvenis, ſed grandeva ingenti deſiderio perfecte diligendi Deum creatorem ſuum, illumque timendi, illi ſerviendi fideliter, & ſedulo obſequendi, efficiendi ut ab omnibus ſimiliter & cognoſceretur, & timeretur, & ſuper omnia amaretur. Erat vita, & converſatione honeſta, matura bonis moribus, ſenſuum perfecta domitrix; ita ut ſenſus plane clauſos haberet ad omnia, quæ conſcientiæ puriſſimæ aliquam poſſent adferre labem. Converſatio ejus non tam terrena, quam cœleſtis videbatur, & Angelica potius, quam humana, optime morata, & religioſe compoſita, nec ulla poterat in ea vel vanitas, vel levitas deprehendi. Omnes ejus cogitationes, dicta, & facta omnia, pura & fideli conſcientia eo plane intenta erant, ut pro viribus exequeretur id, quod gratum eſſet Deo, & proximos ædificaret, & ad pietatem invitaret. Ita fie-

fiebat, ut plerique admodum religiosi homines non temere colligerent, pretiosum virtutis, & gratiæ thesaurum in ea latere, quem Deus mitteret in mundum ad exhortandos & exeitandos miseros peccatores, ut vitæ in melius commutandæ sedulam navarent operam. In eo enim quem diximus, loco solitario continue macerabat, & mortificabat tenerrimum corpusculum sobrie, & parce, ac duriter illud habendo; in duris cubando asseribus; unico contenta, eoque vili operimento, & carnem nudam nodosis stringens chordulis. Fuit vero eleganti corporis fama, venusta facie, & imprimis grata atque amabilis, tametsi illa semper, dum fuit in corpore, & intus & foris turpissimam & vilissimam se existimavit. Apparebat in ejus facie albedo rubore permixta, sed multo tempore id illa ignoravit. Ubi autem id ei indicatum est, valde doluit, oravitque Deum, ut eam pulchritudinem tolleret. Exaudita est a Domino, & rubedo abscessit: attamen cunctorum oculis grata fuit, quam omnes videre, & audire cuperent. Mirabantur autem multi insignes homines tantum corporis decorem cum tam excellenti virtute, in tantilla puella apparere.

Corporis afflictio.

Corporis pulchritudo.

XV. Parentes quidem ejus valde studiosi pietatis, & operum misericordiæ, cum filiam unicam didicere tam sanctam ducere vitam, atque in ea perseverare, non mediocriter obstupuere, nec tamen ingrati fuere Deo, sed pro tanto beneficio laudes & gratias medullitus egerunt; atque illius crebris exhortationibus incitati, uno animo constituerunt diligenter vitare quidquid offenderet Deum, animæque conservare puritatem, ac de virtute in virtutem progredi. Singularibus autem quibusdam charismatibus donavit illos Deus. Patri, qui erat natura comis, humanus, atque amicabilis, id præstitit, ut posset redigere in gratiam eos, qui inter se diffiderent. Quod ita studiose ille conatus est, ut ubicumque audiret quosdam inter se discordare, aliis omissis, eo se conferret, nec laborem remitteret, donec in certam concordiam redegisset. Valde etiam afficiebatur ille misericordia erga pauperes, & fœminas a vitæ honestate in turpitudinem prolapsas. Ex iis cum quædam conversæ essent meritis & exhortationibus filiæ ejus Coletæ, unam e suis domibus ultro eis, itemque pauperibus alendis & fovendis tribuit. Porro mater insigni fuit devotione in Deum, illum perfectissime timens & amans, magnæ dedita vitæ parcimoniæ, multisque modis sese affligens & excrucians; atque ut minimum semel in hebdomada, aut sæpius confessa peccata sua, accedebat devotissime ad sumendam sacram Eucharistiam.

Parentum pietas.

XVI. Ambo autem isti comiter permittebant parvulæ filiæ Coletæ, ut faceret quidquid cælitus ipsi esset inspiratum; sed cum multi, Satana eos instigante, carperent hoc nomine parentes virginis, dicerentque tantillæ puellæ id permittendum non esse, pater ejus non semel constanter respondit: *plane mihi persuadeo, filiam meam nihil facturam, nisi quod bonum sit*. Coleta vero dolebat, tam multam patri suo ob staturæ suæ parvitatem exhiberi molestiam. Itaque in perigrinatione quadam orans in templo, inter alia sic dixit: *Vis ne Domine Deus semper me manere tam corpore pusillam?* finitis precibus confestim sensit aliquid sibi ad corporis magnitudinem accessisse, majoremque rediisse domum, quam fuisset ante susceptam perigrinationem, facta vero est inde etiam animo robustior; ita ut plane statueret gratiam divinitus sibi collatam etiam ad aliorum utilitatem conferre. Permisit igitur liberum ad se accessum permultis bonæ indolis puellis & virginibus, atque etiam spectatis mulieribus, cum quibus loquebatur de rebus salutaribus, de perfectissimo erga nos Dei amore, de profundissima benignissimi Salvatoris humilitate, de ineffabili passionis, & mortis ejus acerbitate: hortabaturque eas

Corpore crevit mirabiliter.

Studet aliis lucrandis.

eas accurate, & efficaciter servire Deo animis promptis atque devotis, ejus præcepta servare, mortiferas omnes culpas prorsus vitare, fugere vana mundi gaudia, a carnalibus oblectamentis abhorrere, eaque execrari, & abominari. Quantus autem ex hujusmodi sermonibus consecutus sit fructus, vel inde satis liquet, quod multæ virgines & viduæ, contemptis facultatibus, Monasticam vitam complexæ sunt. Pleræque etiam junctæ matrimonio ad meliorem sese frugem receperunt, in eo statu fideliter, & salubriter sese deinceps gerentes.

XVII. Virtutes absque humilitate nomen suum tueri non possunt; nec aliquam animæ coram Deo afferunt dignitatem, si sint humilitate destitutæ. Hanc igitur virtutem & altissime habuit in suo corde defixam, & in ejus dictis atque factis per omnem vitam ea reluxit. Nam tametsi ab infantia mirabili fuit conscientiæ puritate, attamen semper dum vixit, se coram Deo & hominibus vilem, sordidam, & abominabilem, etiam quibusvis peccatoribus deteriorem, & sensit, & affirmavit. Cumque interdum fieret apud eam mentio quorumdam inumanium flagitiorum, quæ tum perpetrata fuerant, illa ajebat, nihil ea esse, si cum suis culpis & peccatis conferrentur, quibus digne puniendis, nec ipsi possent inferorum cruciatus sufficere. Sentiebatque propter ejusmodi culpas & defectus suos, indignam se esse vitæ Monasticæ professione. Interim vero pro Christi amore, qui ineffabili humilitate voluit esse minister noster, valde cupiebat inservire quibusdam religiosis fœminis, Deo pure, & fideliter famulantibus. Atque ea causa, cum adhuc seculari uteretur habitu, ad quoddam abiit Monasterium ejusmodi fœminarum, eisque suam obtulit operam & officia. Sed Dominus, qui ad sublimius vitæ genus eam elegerat, non permisit eam in ea servitute diu permanere. Nec tamen illud serviendi desiderium hac ratione in ea extinctum est, sed auctum potius: adeo ut cum non ignoraret, divinitus se destinatam esse, sancto Francisco id impetrante, reformandis Monasteriis illius, plane constituerit ob suam, ut putabat, indignitatem & humilitatem, ipsum adire Summum Pontificem, eumque rogare ut Monasteriorum sancti Francisci reformandorum curam susciperet; sibique suo diplomate potestatem faceret inserviendi religiosis, atque reformatis virginibus Clarissis. Et impetravit illa quidem diploma Pontificis, sed longe diversum, quam putarat. In eo namque appellata, & instituta fuit domina, mater & Abbatissa totius hujus reformationis, tametsi id ipsa ignoraret. At nihilominus illa toto vitæ suæ spatio se subditam, & ancillam totius Ordinis nominavit.

Egregia humilitas.

Servit in quodam Monasterio.

XVIII. In litteris quidem suis ita subscribere solebat: ***Inutilis servitrix, & indigna oratrix***. In constitutionibus vero ab se pro accuratiori observatione Monastici canonis collectis, semper se dicit: ***Sororem Coletam parvam, & ancillam, & indignam servitricem Domini nostri, pauperem & inutilem religiosam Ordinis sanctæ Claræ***; nec unquam permisit quidquam vel dici, vel scribi, quod in ipsius laudem vel commendationem cederet. In principio enim reformationis Monasteriorum, sive Ordinum sancti Francisci, in quibusdam precibus, quas pro illa fundebant ad Dominum, tum Fratres, tum Sorores eam, ut par erat, matrem appellabant. Quod ubi illa percepit, nullo pacto tolerare voluit, sed ut simpliciter Sororis nomine appellaretur, edixit. Inter alios adjutores virtute conspicuos, quos Dominus in Reformationis hujus initio ei adjunxit, fuit etiam Pater venerabilis Henricus de Balma, vir magnæ religionis, & integerrimæ vitæ. Is cum multa sciret præ cæteris, de occultis ejus donis, & charismatibus specialibus, clam ea in scripta redegit, ne oblivione perirent. Sed id ea spiritu Dei re-

Ut se appellarit.

Fr. Henricus de Balma ei opitulatur.

velante non ignorans, nec se laudari sustinens, accitum illum acriter reprehendit, asserens se plane & esse, & existimari debere magnam peccatricem, quovis etiam opprobrio & ignominia dignam. Itaque libellum sibi exhiberi jubet, totumque flammis exurit. Imo vero etiam ipsi Deo, multa ei secreta revelare volenti, sic ipsa respondit: *Domine Deus sufficit mihi te solum cognoscere, & peccata mea, eorumque abs te veniam obtinere.*

Libellum vitæ suæ comburit.

XIX. Porro totius Instituti Franciscani Minister Generalis frater Gullielmus a Casale, ab ea admonitus, quasdam pro toto illo Ordine constitutiones præclaras & utiles composuit, utque accuratius servarentur, quasdam Coletæ laudes admiscuit. Quæ licet non modo utiliter, sed etiam necessario adjunctæ essent pro totius Ordinis regimine, illa tamen quoties eas ipsa præsente, recitari oportebat, pro communi omnium Fratrum & Sororum salute, non potuit sine animi multo dolore eas audire, Christum Salvatorem perfectissime imitari volens; qui cum sanasset leprosum, ait illi: *Vide nemini dixeris*: & alibi, *non sinebat Dæmones loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*. Sicut autem ille humanum & familiarem se præbuit miseris peccatoribus, ita & Coleta, quamvis summe abominaretur peccata omnia in Deum admissa, numquam tamen abominata est peccatores, cujuscumque illi vel sexus, vel professionis essent; commemorans propter illorum salutem Christum descendisse de cœlis, seque in eorum numero reponens. Itaque semper illos in Domino confortabat, humanissime adjuvabat, ingenti benevolentia prosequebatur. Quo fiebat, ut multi peccatis implicati, ad eam fidenter accederent, eique permulta sua immania flagitia referrent, quæ nulli unquam exposuerant. Illa vero tam comiter eos audiebat, tam efficaciter admonebat, ut & Deum, & peccata sua agnoscerent, & ex animo vellent agere pœnitentiam, a Diaboli nexibus expediti.

Matth. 8. 4. Luca 4. 41.

Studium erga peccatores.

XX. Ubi vero comperit, Summum Pontificem velle ut Abbatissæ obiret munus, tametsi initio non habuit Cœnobia, & postquam ea habuit, non tamen ita, ut par erat, clausa fuere, & multa in eis visebantur offendicula, quæ labendi occasionem præberent: his tamen non absterrita, ea sedulitate & industria illud coluit Abbatissæ munus, ut ad Dei gloriam, & Ordinis sui profectum omnia prospere succederent, absque confusione & perturbatione. Interim semper illa ajebat, se nihil unquam fecisse boni, sed potius religionis dissipasse bonum. Porro ubicumque eam præsidere oportuit, sive in Capitulo, ut vocant, sive in Refectorio, vel alibi, tanto corripiebatur timore ac tremore, ac si summus ille coram adesset Judex, cujus & præsentia se judicabat indignam, & absente illo prorsus non dignam, quæ quovis modo aliis præsideret. Semper igitur tam publice, quam privatim ultimum sibi delegit locum; & cum sola esset, non fere nisi aut flexis genibus, aut humi residere visa est, tanto perfusa lacrymarum imbre, ut & cibus, & ipsa lacrymis madere viderentur. Aliquoties ob incidentem morbum solebat uti cujusdam Sanctimonialis opera, ad dicendas preces horarias, & alia quædam pietatis exercitia absolvenda: sed tum omnibus se inferiorem censens, potius novitiam quamdam sibi adhibebat & simplicem, quam professam & doctam; eamque voluit & inchoare divina officia, & etiam concludere, se indignam arbitrans, quæ id faceret. Prius autem quam Monasticum indueret habitum, cum multa humilitate conferebat subsidia in pauperes, variasque suis manibus præstabat egenis eleemosynas. Sedens in paterna domo ad mensam, si audivisset mendicos, surgebat a mensa, porrigebat eis ex optimis cibis perquam familiariter & benigne; edebatque libenter, & bibebat cum eis, omni horrore contempto & proculcato. Si adesset opportunitas,

Abbatissæ munus tremens exequitur.

Benignitas in pauperes.

nitas, alacriter etiam pedes illis abluebat, tergebat & purgabat ulcera, maxime si esset sola cum eis, non dubitans se Christo facere, quidquid illis fecisset.

XXI. Fuit vero etiam obedientiæ virtus eximia in ea. Nam quemadmodum Apostoli Christum vocantem prompte secuti fuerunt; ita & illa ad primum sancti Spiritus instinctum libenti animo se obtulit ad complectendam vitam Monasticam. Et primo quidem assumpsit Tertium beati Francisci Ordinem, includens seipsam ultro in quodam angusto habitaculo, quod Inclusorium vocant, conjuncto cuidam ædi sacræ, ita ut posset audire Missas, & percipere sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum. Utque commodius his potiri posset, quidam Franciscanus ad eam a Deo missus est, vir bonus, & præclare eruditus, regulæ Monasticæ strenuus cultor, quales tunc aut nulli, aut rari erant illis in locis; quod tunc non haberentur illic Monasteria Minorum bene reformata, quemadmodum postea fuisse constat. Ille ergo introduxit eam solemni ritu in illud Inclusorium, cum prius bene & diligenter instruxisset eam de omnibus agendis, multasque ei adhibuisset consolationes, & consilia saluberrima, optimasque institutiones, quæ numquam deinceps ab ejus memoria exciderunt. Huic venerabili viro Dominus revelavit immanes dolores & labores, quos Coleta pro ejus amore & animarum salute referebat, maxime pro reformando statu Monastico, cui tota vita sua continuis exercitiis valde intenta fuit. Illa vero prædixit in Inclusorio obitum hujus viri, qui postea ei quotannis semel apparere solebat, specie elegantissima, & in multa gloria.

Fit Tertii Ordinis S. Francisci.

XXII. In illo Inclusorio mansit annis quatuor, vixitque in eo sobrie, valde duriter & aspere se habens, horrido utens cilicio, tribus catenis ferreis stringens corpus tenerum, quæ mire cruciabant carnem ejus, humi cubans, capiti supponens pro pulvinari truncum ligneum. Id genus exercitiis adeo edomuit corpus suum, ut ad omnia promptissime spiritui obedire videretur, pravis cupiditatibus plane extinctis & mortificatis. Præter hæc autem certis horis in preces & meditationes incumbebat, officiaque caritatis, miseros peccatores exhortando, & e teterrimo vitiorum carcere, Satanæque laqueis educendo, atque ad Deum reducendo. In omnibus autem exhortationibus suis primo agebat de Dei, & sanctæ Ecclesiæ præceptis accurate observandis. Porro etiam ante susceptum Monasticum habitum, Superiorum jussa & dictis & factis exequenda declaravit. Quid vero post Monasticæ vitæ professionem senserit, ex his quas subjicimus, ejus constitutionibus, facile poterit animadverti: *Sorores meæ*, inquit, *multum diligenter advertere debetis, quatenus quandocumque per Superiores aliquid mandatum, sive prohibitum fuerit, nullatenus utamini vestro proprio sensu, seu propria voluntate, nec propriis consiliis; sed magis prompte, & voluntarie pro amore Domini nostri Jesu Christi (qui permanens inter nos cuncta fecit conformiter ad voluntatem patris cælestis) debetis obedire, vosque submittere voluntati, & determinationi vestræ præsidentis. Nam melius est proprios sensus, & propriam voluntatem, ac propria consilia pro Dei amore relinquere, quam omnes mundi divitias acquirere, sensu proprio cum sua voluntate retentis. Nec credo aliquam viam fore latiorem, nec quæ facilius ducat in æternam damnationem, quam sit propria voluntas: nec aliquam ex opposito breviorem ad vitam sempiternam, quam sponte renuntiare illi. Quapropter exhortor, & moneo vos ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi, qui in hac valle miseriæ, a principio vitæ suæ, usque ad finem suæ amarissimæ, dolorosæ, & acerbissimæ passionis obedire voluit indesinenter Patri suo, quatenus vestris*

Asperam vitam agit.

Pernicies propriæ voluntatis.

vestris Superioribus prompte, & libere velitis obedire; prætermissa qualibet ostensione rebellionis, contradictionis, seu excusationis cujuscumque.

Dies festos exacte coli voluit. XXIII. Maxime autem inculcare solebat Monasticam vitam complecti volentibus, ut præcepta Dei tamquam imprimis necessaria, præcipue cognita haberent; summopereque studebat, ut dies Dominici, & festi nedum a Sororibus ejus, sed etiam a cunctis Catholicis exacte colerentur. Itaque numquam permittere voluit, ut pro sustentatione Fratrum, vel Sororum Instituti Franciscani, Dominicis, & festis diebus, etiam necessaria alimenta emerentur; quamvis libere consentiret, ut iis diebus eleemosynæ peterentur, vel oblatæ reciperentur. Ferre tamen non potuit, ut tales eleemosynæ de loco in loca quovis modo transferrentur: uti etiam admittere non voluit, ut ad necessaria reparanda, vel construenda suorum Monasteriorum ædificia res necessariæ iis diebus conveherentur. Accidit tamen quandoque, ut ob instaurandum quoddam templum Ordinis sui die festo, sed non solemni, incogitantia, vel imprudentia eorum, quibus ejus rei cura mandata erat, quædam necessaria studio humanitatis procurarentur. At ubi id illa rescivit, tanto fuit animi dolore correpta, ut metus esset, ne locus destrueretur, vel fulminis ictu everteretur propter eximium zelum illius. Ut autem dies solemnes summo studio celebrarentur, voluit ut diebus illis, qui festos proxime antecederent, res necessariæ compararentur. Obtinuerat tum usus, vel potius abusus in multis urbibus & pagis, ut Dominicis & solemnibus diebus nundinæ fierent. Quod cum illi summopere doleret, egit multa instantia, tum per concionatores, tum per preces supplices, quas ipsa Magistratibus ejusmodi locorum offerebat, ut ad dies non festos illæ nundinæ transferrentur. Ipsa quoque cum esset in itinere, libenter solebat Dominicis, & festis diebus hærere in illis locis, ad quæ tum forte pervenisset, atque illic devotissime vacare rebus divinis. Accidit quandoque, venire illam a quadam visitatione redeuntem, in pagum quemdam sane exiguum. Imminebat vero dies Dominicus, & post eum alia solemnitas. Etsi autem multus tum ibi esset militum discursus, tamen manente illic Coleta, & ferias agente, nullus ei pago molestus fuit, nec quisquam accessit propius, Deo locum protegente, propter ancillam suam. Magni quidam mercatores plane constituerant, ut lucrum omne, quod Dominicis, & festis diebus fecissent, pauperibus erogarent. Sed tamen quamvis multa ejusmodi, & sibi & suis, valde necessaria Coletæ offerrentur, adduci non potuit, ut ea pro eleemosyna acciperet. Ajebat enim, talia sibi non bene parta videri.

Mirabilis visio. XXIV. Oblata ei quandoque fuit visio terribilis, in qua omnium cujuscumque generis hominum peccata, & quas propter ea & luerent, & luituri essent pœnas; itemque multa alia ei perspicue revelata fuere. Ex earum autem sane horribilium pœnarum contemplatione tantus eam invasit tremor & horror, ut continuis octo diebus semper sibi videretur præceps ruitura in illas immanissimas pœnas & cruciamenta. Tandem post visionem illam sibi restituta, in media fenestella habitationis suæ conspexit ferrum transversum, idque tanta vi manu comprehendit, ut ægre post longum spatium inde eam amovere potuerint, usque adeo eam pervaserat ille cadendi timor. Mansit autem hæc visio animo ejus penitus impressa usque ad supremum vitæ diem. Orat efficaciter pro peccatoribus. Quod autem viderat tam multa in divinæ majestatis injuriam admitti peccata, inde longo tempore dolorem concepit vehementissimum, & pene intolerabilem, fundebatque nocte ac die preces ferventes, atque speciales Omnipotenti Deo, ut miseros peccatores ad se converteret: nec est fraudata desiderio suo, Domino ei revelante, quod tandem fieret id, quod petebat.

Vidit

Vidit enim in visu beatissimum Franciscum ipsam exhibere Christo coram ejus sanctissima Matre, & beatissimis Angelicis spiritibus, rogareque ut ipsam donaret sibi Reformatricem Ordinis sui, & cujus opera converterentur potissimum miseri peccatores, quos jam ante in visione conspexerat; porro Christum libentissime annuere sancto Francisco. Ex ea autem visione, etsi mirifice lætata est ob peccatorum conversionem, attamen valde doluit se primariam a Deo, & beata Virgine ad id negotii designatam. Putabat enim se prorsus indignam & inidoneam, nec facile potuit suum ad hoc accommodare assensum. Domino autem suam ei voluntatem indicanti objiciebat suam ruditatem & ignorantiam, tum quod vovisset se non exituram de Inclusorio suo; tum etiam quod vereretur Dæmonis illusionem ejusmodi visionibus sese admiscere. Cumque perplexa foret hac in parte, statuit ad preces se conferre, & consilia sanctorum hominum, quos noverat, & vitæ sanctimonia, & multa doctrina pollentes. Quod cum fecisset, ii omnes uno ore hortati sunt eam, ut intrepide consentiret.

XXV. Ut autem certior esset, Deum prorsus velle ipsa, tamquam instrumento, in hac reformatione Ordinis, & peccatorum conversione uti, primum omni loquendi facultate triduo privata est, & rursus triduo oculorum lumine orbata, donec divinæ consentiret voluntati. Quod ubi fecit, & loqui & videre potuit. Additum est etiam aliud signum. In ejus inclusorio sane angusto derepente crevit arbor quædam valde speciosa, foliis optime compositis, & floribus instar auri rutilantibus, e quibus odor fundebatur gratissimus, mireque confortans. Sub hac autem arbore complures aliæ admodum formosæ, sed parvæ, nec primæ illi comparandæ arbores excrescebant. Hæc ubi illa vidit, suspicata fuit, Dæmonem sibi illudere qui multis modis ipsam impedire & infestare nitebatur. Itaque arborem illam cum aliis minoribus funditus extirpatam, foras ejecit. Sed post dies paucos, Deo volente, rursus similes illic enatæ sunt arbores, & quædam etiam in alia loca transferri videbantur. Intellexit ergo ex tot signis, quid sis significaret Deus; puta arborem magnam ipsam esse: minores arbores homines utriusque sexus, qui per eam venturi essent ad vitam perfectam: translatas vero id innuere, etiam in exteras regiones eam, quam molitura esset, reformationem propagatum iri. Cœpit igitur vereri ne Deum offenderet, si pergeret esse difficilis ad consensum. Quamobrem totam se in suis precibus divinæ permisit voluntati; attamen id orans, ne primæ partes ipsi attribuerentur. Simul autem atque assensit, cœlitus ei infusa est perfecta cognitio illorum omnium, quæ illi reformationi essent necessaria; quæ illa breviter in chartula quadam adnotavit. Adjunxerunt autem se illi paulo post non pauci strenui adjutores, in quibus fuit etiam is, quem supra diximus, Henricus de Balma, professione Franciscanus, qui ejus fuit Confessarius, vir magnæ perfectionis, a teneris annis timens, & amans Deum, rudis quidem & imperitus rerum temporalium; sed in divinis, & spiritualibus bene versatus, erga peccatores humanus & misericors. Sæpe de illo testari solebat Coleta, numquam ad eum accessisse quantumvis impium peccatorem, qui non esset consolatione affectus. Quam multos autem utriusque sexus peccatores ille ad Deum, & Monasticæ Religionis professionem adduxerit, soli Deo notum putamus. Os illius pene semper divinis affluebat sermonibus. Permultos ægros, variis affectos morbis, solo crucis signo curavit. Et ut paucis multa complectar, vita ejus cœlestis potius, quam terrena videbatur; ita ut posset dicere & ipse cum Apostolo: *Nostra conversatio in cælis est*.

Certis signis cognoscit Dei voluntatem.

Henrici de Balma insigne præconium.

Philipp. 3.

XXVI. Fra-

Frater Petrus, Infans hortatur Galliæ Regem ut Clementem deserat.

XXVI. Frater Petrus, infans Aragoniæ, dum modis omnibus hoc tempore laborat pro schismate Pontificio extinguendo, & Ecclesiæ discrimen Deo continuis precibus commendat, hoc anno, præter alias jam relatas, revelationem accepit, canonice electum Urbanum, nec obesse debuisse, ut pro vero reputaretur Pontifice, commotionem illam populi Romani, ex suis aliquem, vel Italum deposcentis. Scripsit hæc Carolo V. Galliarum Regi, suo ut loquitur nepoti, quem impense cupiebat a sequela Clementis ad partes Urbani retrahere. Do humilem, sed piam epistolam, quam ex Codice 2. MSS. de schismate in Archivo Vaticano exscripsi.

XXVII. *Illustrissime ac Magnificentissime Princeps, & Domine, nepósque carissime. Semper dilexi personam vestram, & domum regiam Franciæ, tamquam eam, in qua natus sum, propter beneficia, & honores multiplices, quos de ipsa domo vestra regia multipliciter sum adeptus. Displicet vero mihi multum, quod dominatio vestra faciat aliquid contra Deum; & quia dictum est mihi, & communis fama habetur, quod repulistis Urbanum, & una cum regno vestro recepistis Clementem; volo dominationi vestræ referre, & notum facere, quod mihi indigno est de hac materia revelatum. Die Mercurii* xxx. *Martii, hora tarda, post Completorium, dum orassem, audivi Dominum meum Jesum loquentem mihi peccatori indigno in hunc modum: Reges, & Principes mundi mirantur, magni Clerici, & Doctores disputant, & faciunt quæstiones de commotione, & impetu Romanorum. Ego feci, & fieri permisi; ego enim induravi cor Pharaonis, ut diceret, nescio Dominum, & Israel non dimittam: ego permisi Judæos ut coram Pilato clamarent, Crucifige, Crucifige eum: ego commovi populum Romanum ut clamaret*, o Romano, o Italiano lo vogliamo. *Fuit fortassis bona induratio ex parte Pharaonis? non; sed de ipsa induratione emanavit gloriosus exitus filiorum Israel de Ægypto. Fuit bona exclamatio Judæorum? non; sed de ipsa exclamatione emanavit salvatio humani generis per mortem meam. Fuit bona commotio Romanorum? non propter ipsam; sed quia de ipsa commotione emanavit translatio Ecclesiæ de potestate, & regimine avarorum, & ambitiosorum Lemovicensium ad potestatem & regimen Italicorum, in quibus fundata fuit primitus, & per Patres antiquos antiquitus bene recta. Ego tunc clamavi cum lacrymis, & dixi, o bone Jesu, & quid est hoc? tu revelas ista parvulis, miseris, pauperibus, & idiotis, & magnos in sua cæcitate dimittis? Respondens Dominus, dixit: respice verba, quæ locutus sum Patri in Evangelio Matth.* 11. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis, quoniam sic fuit placitum ante te. *Ita hæc tibi fuerunt revelata. Nunc autem Domine mi, ista est conclusio litteræ; voluntas est Domini mei Jesu Christi, quod vos cum regno vestro tamquam veri Catholici, qui de sancta, & Catholica domo super universas domos regias mundi exorti estis, recipiatis Urbanum tamquam verum summum Pontificem, & Vicarium Jesu Christi, & ejus obedientiæ vos subjiciatis, quia numquam Francia fabricata est idolum, nec monstro se subjecit. Caveatis de indignatione divina, quia super Reges, populos, nationes & regna ira Dei desæviet, nisi subjiciantur Urbano. Scripta manu propria in Gandia, die Veneris, prima Aprilis. Vester humilis avunculus, & orator, frater Petrus de Aragonia, inter Minores minimus, humilis Christi servus*. Fortiter stetit hic semper ex parte Urbani, scripsitque Regi Joanni Castellæ, Henrico ejus successori, & Reginæ matri, aliisque eis adhærentibus Principibus, ut relicto Clemente, obedirent Urbano. De Petro hoc aliam ista posteriorem non invenio mentionem, neque quando obie-

Gonza. in Prov. Valent. Conv. 1.

obierit mihi constat. Solum hæc habeo ex Francisco Gonzaga, ejus ossa in capsa lignea cum veneratione asservari in sacello Principum Cardonarum, in Ecclesia Minorum urbis Valentinæ: & vitæ sanctimonia ac piis moribus quam sanguine regio fuisse illustriorem. Ejus filia Leonora Regina Cypri, & Hierosolymorum jacet in Ecclesia Minorum Barcinone.

Frater Conradus Episcop. Aquen.

XXVIII. Floruerunt hoc tempore frater Conradus Malaspina litteris & generis nobilitate clarus, quem ob virtutum merita Clemens Antipapa adhuc adolescentem, annum dumtaxat vigesimum septimum agentem, hoc anno ad Ecclesiam Aquensem (qualem tamen, dum hujus nominis plures sint in Gallia, & Italia prorsus ignotum) assumpsit: *Divina supereminens largitas*, VI. Idus Augusti, ,, Alterum evexit ad Ecclesiam Marsicanam ,, in Lucania, sub Archiepisc. Beneventano, Julianum Thomasium, per obi- ,, tum Bernardi. Sed cum Urbanus Pontifex alium huic Ecclesiæ præfice- ,, ret, protracta multorum annorum contentione, hac sede spoliatus est, ,, & sub annum MCCCCIX. obtinuit ab Alexandro V. Prioratum de Colle ,, Martii Ordinis S. Augustini, & demum a Martino V. anno MCCCCXVIII. ,, ad Capritanam Ecclesiam, sub Archiepisc. Amalphitano, promotus est. ,,

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Julianus Episcop. Marsican.

Et Capritanus.

Frat. Gregorius Vicarius Ecclesiæ Capuanæ.

Frater Gregorius Minister provinciæ Aprutinæ, quem Urbanus Vicarium constituit in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ Capuanæ, per mortem Stephani vacantis: *Cum Ecclesia Capuana*, VII. Kal. Augusti. Circa hoc tempus, Archiepiscopum fuisse Panormitanum fratrem Nicolaum Agrigentinum (quem alias diximus a Gregorio XI. Provincialatus munere in Friderici Regis gratiam, quia Claromontanis adhærebat, destitutum, & postea creatum Episcopum Emenen.) scribit Rochus Pyrrus diligens Sicanicarum rerum historicus. Sed cum indignationem Manfredi Claromontani, Moticæ Comitis, qui Panormum urbem, & vicina oppida occupaverat, incurrisset, & multis injuriis affectus vim pateretur, Archiepiscopali dignitate se abdicavit, publico scripto de hac re instrumento. Claromontani mox curavere, ut in ejus locum substitueretur Ludovicus Bonitus; atque hic etiam a Martino Rege, urbe in suam potestatem redacta, sua sede turbatur, & subrogatur Albertus Villamarinus. Paulo post hic etiam moritur, & Nicolaus in suam sedem restitui, adhibitis intercessoribus, & scriptis litteris ad Martinum Regem, deprecatur. Excusavit se Rex quod Raymundum Adamarium de sancta pace præficiendum curaverit, & scriptas tabulas ipsius Nicolai viderit, quibus universo in eamdem Ecclesiam juri renunciaverit. Regis litteras ad Nicolaum & Comitem Fundanum hac de re scriptas videre est epud eumdem auctorem in notitia Ecclesiæ Panormitanæ, ejusdemque appendice. Frater Jacobus de Maltio Custos Mediolanensis hoc anno evectus est ad Episcopatum Svellensem in Sardinia, nunc Archiepiscopatui Calaritano unitum. Suffectus est in Custodiatu frater Bernardus de Robiano vir doctus, sacræ Theologiæ Magister. Joannes Staffortus in Occidentalibus Angliæ partibus versus Walliam natus, ab oppido natalitio cognomen sortitus, in Philosophicis, & Theologicis eruditus, qui integra historia res gestas illustrium Angliæ virorum complexus est. Frater Christophorus de Cugneriis, & Joannes de Attigniaco sacræ Theologiæ Magistri, qui cum aliis viris doctis sacrorum Bibliorum Codices recognoscebant in magno Conventu Parisiensi, & ad veritatem textus Hebraici, & Græci reducebant.

Fr. Nicolaus Archiep. Panormit. Tom 8. an. 1376. n. 6.

Pyrrus not. 1. an. 1383.

Fr. Jacobus Episcopus Svellen.

Joannes Staffortus floret.

Pits. de Scriptoribus Angl.

Fr. Christophorus de Cugneriis & Joann. de Attigniaco.

Ampliatur congregatio regularis observantiæ.

XXIX. Non parvum hoc tempore suscepit incrementum nova fratris Paulutii Trincii congregatio, acquisitis duodecim Cœnobiolis intra provinciæ sancti Francisci limites, & altero Forani in provincia Marchiæ, quod

hoc anno Ludovicus Minister Generalis concessit. Plenam etiam accepit a fratre Matthæo Amerino Ministro Provinciali, potestatem loca ista regendi, & Fratres, quo placeret, amandandi. Do ipsius commissionis instrumentum.

In Christo sibi carissimo fratri Paulutio Vannotii de Fulgineo, Provinciæ sancti Francisci, frater Matthæus de Amelia, prælibatæ Provinciæ minister, salutem & pacem in Domino sempiternam.

De tuis exemplari vita, discretione, prudentia, animarum zelo, ac virtute multiplici longo tempore in Ordine comprobatis, in Domino fiduciam plenam gerens, te in locis devotis, seu Eremitoriis devotorum Fratrum simplicium infra scriptis, videlicet Carceris beati Francisci, sancti Damiani, Rocchicciolæ Custodiæ Assisii; Farneti, Montis Perusii, Montis Jovis Custodiæ Perusii; Eremitæ, Montis Jovis Custodiæ Tudertinæ; Stronconii, Narniensis Custodiæ; Jani, Montis Luci, & Pistriæ Custodiæ Vallis, per Provinciales antescriptos, prædecessores meos, hactenus tuæ curæ commissis, meum Commissarium instituo, & tenore præsentium denuntio institutum. Discretioni tuæ committens, quod in ipsis locis libere possis, ac debeas Fratres simplices, & devotos de familia collocare, ipsosque removere, mutare, & alios subrogare, atque pro eorum, & ipsorum locorum necessitatibus, sive utilitatibus, ad quæcumque loca Italiæ destinare, etiam ad locum Romanæ Curiæ. Insuper & ipsos caritative monere, corrigere, seu punire, videlicet in pane, & aqua ad terram, ac disciplinis pœnitentiare, expellere, & ad nativas eorum provincias remittere moraturos, & si opus fuerit, per suos Ministros acrius puniendos, eisque fraternaliter, ac paterne imponere quæcumque circa prædicta pro eorum salute, necessitate, seu utilitate, & pro regulari observantia, ut secundum Deum videris expedire. Quocirca, carissime frater Paluti, devotioni tuæ injungo ad meritum salutaris obedientiæ, per præsentes, quatenus supradictæ meæ commissionis officium atque curam absque ulla excusatione recipias, & exequaris cum diligentia, secundum gratiam a Domino tibi datam. Fratres vero præfatorum locorum omnes & singuli, præsentes pariter & futuri, in omnibus, quæ ad prædicta pertinent, teneantur tibi sicut mihi, per salutarem obedientiam firmiter obedire, quos tibi, teque illis in Domino carius recommendo. Vale in Christo Jesu, & ora pro me. Datum Perusii XII. *die Septembris, anno Domini* MCCCLXXX.

Conv. Padulæ. — *Gonza. in Prov. Principat. Conv. 17.* — Conv. Bisignani. *Idem in Provin. Calabr. Conv. 3.* — Conv. Riami, Monaster. Mantuan. S. Luciæ.

XXX. Hoc anno ait Gonzaga, Thomas Sanseverinus Marsicanorum Comes, ac Padulæ oppidi Dominus, Fratribus commodum extruxit habitaculum, non longe a prædicto oppido in regno Neapolitano & provincia Principatus. Sed post multos annos extructum Conventum hunc ad annum MCCCCXXII. probabo. In eodem regno, & provincia Calabriæ, prope Betetram, vulgo *Bisignanum*, oppidani aliud circa hunc annum ædificarunt domicilium, quod sub annum MCCCCXLI. transivit ad Patres regularis Observantiæ. Ante aliquot annos translatum esse Conventum Villæ de Riamo in Gallia, Claromonten. diœcesis, intra muros, percipio ex diplomate, quo Clemens Antipapa concedit Abbati & Conventui sancti Amabilis Ordinis sancti Augustini, ut in fundo prioris Cœnobii, prope & extra muros construant pauperum hospitale: *Votis fidelium*, VI. Idus Augusti.

XXXI. Cum multæ Virgines Mantuanæ virtute, & pietate Sororum Mo-

Monasterii sanctæ Claræ de Miliarino, extra urbem, uti alias diximus, constructi, allectæ ad ibidem subeundum Institutum aspirarent, neque omnibus locus esset; decreverunt hoc anno cives intra civitatem aliud ædificare, sub nomine sanctæ Luciæ, quod infra paucos annos ad summum usque perduxerunt, nonaginta & amplius Sororum capacissimum. Subjacuit regimini Patrum Conventualium usque ad annum MCCCCXLIX. quo Observantium curæ commissum est. Consecrata est Ecclesia anno MDXXII. in qua jacet soror Paula de Monte alto, summa virtute, & pietate prædita, miraculorum gloria insignis. Obiit anno MDXIV. die IV. Augusti, corpus honorifice conditum magna consodales prosequuntur veneratione. Sanctimonialibus Monasterii Avenionensis paupertate gravatis præcepit Clemens Antipapa, ne ultra vigesimum numerum ad se accedentes reciperent, donec reditus augerentur: *Exigit vestræ devotionis*, IV. Idus Novembris. Monasterio Clarissarum Amiliani, Rutenen. diœcesis, propter eamdem rationem univit Prioratum sancti Amantii de Trossico, prope Amilianum: *Prudentes virgines*, VI. Kal. Septembris.

Tom. 3. an. 1238. n. 20. Donesmun. in histor. Mantuan. ad hunc annum. Gonz. in Prov. S. Anton. Monaster. 11.

Monast. Avenionen.

Monast. Amiliani.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. HOc anno, quo sanctus Bernardinus, die Nativitatis Gloriosissimæ Virginis Mariæ, in civitate Massana agri Senensis nascitur, „ Regale Monasterium sanctæ Claræ Papiæ in Ticinum in Insubria, ab Illustriss. Blanca de Sabaudia, Galeatii Vicecomitis Mediolani Ducis & „ Papiæ Principis uxore fundatum fuisse publicum fundationis instrumentum, Tabellione Alberto de Griffis, sub XXXI. die Martii hujusmet anni „ rogatum; & postea a Matthæo de Platoneriis Cancellario Episcopi civitatis anno MDIV. Septembris VII. extractum aperte docet. Porro Blanca „ totius Monasterii, cum requisitis & necessariis ad Sanctimonialium religiosam habitationem, fabricam, & magnificam Ecclesiam, assignata insuper dote mille florenorum aureorum, pro competenti substentatione „ Abbatissæ ac 30. Sororum, quarum 26. ad laudes divinas, in Choro absolvendas, & reliquæ de numero Conversarum ad aliarum servitia corporalia dedicatæ forent, omnino absolvit. Accessit autem ad hæc omnia „ summi Pontificis Urbani VI. assensus & licentia, ut ex ejusdem Apostolico brevi Episcopo Papiensi directo subsequentis tenoris apparet.

Blanca de Sabaudia fundat & dotat Monasterium Clarissar. Papiæ.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabili fratri Episcopo Papien. salutem & Apostolicam benedictionem.

„ P*iis fidelium votis, illis præsertim, quæ divini cultus augmentum, & propagationem sacræ Religionis respiciunt, libenter annuimus, & quantum cum Domino possumus, favorem benevolum impertimur. Sane petitio pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Blancæ, relictæ quondam Galeazzi de Vicecomitibus Militis, in civitate Papiæ commorantis, nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipsa cupiens terrena in cælestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare: & ex speciali devotione, quam gerit ad Ordinem sanctæ Claræ, proposuit in dicta civitate unum Monasterium Monialium dicti Ordinis, sub vocabulo*

Diploma Urbani VI. pro hujusmodi erectione.

„ *Annunciationis beatæ Mariæ Virginis fundare, illudque de bonis a Deo* „ *sibi collatis, in perpetuis annis mille florenorum auri dotare, pro una Abbatissa & viginti sex aliis Monialibus, seu Sororibus dicti Ordinis, &* „ *quatuor Conversis, seu Servitricibus, inibi Domino perpetuo servituris,* „ *quæ dictum Ordinem profiteri, & Ordini Fratrum Minorum subjectæ* „ *perpetuo esse deberent: quodque ipsa Blanca quædam magna ædificia pro* „ *hujusmodi Monasterio in prædicta civitate, in loco ad hoc congruo & ho-* „ *nesto jam fecit quodammodo præparari; & hujusmodi dos eidem Monaste-* „ *rio assignanda per eam præparata existit: quare pro parte ipsius Blancæ,* „ *fuit nobis humiliter supplicatum, ut ei faciendi præmissa licentiam conce-* „ *dere de benignitate Apostolica dignaremur.*

„ *Nos igitur hujusmodi Blancæ ipsius pium propositum commendantes* „ *in Domino, Fraternitati tuæ, de qua gerimus in Domino fiduciam specia-* „ *lem, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus post-* „ *quam dicta Blanca hujusmodi dotem pro Abbatissa & Monialibus, seu* „ *Sororibus, & Conversis prædictis, ut præfertur, assignaverit, eidem* „ *Blancæ fundandi, & construi faciendi dictum Monasterium, dummodo* „ *locus ad hoc, ut præfertur, sit congruus & honestus, cum Ecclesia, Cam-* „ *panili, Campana, Cæmeterio, domibus, & aliis necessariis officinis, ju-* „ *re tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper* „ *salvo, auctoritate nostra, licentiam largiaris. Et nihilominus eidem* „ *Blancæ, ut hac primaria vice dumtaxat liceat sibi nominare dilecto filio* „ *Ministro Provinciali dicti Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ, de qua* „ *secundum morem ejusdem Ordinis, prædicta Civitas existit, personas ido-* „ *neas, quæ per ipsum Ministrum, hac primaria vice dumtaxat, in Abba-* „ *tissam & Moniales aut Sorores, & Conversas dicti Monasterii, institui,* „ *& poni debeant, auctoritate prædicta concedas: statuens & ordinans au-* „ *ctoritate prædicta, quod deinde quandocumque prædictum Monasterium* „ *Abbatissæ regimine destitui continget, electio Abbatissæ ad Conventum* „ *ipsius Monasterii, & ipsius electionis confirmatio ad dictum Ministrum* „ *Provincialem dictæ Provinciæ pro tempore existentem, spectare, prout in* „ *aliis Monasteriis dicti Ordinis sanctæ Claræ fieri consuevit. Monialium* „ *vero seu Sororum dicti Monasterii, postquam prædictus numerus viginti sex* „ *Monialium seu Sororum, præter Abbatissam, & quatuor Conversas, hac* „ *vice primaria completus fuerit, & de ipso aliquas ex tunc deesse contigerit,* „ *ad Abbatissam & Conventum ejusdem Monasterii receptio perpetuis fu-* „ *turis temporibus debeat pertinere; ita tamen quod hujusmodi Moniales aut* „ *Sorores, ac etiam Conversæ, quas in ipso Monasterio, tam in hac primaria* „ *vice, quam etiam in futurum contigerit ... pro earam ingressu, vel receptione* „ *nihil penitus ex pacto vel conventione persolvant; & quod ultra dictum* „ *Sororum, & Conversarum numerum, nulla in eodem Monasterio recipi,* „ *nec poni possit; nisi forsan ipsius Monasterii in tantum excesserint faculta-* „ *tes, quod ex iis plures possent commode sustentari. Et nihilominus aucto-ri-* „ *tate prædicta concedas, quod prædictum Monasterium, postquam dotatum* „ *& constructum fuerit, ut præfertur, & personæ in eo pro tempore degen-* „ *tes, omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & immunitatibus,* „ *ac exemptionibus potiri & gaudere valeant, quibus alia Monasteria dicti* „ *Ordinis sanctæ Claræ ex concessionibus Apostolicis gaudent, seu etiam po-* „ *tiuntur &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum* VII. *Kalendas Octobris,* „ *Pontificatus anno* II.

II. Ab

„ II. Ab anno MCCCXLVII. de provinciæ Boemiæ, & Poloniæ Ministrorum serie successiva hucusque nec Waddingo, nec mihi dicere contigit; nec enim Joannes Fursthenius, qui de mandato Stephani de Bruna, sacræ Theologiæ Doctoris, præfatæ Provinciæ Ministri, ejusdem Provinciæ acta anno MDIII. historice descripsit, quidquam hujusmodi seriei ab eo anno refert. Etenim a Francisco XXII. Ministro an. MCCCXLVII. Opaviæ in Mirovia electo nullum immediate invenitur, nec deinceps usque ad hunc annum MCCCLXXX. quo dumtaxat refert, fratrem Thomislaum Ministrum obiisse Cracoviæ, ibidemque sepultum, & eodem anno fuisse electum in Ministrum fratrem Petrum Grecensem: quamobrem vel hi duo Ministri Provinciales, Franciscus cum Thomislao, vel unus ex eis, rexerunt Provinciam triginta tribus annis; vel etiam in hoc interstitio aliqui alii fuere Ministri, quorum in humanis memoria deperiit. Frater igitur Petrus Grecensis electus hoc anno MCCCLXXX. pro XXIV. Ministro provinciæ Boemiæ & Poloniæ habeatur. Hoc eodem anno Marcus Corona in suo speculo provinciæ Russiæ Vicarium Generalem ejusdem Russiæ refert, ad quem Gregorius XI. litteras miserit, nomine tamen proprio in iis haud expresso, sed tantum officii Vicariatus, quod inquit, duravit in Russia circa annos ducentos: & licet Waddingus asserat in codice Vaticano non haberi Vicariam Russiæ, nec Vicariam Bosnæ; tamen ipsemet eodem loco, paulo infra Vicariæ Russiæ omnia loca, seu Conventus, incipiendo a Lemburga, seu Leopoli enumerat.

Vide Casim. Bier. art. 22. n. 1. 2. & 4.

Specul. Provin. Russiæ.

Wadd. ad ann. 1400.

ARGUMENTUM.

Disceptantibus Hispanis utri Pontifici in schismate esset obediendum? Beatus Rodericus Minorita suadet Joannæ Reginæ, lectissimæ fœminæ, Nunciis, ut obsequantur Urbano; cujus Pontificatum cæleste signum postea confirmavit. Elisabetha Hungariæ Regina Tertii Ordinis sancti Francisci moritur, & apud Clarissas sepelitur. Accrescunt Ordini aliquot domicilia.

I. DIXIMUS, longo tempore disceptatum esse inter Hispanos, utri Pontifici obediendum esset, an Urbano, an Clementi? Uterque summo conatu, repetitisque legationibus conatus est in suam sententiam attrahere gentem florentissimam, perspicue videns ex amplissimorum accessu Regnorum Castellæ, Legionis, & Aragoniæ firmioribus præsidiis suum vallari Imperium; atque inde infirmari partem adversam, unde sua crescebat potentia. Erat tunc Petrus Luna nobilissimo inter Aragonios loco a Gregorio XI. Cardinalis creatus, secutusque in dissidio Clementis partes, ardenti ingenio vir, legum peritissimus. Is in Hispaniam, si ingenii dexteritate eas gentes in partes attraheret, legatus est sub hujus anni initium; & in Aragonia quidem inanis fuit opera, Regis, & Procerum animis incertis suspensisque: apud Castellæ Regem majus operæ pretium fuit. Viri præstantissimi selecti de re tota judicaturi, multi dies in cognitione consumpti. Salmanticæ tamdem, quo conventus translati sunt, ad XIII. Kalendas Junias Urbani causam ut vitio creati, aversari, Clementem Pontificem, quasi liberis comitiis electum, salutarunt Avenione morantem, in quo & loci vicinitatem secuti sunt, & Regis Galli gratiæ magis id datum, quam ad æquitatis regulas expensum.

Ann. 1378. n. 3.

Hispani sequuntur partes Clementis.

II. Flo-

Marc. 2. p. lib. 9. c. 15.
Bzov. hoc ann. n. 38.

B. Rodericum sciscitatur Regina utri Pontifici esset obediendũ.

II. Florebat eo tempore in Lusitania, magna sanctitatis opinione, spiritu prophetiæ clarus, frater Rodericus Robicius Minorita, ad quem Regina Castellæ Joanna, non Catarina, uti habent Marcus Ulyssiponen. & Bzovius, Henrici II. conjux, Joannis primi, non secundi, uti illi numerant, genitrix, religiosissima fœmina, coactis his conciliis, Nuncios misit sciscitatum, utrum ex duobus de Pontificatu contendentibus, sequi deberent Joannes filius, & hæreditaria Regna; Dei enim, cujus hæc potissima causa, potius quam hominum judicio id sibi constare cupiebat. Ille antequam quidquam Nuncii proloquerentur, divino excitus spiritu: *Novi*, inquit, *a qua, & ad quid missi estis: sciatis optimam, quæ vos legavit Principem post vestrum discessum obiisse, Joannem Regem iniquo aliorum consilio Clementis partes secuturum, non longe tamen abesse divinam tanti piaculi vindictam. Carolus Gallorum Rex hujus schismatis fautor & incensor, Joannis consiliarius & persuasor, nuper defunctus severum subiit judicium, luitque gravissimi reatus dignum supplicium.* Regressi Nuncii compererunt verissima esse, quæ de Reginæ obitu, & Regis in Clementem propensione prædixerat. Decessit autem Joanna VI. Kalendas Junii die VII. post decretam in conventu Salamantino Clementis sequelam, quod male ominatam fore sententiam apud plerosque confirmavit. Fœminam fuisse sanctissimam, & in pauperes munificam, unde illi *egenorum matris* cognomen scribunt auctores Hispani, & in vita ac morte habitum sanctæ Claræ gestasse. Funus Toletum, ubi Henricus maritus sepultus erat, apparatu celebri, sed & populi lacrymis, desiderioque celeberrimum, illatum est; „ ubi in Ecclesia „ Cathedrali hoc ejus legitur Epitaphium, idiomate Hispanico. *Hic jacet* „ *summe Catholica, & devota Regina Dom. Joanna mater pauperum,* „ *uxor nobilis Regis Henrici, filia Dom. Joannis filii Infantis Dom. Emanuelis, quæ neque in vita, neque in morte habitum exuit sanctæ Claræ.* „ *Obiit die XXVII. Maii anno a Nativitate Salvatoris MCCCLXXXI.* „ Rodericus paulo post secutus est miraculis clarus; quo loco sepultus sit, incertum: Pisanus & Marianus ad montem de Valdearo Custodiæ Conimbricen. in Conventu, quem ipse construxit, jacere, scribunt; sed apud ipsum Pisanum in recensu Cœnobiorum hujus Custodiæ istud non habetur. Marcus Ulyssiponensis in Conventu Vimaranensi; sed Gonzaga etsi diligentissime conquisitum, ejus corpus illic inveniri non potuisse monet, ac proinde ad Matricem oppidi Ecclesiam occulte aliquando translatum, ibique in editiori loco Aquilonem versus tumulatum ab oppidanis affirmari. Sui tamen oblitus, alibi scribit, sepultum esse in Ecclesia sanctæ Mariæ Angelorum Provinciæ sancti Gabrielis anno MCCCLXXVIII. sub Urbano VI. Quod vero de tempore ait, constare non potest, cum nonnisi hoc anno obierit Regina, cujus mortem ille Nunciis prædixit.

Erat Tertii Ordinis sancti Francisci.
Garibay. lib. 15. c. 21.
Mariana citatus

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Oritz. in descript.

Beatus Rodericus moritur miraculis clarus.

Pisan. Confor. 8. & 11.
Marian. lib. 5. c. 1.
Marcus citatus.
Gonz. in Provin. Portug. Con. 3.

Idem in Provin. S. Gabriel. Con. 1.
Pisan. Confor. 11.
Monume. MSS. Prov. S. Jacobi.

Cælesti signo ostendit Deus, sibi displicere Clementis sequelã.

III. Mira sane res tunc accidit Salmanticæ. Post decretum in Principum & Prælatorum consessu Clementis obsequium, & sequelam statuit Rex magno Procerum Comitatu solemni pompa jurare in partes Clementis, se suaque regna fidem & obedientiam illi præstitura, atque isthoc facere in templo capacissimo Franciscanorum. Indoluerunt illi valde, id apud se fieri, quod impedire non poterant, & omnium juramento promitti, quod nulli licebat, summisque precibus Deum rogarunt, ut malum hoc averteret, & maculam istam a suo templo procul faceret. Exaudivit Deus preces servorum suorum; ea etenim hora, qua, paratis omnibus, expectante præ foribus universorum ordinum comitatu, Rex palatium egredi voluit, cœlum antea serenum & clarum, quasi spectaculum hoc horreret videre, densas repente in-

interposuit nubes, cœperuntque mugire tonitrua, coruscare fulgura, copiosi imbres ita omnia miscere, ut concitato cursu, confusoque ordine omnes ad proxima fugerint latibula, & Regem domi se oportuerit continere. Sparsum tunc in vulgus, id Fratrum precibus tribuendum, eorumque Institutorem voluisse iniquitatem hanc a sua domo repellere: qua de causa Rex loco pepercit, neque hoc scelere tentavit amplius contaminare. Refert hoc admirandum factum Bartholomæus Pisanus illius temporis scriptor, & constanti traditione memoriam hanc quotidie renovari; ipse in illa æde per aliquot annos commoratus, probavi.

IV. Obiit hoc anno, die XXIX. Decembris, octogenaria & ultra, præclarissima Regina Hungariæ Elisabetha, quam diximus alias vestem sanctæ Claræ sumpsisse, Regis Caroli olim conjux, filia Waldislai Loktek, & soror Casimiri Poloniæ Regum, genitrix Ludovici Hungariæ & Poloniæ Regis, & in Monasterio Clarissarum Insulæ Budensis, quod ipsam construxisse diximus, sepulta est. Mortuo fratre Casimiro, Poloniæ regnum pro Ludovico filio bis gubernavit: secunda tamen vice cum regnaret, anno MCCCLXXVI. triste coram oculis ejus accidit spectaculum, ut levi de causa rixantibus Polonis, & Hungaris in urbe Cracoviæ, ex istis ciciderint centum sexaginta, qui in sacello ambitus Ecclesiæ sancti Francisci sepulti sunt; & ex eorumdem bonis dotatum, ab eo die sacellum Hungarorum nomen accepit.

Miechov. lib. 4. c. 10. & 31.
Tom. 7. an. 1342. n. 15.
Moritur Elisabet Regina Hungariæ 3. Ordin. S. Francisci.
Tom. 7. an. 1334. n. 16.

V. Ante hunc annum extitisse Conventum in Castro Prædii, Diœcesis Perusinæ, deducitur ex vetusta ænea cruce, a quodam fratre Joanne isto anno elaborata. Ecclesia consecrata fuit, anno MCCCCXVII. die XXIII. Maii. Ex litteris Urbani hoc anno datis ad Archiepiscopum Cassellen. & Guardianum Minorum ejusdem urbis, ut procederent contra quosdam Clementis sectatores, se nobis offert occasio agendi de Cœnobio Cassellensi, quod huc usque distulimus, expectantes, sed frustra, ex Hibernia ampliorem hujus loci, & fundatoris notitiam. Antiquam esse ædem vel exinde probatur, quod integræ custodiæ sub sancti Bonaventuræ regimine nomen dederit. In Ecclesia jam constructa ædificasse Fratres sacellum beatæ Virginis, anno MCCCXXXI. suo loco recensuimus. Quo vero determinato anno originem domicilium acceperit, aut quis primus auctor fuerit, investigare non potuimus. Situm est extra urbis muros, circumducto forti vallo universo ambitui. Vulgariter vocatur Monasterium *Hackettorum*, fortassis quia gens ista fundavit & protexit. Pleraque horum & aliorum nobilium conspiciuntur adhuc in Ecclesia sepulcra marmorea. Soli supersunt nunc parietes, reliqua quæ possidebat Monasterium, vicina nemora, & aliquot prædia in quorumdam secularium deducta potestatem, detrimento potius fuerunt, quam incremento rei domesticæ. Bona enim Ecclesiastica vel injuste occupata, vel in profanos, aut illicitos usus conversa, occultam secum ferunt vindictam: ut unde suas augere cupit aggressor facultates, inde diminuat. Hæc enim temporalibus admixta, veluti parum fermenti, totam substantiæ massam corrumpunt, & justo Dei judicio, quod juste antea injustus detentor possedit, amittit; ut sciat se injuste retinere quod piis usibus erat oblatum: *Et sacrilegium esse, quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis compendiis retinere*. Vere *opus Monachorum ignis est, & ubicumque ingreditur, consumit*. Platea urbis, quæ in Cœnobium ducit, *Fratrum* cognominatur, an quia per eam ad Fratres accessus, aut quia in ea extructæ domus ad Fratres spectabant, ignoratur. Aqua canalibus plumbeis per XI. M. P. in urbem ducta a Fratribus dicitur corrivata; atque adhuc conspici in os-

Conv. Prædii. *Rodulph. fol. 253.*
Conv. Cassell. *Mon. MSS. Prov. Hibern.*
Tom. 7. an. 1331. n. ult.
Bona Ecclesiastica non convertenda in sæculares usus.
Gregor. lib. 8. epist. 6.
Vitæ Patr. lib. 5. c. 11.

officinis Monasterii conductus, per quos communicabatur civitati. Inter cives illud refertur reverentiæ erga res sacras habendæ argumentum, quod cum mulier quædam vinum igni eliquare, vel vini laticem vulgo *Aqua vitæ* educere vellet, & lignum subjiceret ex trabibus Monasterii, per fistulas non vinum, sed lac emanarit. Convocatis vicinis, & obstupescentibus singulis ad tantæ novitatis prodigium, modis omnibus rimari cœperunt mysterii originem, ferventem cacabum, dolium adversum, interjacentes fistulas, temperantem aquam lustrarunt, subjecti ignis mensuram examinarunt, ligni qualitatem interrogarunt, donec tamdem mulier confessa est, titiones ardentes ex trabibus exsectos esse Monasterii. Hinc oriri prodigium piæ quædam suspicatæ fœminæ, curarunt lignum amoveri, & aliud supponi, statimque mutatus est liquor, & solito more vini latices prodierunt.

Prodigium mirabile.

VI. Ex simili occasione commissionis factæ Guardiano Galviensi, recurrit memoria Monasterii illius urbis incerto anno fundati ab illustri viro Guillelmo de Burgo, familiæ Burgorum Principe & auctore, a quo proinde tota *Clanulliam* scilicet Guillelmi prosapia, patrio vocabulo nuncupatur: sicuti a fratre seniore Richardo fundatore Monasterii Prædicatorum, oppidi Athanri, descendit familia Comitum *Clannricardi*. Situs est Conventus prope sed extra mœnia civitatis, in insula a sancto Stephano nuncupata, amœna valde. In Ecclesia, quæ adhuc exiftit capacissimæ & nobilis structuræ, præcipui urbis viri magnifics sepeliuntur mausoleis. Habet pius populus adhuc in reverentia templum, etsi sacris ministeriis impervium, & pro antiqua consuetudine singulis diebus festivis, sub vesperarum horam illuc confluit oraturus, ut conservetur, & ruinæ reparentur, singuli in ultimis tabulis aliquid legant Monasterio, & legatorum omnium, aliorumque quæ ad Fratres spectabant, rationem exigit, qui ex indulto Reginæ Elisabethæ locum omnem, & bona possidet, atque in ipsius loci lucrum laudabiliter convertit. Regii Senatores & Judices, quando in Comitatu Galviensi jus dicunt, tribunal & thronum in templi capite, & summi altaris loco constituunt, & indifferenter causas tam civiles, quam criminales exagitant. Nonne hæc est illa *in templo abominatio desolationis*, sive abominabilis desolatio, quam prædixit Daniel quando a loco sancto *exulat verus cultus Dei, & in eo triumphat potius lusus Diaboli?* Stantem in loco sancto, imo sedentem & solium sibi erigentem in loco omnium sacratissimo vident pauperes oppressi, & desolati Catholici abominationem hanc desolationis, quid reliquum est, nisi ut juxta Christi consilium *fugiant in montes*, & illic assidue orent clementissimum scelerum nostrorum vindicem, ut tamdem nostri misereatur, & nolit in ira sua continere misericordias suas, nec permittat ut *usque ad consummationem & finem ista perseveret desolatio*.

Conv. Galvien.

Daniel.c.9.v.27. Carthus. in hunc locum.

Matth. 24. 15.

VII. Differentias & controversias exorituras, ex quibusdam pactis conventionibus inter Archipresbyterum, & Clericos parrochialis Ecclesiæ oppidi Bermei, Calaguritanæ Diœcesis, & Minoritas, paulo antea in oppidum invectos, uti nos narravimus, præventurus Clemens Antipapa, cassas & irritas voluit conditiones quasdam, Fratribus nimis onerosas, etsi a Gregorio XI. confirmatas, de qua re litteras dedit ad Petrum de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, a se in Hispaniam, uti diximus, legatum: *Sacrum Ordinem Fratrum Minorum*, IV. Idus Septembris.

Conv. Bermei. Tom.8. an.1357. n.23.

Hoc anno n.1.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. LUdovicum Donatum ex Vicario Generali Ordinis, suffectum Leonardo Giffono exauthorato ob sequelam Clementis, in comitiis Strigonii electum in Ministrum Generalem anno MCCCLXXIX. (ut dicebamus) hoc anno MCCCLXXXI. Urbanus VI. in tertia Cardinalium creatione habita Romæ in IV. temporibus Adventus ad eam dignitatem evexit, sub titulo sancti Marci, Ordinem nihilominus recturum, ut Vicarium Generalem. Interea vero idem Urbanus recogitans, Joannam Neapolitanam Schismatis Ecclesiæ auctricem, quod Clementem Neapolim excepisset atque adorasset; a Ludovico Hungariæ Rege, ut in Italiam validis copiis munitum Carolum Dyrrachium, a se coronandum Regem Neapolis dimitteret, missis urgentibus litteris petiit, ac penas interim in eam ut Ecclesiæ rebellem mente revolvebat. Paruit prompte Ludovicus Pontifici; Carolum enim præfatum suum Nepotem cum exercitu VII. M. Panonum, inter quos plurimi Itali, dimisit, qui in Italiam descendit, Aretium Urbem in Etruria iis temporibus florentem subegit; & compositis rebus cum Florentinis, a quibus egregiam nummorum summam obtinuit, inde Romam properavit, ubi ab Urbano coronam Regni accepit, hoc nihilominus pacto, quod Franciscum Pregnanum, *Butillo* nuncupatum, suum Nepotem, Juvenem ineptissimum, omnique lascivia notatum, Principem Capuanum, & Ducem Amalphitanum crearet, si Regno potiretur.

Ludovicus Donatus fit Cardin. ab Urb. VI.

Wad. ad ann. 1378. n.8.

Ab eodem vocatur Carol. Dyrachius ad regnum Neapolit. Dogl. p. 4. fol. 409.

,, II. Inter hæc autem Elisabetha Romanorum Imperatrix, relicta Caroli IV. & Mater Wenceslai Cæsaris, quæ ab obitu viri Tertii Ordinis sancti Patri Francisci habitum devote induerat, operibus christianæ pietatis jugiter intenta, magna cum sanctitatis opinione apud omnes, imo & miraculis clara, sanctissime obiit hoc anno. Qnando in civitate Trajecto ad Mosam fluvium, Belgii in Brabantia natus est infans, qui ante diem quadragesimum ætatis diserte loquens, inter alia plura, verba hæc protulit: *Aperite Januam, Pater meus adest:* ad hæc nati parentes profundo stupore correpti, timentes a Cacodœmone obsessum esse, Ecclesiasticis Exorcistis tradiderunt curandum.

Elisabet. Imperatr. ex tertio Ord. floret. Annal. Eccl. tom. 14. fol. 1577.

Notabilis casus de Infante.

ARGUMENTUM.

Frater Ludovicus Donatus Cardinalis cum duobus collegis legatur ad Carolum Dyrachium Sicilia Regem. Moritur Ludovicus Hungariæ Rex, in Ordinem Minorum summe propensus. Occurrit memoria quorumdam virorum illustrium & Conventuum recens structorum.

I. CONSTITUIT Urbanus hoc anno Neapolim ire, sed pervenit anno sequenti, confirmaturus Carolo Dyrachio Siciliæ regnum, quod validis copiis Ludovicus Andegavensis oppetere aggrediebatur, obtenturus etiam Francisco Pregnano, cognominato Butyllo, ex fratre nepoti, Capuæ & Amalphii Ducatus, aliosque honores. Promisit ista Carolus, quando regnum accepit, sed conferre distulit ab Urbani inimicis persuasus. Fraudem subesse existimans Pontifex, præmisit Cardinales tres Legatos Bartholomæum Mezavacam Bononiensem, Episcopum Reatinum, tituli sancti Marcel-

Ciacon. in Urban. 6. Niem. de schism. lib. 1. c. 28.

Fr. Ludov. Donat. Card. legatur ad Carolum Regem.

celli, fratrem Nicolaum Moschinum Carracciolum, Ordinis Prædicatorum, tituli sancti Cyriaci, & fratrem Ludovicum Donatum, Ordinis Minorum tituli sancti Marci, qui Regem pactorum admonerent. Ille difficulter aures præbuit, quod simultatibus inter ipsum & Papam in multorum perniciem secutis, initium dedit. Papæ partes Cardinalis sancti Cyriaci maxime juvabat; Venetus medium tenuit, neque urgebat, neque dissuadebat; Reatinus Regi gratus, duri & acerbi Pontificis, iniquis, ut videbatur, postulatis neglectis, pro Legato hostem gerere visus est, & Regem impulisse ad ea deneganda, quæ Pontifex ex fœdere postulabat; tantis enim Principatibus homuncionem fictilem, ignavia & lascivia perditum, qualis revera erat nepos Pregnanus, donare, parum tutum videbatur. Redeuntes igitur in Urbem rebus improspere gestis, in suspicionem Legationis infideliter peractæ venerunt Reatinus, & Venetus; ille tamdem honore omni Cardinalitio spoliatus, hic aliis objectis criminibus, lethale subivit supplicium.

Bonfin. dec. 2. lib. 10.
Moritur Ludov. Hungariæ Rex.

II. Obiit hoc anno Idibus Septembris Vissegradi Ludovicus Hungariæ Rex, Princeps optimus, bello & pace clarissimus, aucto principatu, domitis hostibus, fide Catholica in multas provincias invecta, gloriosus. Quantum ejus mors Hungaris, & sociis mœroris attulerit, hinc facile considerari potest, quod annos tres universa Hungaria pulla veste incesserit, totidemque annis luctum regionatim celebraverit. Pueri velut patre orbati gemebundi incedebant, regni socii Russiani, Mysii, Bulgari, & Valachi ab eodem domiti, in tristitiæ speciem barbam deposuisse feruntur. Plurima propensionis, & affectus ejusdem in Ordinem Minorum argumenta sparsim supra retulimus, illudque supremum hujus pietatis specimen narrant alii, quod aliquandiu ante mortem a curis vacaverit inter Minoritas, divinis in Choro interfuerit officiis, habitum sub mortem petierit, in eoque sepeliri voluerit in Monasterio Clarissarum Veteris Budæ, quod Elisabetham genitricem diximus construxisse; sed regni Proceres, & Elisabetha conjux Albæ ad Basilicam D. Stephani in sacello, quod monumenti sui loco exædificarat, tumulari voluerunt.

Pisan. confor. 8. Jacob. a March. sermone de S. Franc.
Cherubin. Spoletan. serm. de laud. B. Mariæ. Tom. 7. an. 1334. n. 16.

III. Decessit III. Nonas Junii in provincia Etruriæ, & conventu Lucensi venerabilis Pater Gabriel Volaterranus, insignis concionator, sacræ Theologiæ Magister, de quo alias locuti sumus. Rexit laudabiliter annis multis prædictam provinciam, & inquisivit in Hæreticos, præsertim in urbe Senensi. Sepulcrum ei posuerunt Consodales marmoreum, insculpta imagine prope altare templi præcipuum. Erat hoc anno Episcopus Dragonariæ, & Coadjutor Bononien. frater Bartholomæus Bononiensis. Obiit anno MCCCCIII. sepultusque est in Ecclesia sancti Francisci. Hoc anno Guillelmus Astensis novus Minister provinciæ sancti Francisci, amplam dedit licentiam fratri Paulutio per universam Italiam percurrendi, in suæ novæ familiæ beneficium. Obedientiales litteras exhibeo.

Moritur Fr. Gabr. Volaterran. *Tom. 8. an. 1376. n. 10.*
Fuit Inquisitor Senis.

Fr. Bartholom. Episc. Dragonarien.

In Christo sibi Carissimo fratri Paulutio Vagnotii de Fulgineo, frater Guillelmus Minister Provinciæ sancti Francisci salutem, & pacem in Domino sempiternam.

IV. UT *ex causa rationabili, pro tua providentia indicata, cum societate unius, vel plurium Fratrum, secundum tuam discretionem per te assumpta, ad singulos spirituales, & temporales Dominos per totam Italiam commorantes, excepto Curiæ loco, quotiescumque, & quandocumque tibi fuerit opportunum, libere accedere possis, & cum eisdem moram trahe-re,*

re, prout tua requiret necessitas, seu utilitas, dilectioni tuæ, præsentium tenore concedo. Vale in Domino, & ora pro me. Datum Fulginei x. *Septembris anno Domini* MCCCLXXXII.

V. In diplomate quodam Urbani circa causam matrimonialem nobilium Weisfordiæ in Hibernia, & Diœcesi Fernensi, occurrit memoria Guardiani illius urbis, ad ostium fluminis Slanæ sitæ, vel ex eo Hibernis notissimæ, quod prima totius Hiberniæ in Anglorum fidem se contulerit. Quando autem Fratres in illam introducti sint civitatem, aut quis eis domicilium extruxerit, ignoramus. Hujus Cœnobii meminit Pisanus in Custodia Dublinienſi, ibique sepultum, ait, Joannem de Waterfordia, de quo nos alias egimus; aliunde vero nihil nobis suppetit memorabile. Erat locus satis commodus Fratrum habitationi, nunc universa corruerunt, temporis & hæreticorum injuria. In eadem custodia prædictus auctor agit de Cœnobio Deserti, vulgo Hibernico *Disert diarmada*; Anglico, *Castel Dermud*, quod oppidum rurale est Diœcesis Dublinienſis. Conventus recta occurrit via, qua Dublinio itur Waterfordiam in Comitatu *Catharlaugh*. Eidem subjacet temporis injuriæ, & fundationis, auctorisque ignorantiæ, quo Waterfordiense. Conv. Weisfordien. *Tom. 3. an. 1340. n. 27.* Conv. Deserti.

VI. Hujus temporis reputo Cœnobium sancti Georgii in Granitis, ita cognominatur regio circumstans ad XI. M. P. a civitate Asculana in margine fluvii Castellani, & loco acclivo, nemorosoque constructum a civibus, in gratiam Patrum Clarenorum. Anno MDLXVIII. transivit ad Patres Observantes provinciæ Marchiæ Anconitanæ, reducta illa congregatione ad eorumdem Observantum familiam. Magna est Asculanorum erga hunc locum pietas, ob servatum ibi præfati Sancti pollicem, & frequentia ejusdem miracula. Con. S. Georgii in Granitis Ascul. *Conc. in Prov. Marchiæ Con. 4.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. CAROLUS Dyrachius ab Urbano Siciliæ Rex inauguratus, ut prædiximus, relicta Roma, Neapolim properavit, eamque urbem dolo civium ingressus, Arcem novam, in quam Joanna transierat cum suis Baronibus, Leonardo Giffone Cardinale Legato Clementis, cum Jacobo de Visſ., Cardinale ejusdem Clementis, & Patriarcha Constantinopolitano, adeo arcta obsidione cinxit, ut nemini pateret aditus vel egressus, nisi ex parte maris. Duxerat autem ipsa in virum Ottonem Brunsvicensem Ducem, & in filium sibi adoptaverat Ludovicum Andegavensem, Caroli Regis Franciæ fratrem. Otto igitur haud animo cecidit, sed strenue Conjugem defendere statuens, capta occasione, cum Carolo pugnam iniit; at adverso marte victus, hostis captivus remansit; quod videns Joanna Arcem & semetipsam tradidit. Ottonem liberum dimisit Carolus hac lege, ut Regno abscederet; sed Reginam consilio Ludovici patrui, mortis Andreatii pœnam luere coegit. Erat autem cum Carolo Cardinalis Gentilis de Sangro Urbani Legatus, qui cum Regina & Baronibus, captum etiam fratrem Leonardum Giffonem prædictum, cum aliis Prælatis in carceribus habuit, ac eum pridie Nonas Septembris hujus anni MCCLXXXII. in Templo magno sanctæ Claræ coram Rege Carolo, & Regni Proceribus, Urbanum legitimum Pontificem, Clemente ejurato, profiteri coegit: deinde Cardinalitiis insignibus combustis, ab eodem Legato Gentile miser frater Leonardus, cum aliquot aliis Prælatis Clemen- Carolus Dyrachius obsidet Neapolim. *Wadd. ad ann. 1378.* *Inf. ad an. 1383.*

„ tis sectatoribus, ut dicebamus, captivus primo Beneventum, mox in „ Aprutium, deinde Aversam ductus, post diuturnum carcerem tandem di„ missus est. Interea vero Ludovicus Hungariæ Rex, præfati Caroli Dyra„ chii patruus, hoc eodem anno Idibus Septembris, Vissegradi, relicta Eli„ sabetha, cum duabus filiabus migravit ad Dominum, ab Annalista & aliis „ plurimum laudatus.

Laurentius de Castrul. floret. Ex Indic. Vatic.

„ II. Fratrem Laurentium de Castruleo, virum humilitatis, orationis, „ rerumque cœlestium contemplationis, præfervidæ quoque in Deum & „ proximum caritatis, Brixanore sanctam Deo animam reddidisse hoc anno, „ testatur Scalliapissus. Dum autem sub Urbano in Italia hæc fierent, Cle„ mens Avenione IV. Idus Aprilis ex nostris fratrem Nicolaum Minam; & „ IV. Kalendas Octobris fratrem Marcum de Priboleno, datis litteris: *Re„ ligionis zelus &c.* suos Pœnitentiarios instituit. Verum V. Idus Julii scri„ pserat Petro Cardinali pro magisterio fratris Joannis Alphonsi: *Viri sa„ cræ &c.* quo etiam tempore Monialibus sanctæ Claræ Aquissclanen. „ quoddam privilegium indulsit: *Exigit devotionis &c.* quas etiam postea, „ Idibus scilicet Octobris, a decimarum solutione exemit: *Exigit devotio„ nis &c.* ac tandem fratri Joanni absolutionem excommunicatorum com„ misit: *Sinceræ devotionis &c.* XVI. Kal. Decembris.

Monum. MSS. Prov. Turon.

„ III. Andegavense Minoritarum Cœnobium, de quo supra jam dixi„ mus, vetustate collabens, a ruinis, quas minabatur reparari poscebat: qua„ mobrem optimo Fratrum odore, quos alebat, sicuti Mauritium ad ape„ riendam sibi plateam ante Ecclesiæ fores, ut paulo ante retulimus; ita „ illustrissimæ Dominæ Christinæ de Gearzè piam liberalitatem allexit, & „ excitavit adeo, ut ipsi collibuerit in restaurationem ejusdem larga manu „ proprium æs profundere; quamobrem fundatricis ex parte titulum, & „ Matris Fratrum nomine promeruit appellari; amatrix virtutum & reli„ gionis sectatrix pie vixit; ac tandem fatis functa, & in eodem Conventu „ sepulta hoc anno, communem, quam credidit resurrectionem justorum, „ expectat.

ARGUMENTUM.

Celebrantur Comitia generalia, & Religioni præficitur frater Petrus Cassanen. Transgressores regulæ divinitus puniuntur. Floret frater Guillelmus de Centuariis. Ædificantur Cœnobia.

Rodul. fol. 142. Capitulum generale 62. Ferrariæ. Fr. Petrus Cassanensis Minister Generalis.

I. HOC anno, non præcedenti, uti habet Rodulphus, Ludovicus Cardinalis, & Ordinis Vicarius Generalis Ferrariam convocavit Patres Ordinis ad Comitia generalia celebranda, in quibus electus est Minister Generalis frater Petrus de Cassana, alias de Conzano, oppido Diœcesis Sulmonen. sacræ Theologiæ Magister, & Provinciæ Pennensis, quæ hodie sancti Bernardini appellatur, præfectus. Rexit annum unum, & menses aliquot; obiit enim anno MCCCLXXXV. in Cœnobio Pistoriensi, dum Provinciam visitaret Etruriæ.

Chron. antiqua. Marian. citat. Frater proprietarius cœlitus punitur.

II. Grave intulit hoc tempore Dominus supplicium cuidam Ministro ejusdem Etruscæ Provinciæ, sacræ Theologiæ Magistro, paupertatis transgressori, & pecuniæ collectori. Cumulaverat variis artibus, & ex eleemosynis in Fratrum usus relictis, Florenos quingentos, & lucro dedit Ministris Xenodochii sanctæ Mariæ Senarum, decem recepturus pro centum. Absol-

vit

vit eum ab honore Minister Generalis, paulo post rupta tibia, vehementissimos passus dolores iliacos, dentium, & paralysis, demum decessit absque Sacramentis. Nihil sane mirum, quod ita graviter vapulaverit, qui *egentium fames, suas fecit esse divitias, & miseris dereli*ct*a, in suam reservavit miseriam*. Sub id tempus apparuit Dei justitia circa alium, alias religiosum, qui non solvebat pro Fratribus defunctis, quæ in Religionis statutis erant decreta. Post obitum apparuit Fratri sibi familiari & socio, dixitque se magnis pœnis torqueri: *Quid?* inquit socius, *hic inter nos videbaris pœnas mites subiturus, propter vitam religiose transactam; atque has ipsas remittendas propter tot sacrificia, & Fratrum suffragia pro te oblata*. *Nihil*, respondit, *ista mihi profuerunt, ita vindicante Domino meam negligentiam & socordiam, in morte aliorum, qui pensum nullum pro eis solvebam. Justitiæ divinæ factus sum mihi ipsi mensura, quod aliis præstiti, idipsum accipio. Meo malo probo*, judicium esse sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: *sed per divinam benignitatem in me* superexaltat misericordia judicium; *non enim Deus vult punire in æternum, sed ad tempus dumtaxat castigare, & soluta hac mea culpa brevi vitam expecto sempiternam*. Alterum, qui juxta Monasticam consuetudinem corpus non flectebat ad versiculum *Gloria Patri*, vidit Frater quidam spiritualis altæ superpositum columnæ in medio mari, centies in die, & toties in nocte curvantem corpus, donec omissas compleret inclinationes. Frater Franciscus Curtius Parmensis, Provinciæ Bononiensis, qui disciplinam regularem contemnebat, & ad dignitates extra Ordinem anhelabat, ad Episcopatum evectus, cum primo Pontificalia exercere vellet, gravi correptus febri, die sequenti, derelictus a servis & custodibus solus, absque luce & cruce, tetræ mortis præmissis signis, expiravit. Graviter solet punire Dominus Monachos Votifragos, qui pactum suum irritum fecerunt. *Primo quidem liberi erant, & erant quidem de familia Domini, sed non erant ante oculos Domini, non erant de Ministris Domini, de familia ejus erant, non tamen cum illo, sed tamen illius erant, ex quo militare cœperunt, si recesserint, non habebit eos, quasi de familia, sed quasi fugitivos*. Terribilem vocavit Dominum Psalmista, dum voti monet reddendi: *Vovete*, inquit, *& reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera terribili*; ita legit Hieronymus: neque id mirum, quod terribilem se exhibeat exactorem sponsionis sibi factæ: *Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi; quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo Monachus pepigit, solvi sine vindicta non debet*.

Hieron. ep. 4. ad Rusticum.

Et alius in Fratres defunctos immisericors.

Jacob. 2. 13.

Alius cæremonias prætermittens.

Alter ad Episcopatum aspirans.

Serm. 60. ad frat. apud Aug.

Psalm. 75. 12.

Hieron. ibidem.

Innocent. ep. 2. ad Victric. c. 11.

III. Hoc anno die XIV. Januarii assumpsit Urbanus ad Episcopatum Placentinum in Italia, Comitatus titulo insignem, fratrem Guillelmum de Centuariis Cremonensem, insignem Theologum, & publicum in Academia Ticinensi professorem. Electus fuit ante biennium communibus Canonicorum suffragiis, ita deprecante Joanne Galeatio Vicecomite, Tyranno Mediolanensi. Sed Urbanus Pontifex alium volebat huic Ecclesiæ præficere, & Clemens Antipapa alterum insuper designavit Episcopum. Galeatio utrique Pontifici resistente, & electi jura defendente, tamdem obtinuit, ut confirmaretur. Sedit hic Guillelmus annos circiter tres, postea translatus ad Episcopatum Ticinensem, ut vetusta quædam Chronica MSS. Placentina his verbis testantur: *Dominus frater Guillelmus de Centuariis de Cremona, Ordinis Fratrum Minorum, venit ad Episcopatum Placentinum anno Domini* MCCCLXXXIII. *& translatus est ad Episcopatum Papiæ anno* MCCCLXXXVI. *seditque in dicto Episcopatu Placentino circa annos* III. Quo fit ut minus vere scri-

Fr. Guillelmus Episc. Placentin.

scripserint Umbertus Locatus in historia Placentina, & Antonius Campus in Cremonensi, eum nonnisi anno MCCCXCI. ad Placentinum assumptum. Et certe utrumque manifesti convincit erroris Antonius Maria Spelta in historia Ticinensi, apertisque probat argumentis, ante prædictum annum eum jam sedisse in cathedra Ticinensi: *Anno*, inquit, MCCCXC. *inveniuntur quædam constitutiones ab eo factæ*; *Anno* MCCCXCI. *die ultimo Augusti Bullæ Alexandri IV. circa discrimen habitus Minorum & Eremitarum sancti Augustini, suo diplomati insertæ, fidem addidit*. *Anno* MCCCXCII. *consecrasse sacellum beati Georgii in templo Minorum ex hac epigraphe lapidi insculpta probatur*: *Ista capella fuit constructa per Dominum Gregorium de Rubeis, & Joannem Franciscum ejus filium, ad honorem Dei, & beati Georgii, & fuit consecrata per Reverendum in Christo Patrem & Dominum D. fratrem Guillelmum de Centuariis de Cremona, Ordinis Fratrum Minorum, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Papiensem, Comitem dignissimum*; *Anno Domini* MCCCLXXXIII. *mensis Augusti*. Deinde alia hujusmodi affert testimonia, quibus probatum vult, Guillelmum hunc translatum fuisse ad Sedem Ticinensem ab Urbano VI. Anno MCCCLXXXIII. die VI. Octobris, in eaque sedisse annos circiter quatuordecim, & probabiliter anno MCCCCII. obiisse. Sed cum anno MCCCLXXXVI. facta fuerit hæc translatio, annis sexdecim Pontificatum obtinuisse dicendus est. Et certe Hippolytus Donesmundus in historia Mantuana eum recepisse a Francisco Gonzaga anno MCCCCII. Christi sanguinis particulam aperte affirmat. Eum laudat Spelta a pietate, a doctrina, ab eleganter composito officio sancti Syri, primi illius Ecclesiæ Episcopi, a magnifica structura aulæ Pontificiæ. Fuit tertius hujus nominis Antistes Ticinensis, & in serie Episcoporum sexagesimus quintus.

Postea Ticinen.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Jacob. Episc. Narnien. & Clusin. Fr. Hugucciо Episc. Sutrinus.

„ Hoc anno frater Jacobus Zozimi de Ptolomæis, nobilis Senensis, prius „ Episcopus Narniensis, & in Etruria Spoliorum Collector, translatus est „ ad Ecclesiam Clusinam. Obiit in patria anno MCCCXC. Ad Sutrinam in „ Provincia Romana promotus est frater Huguccionus Perusinus, per cessio„ nem Berengarii de sancto Africano. XIV. Kal. Aprilis.

Conv. Vici Sezenciaci.

IV. Dilabente anno præterito, Clemens Antipapa potestatem fecit nobili viro Joanni de Armaniaco Convenarum Comiti, ædificandi in oppido Vici Sezenciaci, Auxitanæ Diœcesis Cœnobium Fratrum Minorum; quod hoc anno præstitit: *Tuæ nobilitatis*. IV. Kal. Januarii. Eumdem, asserit Gonzaga, fuisse hujus Cœnobii, & Auxitani, ac Nugarolini structorem, sed ista annis centum & ultra, vetustiora esse hoc Vicensi, vel ex ipso Gonzaga suis locis adnotavimus. Sensit hic Conventus cum reliquis Galliæ hæreticorum rabiem, ad terram majori ex parte dejectus, & universa supellectile spoliatus.

Gonz. in Prov. Aquitan. recen. Conv. 8. Tom. 4. an. 1274. n. 37. & Tom. 5. an. 1277. n. 22.

Gonz. in Prov. S. Nicol. Conv. 1.

Conv. Galatini.

V. Hoc anno Raymundus Baucius Ursinus, Tarentinorum Princeps, prope oppidum suum a sancto Petro Galatino dictum, Hydruntinæ Diœcesis, Minoribus commodum extruxit Cœnobium, sub titulo sanctæ Catarinæ: & post aliquot annos auctoritate Bonifacii IX. subjecit Rectoribus Provinciæ Bosnæ Argentinæ. Huic structuræ causam præbuit frequens in illo oppido Græcorum incolatus; & in officiis divinis persolvendis ritus Græcanici consuetudo, Latinis indigenis molesta. Ut ergo haberent, qui Romano more psallerent, & Sacramenta ministrarent, Minoritis hunc locum præparavit, & sibi, suisque posteris jus patronatus reservavit. Adjunxit pauperibus alendis, peregrinisque excipiendis Xenodochium contiguum, reditibus, rebusque necessariis instructum, & Fratrum curæ commisit. Hanc susceperunt, obieruntque annis quinquaginta: & demum sub Eugenio IV. propter

pter varias causas, turbatamque religiosam quietem rejecerunt. Hinc suscepta occasio sub Alphonso Aragonio Rege Neapolitano, Fratres etiam ex Cœnobio deturbandi, intrudendique Monachos Montis Oliveti, qui Xenodochio præessent. Exularunt Fratres annis tredecim, & tamdem ad pristinam sedem revocati sunt, relicto Monachis hospitalis regimine.

VI. Circa hunc annum Ursinus alter, Nicolaus Nolanorum Comes, aliud ædificavit Minoribus habitaculum prope Laurum, Campaniæ oppidum, sub nomine sancti Joannis de Parco. Sub Leone X. vel paulo post transivit a Patribus Conventualibus ad Observantes. Locus est amœnus, a mundanis negotiis, & secularium distractionibus semotus. Floruerunt hic multi viri pii, inter quos celebris est memoria beati Petri ab Ajerola, qui functus Vicariatus Provinciæ officio, educandorum tironum curam suscepit. Proficiscebatur alio cum quodam novitio, qui ex itineris molestiis vehementem passus sitim, viribus destituebatur. Accessit magister ad obvium cauponem, petiitque pro Dei amore paululum vini sibi dari ad resocillandum adolescentulum. Dure negavit immisericors homo, dicens, præ foribus aquæ puteum esse, ex quo ad satietatem bibere utrique liceret. Hausta aqua, debili socio compassus magister, ducto super vasculum Crucis signo, aquam in vinum convertit. Tantum miraculum avarus caupo, qui præsens aderat, conspicatus, epoto ex aquæ vasculo vino optimo, veniam denegati potus petiit, & jurejurando spopondit, se deinceps Fratribus Franciscanis nihil denegaturum, quod fidelissime complevit, & moriens posteris ex testamento injunxit. Hunc religiosum virum secutus est alius maximæ sanctitatis, frater Nicolaus Thomacellus nobilissimæ prosapiæ, Alphonso Regi gratissimus, qui spretis mundi honoribus, ac regiis favoribus, cum germano fratre Joanne Thomacello huic Sodalitio nomen dedit. Egit etiam hic Magistrum Novitiorum, cui semel revelatum est, unum ex discipulis genere nobilem, quod humiliora Ordinis ministeria execraretur, nulloque pacto animum ad utensilia abluenda applicare posset, voluisse Fratribus valedicere. Anxius Pater ad tironem accedit, consolari intentat, tentationem hanc a Diabolo provenire ostentat, ad sacramentalem peccatorum confessionem invitat. Nihil hæc emollire in malo proposito pertinacem potuerunt, donec magister, quæ corde secreto cogitabat, aperuit. Territus novitius, quod resiliendi propositum, aliaque nulli hominum patefacta, magister aperte revelaverit, tamdem credidit a diabolo immissam hanc tentationem; & propterea præceptori revelatam, ut vinceretur, ad sacram confessionem accessit, diaboli suadelam contempsit, & deinceps vixit religiose. Conv. Lauri. Idem in Prov. Terræ-laboris C.45.

VII. Occurrit memoria cujusdam Monasterii Clarissarum de Laguiche, Diœcesis Mimaten. in quodam diplomate Clementis Antipapæ, quo conceditur nobili mulieri Isabellæ, relictæ quondam Ludovici Vicecomitis Thovaren. viduæ, facultas vivendi intra clausuram dicti Monasterii in habitu viduali: *Magnæ tuæ devotionis*. XVII. Kal. Februarii. Mon. Laguiche.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Ludovicus Andegavius, Joannæ filius adoptivus, a Clemente Ave-
„ nione Rex Siciliæ contra Dyrachium creatus, Provinciam sibi
„ subegit; & quingentis Equitibus stipatus, cum Amadeo V. Sabaudiæ
„ Comite, superatis alpibus, in Italiam descendit, Carolum a Regno aba-
„ cturus. Aretium vi captum, & a militibus populatum, quod non potuerit
„ arcem a Guelphis defensam obtinere, Gibellinis custodiendum tradidit;
inde-

„ indeque limites contentiosi Regni ingressus, & a pluribus populis pacifice exceptus, ut Regni legitimus hæres, Tarentum urbem Archiepiscopalem in Apulia, quæ Magna Græcia dicebatur, ad Tare fluvii ostium; necnon Barium etiam Archiepiscopalem, Peucetiæ caput, parum a Tarento distans, & in ora maris Jopii situm, obtinuit; spe affulgente plenæ victoriæ; quando Amadeus Sabaudus ejus Comes, circum veteres Cannas, velut alter Annibal, sese hostibus exhibebat: sed peste ingravescente, morbo correptus apud sanctum Stephanum agri Neapolitani, dies clausit, nec multo post Andegavus interruptis votis, e medio sublatus est, cum Hierosolymitanam expeditionem animo concepisset.

Amadeus Sabaudus ejus auxiliator peste decedit. Pingon. fol. 46. & 47.

„ II. Porro hic Amadeus, hujus nominis V. Aymonis filius, Comes Sabaudiæ, dictus Viridis, ob coloris in vestitu voluptatem, & floridas corporis, animique vires, plura contulit Fratribus nostris beneficia; & etiam sub finem vitæ quanta caritate eos prosequeretur, per supremas tabulas testamentarias, quas condidit, ostendit. Et quidem nostris duas regulares domos, unam apud Sebusianos in Burgo Brixiæ, & aliam Augustæ Prætoriæ excitavit, ut Samuel Guicenonius refert; & nos suis temporibus retulimus: sub mortem vero ex ejusdem testamento, cujus partem ad nostrum propositum hic exhibemus, cognoscet unusquisque quantum in Minoriticam Religionem propenderet, quod quidem testamentum ita incipit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, & beatæ Virginis gloriosæ. Amen. Anno a nativitatis ejusdem Domini* MCCCLXXXIII. *Indictione* VI. *die Veneris*, XXVI. *mensis Februarii, in Castro sancti Stephani agri Neapolitani, Bisuntinæ Diœcesis, & camera in qua Illustris & Magnificus Princeps & Dominus, D. Amadeus Comes, Sabaudiæ Princeps, Dux Chablasii, & Augustæ, & in Italia Marchio pro sua residentia pernoctabat, præsentibus viris egregiis, & potentibus Dominis, Amadeo, Domino Urteriarum: Gaspardo de Monte Majori, Domino Villari Saleti, & Joanne de Verneto militibus; ac viro venerabili & religioso fratri Deofecit Bonivardi, Ordinis Minorum Conventus Chamberiaci, & aliis &c.* post consueta fidelibus, & alia, quæ maximam viri pietatem ostendunt, ita prosequitur: *Item Fratribus & Conventui Minorum Lausanensi, tam pro reparatione suæ Ecclesiæ, quam pro una Missa in eadem Ecclesia diebus singulis celebranda pro remedio animæ dicti Domini Comitis, & Antecessorum, & Successorum suorum, quingentos florenos veteres &c.* Cæterum religiosissimus hic Princeps ille est, qui omnium primus Sodalitium Equestre, ut vocant, Ordinem Militarem instituit, ad Evangelici Nuntii, sive Annunciationis divinæ memoriam, & victoriam navalem, eo die festo ab Amadeo avo reportatam, cum fortitudo ejus Rhodum tenuit, ejus facti capitalibus alligatis torque, sive collare, litteris, & intermixto modo veluti Gordio: quam rem Anglus postmodum in periscelide; Burgundus in Vellere aureo; Gallus in conchis Michaelitis imitati sunt; privilegiis innumeris a Carolo IV. Cæsare auctus, ac inter cætera Vicarius Imperii per universam Italiam constitutus; ut a Gregorio XI. Servator jurium Sedis Apostolicæ salutatus fuerit; cujus egregia facinora bellicæ fortitudinis, & pietatis Christianæ, longe eloquentiorem mea pennam expostulant. Hic igitur tantus Heros in Castro sancti Stephani, ut dicebamus, peste correptus, die II. Martii, ut ait Guicenonius, vel prima ejusdem mensis, ut refert Pingonius, hoc anno MCCCLXXXIII. occubuit. Ejus corpus opera Ludovici Sabaudiæ, Principis Moreæ ad Altam Combam relatum, die XV. Junii sequentis anni huma-

Amadei V. Testamentum.

Guicen. in hist. genealog. to. 2. fol. 216.

Hic instituit Ordinem Militarē Equestrem SS. Annunciationis.

Pingon. sup. cit.

Pingon. sup. cit.

,, humatum fuit, xxiv. Prælatis Ecclesiæ parentationi assistentibus.
,, III. De medio sublatis Ludovico Andegavio, & Amadeo Sabaudo,
,, Gallorum exercitus dissipatus est. Aretium pretio xl. millium floreno-
,, rum, Castrum vero xviii. millium, a Florentinis empta fuere: & Ca-
,, rolus Dyrachius suam causam in Apulia prosequebatur, quando Urbani
,, Legatos, quos prædiximus, audivit. Papæ partes frater Nicolaus Moschi-
,, nus Caracciolus Dominicanus, Cardinalis sancti Ciriaci, in ea legatione
,, maxime juvare visus est. Frater Ludovicus Donatus Minorita Venetus,
,, Cardinalis, tituli sancti Marci, neque calidus, neque frigidus, neque ur-
,, gebat, neque dissuadebat: sed Mezzavacca Bononiensis Episcopus Rea-
,, tinus, tituli sancti Marcelli, pro Legato hostem se præbuit, visusque
,, est Regem impulisse ad ea deneganda, quæ Pontifex ex fœdere postula-
,, bat; cum disertis rationibus Procerum consilia Urbani voluntati contra-
,, rias confirmaret. Et quidem tantis principatibus homuncionem fictilem,
,, ignavia, & lascivia perditum, qualis revera erat Urbani nepos Pregna-
,, nus, donare nulli nec æquum, nec tutum videbatur. In Urbem igitur
,, regressi legatione improspere gesta, Urbano in suspicionem Reatinus, &
,, Venetus venerunt; dissimulavit nihilominus ad tempus; ac interea fra- *F. Bartholomæus de Cucurno Archiep. & Cardinalis.*
,, tri Bartholomæo de Cucurno, alias de Cothurno ex Clavari, Liguri,
,, Minoritæ, Provinciæ & Custodiæ Genuensis, celebri Theologiæ magi-
,, stro, Divini Verbi facundo declamatori, Archiepiscopo Januensi, & a se
,, creato Cardinali, tituli sancti Laurentii in Damaso commisit hoc anno *Wadd. ad ann. 1378. n. 6.*
,, mccclxxxiii. xv. Kal. Junii facultatem absolvendi Januenses, Medio-
,, lanenses, & Placentinos a censuris, propter delatas merces vetitas Sulta-
,, no Ægypti. Durus, vel rigidus natura nimis erat Urbanus, ideoque
,, nullis, vel paucissimis gratus; unde & accidit Bartholomæo præfato simul-
,, tates cum eo suscipere, illi non ignotas, quæ nihilominus non erumpe-
,, bant: at erupuerunt tandem; nam cum proficiscentem Urbanum Nea- *Urbanus Neapolim pergit.*
,, polim non comitatus, sed Romæ hæsisset, in illius indignationem, quod
,, deseruisse putaretur, incidit, ac ob id contumelias passus & minis exagi-
,, tatus, tamdem Neapolim accedens, Regis Caroli, qui festive Pontificem *Inf. ad an. 1385. n. 1.*
,, exceperat, interventu, hujus gratiæ restitutus est. Diu vero non duravit
,, amoris redintegratio, ut videbitur.
,, IV. Interea frater Leonardus Giffo felici sorte a Gentili de Sangro
,, Cardinale Urbani Legato ad Carolum præter spem liber dimissus, ut pau-
,, lo ante dicebamus, sui sollicitus Avenionem ad Clementem rediit, a quo
,, cum honore veluti Cardinalis admissus est; dum fratri Stephano de Ble-
,, nean. viii. Idus Maii quædam subsidia, duobus datis diplomatibus ejus- *Indic. ex Vatic.*
,, dem tenoris: *Sinceræ devotionis &c.* &: *Personam tuam &c.* concederet:
,, qui & paulo post, scilicet xvi. Kal. Julii, fratrem Andream in suum Sa-
,, cellanum assumpsit: *Virtutibus clarens &c.* ac postea xi. Kal. Octobris
,, fratrem Antonium Manæo Pœnitentiarium instituit: *Religionis zelus &c.*
,, & iv. Kal. ejusdem præfati mensis Abbatissæ de sancto Marcello pro suis
,, necessitudinibus quamdam secularem indulsit: *Sinceræ devotionis &c.*
,, Fratri vero Joanni Sartori transitum ad Benedictinos: *Humilibus &c.* ...
,, Et Episcopo Eugubino Confessarium Minoritam: *Personam tuam &c.*
,, V. Ferdinandus Lusitaniæ Rex, qui Petro Patri, scelerum acerrimo *Ferdinandus Lusitaniæ Rex moritur.*
,, vindici fatis functo anno mccclvii. in Regno successit, fatis & ipse cessit
,, hoc anno mccclxxxiii. sepulturam nactus Scalabi, sive Irenopoli, vul- *Ad an. 1260.*
,, go Santaren, Civitate olim Episcopali Lusitaniæ clarissima, licet nunc op-
,, pido, in Regali Ecclesia S. P. Francisci, cum sua matre Regina D. Con-

„ stantia Emanuela, prima sui Patris Petri Regis uxore, a qua Conimbricæ „ natus fuerat anno MCCCXL. Leonoram, sive Eleonoram *Tellez* de Meneses, pulchram, prudentem, sagacemque filiam D. Martini Alphonsi „ Tello de Meneses magni nominis, & Aldonzæ de Vasconcelos, relictam „ vero Joannis Laurentii de Acumna, Domini Majoratus de Pomberio, duxerat Ferdinandus in uxorem anno MCCCLXXII. quæ & eo viduata hoc

Inf. ad an. 1389. „ anno, statim fere post obitum sui dilectissimi conjugis, die scilicet VI. „ Novembris, regale diploma edidit, quo declarat piissimum suum virum „ gloriosæ memoriæ Ferdinandum Regem præfatum Sanctimonialibus Portus læti, sive Portæ-lætæ quasdam concessisse thermas, ut in eis Monasterium S. Claræ construere valerent: quam concessionem non tantum ratam

Monum. MSS. Prov. Algarb. „ habuit & confirmavit, sed etiam superaddens concessit, ut thermis proximas ædes, & etiam alias, ad Monasterii fabricam necessarias, justo pretio emere possent; plateas quoque & vicos claudere, si opus foret: cujus „ diplomatis originale authenticum etiamnum in archivo ejusdem Monasterii servatur, ut habent monumenta novissima Provinciæ Algarbiorum. „ Quamobrem ex eo diplomate constat, præfatum Monasterium sanctæ Claræ Portus-læti circa hunc annum fundatum fuisse. Verumtamen quædam „ Sanctimonialis, licet anonyma, tamen apud suas Consorores fide digna, „ id facessere in parte videtur, cum asseruerit, se anno MDLXXI. in quodam cartophilacio Monasterii quasdam antiquissimas membranas adinvenisse, in quibus legebatur, Ferdinandum Portugalliæ Regem, quibusdam „ Sanctimonialibus, seu (quod verius esse videtur) collectis piis fœminis „ indulsisse, ut ibi ubi communem habebant domum, non tamen certam & „ expressam vivendi normam, regulare Monasterium Ordinis sanctæ Claræ „ construere possent; quasdam etiam thermas regiæ domui vicinas in eum „ finem per suum diploma anni MCCCXXXII. concessisse. Verumtamen hoc „ testimonium corrigendum est in supputatione temporis, & quidem necessario; etenim anno MCCCXXXII. Ferdinandus Rex filius Petri nondum natus erat, ut patet ex supradictis.

Wadd. ad ann. 1415. „ VI. Monendus autem hic lector est, nostrum Annalistam præfati Monasterii Portus-læti, sub anno MCCCCXXV. scripsisse ut sequitur: *In Lusitania, & Provincia Algarbiorum, circa hunc annum inchoatum Mona-*

Gonz. in Prov. Algarb. Mon. 14. „ *sterium Portus-læti, vulgo Portalegre, urbis Transtaganæ, scribit Gonzaga, „ & successivis incrementis ad perfectissimæ ædis structuram pervenisse. Dedit huic Monasterio initium frater Alphonsus de Paradiso Minorita, collectis ex fidelium eleemosynis facultatibus & reditibus necessariis: obtenta „ prius Petri tunc Episcopi Eborensis, & Ministri Provincialis sui Ordinis, „ facultate. Quia vero non præcessit Pontificis licentia, omnino pro novo „ construendo Monasterio necessaria, anno* MCCCCXXVIII. *eam petierunt, & „ obtinuerunt, ut ex illius anni regesto licebit conspicere. Ineffabilis summi „ providentia &c.* VI. Kal. Octobris. Ita ibi Waddingus. Ut certior au-

Elucidatur dubium. „ tem de narratis fierem, ad citatum regestum anni MCCCXXVIII. & Martini V. Pontificatus XI. recurri, & sub numero CCIV. confirmationem fundationis Monasterii de Stremoz, & non Portus-læti, sumptam ex regesto „ Vaticano lib. I. de diversis formis &c. anno Pontificatus XI. fol. 215. reperi; & directam bullam Pontificis venerabili Episcopo Elboren. incipien. „ *Ineffabilis summi providentia Patris &c.* perlegens novi ex ea Waddingum excerpsisse, quæ de fratre Alphonso, Ministro Provinciali, & Episcopo inde Portus-læti Monasterii confirmatione scripsit, ut supra retuli. „ Percurri subinde totius Pontificatus Martini V. regestum, & nullam aliam bullam

„ bullam inveni incipientem: *Ineffabilis summi &c.* pro Monasterio Portus-
„ læti, imo nec aliam aliter incipientem ad hoc propositum: nec omnibus
„ eum istis auderem dicere tantum virum lapsum fuisse, Extremos, sive op-
„ pidum Extremoz, pro Portu-læto sumendo, & nihilominus ita est: Extre-
„ mi, Lusitani Extremoz oppidum est non obscurum inter Eburam, & Por- *Topogr. Ferrer.*
„ tam-lætam, ab eis, & ab urbe Eluense ad VII. M. P. Hispan. dissidens, in
„ Eborensi Diœcesi, obitu sanctæ Elisabethæ Reginæ clarum: Porta vero
„ læta, sive Portus-lætus, vulgo Portalegre, ille Septentrionalior, Egita-
„ nensi Sede Episcopali fulget.
„ VII. Ypris in Flandria Episcopali urbe, a Brugis IX. & a Ganda-
„ vo XIII. milliaribus remota, perantiquum Cœnobium titulo sanctæ Crucis
„ nostri habent, in cujus Ecclesiæ ara meridionali, beatissimæ Virginis Ma-
„ riæ Civitatis Patronæ imago Thunensis nuncupata veneratur, cui mira-
„ bilem sui liberationem ab Anglorum obsidione hoc anno MCCCLXXXIII.
„ piissimi cives acceptam referunt. Et quidem Yprensis Civitas, quæ muro-
„ rum vice, spinea tantum sepe vallabatur, cur inimicorum furore devicta,
„ atque prostrata non fuit? Forte quod sepes illa, levissimo igne consumpti-
„ bilis, superari nequiret? Bene quidem, etenim uno supra viginti oppu-
„ gnantium hostium insultibus restitit, & nec ferro, nec igni cessit sepes illa,
„ quæ potius segeti, quam urbi tuendæ prætensa videbatur. At desinat le-
„ ctor mirari, & laudet Deiparæ Virginis rubum, quo vallata Civitas erat;
„ hæc enim beatissima Virgo murus & vallum insuperabile fatigavit, deje-
„ cit, & profligavit hostes: & ut evidentius fieret cunctis patrocinium cœ-
„ leste Matris Dei & Virginis Immaculatæ, quotquot inimicorum missilibus
„ sauciati fuerant, consolidatis vulneribus pristinam valetudinem recepe-
„ runt; at non ita hostes, quorum plurimi ciciderunt. In hujus igitur be-
„ neficii memoriam, & gratiarum actionem instituta est ab Yprensibus an-
„ nua supplicatio, & illi qui obsidionis tempore læsi restituti fuerunt, in
„ gratitudinis signum, pulcherrimam ejusdem sanctissimæ Virginis statuam
„ in nostrorum Minoritarum templo dedicarunt, quæ a propugnata spinea *Ex Mon. MSS.*
„ sepe, vernacula lingua *de Thunis* appellata fuit, in annuaque supplicatio- *Prov. S. Joseph*
„ ne, quæ apparatu, & pompa solemni a tota Civitate peragitur, maxima *Recollect. in Flandria.*
„ cum devotione circumfertur.

ARGUMENTUM.

Magna accipit incrementa Regularis Observantiæ Institutum. Assumuntur aliqui ad infulas Pontificias. Occurrit memoria quorumdam virorum illustrium, & multiplicantur Cœnobia.

I. QUOTIDIANA suscipiebat hoc tempore incrementa pusillus grex novæ familiæ Observantium, multiplici favore Principum, quibus religiosa eorumdem vita, exemplarisque conversatio placebat, *Crescit regularis Observantia.* & superiorum Ordinis patrocinio, quod lubenter præstabant, ut in solitariis locis a se derelictis succederent, & ex civitatibus, oppidisque multis a Magistratibus vocati, expellerent Fratricellos, ubique se fingentes veros sancti Francisci sectatores, uti cum laude fecisse diximus in urbe Perusina. *Tom.8.an.1374. n.13.* Juvit eorum nomen & auctoritatem, quod multi ex magnis, & urbicanis Conventibus, ad Cœnobiola hæc, & eremitoria strictiorem vitam & arctiorem Regulæ observantiam amplexuri, transibant; & viri nobiles opibus, & di-

dignitate pollentes e seculo, ad eorum societatem, tamquam ad sacrum asylum convolabant. Inter hos connumerandus frater Marcus Bergomensis, vir multiplici eruditione clarus in seculo, initiatus in Cœnobio Montis Perusii, qui alios multos illius urbis Academicos ad hanc vitam sectandam suo exemplo allexit. Annis multis eo in loco vixit, & tandem miraculis clarus decessit. Secuti sunt etiam prodigiis insignes in eadem domuncula frater Benedictus Camers, Gabriel Spoletanus, Franciscus Florentinus, Joannes Perusinus, Antonius Tudertinus, Bartholomæus de Ajano celeberrimus prædicator. Aliorum locorum alumnos alibi commodius recensebimus, cum de primis & præcipuis Paulutii cooperatoribus fuerit agendum.

Fr. Marcus Bergomen.

II. Eo facilius horum votis annuebant Patres Conventuales, quo humilius agebant: omnia superiorum subjiciebant arbitrio, & domos nullas invadebant, sed vel sponte ab ipsis oblatas admittebant, vel novas aliorum munificentia ædificabant, extra urbes in locis remotis, in quibus offensioni non poterant esse consodalibus, incolatu prioribus, dum neque populum ab eorum Templis retrahebant, neque emolumenta minuebant. Duo deesse videbantur, ut libere ubicumque licebat, domos exædificarent, absque speciali propter singula recursu ad Ministros; & possent ipsi ad sodalitium admittere, habituque induere; mittebantur enim adolescentes, qui recipi poscebant ad Ministros, in quorum libertate erat, vel huic congregationi adjicere, vel alio mittere, aut penitus rejicere. Concessit ista lubenter hoc anno Guillelmus Astensis Minister provinciæ sancti Francisci, obtenta prius circa domos multiplicandas facultate a Ferdinando Hispano, Patriarcha Hierosolymitano, ab Urbano ante biennium instituto Administratore Ecclesiæ Spoletanæ, & Pontificio Vicario in Ducatu Spoletano. Utriusque produco instrumenta.

Absque Patrum Convent. offensione.

In Christo sibi carissimo fratri Paulutio Vagnotii de Fulgineo, post æternam in Domino salutem.

III. *Cupiens tota animi voluntate occurrentibus quotidie periculis omnimode obviare; Idcirco ex causa rationabili mihi nota, dilectioni tuæ, præsentium tenore concedo & mando, quatenus de Fratribus tibi commissis disponere valeas & debeas, quantum ego personaliter possum, sicut tuæ prudentiæ videbitur expedire, ac etiam eosdem mittere valeas, & licentiare ad quascumque provincias, quoties tibi videbitur expedire. Cæterum speciali mea auctoritate valeas novitios ad Ordinem recipere, vel per tuos Guardianos recipi facere, prout opportuna tibi occurret necessitas. Vale in Domino, & ora pro me. Datum Perusii* XII. *Februarii, anno Domini* MCCCLXXXIV.

Frater Guillelmus Minister Provinciæ sancti Francisci.

Ferdinandus miseratione divina Patriarcha Hierosolymitanus, Episcopatus Spoleti in spiritualibus, & temporalibus Administrator Generalis, auctoritate Sedis Apostolicæ deputatus, necnon in provincia Spoletani Ducatus pro Domino nostro Papa, sanctaque Romana Ecclesia in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis: dilecto in Christo venerando, ac religioso fratri Guillelmo de Aste Ministro provinciæ sancti Francisci, ac sacræ Theologiæ Magistro salutem, & sinceræ devotionis affectum.

IV. *Tenore præsentium tibi fratri Guillelmo prælibato, auctoritate, qua fungimur, licentiam concedimus, ut religiosos & pauperculos Fratres, & maxime Fratres, fratri Paulutio de Fulgineo commissos, ubi-*

cumque volueris, valeas collocare, usque ad nostrum beneplacitum. Committentes tibi in præmissis dumtaxat totaliter vices nostras. Has autem nostras litteras fieri fecimus & nostri sigilli impressione muniri. Scriptum Eugubii in Palatio Episcopali nostræ solitæ residentiæ, die IV. *Martii* VII. *Indictione, anno* MCCCLXXXIV.

In Christo sibi carissimo fratri Paulutio Vagnotii de Fulgineo frater Guillelmus Minister provinciæ sancti Francisci salutem, & pacem in Domino sempiternam.

V. *Cupiens sincero cordis affectu tuis devotis & salubribus petitionibus paternaliter satisfacere, & omnimode condescendere, idcirco juxta tenorem supradictæ concessionis & gratiæ, auctoritate Domini Patriarchæ Hierosolymitani Vicarii &c. ut supra; in hac parte mihi gratiose collata, dilectioni tuæ, præsentium tenore concedo, quatenus pauperculos, & devotos Fratres commissos tibi, ubicumque decreveris, & quandocumque tibi videbitur expedire, in quacumque civitate, vel castro, libere valeas collocare, & in eisdem locis ædificare noviter possis, & loca construere, ut tuæ prudentiæ videbitur melius expedire. Vale in Domino Jesu Christo, & ora pro me. Datum Perusii* I. *die Aprilis, anno Domini* MCCCLXXXIV.

VI. Duos germanos Fratres Conventus Parisiensis sub hoc tempus ad infulas Pontificias fuisse assumptos, fratrem Guillelmum, uti alias diximus, ad Archiepiscopatum Cambaliensem in Tartaria (ad quem a prima erectione mittebantur semper Minoritæ) & Adamum ad Episcopatum Eugubinum mihi constat ex diplomate Clementis, quo huic posteriori concedit usum cubiculi a Guillelmo fratre in Cœnobio Parisiensi constructi: *Sinceræ devotionis*, XI. Kal. Augusti. Archiepiscopus ante hunc annum excessit e vita; Adamus Parisiis commorabatur, fortassis quia dominante in Italia Urbano, non licebat Eugubium venire, alio probabiliter Episcopo legitime dato ab Urbano. Alter occurrit hoc anno Episcopus Lucensis in Etruria, frater Joannes de Ficecchio, ex familia Salutiorum, uti narrat Cæsar Franciottus de rebus Lucensibus; obiit anno MCCCXCIII. & alter Grossetanus item in Etruria, frater Jacobus Sozzinus Senensis, ex nobili gente Ptholomæa, quem a Gregorio VI. commendatum diximus fuisse Inquisitorem in Tuscia. Obiit Senis circa annum MCCCLXXXVIII. sepultus apud suos Consodales. Sepulcralis lapidis cœnotaphium tritum est pedibus transeuntium. „ Lunensis, „ & Sarzanensis in Etruria in confinibus Liguriæ creatus est frater Franci- „ scus de Pisis Laudensis, qui anno MCCCXC. ad Brixiensem Ecclesiam, „ paulo post ad Cremonensem, postremo ad Bergomatem translatus est.

Tom. 8. an. 1370. n. 1.

Fr. Adamus Episcop. Eugubin.

Fr. Joannes Lucen.

Fr. Jacob. Grosfetan.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Franciscus Episc. Lunen. Brixien. Cremonen. & Bergomen.

VII. Decessit hoc anno in Conventu Stanfordiensi provinciæ Anglicanæ frater Guillelmus Folvillus, patria Lincolniensis, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, vir religiosæ vitæ & multiplicis eruditionis titulis insignis. Restitit Academicis Cantabrigiensibus ægre ferentibus, in religionibus passim admitti adolescentulos ferme pueros, & legem ferentibus, ne deinceps reciperentur ante annum decimum octavum. Quamvis in eos ille docte scripserit, & sint qui probent, præcoquam hanc adolescentulorum receptionem; quia probe dicunt melius esse innocentem amplexari, antequam vitiis seculi corrumpatur, quam expectare, ut juvenili concupiscentia candida mens denigretur, & deturpatus a seculo rapiatur tamquam *torris ab incendio*, satiusque esse *jugum Domini portare ab adolescentia*, & mala necis-

Moritur Fr. Guillelmus Folvillus.

An expediat juvenculos in religionibus admittere.

Vide Ghisler. in cap. 3.

Thren. 3. 27. & quæ diximus Tom. 1. an. 1219. n. 20.

Amos 4. 11.

ſciſſe quam poſt agnita fugiſſe; Attamen religionibus id parum expedire, longa jam experientia comprobatum eſſe alii contendunt; nam molliuſcula membra religioſæ vitæ duritiem perhorreſcunt, & molliter enutriti pueri, dum poſt annos aliquot ad pœnitentiam, vel vitæ aſperitatem excitantur, graviter ferunt iſta inchoare; & annorum numerum quibus in religione vixerunt, objiciunt, ne tamquam tirones ad incipientium cogantur exercitia. Adde aliud malum, facile pœnitere in provectiori ætate vitæ in teneriori ſuſceptæ, & ſæpiſſime eos pueritiæ cauſari ignorantiam, vel ut penitus a ſuſcepto Inſtituto reſiliant, vel ut in eo ſecundum laxas, quas ſibi formant conſcientias, vivant, dicentes non obligare ad reatum, quod ex inſcitia proceſſit.

Nobiles reliquiæ apud Minor. Colonien.

VIII. Hoc anno, uti in Annalibus Archiepiſcoporum Colonienſium ſcribit Petrus Cratepolius, Minores unum ex pueris Innocentibus pro Christo, ſub Herode occiſis, Venetias ex Sicilia translatum, Coloniam ad ſuos Conſodales tranſmiſerunt. Archiepiſcopus Fridericus Satwordenſis eas reliquias, quæ magna ſane reverentia conſervantur, & a fidelibus coluntur, ſua auctoritate tamquam veras ac legitimas confirmavit, ac privilegiis & indulgentiis, qui eas viſitaverint, ac venerati fuerint, proſecutus eſt; additque, eoſdem Fratres Colonienſes habere ſcapilium ſanctæ Annæ, beatæ Virginis Mariæ Genitricis, idque magna populi devotione frequentari. Alias multas poſſidere eoſdem Cœnobitas reliquias, alias commemoravimus. Demum ſubjungit Cratepolius, circa annum Domini MCCCLXXIV. viguiſſe ibidem Patrem Conradum Coloniæ provinciæ Miniſtrum, reliquiarum ſanctarum collectorem ſtudioſiſſimum, eoque Roma aſportaſſe partem capitis divæ Barbaræ Virginis & Martyris: *Cujus corpus*, inquit, *Placentiæ conſervatur in Monaſterio, quod ſoror Caroli magni fundavit*.

Tom. 6. an. 1318. n. 37.

Vid. Garibay. lib. 13. c. 7. an. 1254.

IX. Adamaverat Alphonſus X. alias XI. Caſtellæ Rex, nobilem virginem majorem Guilleniam Guzmaniam, ſuſcepitque ex ea, vago thoro filiam Beatricem, poſtea Portugalliæ reginam. Ut illa pro reatu ſatisfaceret, ultra alia pia opera, regiis opibus adjuta conſtruxit, incerto tamen anno, Clariſſarum Monaſterium in loco deſerto, a ſancto Michaele de Monte nuncupato. Patebat in ſolitudine latronum excurſionibus, iniquorumque inſolentiis. Quare hoc anno, ait Gonzaga, nobilis vir Sanctius Fernandez, Henrici II. Caſtellæ Regis Quæſtor, qui poſtea Hieronymianis nomen dedit, aliud ad oppidum Alcozerii, Conchen. diœceſis extruxit; eoque tranſtulit ex decreto Patrum Capituli generalis Tholoſæ habiti, annuente Henrico Rege, Moniales. Sed errorem in numerorum notas irrepſiſſe omnino oportet; neque enim hoc anno regnabat Henricus, quippe anno MCCCLXXIX. defunctus, neque hoc tempore, ſed anno MCCCLXXIII. celebrata ſunt Comitia Tholoſana. Unde corrigendæ ſunt notæ, & ſubſtituendæ MCCCLXXIV. idque amplius perſuadet, quod ipſe Gonzaga ſcribit, dum agit de Cœnobio Minorum Alcozerano; aſſerit enim religioſos ad annum MCCCLXXIII. humile ſibi poſuiſſe in deſerto ſancti Michaelis de Monte, unde hæ Moniales receſſerant, domicilium; ſed non tam ſibi novum ædificaſſe, quam Clariſſarum Monaſterium ſuis uſibus adaptaſſe cenſeo; iiſque recedentibus anno MCCCLXXIV. ſucceſſiſſe Minoritas, uti me indicaturum alias præmonui. Monaſterium hoc rexerunt Patres Conventuales uſque ad annum MCCCCXCVIII. quo, jubente Alexandro VI. tranſivit in poteſtatem Obſervantum. Servant diligenter Sorores quædam diplomata Urbani IV. Pontificis, & Alphonſi X. Regis, ſub quibus primum ædificatum eſt Monaſterium; & Henrici II. ſub quo cœpit ſecundum.

Monaſt. Alcozer.

Gonza. in Prov. Carthag. Mon. 1.

Indid. Conv. 4.

Tom. 8. an. 1373. n. 30.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

I. PRudenti ſub regimine fratris Paulutii Vagnotii Fulginatis Regularis Obſervantiæ Inſtitutum, quando ſchiſmatis Eccleſiæ tempeſtuoſum tempus fidelium dubias mentes ubique divexabat, incrementa non parva ſumebat, ut in Annalibus legimus. Hærebat autem Neapoli Urbanus; unde Fratribus ſacta poteſtate recipiendi Eccleſiam ſanctæ Catarinæ IX. Kalendas Aprilis: *Sacræ veſtræ &c.* Moniales Januæ extra propria clauſtra minus religioſe vagantes, expedito diplomate: *Ad noſtram &c.* Idibus Aprilis, cohibuit; & IV. Junii fundationem Conventus Claſtigii oppidi, diœceſis Placentinæ, in Provincia Mediolanenſi, Viro pio, & diviti plurimum Alberto a ſancto Blaſio conceſſit: *Sacræ Religionis &c.* cujus quidem Conventus ex Gonzaga meminit Waddingus, referens, fratris Stephani Girardi præcibus Albertum præfatum ex ruinis cujuſdam Eremitorii ad primum lapidem ab oppido Claſtigio Conventum, & Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorum Fratribus Minoritis extruxiſſe. Sed Clemens Avenione conceſſo fratri Antonio poſſe communicare Indulgentias: *Religionis zelus &c.* XVII. Kalendas Martii, fratrem Petrum Sagudem ad Magiſterium dimiſit: *Viri ſacræ lectionis &c.* Idibus Junii; ac III. Nonas Auguſti ad eundem gradum fratrem Joannem Gomezium: *Sicut debetur &c.* conceſſa poſtea ſacultate Carolo VI. Regi Franciæ extrahendi 10. Moniales: *Eximiæ devotionis &c.* II. Nonas Auguſti; fratri Jacobo Fayſengui quamdam executorialem commiſit: *Creditæ nobis &c.* VII. Kalendas Auguſti; fratri Stephano de Teguta quoddam beneficium contulit: *Grata tuæ &c.* IV. Kalendas Octobris, & fratri Garziæ de Caſtro novo abſolutionem impendit: *Religionis voto &c.*

Litteræ Urbani Pontificis. — *Indicul. ex copia.* — *Ex relat. Prov. Januen.* — *Litteræ Clementis Pontificis.* — *Wadd. ad ann. 1386.*

II. Andreas Bonfanti in ſua Tabula Sanctorum Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci commemorat Mariam Pontiam Virginem humilitate, oratione, contemplatione, vitæ auſteritate, & ſanctimonia celebrem hoc anno in Hiſpania feliciter ad ſponſum migraſſe. Sed in Eccleſia noſtri Conventus Guingampenſis Sereniſſimi æque ac piiſſimi Carolus Bleſenſis, & Joanna ejus conjux Principes clariſſimi, quos etiam Gonzaga commemorat, cum hoc pariter anno obdormiſſent in Chriſto, tumulati fuere.

Pontia Virgo Tertii Ordinis floret.

III. Poſt obitum fratris Petri Grecienſis Miniſtri Provinciæ Boemiæ, Olomucii capitulariter congregati Patres, in ejus locum elegerunt fratrem Petrum Polonum, qui tunc erat Guardianus Cracoviæ, quo tempore frater Jaroslaus de Beneſſou contra electum, Provinciæ ipſi præeſſe cupiens, ſcandaloſi ſchiſmatis cauſa fuit, quod aliquantum variis viciſſitudinibus, & ſtimulationum technis opertum perſeveravit.

Infra ad annum 1393. n. 1.

ARGUMENTUM.

Celebratis Comitiis Generalibus, electus est Minister Generalis frater Martinus San-Georgius. Alium coegit conventum frater Angelus Anti-Minister. Occurrit memoria aliquorum Episcoporum. Minister Generalis favet Regulari Observantiæ. Nascitur beatus Joannes Capistranus. Multiplicantur domicilia.

Capitulum Generale 63. Paduæ

I. HOc anno, non proxime elapso, uti habet Rodulphus, habita sunt Comitia Generalia in urbe Patavina, in quibus suffectus est Petro Cassanensi, nuper defuncto, frater Martinus San-Georgius a Riparolo, * Provinciæ Januensis, Custodiæ Pedemontanæ, sacræ Theologiæ Magister. Inter alia, ita constitutum, ne ullus Fratrum litteras Apostolicas impetret pro Magisterii, aliisve Academicis gradibus obtinendis; neque alio quovis modo ad hos aspiret, absque Superiorum licentia, ante sex annorum cursus seu studii curriculum. Quod si aliter quis faxit, privetur omnibus facultatibus, pro Magistro non reputetur; nec Minister Generalis in his absque Capituli Generalis consensu dispenset; salva tamen semper summi Pontificis reverentia, præsertim cum aliquem ob specialia merita ad hujusmodi gradus promoverit.

* al. *Ripolo*.

Frater Martinus San-Georgius Minister Generalis.

Aliud Capitulū ab Anti-Ministro celebratum.

Ann. 1379. *n.* 3.

II. Eodem tempore, æmulatoria contentione celebrata sunt alia Comitia a Clementis sectatoribus, in urbe Gebennensi, ad lacum Lemanum in provincia Viennensi, præside fratre Angelo Ministro, seu Anti-Ministro Generali, de quo superius locuti sumus. Ita mihi constat ex diplomate, quo Clemens confirmatum voluit, quod Patres statuerunt circa controversiam, quæ versabatur inter Cœnobia Secusiæ, Taurinen. & Cameræ Maurianen. diœcesium: *Iis, quæ pro pace*. Idibus Junii. Illud se offert difficultatis in hoc diplomate, quod inter Judices hujus controversiæ referantur frater Nicolaus de Betonia, Minister Provinciæ sancti Francisci, & Leopardus Minister Alemanniæ Superioris, cum hæ duæ Regiones, Umbria videlicet, & Germania non Clementi, sed Urbano adhærerent, nec unius factionis viri ad opposita comitia solerent concurrere. Dissolvendum tamen hac ratione dubium istud reputo, ut sicut uterque Urbanus, & Clemens auctoritatem in universum vendicabat orbem Christianum, & non solum Ecclesiis illarum Regionum, quæ sibi obtemperabant, providebant Episcopos, verum etiam iis, quæ suum detrectabant Imperium, saltem nomine tenus, præficiebant Rectores; ita similiter suum exercere conabantur dominium in sodalitates Regularium, & accedentes ad se ex adversariis Castris Religiosos, vel veris honoribus, vel fictis his nuncupationibus Præfecturarum, quas tamen exercere non poterant, passim afficiebant.

Fr. Jacob. Administrator Ecclesiæ Tholonen.

III. Fratrem Jacobum Fayssenqui, sacræ Theologiæ Magistrum, administratorem in spiritualibus, & temporalibus Ecclesiæ Tholonen. in ipsa Civitate, & loco de Areis instituit Clemens, quia Joannes Episcopus officii sui debitum, propter adversarios quosdam exercere non poterat: *Credito nobis*. VII. Kalendas Augusti, & fratri Petro Segudes Ministro Provinciæ sancti Jacobi, sacræ Theologiæ Magistro conferendi Magisterium aliquibus ex multis, qui in ea Provincia litteris florebant, fecit potestatem. Fuisse vero hoc anno Episcopum Oscensem in Aragonia fratrem Franciscum Basterium Minoritam, scribit Martinus Carillo, & eumdem Roma asportasse multas Sanctorum reliquias, & in Æde sanctæ Mariæ Lauretanæ,

Franciscus Episc. Oscen.
Carillo in catal. Episc. Oscen.

næ, ſub altari ſanctorum Orentii, & Pacientiæ decenter collocaſſe.

IV. Martinus Miniſter Generalis ſtatim a ſua inſtitutione fratrem Paulutium Fulginatem, commmiſſamque ſibi familiam favoribus multis proſecutus eſt, & auctoritatem conceſſit, quibus potuit Urbibus, & oppidis nova domicilia extruendi, aut extructa admittendi. Aliqua, quæ offerebantur, erant intra limites ſchiſmaticorum, qui Clementi parebant, nam & aliquot Reguli Italiæ, peculiareſque ditiones inviſum habebant Urbanum. Obtinuit proinde a Pileo Comite Pratenſi tituli ſanctæ Praxedis Cardinale, Apoſtolicæ Sedis Legato, facultatem domos iſtas recipiendi, cum ſchiſmaticis in rebus neceſſariis communicandi, & alia perpetrandi, quæ ipſum explicabit diploma, adjunxitque Indulgentias aliquot recitantibus plures preces, quæ ultra divinum officium quotidie pii illi viri repetebant. Favent Miniſter Generalis, & Legatus Apoſtolicus regul. Obſervantiæ.

PILEUS, miſeratione divina tituli ſanctæ Praxedis, Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus. Dilecto nobis in Chriſto Religioſo fratri Paulutio de Fulgineo, Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem.

V. R*Eligionis zelus, ac devotionis tuæ ſinceritas promerentur, at illa tibi præſertim, per quæ tuæ & Fratrum dicti tui Ordinis, & aliorum ſaluti animarum providetur, concedamus, & quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis pro parte tua petitio continebat, quod religioſus frater Martinus Generalis Miniſter Ordinis Fratrum Minorum, te cum ejuſdem Ordinis Fratribus per eumdem Miniſtrum curæ tuæ commiſſis, & etiam committendis ad certa loca, etiamſi eremitica eſſent, & de novo recipienda, dummodo alias canonice tibi concederentur, pro majoris devotionis zelo, ac obſervantia Regulæ Ordinis tui prædicti, conceſſerat licentiam transferendi, inibi Altiſſimo, ſub habitu & Regula dicti tui Ordinis famulando victuri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædicta loca, ut aſſeris, tibi commiſſa, ſint in territoriis ſchiſmaticorum, & Antipapæ adhærentium, pro majori parte ſituata, & quod te, & Fratres tuos prædictos, & alios curæ tuæ ſubditos & ſubjiciendos, ut præfertur, cum eiſdem aliquoties, ſpecialiter propter victum quotidianum mendicatim, juxta præfati Ordinis tui Regulam, & alias cauſas rationabiles, & neceſſarias quærendam, participare, ſeu communicare contigerit; non tamen in contemptum clavium, aut Eccleſiaſticæ libertatis detrimentum, & continget forſitan in futurum, propter quod excommunicationis ſententias incurriſſe, & incurrere times, & ipſi timent. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi, & Fratribus, ac ſubditis aliis tuis prædictis, & ad ſervitia tua, & Fratrum tuorum in dictis locis reſidentibus, & reſidendis, ut prædicitur, ſuper hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur hujuſmodi devotis tuis ſupplicationibus inclinati, devotioni tuæ, ſi ita eſt, ut prædicitur, quatuor Fratres dumtaxat ex Fratribus prædictis, ut aſſeris, tibi commiſſis, & etiam committendis, ad audiendum confeſſiones Fratrum aliorum in prædictis locis ſub habitu regulari tui Ordinis degentium, & degendorum, necnon aliarum Eccleſiaſticarum, & laicarum perſonarum, ad ſervitia tua, & Fratrum tuorum præfatorum in dictis locis reſidentium, præſentium, & futurorum, necnon ad abſolvendum perſonas prædictas, & alias quaſcumque in tenimentis ſchiſmaticorum, & Antipapæ adhærentium cura, quæ, & ubi dicta loca tibi commiſſa, ſeu committenda ſunt, aut fuerint collocata, habitantes, Eccleſiaſticas & ſecula-*res,

res, quæ tamen Dominum nostram, Dominum Urbanum Papam VI. verum, & summum Pontificem recognoverunt, & recognoscunt, ab omnibus excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententiis etiam majoribus, in forma tamen Ecclesiæ consueta, injungendumque eisdem pro modo culpæ pænitentiam salutarem, ac ad dispensandum cum personis clericis prædictis super Irregularitatibus, si quam, vel quas ipsi, aut qualibet earum prædictarum propter participationem, & communicationem schismaticorum, & adhærentium Antipapæ prædictorum incurrerant, seu incurrerent, per te deputandi, deputatosque taliter removendi, & loco remoti, vel remotorum, alium, vel alios ejusdem Ordinis Fratrem, vel Fratres quoties, & prout tibi videbitur, usque ad numerum quaternum dumtaxat prædictum per te etiam subrogandi. Tibique confessorem, qui te absolvat, tecumque dispenset in præmissis quantum, & quando, ac quoties indigueris, & ea devote sibi confiteberis, eligendi idoneum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus facultatem. Volumus autem, quod si ex confidentia concessionis nostræ hujusmodi aliqua tu, vel Fratres tui, aut personæ aliæ prædictæ committeretis, quoad illa, prædicta nostra concessio vobis nullatenus suffragetur. Præsentibus post triennium minime valituris. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum in Corneto, Viterbien. diœcesis, VIII. Idus Octobris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VI. prædicti anno VII.

PILEUS, miseratione divina tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus: Dilecto nobis in Christo Religioso fratri Paulutio de Fulgineo Ordinis Fratrum Minorum, salutem in Domino.

VI. *AD ea, quæ tui, & aliorum animarum salutem, cultusque divini augmentum respiciunt, libenter intendimus, & quantum cum Deo possumus, favoris gratiam impertimur. Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi, & Fratribus singulis in sacris constitutis, & aliis Ordinem tuum prædictum tacite, vel expresse Professis, ac Novitiis clericis infra probationis tempus existentibus, & tuæ curæ per Generalem Ministrum prædicti Ordinis tui in certis locis tibi commissis & committendis, præsentibus & futuris, post Matutinum ordinarium conventualiter in Choro Ecclesiarum, seu Monasteriorum locorum prædictorum congregatis, pænitentiales Psalmos cum Litaniis, & vigiliam Mortuorum cum Psalmis tribus, & lectionibus, ac Litanias post Completorium in sero devote legentibus, seu cantantibus, diebus singulis, quibus per te, vel ipsos officia illa legere, seu cantare contigerit, ut præfertur, dummodo ea alias secundum morem Romanæ Ecclesiæ, aut Regulam tui Ordinis, vel institutionis aliam qualemcumque, dicere, aut cantare diebus illis non teneamini, qualibet vice quadraginta, ullisque personis prædicto Ordini oblatis, & ejusdem tui Ordinis conversis, ac tibi, & prædictis tuis Fratribus Clericis, & laicis famulantibus prædictis officiis, dum, ut præmittitur, peraguntur, intereссentibus, & vigintiquinque vicibus ex tunc orationem Dominicam cum salutatione Angelica scilicet, Ave Maria, devote dicentibus, vice qualibet ipsorum singulis viginti dies Indulgentiarum de injunctis eis pænitentiis, omnibus tamen, & singulis supradictis*

ctis tam Clericis, quam laicis vere pœnitentibus & confessis, auctoritate Apostolica, harum serie relaxamus. Præsentibus post triennium minime valituris. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum in Corneto, Viterbien. diœcesis VIII. *Idus Octobris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Urbani, divina providentia Papæ VI. anno* VII.

VII. Tenellæ huic familiæ firmissimum columen, egregium Rectorem, & Ducem hoc anno Dominus præparavit, nato Joanne Capistranensi, qui, Bernardino Senense præceptore & coadjutore, ultra omnes succrescentem propagavit, propagatam magnificavit, felicibus honoris, & virtutum incrementis magnificam ab adversariorum machinis, obducto firmissimo Pontificiæ auctoritatis vallo, egregie defendit. Multa nos expectat hujus præclarissimi Viri laudandi materia a doctrina, a sanctitate, a regimine, a multiplici in sanctam Ecclesiam obsequio mutuata. Scripserunt ejus vitam latino sermone, nondum typis commissam, quam ego præ manibus habeo, frater Hieronymus Utinensis, Christophorus Varisiensis, & Nicolaus de Fara discipuli. Italico quidam Anonymus, prælo editam Comaculæ an. MCCCCLXXVIII. videlicet viginti duobus a sancti Viri obitu. Ex his præcipua delibarunt Marianus Florentinus, Marcus Ulyssiponensis, Petrus Rodulphus, & demum ex omnibus Henricus Sedulius. Magnificarunt etiam insignem Virum, optimi illius ætatis Historici, Æneas Sylvius, Flavius Blondus, Cardinalis Cusanus, Trithemius, & alii. Nos nihil, quod ad Viri sancti nomen faciat, prætermittemus, ex ipsius etiam schedis, & scripturis, quæ in nostram devenerunt potestatem, tempora metientes, & dubia quæque dissolventes. Nunc dabimus vitæ primordia, & in seculo gesta, donec Minoribus nomen dedit, præmissa præfatione ex discipulo Nicolao Farensi, sex annorum socio perpetuo.

Nascitur B. Joannes Capistranen.

Quinam ejus vitam scripserunt?

VIII. *Laborantem*, inquit, *in hoc peregrinationis seculo Dei Civitatem, & ferme collabentem, quamvis plerique magni, & excellentes Christi præcones summo studio, summaque cura veluti columnæ fulcierint, solidissimisque corroboraverint fundamentis, Joannes tamen Capistranensis, inter hos divinos consules non infimus extare videtur, per quem misericors, & miserator Dominus, qui facit mirabilia magna solus, quique veluti cælum syderibus, Ecclesiam suam sanctissimis ornat viris, antiquæ misericordiæ suæ, qua visitavit nos oriens ex alto, recordatus, novissime tam munifico, tamque præclara benedictionis, & gratiæ munere suam plebem in peccatorum tenebris sedentem illustrare, insignire, ac locupletare dignatus est, ut in hoc uno clarissimo Christi præcone hæc nostra florentissima ætas queat in omni genere laudis & gloriæ cum vetustate contendere. Fuit enim Joannes natura, virtute, doctrina, sanctimonia ita excellens & præclarus, ut amplissimum a Deo donum se adeptum judicaret, qui suis oculis talem, ac tantum virum potuerit intueri, in quo prisca illorum nostrorum Majorum, qui vere beati appellati sunt, recta sanctaque bene, ac beate vivendi ratio eluxit. Hic ille est, qui divinis, humanisque imbutus doctrinis, non sermone solum, verum & vitæ exemplo subjectos instituit, atque composuit; qui se omnibus totius veritatis exemplar, formulamque proposuit, ex vivendi norma doctrinæ testimonium adhibens, quique veluti stella matutina in medio nebulæ, primum Italis illuxit, demum Germanis, mox Boemis, Polonis, & Hungaris sicut Sol resplenduit,*

duit, instituens Christianos Populos ad Regna Dei sermone assiduo, invictoque labore languores sanans, pellensque dæmonia, virtute magna indutus, ex alto. Inclyta cæli proles, immensum Italiæ decus, clarissimum nostri seculi sydus, Hungarorum felix robur, & gaudium, gloria magna Ordinis Minorum, Turcarum terror, invictus pugil, & murus Christianorum.

Marian. lib. 5. c. 4.
Sedul. in not. ad c. 1.
Patria, & Parentes.
Indoles.

IX. Natus est VII. Kalendas Julias hujus anni, non sequentis, uti habet Marianus, neque circa annum MCCCXCIII., uti se evicisse putat Sedulius. Obiit enim omnium calculo, anno MCCCCLVI. ætatis LXXI. mense IV. uti illo loco probabo, quo fit, ut subductis, concordatisque numeris, in hunc annum ejus incidat nativitas. Patriam habuit Capistranum, Aprutinum oppidum ignobile, hoc fœtu celebre, non longe ab Aquila Marsorum urbe, sancti Bernardini corpore insigni; Patrem, nobilem heroem Germanum, qui Ludovici Andegavensis stipendio in Italiam venit, pugnaturus contra Carolum Dyrachium Siciliæ Regem; Matrem, Capistranensem honestæ, mediocrisque familiæ, quibus incomparabiliter plus nominis, & dignitatis attulit, quam sumpsit. In tenella ætate, Patre amisso, Matrem assidue hortabatur, ne spreta viduali continentia, ad secundas nuptias transiret. Sub genitricis tutela cœpit dare operam illis artibus, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet, & brevi, ob ingenii acumen felicemque memoriam, optimis moribus imbutus, usque adeo liberalibus profecit disciplinis, ut omnibus firmum appareret argumentum magnæ futuræ segetis ætatis adultæ. Expurgata tyrocinii rubigine, Perusiam missus, Juris utriusque peritiam ab decennium tantam acquisivit, ut omnes superarit coætaneos, adeoque maturo pollebat judicio, ut non solum condiscipuli, sed & Doctores ab eo consilium petere non erubescerent.

Virtutes.

X. Domum reversus tantum accepturus pecuniæ, quantum sufficere posset ad assequenda Doctoratus insignia, cum undique bellorum strepitus inter Pontificios, & sui Regni Principes, inter Siculos, & Hungaros audirentur, desponsata sibi venusta & nobili puella, paternorum bonorum hærede, cœpit adhærere Ladislao Siciliæ Regi, cui non semel simultates cum Bonifacio IX. etiam Siculo, intercessere. Summam apud Regem cum iniret gratiam, multis muneribus cohonestatus, Castrorum præfectura, & Urbium donatus est regimine. Tanta vero sapientia hæc munera peragebat, tanta judicii maturitate omnia disponebat, tanta justitiæ severitate malos puniebat, & præmiorum munificentia bonos alliciebat, ut longe lateque ejus fama divulgaretur, & quotidie melius apud Regem audiret. Etsi honoris avidus, & Regi complacere summopere studeret, nihil tamen vile, nihil indignum, quod in Dei, aut proximi offensam cedere posset, sciens, & lubens in regimine perpetravit. Justitiam summa integritate ministravit, nec muneribus flecti, aut precibus vinci potuit, ut ad dexteram, aut sinistram declinaret. Obtulit ei quidam vir potens magnum auri pondus, si capitalem ferret sententiam in quemdam suum inimicum, sub Joannis jurisdictione vinctum, & in ejus subselliis judicandum, quod si aliter faceret, minas mortis adjecit. At ille intrepidus solam justitiam & veritatem præ oculis habens, non solum in hominem sententiam mortis non tulit, verum comperta veritate, insontem declaravit. In civitatibus & oppidis, quæ regebat, tanta pax & securitas vigebat, ut unusquisque sub ficu sua & vite sua sederet; & bonis suis tranquille frueretur. Non erat latro, nec prædo, nec malus occursus, fugientibus facinorosis a facie inimici & persequentis. Erga pauperes, & tribulatos summa inerat commiseratio, & quorum calamitatibus subvenire non poterat, dulcissima adhibebat verbo-

rum

rum lenimenta. Aliis etiam virtutibus Dominus insignem hunc decoravit adolescentem, quibus animum ejus ad majora in sua Ecclesia subeunda munera præparabat, & Religioni adaptabat Minorum. Circa annum ætatis trigesimum huic sodalitio nomen dedit, veluti invitus efficacissima, & potentissima vocatione a Deo illectus & attractus, quam suo tempore opportunius referemus. *An. 1414.*

XI. Circa hunc annum ad Olettam oppidum Insulæ Corsicanæ construebatur Minoritis humile Domicilium, loco haud ita congruo; sed, divina ita disponente providentia, quidquid ædificii per diem consurgebat, nocte sequenti corruebat, & quidquid cæmenti, laterum, & lapidum, sive alterius materiei illic asportabatur, sequenti luce ad præsentem locum M. P. ab oppido distantem translatum videbatur. Quapropter divinæ voluntati morem gerentes structores, sententiam mutare, & Cœnobium in eo loco, quo nunc est, ædificare constituerunt. Summi altaris imaginem an. MCCCXCII. illic positam fuisse constat, non tamen quo certo tempore domus ipsa fuerit inchoata. Conv. Olettæ. *Gonz. in Provin. Corsica Con. 12.*

XII. Hoc anno in Hispania, extra muros Almasani oppidi, diœcesis Seguntinæ, ditionis Comitum Montis-acuti, ad ripam Durii amnis, constructum est Minoribus Cœnobium. Ad Observantes translatum est an. MCCCCLXVIII. & ex integro reædificatum anno MDVIII. ab inclyto hæroe Petro a Mendoza præfati oppidi Comite, qui sibi suisque Sacellum, & cœmeterium sub altari majori posuit, in eoque sepeliri voluit sub veste Franciscana. Translatum est illuc liberalium Artium studium, postquam Sorianum Cœnobium magno flagravit incendio. „ Postquam hæc scripseram, observavi apud Hie-„ ronymum Zuritam narrari, ante decennium anno scilicet MCCCLXXV. „ inita fœdera pacis inter Henricum Castellæ, & Petrum Aragoniæ Reges, „ in Conventu Fratrum Minorum extra muros Almasani. Antiquior ergo „ est hic locus, quam velit Gonzaga, neque hucusque occurrit unde certo „ calculo ejus exspicari liceat originem. Conv. Almasani. *Idem in Provin. Concep. Con. 23. Monum. MSS. hujus Provin.* ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Zurita lib. 10. c. 19.*

XIII. Memoria Conventus Castri, diœcesis Terdonensis, cujus meminit Pisanus in Provincia Januensi, & Custodia Papiensi, hoc anno recurrit in diplomate quodam Clementis, quo committit Præposito Monasterii sanctæ Marthæ Januen. facultatem, ut cum fratre Joanne Grassi, qui in prædicta domo ante quatuordecim annos habitum suscepit regularem, dispenset in quibusdam transgressionibus. An eadem sit hæc domus cum illa, quam, sub titulo sanctæ Mariæ de Pace Castri novi, ait Gonzaga, in Provincia Januensi incerto tempore constructam, a Patribus Amadeis ad Observantes transiisse, prorsus nescierim. Hic obiit & sepultus est frater Martinus Minister Generalis, uti mox dicemus, & in alio diplomate, quod superius insinuavi de Capitulo Generali Gebennensi, refertur quædam controversia inter Conventum Secusiæ, alias Susæ, Taurinensis diœcesis (de quo aliud non invenio vestigium, nisi quod recenseatur a Pisano & Rodulpho in eadem Provincia Januensi, sub Custodia Pedemontana) & inter Conventum Cameræ, Maurianensis diœcesis, de quo alias locuti sumus, quæ clarius ex ipso patebit concordiæ instrumento. Conv. Castrinovi. *Gonz. Conv. 56.* *Ann. 1387. n. 1. Hoc anno n. 2.* Conv. Secusiæ. Conv. Cameræ. *Tom. 8. an. 1365. n. 10.*

XIV. Idem Clemens concessit Honorato Caetano Comiti Fundorum, ubi creatus est, sub ejusdem Comitis patrocinio Antipapa, ut unitis fructibus, & proventibus Ecclesiæ Archipresbyteralis beatæ Mariæ prædictæ urbis Ecclesiæ Cathedrali, in eodem Archipresbyterio fundaret Monasterium Monialium pauperum, sub habitu eodem, quem gestabant Sorores Monasterii sanctæ Crucis Neapolitani, Ordinis sanctæ Claræ: *Devotionis tuæ:* Monast. Fundorum.

Idi-

Idibus Junii. Urbanus vero Pontifex facultatem fecit Guardiano, & Fratribus Hierosolymorum, ut in obsequium Xenodochii Hierosolymitani personas decem possent retinere: *Ad ea, quæ piorum locorum*, III. Idus Junii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Animo plurimum displicet turbulentissimi temporis historiarum reminisci; maxime cum publica dedecora, mortesque infames priscorum meorum religionis Fratrum edicere cogant. Sed cur tædebit eorum probra (si fuerint) ac infelicissimos casus, in exemplum & omnium cautelam, qui legunt, scribere? Transierunt ea; possibile nihilominus est, iis similia in hujus mundi ludicra scena repræsentari; unde merito cum sapientissimo Vate asseratur: *Nihil esse sub sole novum*. Neapoli non tam gentilis soli, quam nepotis Butilli amore detinebatur Urbanus, cui a Carolo Rege Dyrachio Capuam & Amalphim ex conventione inita expostulabat, ut supra innuimus: sed eo a proceribus Regni dissuaso, expetita negante, ut erat natura durus & capitosus, minas in Regem effutibat, quarum non inscius Rex urbanitate aulica adeo diligenter custodiebat Urbanum, quod illi e palatio liber non pateret egressus. Actum Regis novit ac dissimulavit Urbanus; ut specie mutandi cœlum ejusdem bona gratia Nuceriam Campaniæ, urbem inter Neapolim & Salernum sitam, tenere valeret, ut exquisita dissimulatione Carolo deluso, sibi licuit: quo deventus cum se in tuto putaret, contra Carolum juridice ut regni jure privaret attente procedere cœpit. Ejus amari animi conatus & fines innotuere Carolo, qui fingens se velle respondere querelis, urbem arcta obsidione cinxit; quod bilem acriter Pontifici movens, in Cardinales, quos hic secum habebat Nuceriæ, suspicatus conjuratos contra semetipsum, furorem vertit: eorum septem severis carceribus mancipavit, inter quos ex nostris duo, frater Bartholomæus de Cucurno, seu Cothurno Cardinalis, tituli sancti Laurentii in Damaso, & frater Ludovicus Donatus Venetus Cardinalis, tituli sancti Marci numerabantur. Horum captura fuit IV. nonas Januarii hujus anni MCCCLXXXV. quibus tormentis examinati fuerint enarrare quis unquam vellet? cum iis omnibus in compedibus Barium in Apulia, ductore mercenario Raymundo de Balzo Ursino, transfretavit; ubi ad anchoram quibusdam triremibus Januensium inventis, cum iis Januam perrexit, & per iter præfatorum quinque in saccis inclusos in mare demersit, reliquos vero duos, Bartholomæum scilicet & Ludovicum Donatum Januæ, infami, horrendo, & publico supplicio damnavit. Indulgentias nihilominus pro festo sanctæ Catarinæ publicavit: *Splendor paternæ &c.* XI. Kal. Augusti.

Cardinales septē mancipātur carceribus ab Urbano.

Quinque Cardinales in mare demergit.

Dogl. par. 4. fol. 410.

Duos publico supplicio damnat.

Indic. ex copia.

„ II. Clemens autem Avenione pro Ecclesia Clarissarum ejusdem urbis Indulgentias indixit: *Religionis vestræ &c.* IX. Kal. Martii; & expeditis litteris: *Licet iis &c.* XVI. Kal. Aprilis. Pro reparatione Monasterii Clarissarum Riterensium, fratri Raymundo Gilberto executorialem quamdam scripsit: *Sedis Apostolicæ &c.* XVII. Kal. Septembris; & aliis Monialibus de Montellis circa administrationem Sacramentorum: *Devotionis vestræ* XII. Kal. Octobris. At hæc inter Patavii habita sunt Comitia generalia, in quibus suffectus est Petro Cassanensi, nuper defuncto, frater Martinus San-Georgius a Riparolo, Provinciæ Januensis, Custodiæ Pedemontanæ sacræ Theologiæ Magister. Noto hic curiosis San-Georgii nomine oppidum insigne nuncupari a Riparolo, seu Riparolio tribus circi-

Litter. Pont. PP.

Capitulū Generale 61. Patavii.

Indic. ex vatic.

Martinus San-Georgii fit Minister Generalis.

„ citer milliaribus remotum, titulo Marchionali insigne; & esse pariter cognomen Familiæ Nobilissimæ atque antiquissimæ inter Salassos, seu Canapitios, quo loci Marchiones ejusdem familiæ denominantur, pro gentilitio stemmate in campo rubeo equitem cataphractum præferentes, coronamque marchionalem. Ex hac erat frater Martinus Minister Generalis; non existimo tamen dictum fuisse a Riparolio veluti a patria, sed a Conventu, quem ibi S. P. Franciscus ex Hispania redux fundaverat, ut alias diximus. Celebrata etiam sub Clemente alia Comitia in urbe Gebenna ad Lacum Lemanum a fratre Angelo Ministro, seu Anti-Ministro Generali referentur. Mortem vero obivit in Hungaria Ludovicus Rex, duabus filiabus superstitibus, duobus quoque regnis Hungariæ & Poloniæ relictis.

Ad annum 1314. Pseudo-Capitul. General. Gebennæ. Dogl. cit. fol. 411.

ARGUMENTUM.

Gens Lithuanica convertitur ad fidem, & primus in ea instituitur Episcopus frater Andreas Minorita. Alii alibi creantur Pontifices, & propagatur Institutum.

I. Hoc anno die Jovis XVI. Kalendas Martias, in festivitate sancti Valentini, Jagello Princeps, Olgerdi magni Ducis Lithuaniæ filius, Heduigim filiam Ludovici Hungariæ, & Poloniæ Regis illustrissimam, ac speciosissimam, in teneris annis a patre Willelmo Duci Austriæ in conjugem devotam, regni Poloniæ hæredem, uxorem accepit. Deinde juxta ea, quæ prius pepigerat, cum octo Fratribus germanis sacris Christianorum mysteriis initiatus, & in baptismate Wladislai nomine suscepto, vigilare & instare cœpit, ut gentem Lithuanicam ab errorum tenebris, & idololatria expurgaret. Præmisit aliquos Minoritas idiomatis Lithuanici gnaros, deinde ipse simul cum Regina, Bodzanta Archiepiscopo Gneznensi, & pluribus viris Ecclesiasticis, religiosis, Principibus, & Ducibus anno sequenti in Lithuaniam progressus, gentem, quæ tamquam supremum numen, ignem a sacerdnte perpetuo nutritum, aspides & serpentes domibus singulis, tamquam Deos penates colebat, Silvas & lucos sacrosanctos, atque habitacula Deorum putabat, ad baptismum & fidem Christianam reduxit, extincto prius sacro igne, quem in civitate Vilnensi fovebant; dirutis Templo & ara, in quibus hostiarum fiebat immolatio, Silvis etiam succisis, & serpentibus occisis. Articulos fidei, & orationem dominicam docebant sacerdotes Poloni, maxime tamen ipse Rex Wladislaus, qui insuper singulis ex popularium numero post susceptum baptisma vestes novas panni Poloni distribuebat, ut Natio illa rudis & pannosa peronibus magna ex parte, & lineis vestibus, pelliceisque assueta, facilius & libentius ad suscipiendum baptisma ex omni regione accurreret. Quoniam vero labor erat immensus unumquemque credentium baptizare singillatim, jubente Rege, multitudo sequestrabatur in turmas & cuneos, & universis benedicta aqua sufficienter conspersis, cuilibet turmæ & universis, qui in ea constiterant, nomen usitatum Petrus, secundæ Paulus, tertiæ Joannes, & sic de singulis Fœminis etiam per turmas divisis, Catarina, Margareta, aliaque ejusmodi nomina, juxta turmarum numerum imponebatur. Nobilioribus hic honos habitus, ut singuli sacro fonte tingerentur.

Monume. MSS. Prov. Polon. Miechov. de Sarmat. Europaa lib. 2. cap. 2. Idem in Chron. Polon. lib. 4. cap. 39. Cromer. lib. 15.

Gens Lithuanica convertitur ad fidem.

II. Fundavit deinde Wladislaus in Vilna Ecclesiam Cathedralem rediti-

tibus amplis, atque sacerdotiis locupletatam, ab Archiepiscopo Bodzanta Deo consecratam, sub titulo sancti Stanislai, Polonorum patroni, principalemque aram in loco, ubi ignis, qui falso perpetuus credebatur, constituit, ut error gentilis fieret cunctis patentior. Institutus est in ea primus Episcopus vir spectatæ virtutis, frater Andreas Vazilo natione Polonus, genere nobilis, gente Jastembicius, sive de domo Accipitrum, professione Ordinis Minorum, olim Elisabethæ Reginæ Hungariæ Confessarius, & Prædicator insignis, Episcopus * Cretensis. Septem præterea Parœciæ a Rege constitutæ, dotatæque sunt; quibus Regina plurimam supellectilem ad cultum divinum accommodatam, largita est. Remissa deinde Regina in Poloniam, Wladislaus totum animum propagandæ in Lithuania religioni Christianæ vacavit, plurimaque loca per se ipse obivit. Dobrogostium vero Posnaniensium Episcopum ad Urbanum Pontificem allegavit, eique se dicto audientem fore solemni Regum Christianorum more promisit. Institutus etiam hoc anno Episcopus Nuceriæ Paganorum frater Franciscus Minorita, uti monumenta illius Ecclesiæ testantur.

Primus hujus gentis Episcopus Fr. Andreas.

* Alias *Ceretensis*. Prius Episcopus Cerethen.

Frat. Franciscus Nucerin.

III. Hoc anno, uti superius diximus, translato fratre Guillelmo de Centuariis ab Ecclesia Placentina ad Ticinensem, successit sub mensem Octobrem frater Petrus Cretensis, sive Philargus, vir doctrina, pietate, & summo Pontificatu clarissimus. Umbertus Locatus in historia Placentina manifesto errore ejus assumptionem differt in anno MCCCXCIX. Etenim vetusta quædam Chronica MSS. urbis Placentiæ a me superius citata, referunt edicta aliquot, terrarumque investituras ab ejusdem Procuratore Joannolo Flandrono Mediolanensi, & litteras ab eodem Petro Episcopo Ticino, die VI. Novembris, anno MCCCLXXXVII. scriptas ad Canonicos Placentinos, ut suo Vicario Vincentio Comensi accommodare vellent libros aliquot eisdem legatos ab aliis Episcopis Placentinis, & anno MCCCLXXXVIII. transiturus ad Ecclesiam Vincentinam, die IV. Martii scripsit in hunc modum ad prædictos Canonicos Placentinos.

Ann. 1383. n. 3.

Fr. Guillelm. Ticinen.

Fr. Petrus Placentin.

Ann. 1381. n. 3.

Postea Vincentinam.

Venerabilibus viris Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Placentinæ, amicis carissimis, frater Petrus Episcopus Placentiæ & Comes.

IV. *Venerabiles amici. Quia per determinationem, & consilium prudentiorum doctorum, quos habet Papiense studium, constat nobis quod non obstante nova nostra translatione de Placentina ad Ecclesiam Vincentinam pro eo, quod adhuc possessionem ipsius Ecclesiæ Vincentinæ non cepimus, jurisdictionem habemus in prædicta Ecclesia Placentina omnimodam, sicuti proximo & per consequens nec ad Vicedominum, nec ad Capitulum prædictæ Ecclesiæ Placentinæ circa ipsam Ecclesiam, est ulla jurisdictio devoluta. Ideo &c. Datum Papiæ die IV. Martii.*

V. Duobus ergo annis hanc rexit Ecclesiam; ab hac translatus est ad Vincentinam, cui præfuisse scribunt Ciaconus, Rippamontius, & alii auctores; ab ista vero cito transivit ad Novariensem, uti anno MCCCXC. commodius referemus, & reliquas, quibus præfuit, enumerabimus Ecclesias. Cum de ejus Cardinalatu fuerit sermo, serio examinabimus patriam, & quæ de ejus gestis varii referunt Scriptores.

Conv. Clastigii.

VI. Hoc anno, vel circiter, vir pius & dives Albertus a sancto Blasio, precibus, & industria fratris Stephani de Girardis, obtenta prius facultate ab Urbano Pontifice, Conventum, & Ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum sa-

ſacram, Minoritis ex ruinis cujuſdam Eremitorii ædificavit ad primum lapidem ab Oppido Claſtigio. Spectabat prius ad Patres Conventuales Provinciæ Januenſis, nunc ad Obſervantes. Miror non inveniri apud Piſanum ejus memoriam, niſi fortaſſis, etſi hoc anno facultatem ædificandi conceſſerit Urbanus, tardius ſit ædificatum domicilium. Cheſtelianus etiam Conventus hoc anno erigitur ſumptibus illuſtriſſimi viri Stephani Vayvodæ, de quo aliud ſcire non potuimus. Eccleſiam Conventus Bregenſis in Polonia viſitantibus in diebus ſanctorum Franciſci, & Antonii conceditur hoc anno ab Urbano indulgentia; domicilium autem extructum reperimus in Monumentis Polonicis, anno MCCCXXXV. a Boleslao Bregæ Duce, cujus primum lapidem poſuit, die XIII. menſis Julii. Fundationem approbavit anno ſequenti, die XXIX. Julii, Nanterus Epiſcopus Vuratiſlavienſis auctoritate, inquit Miechovius in Annalibus Polonicis, Joannis XXII. non tamen eo anno potuit hanc exhibere auctoritatem; quippe tunc ſedebat Benedictus XII. & Joannes obiit, anno MCCCXXXIV. Fortaſſis eo anno, quo deceſſit vel paulo ante datum diploma, & nonniſi eo anno porrectum Epiſcopo. Recenſet domum hanc Piſanus in provincia Saxoniæ, & Cuſtodia Vuratiſlavienſi. *Conv. in Prov. Januen. Con. 51.* *Conv. Cheſtelianus.* *Conv. Bregen. Idem in Provinc. Hungar. S. Maria n. 16.* *Miechov. lib. 4. c. 22.*

VII. Occurrit hoc anno mentio Cœnobii ſanctæ Columbæ, Viennenſis Diœceſis ante aliquot annos inchoati, cujus clauſtrum hoc anno extruebatur, in diplomate Clementis, quo Fratribus indulget facultatem exigendi, & recipiendi quædam ſibi ultimis tabulis legata: *Religionis veſtræ* VII. Idus Julii. Hoc etiam anno multis in locis reparabantur ædes magnæ Pariſienſes, & conſtruebatur Refectorium, uti in alio diplomate commemorat Clemens, adhortans fideles, ut manus porrigant adjutrices. Ubi etiam commemorat quod nos alias diximus, Valetudinarium conſtructum fuiſſe a Joanna Franciæ Regina, Caroli IV. uxore. Hoc tempore fratres Toloſates conſtruxerunt devotum, & pulchrum Sacellum, Sepulcri Dominici in ſua aula capitulari, quod ut inviſerent frequenter fideles, Clemens multis invitavit indulgentiis: *Splendor paternæ gloriæ* IV. Idus Februarii. *Conv. S. Columbæ.* *Conv. Pariſien. reparatur.* *Tom. 2. an. 1234. n. 26.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Duas diximus reliquiſſe filias ſuperſtites Ludovicum Hungariæ & „ Poloniæ Regem; unam Hedvigim Poloniæ hæredem; alteram „ vero Mariam Hungariæ nuncupatas cum Eliſabetha uxore. Hedvigim, „ quam adhuc tenellam Ludovicus Pater Willelmo Duci Auſtriæ devoverat, Jagello Princeps, Olgerdi Magni Ducis Lithuaniæ, hoc anno die Jovis XVI. Kalendas Martii in uxorem duxit, habito pro dote Poloniæ Regno, qui Jagello deinde ut pepigerat, cum VIII. Fratribus Germanis, „ Chriſtianorum ſacris myſteriis initiatus, & Wladislai nomine ſuſcepto, „ ut ſuam gentem Lithuanam ab Idololatriæ erroribus & ineptiis expurgatam „ ad Chriſtum reduceret, nonnullos Fratres Minoritas idiomatis gnaros, in „ Lithuaniam præmiſit ad opus, ut in Annalibus habemus. Mariam vero „ Hedvigis ſororem, Ludovicus Pater adhuc vivus Sigiſmundo filio Caroli IV. Imperatoris, & fratri Wenceslai etiam Cæſaris, ſpoponderat cum „ dote Hungarici Regni, quem adhuc tenellum accitum apud ſe nutriebat. „ Mortuo igitur Ludovico, ut prædiximus, Maria in Hungariæ Reginam „ de more coronata fuit; ſed plebs in partes ſciſſa, in ſeditiones ibat; unde „ & Regni Proceres Carolum Dyrachium Siciliæ Regem ad coronam vocavere. *Inf. ad an. 1387.*

„ II. Dum hæc ita fierent, Urbanus Pontifex Fratribus noſtris erectio- *Indic. ex copia.*

„ nem Conventus sanctæ Mariæ de Campo concessit : *Sacræ Religionis &c.*
„ XIV. Kalendas Martii. Sed Clemens concessa Indulgentia pro Sacello sanctæ Mariæ Clarimontis : *Licet is &c.* XVI. Kalendas Februarii, gratiam dispensationis fratri Joanni indulsit : *Humilibus supplicum &c.* XVI. Kalendas Septembris ; & ad fratrem Ugonem pro confessionibus audiendis benigne rescripsit : *Grata tuæ &c.* III. Nonas Decembris.

Lit. Clem. in favorem FF. & Convent. Ex Vatic.

Sup. ad an. 1380.

„ III. Post hæc autem Blancæ Sabaudæ felix memoria recurrit ; etenim (ut dicebamus) fundato, dotato, & extructo Monasterio Annunciationis beatæ Mariæ Virginis sub regula sanctæ Claræ in Papiensi ad Ticinum urbe præclara, Blanca ibidem sarcina corruptionis deposita, ut incorruptibilem suorum bonorum operum coronam acciperet, properavit ad Dominum hoc anno. Sepulturam vero apud suas Moniales, quas impense diligebat in Christo, habitu Seraphicæ Religionis induta, ut suprema sua voluntate decreverat, alte mœrentibus cunctis, & devote parentante universo Clero, nacta est, incerto die. Porro hæc Illustrissima Heroina pluribus titulis semper commendabilis, filia fuit Aymonis, & non Amadei, Comitis Sabaudiæ, & Maurianæ, necnon Astæ, Ducis Chabley, & Augustæ Prætoriæ, Domini Yporediæ, Vercellarum, & Sebusianorum, Marchionis Secusiæ, & Italiæ, ac etiam sacri Romani Imperii, qui cognominatus erat pacificus a studio pacis publicæ & privatæ, quam summopere affectabat. Ejus Mater præfati legitima conjux extitit Jolanda, filia Theodori Paleologi, Marchionis Montisferrati, & Argentinæ Spinulæ, nepotis Andronici Paleologi Porphirogeniti Græcorum Imperatoris. Tantorum principum nata pro filio Regis Angliæ Edoardi in sponsam petita fuerat, sed perperam, nuptiarum executionem impediente acerrimo bello inter Anglos & Francos vertente. Galeatio igitur Vice-Comiti, Domino Mediolani, in castro Burgeti Sabaudiæ, die x. Septembris anno MCCCL. desponsata, suo tempore Joannem Galeatium Mediolani postea primum ducem, edidit. Viduata viro, despiciens cum suis vanitatibus mundum, Papiæ, quo se recepit, christianis virtutibus incumbens, Monasterium supradictum construxit ex proprio, atque dotavit. Ultimæ suæ voluntatis tabulas, a Joanne Jacobo de Benne suo Cancellario conscriptas, Jacobus Belbellus publicus Notarius, anno MCCCLXXXII. die II. Novembris Papiæ legitime subscripsit atque vulgavit. Eo instrumento ad Sorores sui Monasterii, cum habitu sancti Patris Francisci, sepeliri mandabat : possessiones pinguesque reditus, in augmentum constitutæ dotis, Monialibus legabat, exequutoribus testamentariis constitutis, inter quos duo Minoritæ, frater Ubertus de sancto Georgio, & frater Guillelmus de Advocatis Vercellensis, ambo in sacra Theologia Magistri. Codicillum testamento addidit, quo in casu negligentiæ exequtionis ultimæ suæ voluntatis circa pia legata, Antistiti urbis & Provinciali Ministro Minorum ejusdem, omnimodam exequtionem commendabat enixe. Ex his quantæ pietatis in Deum, & caritatis in Minores extiterit, manifeste apparet. Morigius historicus Mediolanensis eam quorumcumque encomiorum dignam proclamavit, ut notavit Samuel Guicenonius.

Blanca Sabauda obit.

Sepelitur Papiæ.

Filia fuit Aymonis de Sabau.

Nubit Galeatio Vice-Com. Mediolan.

Mon. MSS. Provinc. S. Did. Ref.

Argument. suæ benev. in Min. Guicen. hist. genea. Dom. Sab. lo. 1. c. 22.

A R-

ARGUMENTUM.

Frater Martinus Minister Generalis moritur. Instituitur Vicarius frater Henricus Alferus, & demum in Comitiis generalibus Minister. Floret Joannes Archiepiscopus Turritanus. Multiplicantur domicilia.

I. HOc anno Martinus Riparolius Minister Generalis cum Ordinem rexisset annis duobus & ultra, diem obiit in Cœnobio Castri-novi, uti diximus, Custodiæ Ticinensis, sive Papiensis. Institutus est ab Urbano Pontifice, qui vices defuncti obiret frater Henricus Alferus Astensis Pedemontanus, Provinciæ Januen. Minister, qui statim Patres Ordinis ad Comitia convocavit Florentiam, in quibus ipse electus est Minister Generalis. Ausus est hoc eodem anno Angelus Anti-Minister, de quo supra diximus, sua auctoritate instituere Ministrum Provinciæ Mediolanensis fratrem Bartholomæum Iporegiensem, sibi adhærentem, quem Clemens Anti-papa confirmavit: *Religionis zelus*. Idibus Januarii. An tamen inter Fratres illius Provinciæ obtinuerit, non comperio. Erat etiam sub hoc Ministro Generali in iis partibus Ordinis Procurator abeodem institutus, frater Joannes de Changueyo sacræ Theologiæ Magister, quem in officio vita durante, Clemens confirmavit.

Moritur Martinus Minister. *Ann. 1181. n. 13.* Capitulum Generale 64. Florentiæ. Minister Gener. Fr. Henricus Alferus. *Ann. 1179. n. 3.* Procurator Ordinis sub Anti Ministro frater Joan. Changueyo.

II. Fuisse hoc tempore Archiepiscopum Turritanum, alias Sassaritanum in Insula Sardiniæ fratrem Joannem Minoritam, testantur Annales Aragonii, quem Petro IV. Regi hoc anno nonis Januarii, Barcinone Morienti astitisse; fuisse etiam a sacris confessionibus scribunt, eique commendasse restitutionem bonorum omnium, quæ Ecclesiæ Metropolitanæ sanctæ Teclæ Tarraconensi ipse eripuerat.

Fr. Joan. Archiep. Turritan. *Zurita 2. par. lib. 10. c. 39.* Regis Aragonii confessarius.

III. Circa hoc tempus constructum est communibus sumptibus Cœnobium urbis Groningæ, Frisiæ emporii populosi, opulenti, a conditore Grunone, Athenoris Regis Francorum fratre, ita nuncupati, Rudolphi Agricolæ ortu celebris. Paruit Patribus Conventualibus usque ad annum MDII. quo ad Observantes transivit, ita decernente Reverendissimo D. Raymundo Alexandri VI. Legato. Anno vero MDXCIV. post duram trium ferme mensium obsidionem, die XII. Julii, expugnata urbe per Mauritium Comitem Nassovium, fratres in exilium acti, & Cœnobium in Scholas hæreticorum, Ecclesiæ in aream pilæ palmariæ conversa sunt. Anno MDCXI. dum templum in prophanam aulam adaptare vellent hæretici, tres, vel quatuor operarii ex alto cadentes, fractis cervicibus, misere perierunt. Hortus in plateam publicam, ædificatis hinc, inde domibus, conversus est. Præfuit aliquando huic domui. V. P. Matthias Becher, qui inter Missarum solemnia contemplandis mysteriis intentus, uno, atque altero cubitu a terra sublevari solebat.

Conv. Groningæ. *Gonz. in Prov. Colon. Con. 19. Monum. MSS. Prov. Colon.*

Fr. Matthias Becher.

IV. Hujus etiam temporis partus creditur conventus Pennafelii, sive Pennæ-fidelis, Oppidi Palentinæ Diœcesis, novem ab ipsa urbe leucis distantis, quod Durationis flumen alluit, & Ursaonenses possident Duces. Domus extructa est CC. P. ab oppido, communibus incolarum facultatibus, nobili quidem structura. Ecclesiam ornat alabastricum beati Petri Villacretii sepulcrum. Anno MDCXIX. extructum est parvum dormitorium, & hospitii solarium.

Conv. Pennæ-fidelis. *Idem in Prov. Concep. Conv. 6. Monum. MSS. hujus Prov.*

V. Ante hoc tempus initium accepit domus Metymnæ Campi, celebris, in Castella veteri, olim Diœcesis Salamantinæ, nunc Vallisoletanæ op-

Conv. Metymnæ-campi.

Indid. con. 14. Monum. MSS. citat.

oppidi, a Civitate Episcopali leucis octo distantis, cujus mentionem agit Pisanus in Provincia Castellæ, & Custodia Segobiensi. Certum fundationis tempus ignoratur: periere enim omnia Cœnobii instrumenta magno incendio, anno MDXXI. sub Imperio Caroli V. Longe augustius, & elegantius refectum est eo ipso in loco intra muros ab Oppidanis, præsertim mercatoribus, quadraginta Fratrum capacissimum, omnibus officinis perfecte absolutis. Sacellum maximum pulchris emblematibus ornarunt duo Fratres laici piæ conversationis anno MDCXXVII. Claustrum præcipuum magnis, & pulcherrimis imaginibus anno MDCXVI. qui tunc præerat Cœnobio, decoravit. Sepultus est pulchro mausolæo in Sacello, prope Cœnobii ostium, Reverendissimus D. frater Sebastianus Bricianus, provinciæ sancti Jacobi alumnus, olim concionator aulicus Philippi III. deinde Episcopus Auriensis.

Fr. Sebastian. Bricianus.

Conv. Montis-Albi.

VI. Ante hunc annum sumpsit exordium conventus Montis-Albi in provincia Cataloniæ, Tarraconensis Diœcesis, sub nomine sancti Francisci, prout constat ex quodam diplomate ibidem asservato Martini Infantis, Petri IV. Regis Aragonum filii, qui Joannis Regis sui fratris valetudinarii, post genitoris obitum vices tenuit, & locum. Corrigendus itaque Gonzaga, qui pro anno MCCCLXXXVII. scripsit annum MCCLXXXVII. & pro Petro IV. tertium recensuit. Transivit sub Pio V. a Patribus Conventualibus ab Observantes; censebatur olim sub provincia Aragoniæ, & Custodia Ilerdensi.

Gonz. in Prov. Catal. Con. 18.

Conv. Middelburgi.

VII. Ante hunc etiam annum ædificatum est intra muros Civitatis Middelburgi, a situ nomen habentis (est enim Burgus in insulæ meditullio) Zelandiæ primariæ, & nobilis emporii, Cœnobium Minorum, quod a Conventualibus ad Observantes translatum est anno MDVI. uti testantur codices quidam MSS. Provinciæ Coloniæ & Germaniæ inferioris, non vero anno MCCCCLXXXIX. uti scribit Gonzaga, neque anno MDXXVIII. ut minus vere dixit in suo libello MSS. de rebus Provinciæ Coloniæ Joannes Hayus, cum anno præcedenti, videlicet MDXXVII. in divisione Provinciarum, fuerit assignatum provinciæ Germaniæ inferioris. Non tamen adeo longo tempore hic substiterunt Observantes, oppressa urbe famis inedia, mense Februario anni MDLXXIV. a Principe Auriaco, & hostibus Geuziis, dimissis Fratribus simul cum Gubernatore Mondragonio, & militibus salvis quidem, sed omnibus, quæ in Conventu erant, ad arbitrium hostium derelictis. Erant olim conservatores privilegiorum hujus Monasterii Abbates Præmonstratenses illius urbis ad sanctum Nicolaum.

Gonz. in Prov. German. infer. Con. 17.

Mon. Talabricen.

VIII. Sub hoc tempus Talabricæ, oppidi nobilis in Castella, commorabantur aliquot Sorores tertii Ordinis sancti Francisci prope Parochiam sancti Michaelis, in angustis ædibus prospectui altissimæ turris convicinæ subjectis. Venit in hoc oppidum soror Maria Carilla ex Monasterio sanctæ Mariæ Planicierum Almagri, aliud fundatura Sororum Conceptionis immaculatæ beatæ Mariæ Virginis, sumptibus nobilis mulieris Mariæ de Ayala, filiæ Ferdinandi Alvarez de Meneses, & Menciæ de Ayala. Persuasit hæc Tertiariis, ut ad novum hoc, & pium institutum omnes transirent, constructo Monasterio, translatæ sunt Sorores anno MDXV. die XVI. Octobris solemni ritu, comitantibus Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabetha (qui forte tunc aderant, dum iter, devotionis causa pararent ad Aquas Lupias, celebre Virginis Deiparæ simulacrum invisuri) aulæ magnatibus, & Guardiano Minorum Talabrico fratre Joanne Erasio. Perseverarunt sub primo habitu in hoc loco integro sexquianno; deinde vestem, & regulam Conceptionis susceperunt ex manu fratris Petri Molinez primi Ministri Observantium in Provincia Castellæ.

Gonz. in Prov. Castel. Mon. 40. Salazar. in hist. ejusd. Prov. lib. 8. c. 15.

IX. Con-

IX. Congregatis hoc tempore in uno domicilio, sub honesto & pio quodam comercio quibusdam virginibus & mulieribus Tertiariis in civitate Reatina, post aliquot annos decreverunt regularibus institutis vitam componere, & arctiori vinculo cohabitare. Evocatis itaque e Monasterio Fulginatensi sanctæ Annæ sacro, quod post hæc beata Angelina fundavit, uti suo loco dicemus, aliquot hujus Instituti magistris, mirum in modum numero creverunt & virtute, erecto Monasterio sub sanctæ Claræ invocatione. Mon. Reatinum.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. GNesna Regia urbe Poloniæ, accepto diademate Regni anno proxime præterito, relicta, Wladislaus cum Hedvigi Regina uxore, Bodzanta Archiepiscopo ejusdem, pluribusque aliis Ecclesiasticis, Religiosis, Principibus & Ducibus, in Lithuaniam, ubi Minoritæ fidei propagationi sedulo incumbebant, progressus est, conversionem earum gentium omni cum diligentia promoturus. Porro Lithuania Moschoviæ proxima, regio palustris est, lacubus, stagnis, fluminibus irrigua, silvis operta, in quibus viri, alces, bisontes, & æqui silvestres stabulantur. Palatinos habet, præter alios, Vilnensem, Trocensem, Minscensem, Novogrodiensem, Brestiensem, Kioviensem. Caput verumtamen regionis est Vilna ad flavios Vuilnam & Vilnam, qui urbi nomen dedere: & est Novogodreck civitas ampla, sed lignea. Sunt præterea Pinsko Brescia, Borisouw, Minsko, & aliæ. Primarius Lituaniæ fluvius est Borysthenes. Ad hæc usque tempora in ea universa, sicut etiam in Samogitia Borussiæ vicina, ab occasu mari Baltico alluta, in qua nullum est oppidum, nullaque arx, & nobiles in tuguriis, & rustici in casis vivunt, paganismus plurimum viguit. At hoc anno Rex Wladislaus præfatus, Vilnam, caput, ut attigit, & ignem sacrum perpetuo fotum a sacrificulis, Dei honore cultum, templumque & aras sacrificiorum evertit in eadem urbe, & omni circumque regione, Christi Catholicam fidem, quam odio habebant, Incolæ sunt amplexati. Deinde in eadem urbe Wladislaus Ecclesiam Cathedralem, reditibus amplis, atque sacerdotiis locupletatam, ab Archiepiscopo Bodzanta Deo consecratam, sub titulo sancti Stanislai Polonorum Patroni, principali ara in loco, ubi ignis falso creditus perpetuus, constituta, ut error gentilis fieret cunctis patentior, erexit: ad eamque regendam primus Episcopus, vir spectatæ virtutis frater Andræas Vazilo, natione Polonus, genere nobilis, gente Jastembieius, sive de domo Accipitrum, professione Ordinis Minorum, olim Reginæ Hungariæ Elisabethæ, relictæ Ludovici & matris Hedvigis uxoris Wladislai, & Mariæ Sigismundi, Confessarius & Prædicator insignis, antea Episcopus Cretensis, seu Ceretensis, assumptus fuit. At scrupulum id legentibus objicere videtur, cum meminerint, nos alibi dixisse beatum Petrum Gastoldum ex Minoritis Martyrem, primum Vilnæ Episcopum extitisse. Hanc vero difficultatem facillime superabit, qui societatis religiosorum, Ordinum Minoritici & Prædicatorii, peregrinantium propter Christum meminerit: hi enim auctoritate Apostolica suffulti, constituto sibi Præside Ministri Generalis Vicario, terras peragrabant Ruthenorum, Walachorum, Tartarorum, Sarracenorum, Paganorum, Cretorum, Bulgarorum, & aliarum Orientis, Aquilonisque nationum non credentium. Habebant in Cœnobiis suis Archiepiscopos & Episcopos magnis per Sedem Apostolicam ornatos

Wadd. ad ann. 1386.

Sup. ad an. 1341.

„ natos facultatibus, & per terras Infidelium euntes mittebant semina sacræ doctrinæ, qua paganismi tenebras illuminabant, hæresumque dumeta succendebant, perversa & virgulta malorum morum eradicabant; ac ita suæ missionis Apostolicæ, gratia divina secum adlaborante, uberes fructus in horreum Domini congregabant. Pro qua re attente legantur, quæ alibi scripsimus de fratre Joanne de Monte Corvino facto Archiepiscopo Cambaliensi, & videatur Annalista noster. Ex horum Missionariorum numero erat beatus Petrus Gastoldus Episcopus Vilnæ,ubi jam plures, sicut aliis in partibus Lithuaniæ erant Christiani a gentilitate conversi, ut dictum est, & Fratres domos habebant, sed Episcopia publica auctoritate Principis nondum erant erecta; quemadmodum tantum hoc anno ab Wladislao factum est, qui fundata Cathedrali Ecclesia, ut dicebamus, in ea primum Antistitem constituit fratrem Andræam Vazilo, jam Episcopum in partibus Cretensium, cui septem Paræcias, quas ipse Wladislaus constituit atque dotavit, subjecit; quibus & Regina Hedvigis plurimam suppellectilem pro cultu divino piissime contulit. Atque ita constabilitis Ecclesiæ Catholicæ rebus, dum Rex impensè laborat ut amplius fides Christiana dilatetur, remissa Regina in Poloniam, Dobrogostium Posnonensium Episcopum ad Urbanum Pontificem allegavit, eique se dicto audientem fore, solemni Regum Christianorum more promisit.

Wadd. ad ann. 1299.

Hedvigis in Religion. Christian. cultus & pietas.

„ II. Interea Urbanus Pontifex rebus nostræ Religionis prospiciens, edixit Ministrum Generalem Provinciales Ministros destituere posse, edita bulla: *Injunctum nobis &c.* xiv. Kal. Septembris. Sed Clemens Idibus Januarii Petro Cardinali pro studio Parisiensi scripsit: *Exhibita nobis &c.* Et vertente quadam controversia inter Fratres Parisienses & Ministrum Provincialem, ob quam dirimendam ad eumdem factus fuerat recursus, v. Idus Februarii pro eo negotio Apostolicas litteras expedivit: *Exhibita nobis &c.* Ministro autem Generali promotionem ad magisterium fratris Angeli indixit: *Viri Sacræ &c.* ix. Kal. Martii: ac subinde prohibuit, Fratres ad officia Curiæ assumptos, ab iisdem amoveri posse: *Ad Sacrum &c.* Kal. Maii: & Guardianis Conventuum de Salino, & de Grandissono circa quasdam pecunias, scripsit duplicatis litteris: *Piis devotorum &c.* Idibus Junii. Ac tamdem Indulgentiis elargitis pro Monialibus sanctæ Claræ Aquensis: *Pia desideria &c.* easdem a decimarum solutione absolvit: *Tenorem quarumdam &c.* xiii. Kal. Decembris.

Lit. Urb. PP.

Aliæ Clement.

ARGUMENTUM.

Henricus Generalis Minister promovet regularis Observantiæ institutum in Italia. Extenditur in Galliam, mox radices agit in Aragonia. Exhumantur sacræ reliquiæ, & aliquot ædificantur Cœnobia.

Henricus Generalis Minister promovet Ordinis reformationem.

I. Frater Henricus Generalis Minister anno proxime elapso electus, Florentia in Umbriam profectus, & Perusii hærens, fratrem Paulutium Fulginatem, commissamque familiam omnibus, quibus potuit, modis excitavit ad prosequendam & ampliandam Ordinis reformationem. Quatuor dedit hoc anno patentes litteras, quibus eum instituit suum peculiarem Commissarium super quindecim loca, seu cœnobiola, ex quibus tota coaluit familia intra limites Provinciarum sancti Francisci & Marchiæ Anconitanæ. Multam insuper potestatem concessit in Fratres sibi subjectos, & auctoritatem

tem subdelegandi Commissarios. Deinde indulsit, ut in quodam domicilio, quod in hunc finem in sua patria construxit, honestas mulieres sub Instituto Tertii Ordinis sancti Francisci collocaret. Reliqua privilegia ex ipsis litteris amplius patebunt.

In Christo sibi carissimo fratri Paulutio Vagnotii de Fulgineo, Provinciæ sancti Francisci, frater Henricus Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister & servus, salutem & pacem in Domino sempiternam.

II. D*E tua exemplari vita, discretione, prudentia, animarum zelo, ac virtute multiplici, longo tempore in Ordine comprobatis, in Domino fiduciam plenam gerens; te in locis devotis, seu Eremitoriis devotorum fratrum simplicium infrascriptis, videlicet: Carceris beati Francisci, sancti Damiani, Rocchicciolæ Custodiæ Assisii, Farneti, Montis-Perusii, Montis-Jovis Custodiæ Perusinæ, Montis-Joni Custodiæ Tudertinæ, & Eremitæ Stronconii Narniensis Custodiæ, Jani, Montis-Luci, & Pistiæ Custodiæ Vallis, Provinciæ sancti Francisci, atque Forani, Montis-Falconis, & Massæ Provinciæ Marchiæ, per Generales prædecessores meos, seu per Provinciales Ministros dictarum Provinciarum hactenus tuæ curæ commissis, meum commissarium instituo, & tenore præsentium denuncio institutum, discretioni tuæ committens, quod in ipsis locis, immo & in locis aliis tuæ sollicitudinis curæ commissis, vel committendis per me, vel quoscumque Ministros nostri Ordinis, libere possis & debeas Fratres simplices ac devotos de familia collocare, ipsosque removere, mutare, & alios subrogare, atque pro eorum, & ipsorum necessitatibus seu utilitatibus, ad quæcumque loca Italiæ destinare, etiam ad locum Romanæ Curiæ, ac in casibus occurrentibus, si tuæ videbitur discretioni, in quibuscumque locis seu territoriis aliis per dictam Italiam, Bosnam, vel Corsicam pro tempore moraturos, mea auctoritate possis collocare. Insuper & ipsos caritative monere, corrigere seu punire, videlicet in pane & aqua ad terram, de disciplinis pœnitentiare, expellere, & ad nativas eorum Provincias remittere moraturos, & si opus fuerit, per suos Ministros acrius puniendos, eisque fraternaliter & paterne imponere quæcumque circa prædicta pro eorum salute, necessitate seu utilitate, & pro regulari observantia secundum Deum videris expedire. Nullusque me inferior, te seu tuos, aut Fratrem aliquem de sub tuæ curæ degentibus pro exigenda aliqua pecuniaria collecta, molestare aut gravare audeat, vel valeat quoquomodo in aliquo impedire. Et hoc districte præcipio omnibus meæ obedientiæ subditis, sub pœnam obedientiæ contumacis. Quocirca carissime frater Pauluti, devotioni tuæ injungo ad meritum obedientiæ salutaris per præsentes, quatenus supradictæ meæ commissionis officium atque curam absque alia excusatione recipias, & exequaris cum diligentia secundum gratiam a Domino tibi datam. Fratres vero prædictorum locorum omnes & singuli præsentes pariter & futuri in omnibus, quæ ad prædicta pertinent, teneantur tibi sicut mihi per salutarem obedientiam firmiter obedire, quos tibi, teque illis in Domino carius recommendo. Ceterum omnes gratias & libertates per prædecessores meos tibi concessas, tenore præsentium denuo confirmo. Vale in Christo Jesu, & ora pro me. Datum Perusii anno* MCCCLXXXVIII. *die* XV. *Julii.* Fr. Paulutius instituitur Commissarius super cœnobiola regularis Observantiæ.

Aliud ejusdem Indultum.

III. D*E tua exemplari vita, discretione, providentia, animarum zelo, ac virtute multiplici longo tempore in Ordine comprobatis, in Domino* Facultas ut plura cœnobiola capere possit.

no fiduciam plenam gerens, tibi in casibus quomodolibet occurrentibus te, & Fratres hactenus tuae curae commissos, prout tuae discretioni videbitur, ad quaecumque loca nova vel vetera, etiam Eremitarum, cujuscumque situs, vel vocabuli vel nomine appellentur, de novo capiendorum, in quibus ex auctoritate & commissione nostra Fratres supradicti possint, & eis liceat legitime habitare, concedo potestatem; & haec omnia fiant cum expressa licentia, & auctoritate Sedis Apostolicae, vel Legati. Caeterum vero omnes Fratres ad te venientes de licentia eorum Ministrorum, accipere possis. Item in loco, quem de novo aedificare fecisti in Fulgineo, possis omnes mulieres, quas tu videbis in vita laudabili permanere, sub titulo Tertii Ordinis collocare, donec aliud super hac materia per Sedem Apostolicam fuerit ordinatum. Vale in Christo Jesu, & ora pro me. Datum Perusii, in Conventu Fratrum Minorum, anno Domini MCCCLXXXVIII. *die* XIV. *Februarii*.

ALIUD EJUSDEM.

Facultas alios subdelegandi.

IV. *Quatenus divina opitulante gratia, de Fratribus per me, ac praedecessores meos hactenus sollicitudini tuae commissis curam gerere valeas pleniorem, & ea, quae circa praedictos Fratres ordinanda seu expedienda occurrerint, prout tuae discretioni videbitur, juxta gratiam a Domino tibi datam, plenius exercere, omnes gratias a meis praedecessoribus, & a me olim tibi concessas, praesentium tibi tenore confirmo, necnon & Fratribus ipsis omnibus & singulis ad meritum obedientiae salutaris praecipio, quatenus tibi fideliter in omnibus debeant obedire, & voluntatem tuam plenarie adimplere, & quemcumque de ipsis ad adjuvandam te in dicta cura, seu ad mittendum per loca tibi concessa ad Fratres alios visitandum, seu aliqua necessaria disponendum, vel etiam alibi, prout tibi necessarium fore videbitur, destinandum duxeris eligendum, per eamdem obedientiam similiter adstringo, quatenus tibi, omni excusatione semota, legitimo cessante impedimento, sollicite obedire debeat, & omnes alii Fratres quicumque fuerint, illi in omnibus per te commissis, absque aliqua contradictione, tamquam tibi teneantur similiter firmiter obedire. Caeterum si forte aliquando processu temporis tibi videretur, quod de loco aliquo, seu locis tuae curae commissis, curam, ut expedit, gerere non posses, ipsorum curam Ministris, in quorum Provinciis loca ipsa situata fuerint, libere valeas resignare, qui de ipsis curam habeant juxta posse. Vale in Christo, & ora pro me. Datum ut supra.*

Inchoatur Ordinis reformatio in Gallia.

V. Magno itaque incremento prosperabatur hæc nova Reformatio in Italia, & hoc ipso anno ad alias regiones felicibus auspiciis est propagata. Etenim in Gallia, cum propter schisma Pontificum, scissamque in duas partes Religionem res in deterius tenderent, & Fratres viverent liberius, habentes adversas acies, ad quas confugerent, dum suæ stationis disciplinam abhorrerent; excitavit Dominus spiritum trium religiosorum Patrum in Provincia Turoniæ, ut collapsam disciplinam restaurarent. Hi vel suis, vel aliorum precibus a suo illo Pseudo-Ministro Generali Angelo, quem supra diximus (non ab Antonio Pyreto, uti habet Gonzaga, qui nonnisi anno MCCCCV. assumptus est ad supremum Ordinis regimen, sub obedientia Innocentii VII. veri Pontificis) obtinuerunt, ut sibi concederetur Cœnobium aliquod solitarium, in quo a turbis remoti vivere possent secundum Regulæ puritatem. Mox imperante Angelo, frater Joannes Philippi præfatæ Provinciæ Minister eis humanissime tribuit Conventum Mirabelanum,

An.1379. n.3. Gonzag. 1. par.

Diœ-

Diœcesis Pictaviensis, in quo, adjunctis aliis Fratribus sui charismatis æmulatoribus, summa laude & religiosa quiete, dum vixit prædictus Minister, perseverarunt; & infra paucos annos, Anti-Pontificum Clementis, & Benedicti auctoritate, Procerumque favore, undecim loca infra limites Provinciarum Franciæ, Burgundiæ, & Turonis (uti testantur acta Concilii Constantiensis) huic suo laudabili Instituto aggregarunt. Defuncto Joanne Philippi, qui summopere illis favit, iis locis, quæ tunc possidebant, præsertim Mirabelano, deturbati sunt. Quapropter Minister Generalis, qui tunc erat illarum partium, auctoritate Benedicti XIII. ablata domicilia non solum restituit, verum etiam eis præfecit sub Commissarii, aut Vicarii titulo fratrem Thomam de Curte, qui pium Institutum promoveret, & religiosos ab adversariorum molestiis liberaret. Supervenit postea alia procella sub Alexandro V. & Joanne XXIII. sub qua fluctuarunt usque ad Concilium prædictum Constantiense, in quo tamdem solidius jacta sunt fundamenta regularis Observantiæ in Gallia, uti suis locis singula enarrabimus, statimque agemus de Conventu Mirabelano.

Constant. Conc. sess. 19.

VI. Hoc eodem anno simile suscepisse exordium eamdem regularem Observantiam in Regno Aragoniæ referunt Monumenta ejusdem Provinciæ apud me MSS. idque apparere per quoddam diploma Petri de Luna, Anti-Cardinalis Diaconi sanctæ Mariæ in Cosmedin, in Hispania Clementis Legati, datum Calatajudi die XXVIII. Octobris, anno XI. Pontificatus Clementis, quo indulget Fratribus Raymundo Sancio, Antonio Morosio, & Sancio Fababuxio, ut per se solitarie vivant in aliquo domicilio extra obedientiam Patrum Conventualium, sub regularis disciplinæ sanctioribus institutis. Sed hæc rejicienda sunt in annum sequentem, in quem incidebat dies XXVIII. Octobris anni XI. Clementis, præsertim cum hic Cardinalis Legatus mense Octobris hujus anni distinebatur Palentiæ in celebrando Concilio Palentino, quod ita absolvitur: *Istæ Constitutiones fuerunt publice denunciatæ in Ecclesia Fratrum Minorum Palentina die* IV. *mensis Octobris, anno a Nativit. Domini* MCCCLXXXVIII. *Indict.* XI. *Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Clementis divina providentia Papæ VII. anno* X. *præsentibus Rege, Archiepiscopo Compostellano, Oveten. Legionen. Calagurritan. Palentin. & Zamoren. Episcopis, & Cleri, & Populi multitudine copiosa*, ex quibus constat, diplomatis tempus reducendum esse ad annum sequentem. Hac illi fulti auctoritate in Regno Valentiæ, conciliato sibi favore & patrocinio pii & nobilis viri Petri Latronis Chelvensium Vicecomitis secundi, obtinuerunt domicilia duo, unum Chelvæ, alterum Pomerii, vulgo *Mançanera* (regni Valentini oppida sunt haud ignobilia) quorum descriptionem anno dabimus sequenti, totque his adjunxerunt ædes, ut anno MCCCCXLI. fuerit designatus per fratrem Guillelmum Casalensem Ministrum Generalem novæ, & multiplicatæ in ditione Aragonum familiæ, Vicarius frater Bernardus Iscoriola.

Et in Aragonia.

Vide conc. hoc apud Sever. Bin. to. 3. par. 2. sub Urbano VI.

VII. Hoc anno in Dominica: *Lætare Hierusalem*, translatum corpus beati Donati in decentiorem locum in Conventu sancti Laurentii Neapolis, scribit Rodulphus, ad cujus sepulcrum in sacello Villanorum hæc verba leguntur: *Hic jacet corpus fratris Donati viri sancti, pro quo Jesus multa ostendit miracula in vita*. Cujas fuerit, ait, ignorari.

Rodulph. fol. 99.

Transfertur corpus B. Donati.

VIII. Hoc anno VII. Kalendas Julii, frater Jacobus Dachaver Minorita Andechusii in Bavaria, sacra multa & insignia, quæ ibi condita diutius sub terra latuere (inde locus, *Hayligenberg*, idest, sacer Mons, appellatur) invenit, & magna solemnitate, curantibus Principibus Bojariæ, quarto Idus Octo-

Insignes revelantur reliquiæ.

Metropol. Salisburgen. fol. 187. Aventin. Annal. Bojar. lib. 7. libell. peculiaris de his sac. reliquiis.

Octobris Monachium translata sunt. Indicto postea Jubilæo ea in urbe a Benedicto XIII. ex Boemia, universaque Germania frequens populus quotidie coibat: sexaginta millia hominum quotidie confluxisse in acta relatum est, durante plenaria hac remissione peccatorum per menses quinque, universoque populo inventa sacra ter in septimana monstrabantur. Post hæc ad Montem sanctum Andechusium, unde extracta sunt, referuntur per Ernestum Ducem, qui ibi collegium septem Sacerdotum instituit. Albertus Dux Bavariæ, Comes Vochburgensis, filius Ernesti, auctoritate Summi Pontificis, amotis Præposito & Canonicis secularibus, ibi substituit Monachos Benedictinos. Circa hoc tempus frater Jacobus China Minorita Provincialis Aragoniæ nominatus fuit a Maria Regina Siciliæ pro Episcopatu Syracusano, sed cum postea Canonici elegissent fratrem Thomam de Herbes Catanensem Ordinis sancti Benedicti, a Bonifacio IX. Urbani successore horum votis subscripsit.

Conv. Mirabelanus.

IX. Conventus Mirabelanus, de quo paulo antea fari promisimus, dum hoc anno Provinciæ Turonensis primis reformatoribus collatum diximus, hoc tempore longe vetustior est, quippe constructus dicitur circa ipsa tempora sancti Francisci per nobilem heroem Rodulphum de Brisajo, qui e terris Sarracenorum duos secum adduxit sancti Patriarchæ socios, iisque domicilium posuit in hoc suo castro Mirabelano, Diœcesis Pictavien. feracissima ac uberrima totius Galliæ regione. Paruit usque ad hunc annum Patribus Conventualibus, uti ex Gonzaga paulo antea diximus, licet in descriptione hujus Conventus discordet in annorum numeris, & pro 1388. scribat 1384. fortassis ex errore typographi. Fuisse autem Conventum hunc omnium in Gallia primum regularis Observantiæ; atque inde ad alios transiisse reformationem, constat ex Concilio Constantiensi, in quo, cum decerneretur, quid agendum esset circa Fratres & domos hujus novæ plantationis, deputatis vicariis, qui eos regerent, præceptum est, ut eis restitueretur & aggregaretur Conventus Mirabelanus: *Quem*, inquit Concilium, *volumus & expresse ordinamus curæ & regimini prædictorum Vicariorum subesse, & ex causa, ut sicut in eo hæc stricta regularis Observantia in partibus illis sumpsit exordium, ita in illo tamquam in aliorum speculo semper elucescat.* Postremo tamen, grassante in Gallia hæresi Calvinistarum, bis ab impiis sectariis hic locus succensus est, reliquiæ, res sacræ, ac vetusta quæque monumenta partim combusta, partim nefarie conculcata, Fratres variis tormentis & pressuris excruciati. Inter hos eluxit constantia & pietas fratrum Nicolai Clementeau, & Joannis Thoringe sacerdotum, qui mortem viriliter sustinere potius, quam sacræ Eucharistiæ Sacramentum abjurare elegerunt, sicque tamdem crudeliter occisi, illustre fidei testimonium Christo Domino exhibuerunt. Domum reædificavit anno MDLXXVII. Christianissimus Princeps Ludovicus Borbonius, Dux Montis-Penserii.

Gonz. in Prov. Turon. Pictav. Conv. 1.

Concil. Constant. sess. 19.

Duo Fratres ab hæreticis occisi.

Conv. Castri-Rodulphi. *Indid. in Con. 3.*

X. Concessit hoc anno Clemens quasdam Indulgentias Conventui Castri Rodulphiani in finibus Archiepiscopatus Bituricensis, qui cum Mirabelano contendebat circa antiquitatem; quippe ædificatus a nobili viro Guillelmo de Calviniaco oppidi Castri Rodulphi domino, qui secum ex Italia duxit unum ex sociis sancti Francisci, nomine, vel potius cognomine Bonincontrum, Patrem venerabilem, omni virtute conspicuum, hujus ædis primum incolam, & veluti lapidem primarium, qui in vita & post mortem miraculis clarus, sepultus est in navi Ecclesiæ urbem versus, anno MCCXXX. ipse vero Guillelmus fundator triginta post annis Panormi in Sicilia decessit, jussitque cor suum in hunc locum asportari, quod in Ecclesiæ odæo honorifice

B. Bonincontrus.

rifice conditum eſt. Ex hoc deſcendit Guido a Calviniaco prædicti oppidi dominus, & Brociæ Vicecomes, a juſtitia, diutina continentia viduali, piis operibus & ſanctimonia commendatus, pater pauperum, defenſor pupillorum, & amator egenorum nuncupatus, qui labore multo anno MCCCCLX. regularem obſervantiam huc introduxit, obtentis prius litteris Apoſtolicis & Regiis, quæ adhuc in Conventus archivo ſervantur; licet reliquæ ferme perierint anno MDLX. quo ædem bonis omnibus, & eccleſiaſtica ſupellectile ſanguinarii hæretici ſpoliarunt. Occubuerunt pro fide Chriſti illo tempore bini hujus loci alumni, frater Petrus Odion, tunc lector ejuſdem Conventus, qui in quodam caſtello, Oſan nuncupato, exceptus hoſpitio, inſidioſe ab hæreticis trucidatus eſt; paulo poſt venerabilis Pater frater Guido Germanus ejuſdem ædis Guardianus, in oppidulo ſancti Gonulphi, a Caſtro Rodulphi ſeptem leucis diſtante, ab iiſdem viris ſanguinum, & doloſis truculenter interfectus eſt. Poſt hæc Eccleſiam argentea ſuppellectile, & pretioſis ornamentis inſtruxit Henricus Borbonicus Galliarum primus Princeps, primuſque Caſtri Rodulphi Dux, & fontem aperuit intra Monaſterii ſepta. Alia in eumdem locum contulit beneficia Dominus Deumont Galliæ Mareſcallus. Fr. Petrus, & Fr. Guido ab hæreticis trucidati.

XI. Sub Gregorio XI. Petrus Soracenacus, * Archiepiſcopus Ebredunenſis, poſtea Cardinalis a Clemente VII. creatus, tituli ſancti Marci, non ſanctæ Mariæ Tranſtyberim, uti habet Ciaconus, in Vallem-putam ſuæ Diœceſis, hæreticorum multitudine infectam, Minoritas introducere volens, facultatem conceſſit in eadem domum conſtruendi. Cum vero ad Cardinalatum aſſumeretur, hæc neglecta ſunt; hoc tamen anno conceſſit Clemens Fratribus, ut in eadem valle infra muros Villæ Branzani, ſubtus rupem Cœnobium ædificarent, præſertim cum in hunc finem duas domos ibidem dono acceperint: *Inter Eccleſiaſticos Ordines*, IV. Nonas Februarii. An vero illi ſtatim domicilium ædificarint, incertum, cum apud Piſanum nullam hujus loci mentionem inveniam. * Al. Sarracenicus. Conv. Branzani.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. HOc anno ſub Henrico Alſerio Aſtenſi Miniſtro Generali, ex
„ Miniſtro Provinciæ Januenſis, poſt obitum Martini San-Georgii, electo Florentiæ in Comitiis Generalibus anno proxime præterito, regularis Obſervantiæ Inſtitutum in Italia ejuſdem auctoritate promovetur; atque hinc in Galliam tranſit, & in Aragoniam; ubi alte radices figit, ut in Annalibus noſtris habemus. Quando in Hungaria perſtrepentibus armis, fœdeque inteſtine graſſantibus, etiam regii ſanguinis inhumana effuſione, pia Religionum Inſtituta, præſertim noſtrum, quod ibi ſub patrocinio Regum & Reginarum ſpeciali, religioſa principia habuerat, & incrementa ſentiebat honoris & honeſtatis, obriguere: rem brevi calamo conſcribam. Carolus Dyrachius Rex Neapolis, quem Urbanus nolentem ſuo Nepoti Butillo dare Capuam & Amalphim ad regni privationem actione juris perſequebatur, a turbidis Hungarici regni proceribus in Mariam Reginam, Sororem Hedvigis, de qua ſupra diximus, accitus, præſto fuit. Relicta enim Margarita conjuge, cum Ladislao & Joanna filiis Neapoli, in Hungariam properavit; & eo perventus brevi manu, favore Nobilium, fugiente Sigiſmundo Mariæ conjuge, & mœrente plurimum Eliſabetha Socru, cujus ſpiritualia ſolatia, & ſaniora conſilia a fratre Andrea Vazilo Minorita, quem paulo ante ad infulas Vilnæ Bellum civile in Hungaria. Captivatur Maria Regina.

„ ab Wladislao erectum diximus, pendebant Regnum, obtinuit. Rem omnem patcens tempori, & spe dolorem itimum leniens Elisabetha, adeo caute cum regni Palatino Garensi egit, ut paulo post a Blasio ejusdem Palatini forti & audaci milite, inter legendum quamdam epistolam Sigismundi Carolus lethali vulnere ictus, obierit. Hujus nihilominus mortem Joannes de Horuach, regni Procerum potentissimus, morte Blasii & Elisabethæ, necnon captivitate Mariæ, quam in Croatiam transtulit, vindicavit, meritas pœnas tantorum facinorum daturus: nam ut intellexit Sigismundum magno exercitu stipatum, facti pœnitens, Reginam Mariam, implorata ab eadem necis maternæ venia, nil sibi profutura, Sigismundo consorti reddidit, a quo nihilominus persequutus, ac tandem captus, infami atque severa morte punitus est, cum pluribus regni Baronibus præteritæ rebellionis causa. Tot igitur in turbinibus omnium ora squalebant.

Margareta uxor Jacobi de Sabaudia. Vidua habitum Tertii Ordinis S. P. Francisci induit. *Guicen. tom. 2. fol. 112.*

„ II. Margareta filia Eduardi Belli-joci Dynastæ, tertia uxor Jacobi de Sabaudia Principis Achajæ, plurimum laudata Herois, nisi quod cum privigno Philippo Novercarum more se gerebat, unde hic ad inimicorum sui Genitoris partes deflexit; mortuo conjuge, reliquo tempore vitæ suæ in viduitate posita, Tertii Ordinis S. P. Francisci habitum induit, ut Hyacinthus Barefianus refert, cum quo obiit, & per suum testamentum actum sub die XXI. Octobris hujus anni MCCCLXXXVIII. sepeliri mandavit. Porro ejus pietatem in Deum, & devotionem erga S. P. Franciscum profecto commendabit, qui supremæ suæ voluntatis in tabulis has particulas leget: *Item veux, & ordonne mon corps estre vestu de l'habit de Monsieur sainct François quant l'enuerra, que mon ame voudra departir de mon corps, ou quel habit ma volonté, & intention est de morir si plaît à Jesus Christ. Item veux & ordonne mondit corps estre sevely, en l'Eglise des Freres Minours de Pinerol, & y qui ceesly ma sepulture auecques mon tres cher, & redoubté Seigneur, & Mary Monsieur Jaques de Sauoye iadis Prince de la Morée, & au cas que par la lontaynité dou Pays, ou par la disposition dous temps, qui par auanture ne sara adonsque convenable, ie veux, & ordonne, que en quelque lieu que l'ame partirà de mon corps, que collige dè l'Ordre dè sainct Francois mon corps soit mis par maniere dè despos, & non autrement, duquel lieu ie encharge mes hoirs, & executeurs cy dessous à nommer, que fini l'an dou despous, ou plustost se faire se peutme, iaced porter en la dit Eglise de Pinerol au tombel dè mon tres redoubté Seigneur, à qui Dieu perdoint &c.*

ARGUMENTUM.

Defuncto Urbano VI. succedit Bonifacius IX. creatur Cardinalis frater Bartholomæus Uliarius. Florent aliquot viri illustres, & multiplicantur domicilia.

Moritur Urban. VI.

I. ECCLESIÆ statu sub turbulento & aspero regimine Urbani (quem Otto Brunsvicensis Dux, & Neapolitanus Princeps, si non pie, certe non improprie *Turbanum* nuncupavit) laborante & vacillante, tamdem hoc anno in meliorem exurrexit spem, decedente, non sine veneni suspicione, homine inexorabili XVI. Kal. Novembris, nullo bonis relicto sui desiderio, nullisque, præter consanguineos, mortis impresso dolore. Præter

Ita habet bulla conclavis.

ter enim gravissimum & diuturnum schisma ab ejus imprudentia, & feritate ortum, etiam suæ obedientiæ Principes bellis vexavit, inter se animi inconstantia conseruit, Cardinales plurimos sibi reddidit invisos, utque contra eos, quos sibi facile conciliavit hostes, se defenderet, Ecclesiam depauperavit. Sedit (si sedisse dicatur, qui nullibi quiete commoratus, sedes multas mutare coactus est) annis undecim, mensibus sex, diebus vigintiseptem, etsi menses plures Platina, & Genebrardus, dies pauciores Panvinius, & Ciaconus enumerent. Vacavit sedes dies septemdecim, suffectusque est IV. Nonas Novembris, Petrus, sive Petrinus Tomacellus, nobilis Neapolitanus, ab Urbano concive Protonotarius Apostolicus, deinde Diaconus Cardinalis sancti Georgii in Velabro, postremo Presbyter Cardinalis sanctæ Anastasiæ creatus, annum agens quadragesimum quintum, susceptoque nomine Bonifacii IX. III. Idus Novembris, coronatus est ante gradus Basilicæ Vaticanæ, per manus Thomæ Ursini de Manupello S. R. E. Archidiaconi. Succedit Bonifacius IX.

II. Paulo post coronationem Bonifacius, XV. Kal. Januarii Romæ creavit Cardinales quatuor, atque inter hos secundum, fratrem Bartholomæum Uliarium Patavinum, paulo antea a se institutum Episcopum Florentinum, titulumque dedit sanctæ Pudentianæ. Eximia virtus, (inquit Ciaconus) sacræ Theologiæ, scripturarumque divinarum scientia, humili, sed honesto genere natum, nobilem, & illustrem reddidit Bonifacio Pontifici, & omnibus gratissimum. Turbulento rerum statu, & calamitosis Christianæ Reipublicæ temporibus in regnum Neapolitanum, cum amplissima potestate Legatus a latere missus, ut Neapolim, aliasque regni provincias Clementis Antipapæ partes sequutas, ad Ecclesiæ Romanæ, & Regis Ladislai imperium revocaret. Obiit Cajetæ XVI. Kal. Maii anno MCCCXCVI. sepultus ibidem apud Minores, insignibus, & hoc epitaphio, tumulo marmoreo incisis. Fr. Bartholom. Uliarius creatur Cardinalis.

Unica Cardinei fueras qui gloria cœtus,
Hæc te petra tegit, Patavinis mœnibus ortum.
Almas inter nunc animas lætaris Olympo.
Missus eras partes demum Legatus ad istas,
Cum tibi vivaces mors invida sustulit annos;
Unanimis quidquid conditum munere famæ;
Scire datur studiis, sublimis mente locasti.
Longa tuum meritis clarum per secula nomen
Non adimet suprema dies; tua vivida virtus
Numquam morte cadens, omni memorabitur ævo.

Hic jacet Reverendissimus in Christo Pater D. Bartholomæus de Uliariis de Padua, Dei gratia tit. sanctæ Pudentianæ, Presbyter Cardinalis Paduanus, Regni Siciliæ Apostolicæ Sedis Legatus, qui obiit die XVI. *Aprilis, anno* MCCCXCVI. *indictione* IV. Dignis eum cohonestant elogiis Scriptores Patavini Scardeonius, Portinarius, Sabellicus, & qui de Cardinalibus scribunt Minoritis.

III. Obiit hoc anno VIII. Idus Decembris Richardus Picus Archiepiscopus Remensis, sepultus in Ecclesia Cathedrali, de cujus conditione, & statu ante assumptionem ad Archiepiscopatum sententiam ferre non audet Claudius Roberti, & amplius, quærendum monet, an fuerit Burgundus, Decanus Bisuntinensis, an potius Richardus de Pica Ordinis Minorum, qui scripsit sermones varios apud Trithemium, & Possevinum. Certe hi Auctores, & Petrus Rodulphus, ac Guillelmus Eysengrenius quemdam Richardum Archiepiscopum Remensem Ordinis Minorum inter Ecclesiasticos re- *Gall. Christ. de Arch. Remen. n. 68.* Richard. Picus Archiep. Remen. an fuerit Minorita.

Vide quæ diximus anno 1278. n. 31. referunt Scriptores: cognomentum autem non addunt: *de Pica*, & circa annum MCCLXX. floruisse referunt. Ego etiam hic meum suspendo judicium, præsertim cum tempus non cohæreat, nisi fortassis error subsit in numeris, & pro MCCLXX. annus MCCCLXX. fuerit scribendus. Sub auspiciis hujus anni *Tom. 8. an. 1358. n. 5.* translatus est ab Ecclesia Cavallicensi, seu Cabillionensi ad Cadurcensem *Fr. Francisc. Episcopus Cavallicen. & postea Cadurcen.* frater Franciscus de Cardaliaco, cujus alias meminimus, & gesta aliquot scribit Guillelmus de la Croix in serie Episcoporum Cadurcensium. Obiit anno MCCCCLV. conditumque corpus in Ecclesia de Espaignac, prædictæ diœcesis magna colunt veneratione Cadurcenses, quorum judicio *sanctus* ipse, uti & ejus tumulus, *sepulcrum Beati* passim audit.

IV. Floruit hoc tempore auctoritate, & prudentia Ferdinandus Illescas *Floret frat. Ferdinãdus Confessarius Regis Castellæ.* Minorita confessarius Joannis Regis Castellæ, quem probum, industriumque hominem nuncupat Joannes Mariana. Missus est ab eodem Rege simul *Marian. de reb. Hisp. lib. 18. cap. 15.* cum Uxamensi Episcopo, Petro Lopetio de Ajala, legatus ad Joannem Alancastriæ Ducem, regni Castellæ competitorem, qui ad Cantabriæ, Aquitaniæque fines expectabat Regem pro ineundo mutuo colloquio. Paulo post *Garibaii lib. 15. cap. 26.* amandatus ad Lusitaniæ Regem, qui novo bello Calæcos impetere cogitabat, inducias semestres impetravit: quo tempore transacto, & Lusitano, capta Tuda, incenso subjecto agro, victoriis ferociente, iterum Ferdinandus protraxit inducias in annos sex, Tuda, aliisque ab utraque parte oppidis restitutis. Floruit etiam frater Gonsalvus Marinus, quem hoc anno datis *Fr. Gonsalvus Marinus.* litteris IV. Idus Julii Urbanus Pontifex Nuncium misit ad varios orbis Principes.

Conv. Gratiarũ Ariminen. V. Hoc anno admissum a Minoribus Cœnobium sanctæ Mariæ Gratiarum extra urbem Ariminensem, in cujusdam collis Medii, alias Scolcæ jugulo, ita urgente D. Ludovico de Comitibus V. I. D. scribit Rodulphus. *Rodul. fol. 269. Gonza. in Prov. Bonon. Conv. 4.* Circa annum MCCCXCI. ita factum scribit Gonzaga ex concessione Bonifacii IX. & licentia Henrici Astensis Generalis Ministri, domumque ædificatam esse ex communibus sumptibus civitatis. Ecclesiam consecrarunt Kalendis Octobris anno MCCCCXXX. sedente Martino V. Hieronymus Ariminensis, & Joannes Montis-feltrensis Episcopi, elargitis pro more Indulgentiis. Concurrit hic magna populi multitudo, pieque veneratur imaginem quamdam beatæ Virginis Annunciatæ quotidianis prodigiis celebrem (a qua domus nuncupationem beatæ Mariæ Gratiarum suscepit) a quodam pictore (uti tradunt Ariminenses) adstante Angelo, & docente quibus coloribus esset delineanda, quibusque lineis exprimenda, depictam.

VI. Hic inserere libet ex monumentis Hibernicis ad me missis, duos, vel tres Conventus Provinciæ Hiberniæ, de quorum origine, vel certo fundationis tempore, etsi nihil constet, constat tamen sub hoc tempore extitisse, cum Pisanus, qui anno MCCCXCIX. catalogum, & seriem edidit omnium Conventuum totius Ordinis, horum etiam meminerit. In sequentibus annis dabimus reliquos, itaut nullum eorum, quos ille recensuit, prætermittamus. *Con. Ardferten.* Conventus Ard-Ferten. Civitatis Episcopalis in Comitatu Kierii Fundatorem aliqui scribunt D. Baronem de Licesna, alio nomine *Mac. Moris Kiery*: alii hoc Barone antiquiorem volunt, & cum primis Provinciæ Conventibus vetustate comparandum. Adstipulatur primæ assertioni, hujus Baronis, & successorum nobilis illic erecta sepultura. A multis annis ibi non resident Fratres propter hæreticorum persecutionem. Violatæ Religionis, & contemptæ sacræ ædis aliquot divinæ referuntur ultiones; atque inter has, militem quemdam qui ex superiore parte pinnaculi Templi beatæ Virginis imaginem dejecit, præcipitem decidisse, & confractis ossibus, statim

tim interiisse. In rabiem acti socii, imaginem altissimo casu nulla ex parte læsam, aliudque sancti Francisci simulacrum minutim sciderunt, struem composuerunt, ignem subjecerunt, carniumque cacabum imposuerunt, sed neque carnes coquere, neque ignem accendere potuerunt, pauloque post omnes mala morte interierunt. Hujus loci meminisse Pisanum in Custodia Corcagiensi, corrupto vocabulo *Ardach*, judicaverim; non enim alium in hac Custodia puto potuisse hoc nomine insinuare.

VII. Alius est hujus Custodiæ Conventus de *Athkettin* dictus, cujus etiam meminit Pisanus sub nomine *Luasiæ*. Per hæc tempora constructum ferunt a quodam Comite Desmoniæ. A longo tempore nulli ibi habitarunt Fratres, expulsi ab Anglis hæreticis, Duce Nicolao Malbii anno MDLXXXI. crudeliter interfectis aliquot, præsertim fratre Joanne Cornelio, cujus cadaver conditum est in æde capitulari, & fratre Galfrido Ferallo apprehenso in exercitu Comitis Desmoniæ, & statim ex arbore obvia suspenso. Conv. Athkettin.

VIII. Tertius est Teigmolagii in Comitatu Corcagiensi, diœcesi Rossensi, & Baronia de Ybaun, ad portum quemdam maritimum haud magni nominis, in loco amœnissimo, ubi influit in mare fluvius *Airgidin* ex copiosa salmonum, aliorumque piscium captura celebris, & per duo ferme milliaria navigabilis. Eo in loco præextitisse scribunt castrum Domini de Mon-ville, quod in suam redegit potestatem Dom. Dermicius Carthæus de genere Principum *Carri-Brein*, deditque Fratribus commutandum in Cœnobium. Ipsum eumdem structuræ sumptus ministrasse ferunt; alii volunt ædificatum Conventum per Dominum de Barry, & aliquot officinas ædificasse Raymundum Cursii Episcopum Rossensem. In Chori medio, quod Fundatorum solet esse privilegium, sepulturam habet *Mac-Carthii Reigh* Carri-Briensium Princeps, in Ecclesiæ vero corpore reliqui fere omnes nobiles sui dominii, & dominus Vicecomes Barry cum nobilibus Baroniæ de Ybaun, & Dom. Baro de Cursy. Magna semper observantia, & virtute vixerunt hic Minoritæ etiam inter bellorum tumultus, & Hæreticorum incursus, remanetque adhuc totum domicilium, ita tamen quassatum, & ruinosum, ut multa egeat reparatione. Refertur, voluisse quemdam Hamerum Anglum Ministrum, asseres, libros, aliamque hujus domus supellectilem, impetrata Senatus Regii facultate, in Angliam transferre: sed cum vela ventis daret, in omnium conspectu prope ipsum portum insitata tempestate navis submersa est. Similiter ajunt, quemdam Pseudoepiscopum Corcagiensem asportasse ferramenta, & materialia Molendini Fratrum, ad suum quod construebat, complendum; pauloque post magna inundatione novum hoc eversum, & omnino destructum, deinde timore perculsum hominem a reliqua materia, & molis transferendis, operæque iterum aggrediendo cessasse. Eumdem etiam addunt Pseudoepiscopum voluisse apprehendere populum, & Fratres, quos ad Natale Dominicum celebrandum credebat conventuros in hoc Cœnobio; sed Corcagia illuc equitantem toties cholico dolore correptum, quoties progredi vellet; donec tamdem destitit, & domum reversus est. Transeuntes item illac milites hæreticos, pedites centum, equites quinquaginta, insolenter, & impie debacchatos in imagines, vitreas fenestras picturis Sanctorum variegatas, & Altaria comminuisse, fabrumque lignarium Catholicum, qui in Monasterio laborabat, exclamasse: *Sancte Francisce, magna est tua apud Deum auctoritas, ut quid talia pateris ab impiis sacrilegis in domo tua patrari? Ego juro et voveo, me ullo unquam tempore in domo tua laboraturum, nec quidquam obsequii tuis Fratribus præstiturum, si hanc insolentem inultam relinques injuriam.* Illinc re- Con. Teigmolagen.

recedentes facrilegi inciderunt in hostem Dermicium Osulivan, Catholicorum Ducem, qui omnes ad duos usque prostravit. Condita sunt in claustro ossa Dom. Eugenii Mac-egan sacerdotis vulnerati in bello, dum assisteret exercitui Catholicorum, & mortui paulo post, non absque signis magnæ pietatis. Inter reliquos Fratres pietate & virtute præstantes, qui illic vixerunt, enituit sub annum MDXCVIII. frater Mariartus o Heco Sacerdos, qui aqua in lac dulcissimum signo Crucis conversa, infirmum sanavit.

Gonz. in Provin. Valent. Con. 5. *Ann. 1388. n. 6.* Conv. Chelven.

IX. Hujus anni partus sunt, ut superius diximus, Conventus Cheluensis, & Pomerianus in regno Valentino, concessi liberalitate Petri Latronis Chelvensium Comitis primis illis regni Aragoniæ Observantiæ Regularis restauratoribus. Ille distat aliquantulum ab oppido Chelvæ, scaturientibus aquis, amœnissimis hortis abundat, & cœlestium contemplationi valde deservit, habet nempe novem cellulas, sive oratoria variis Sanctis dicata, ad quæ contemplationis, & abstinentiæ causa Fratres frequenter se conferunt, & piis se operibus exercent. In uno istorum piam vitam diu duxit beatus Joannes a Cetina, qui cum beato Petro de Dueñas Granatæ gloriosum subivit martyrium, uti inferius narrabimus. *An. 1397. n. 1.* Quidam Frater laicus hujus Conventus hortulanus, vir pius, cum femina, quæ terræ mandabat, passeres exederent, Deum oravit, ut molestum, & noxium hoc volucrum genus a suo horto procul faceret. Exaudivit pii viri preces Dominus, neque deinceps ullus passer ibi comparuit. Cum vero hæc referentur cuidam Chelvensium Vicecomiti, & fabulosa reputaret, periculum facturus, tradidit occulte puero, quem in comitatu ducebat, passeres duos, ut in hortum, dum ipse cum Fratribus incederet, emitteret. At cum juvenculus sinum expanderet ut avolarent, mortuos respexit. Licet hæc ridicula videantur, enarrare volui, ut innotescat quantum valeat oratio justi apud Deum.

Ibid. Con. 6.

X. Conventus alter Pomerii vulgo *Mançanera* ab eodem Vicecomite extructus est aliquantulum extra oppidum, ubi prius erat ædicula beatæ Mariæ de Campo dicata, quam invocationem altera sanctæ Mariæ Angelorum commutavit. Imminet Templi januæ parvulum Virginis simulacrum lapideum, quod dum pauper quidam furtim auferre vellet, ab obvio rivulo mirum in modum vasta voragine æstuante, ne id faceret, prohibitus est semel, & iterum donec miraculum agnoscens, imaginem proprio loco restituit, & crimen publice confessus est; qua de causa majori veneratione ab universo populo colitur imago. Non impari cultu celebratur in Ecclesia tabella Salvatoris nostri vultu exornata, miraculose depicta. Erat quædam pia fœmina, quæ magno desiderio cupiebat habere effigiem nostri Redemptoris, sed cum eo loco nullus esset pictor, dum quodam mane e lecto surgeret, hujusmodi imaginem, præter spem tabulæ impressam conspexit. Eam reverenter venerata, seque indignam judicans, quæ miraculosum pignus sibi retineret, magna solemnitate ad hunc Conventum efferri curavit.

Conv. Gratiarũ Mantuan.

Idem in Provin. S. Antonii Con. 8. Donesmun. in histor. Mantuan. 1. par. ad hunc annum.

XI. Conventus sanctæ Mariæ de Gratiis prope Mantuam originem describunt duo historici illustres Mantuani etiam Minoritæ; neque vero omnino concordant. Primus, Illustrissimus Franciscus Gonzaga, secundus Hippolytus Donesmundus: certiora, & ea, in quibus concordant, enarrabo. Ad V. M. P. a Civitate super Mantuani lacus marginem in campo Curtatonis erat in quodam parietino vetusto, & tabella infixa imago Virginis Mariæ, cui, ut majorem conciliarent devotionem, quidam pii Viri ædiculam adaptarunt, & Presbytero prope commoranti commendarunt. Sub hoc tempore cœpit Virgo gratiarum venam aperire, & multis clarere miraculis, quibus attracti universi circum circa Populi veneraturi accurrerunt, & oblatio-

tiones multas pro beneficiis acceptis rependerunt. Frequenti concursu, & quotidianis excita signis plebs Mantuana consilium habuit de commendanda ædicula Viris religiosis, qui perpetuo assisterent, & Populi foverent pietatem. Decretum tamdem, ut traderetur Minoritis, atque ita factum, Francisco Gonzaga Mantuano Principe volente, Bonifacio IX. in ipsis Pontificatus auspiciis per suas litteras. Kalend. Decembris annuente, & Sagromosio Urbis Episcopo conferente solemni, & sacro comitatu sub initium anni sequentis; ubi Fratres humile sibi inchoarunt ædificium. Grassante vero anno MCCCXCIX. sæva lue in urbe & circuitu, præfatus Princeps Franciscus, non Ludovicus, uti habet Gonzaga, votum emisit de visitandis sanctis Hierosolymorum locis, & ædificando sumptuoso Templo beatæ Mariæ Virgini, si mortalis hæc cessaret contagio. Regressus Hierosolymis, & lue extincta, ædem amplissimam & nobilissimam triginta aureorum millibus in loco illius ædiculæ Minoritarum construxit, & a perpetuis miraculis Templum Mariæ Gratiarum voluit appellatam. Translata est ad Observantes, sedente Gregorio XII. imperante Joanne Francisco Gonzaga Fundatoris tenello filio, ita exhortante Carolo Malatesta Principe Ariminen. adolescentuli tutore, amitæ Elisabethæ Gonzagæ marito, a quibus multa receperunt Fratres beneficia.

XII. Consecrata est Ecclesia ann. MCCCCVI. die XV. Augusti sub Innocentio VII. per fratrem Nicolaum de Tinctis Episcopum Tolanum, præsentibus Joanne Mantuano Patriarcha Gradensi, Venetiarum ac Dalmatiæ Primate, & Antonio de Ubertis Episcopo Mantuano. Templum est capacissimum, & nobilissimum pulchris picturis, & sacellis ornatum; aurea, & argentea supellectile instructum. Innumeras habet tabellas, & imagunculas beneficia per Virginis intercessionem accepta testantes. Altare præcipuum sumptuose, & elegantissime per Ferdinandum Gonzagam, sub Carolo V. Imperatorii exercitus Præfectum, & statûs Mediolanensis Gubernatorem extructum. Ob Populi frequentiam illuc confluentem die Nativitatis Virgineæ, quæ Templi festivitas est præcipua, solemnes & copiosissimæ illic aperiuntur Nundinæ, concurrentibus undique ditissimis Mercatoribus. Pius II. devotionis causa Basilicam hanc visitavit anno MCCCCLIX. die IX. Octobris, & Fratribus cohabitavit diebus tribus; & Indulgentias concessit eamdem visitantibus Dominica prima mensis Octobris. Secundo illuc profectus anno MCCCCLX. die XVI. Januarii ad altare beatæ Virginis rem sacram peregit, & multas largitus est gratias spirituales. Peculiarem de hoc insigni Conventu libellum scripsit supradictus Donesmundus, & plura de eo narrat Hieronymus Menghi Viadana in suo opere, quod *Thesaurus cælestis Mariæ Virginis* nuncupavit.

XIII. Castri Lendii vulgo *Castel de Lences*, oppidi Diœcesis Burgen. in Hispania Monasterium Clarissarum hoc anno ædificatum est propriis facultatibus per Sanciam de Rojas pientissimam Heroinam, & reditibus, ac prædiis sufficienter locupletatum. In Cœmeterio, dum fortuito in sepulcrum quædam Soror efferretur, inventum fuit alterius Monialis ante multos annos defunctæ corpus omnino illæsum & incorruptum, cujus nomen ignoratur. Magnas concessit hoc anno Indulgentias Conventui Minorum Tudertino, a sancto Fortunato nuncupato, de quo alias locuti sumus, Urbanus VI. in cujus Cœnobii Ecclesia requiescere asserit corpora sanctorum Fortunati, Calisti, & Cassiani olim Episcoporum Tudertinorum, necnon beatarum Dianæ, & Romanæ Virginum: *Splendor paternæ gloriæ* III. Kalendas Maii. Has litteras anno sequenti confirmavit Bonifacius IX. fuisque in-

Idem in Prov. Burgen. Mon. 4.

Mon. Castri-Lendii.

Tom. 5. an. 1284. n. 21.

feruit. Inveni autem in catalogo Episcoporum Tudertinorum apud me MSS. templum hoc sancti Fortunati amplissimum, destructo priori, satis humili, ædificasse Cives Tudertinos, & prima jecisse fundamenta anno MCCXCII. Nicolaum Episcopum; illuc vero translata prædicta Sanctorum corpora, anno MCCCI. die XIX. Augusti a Nicolao altero cognomento Armato, prius Canonico Rothomagensi, qui hos præcessit. Bentivenga Cardinalis Minorita, huic loco libros omnes, & supellectilem legavit argenteam.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. EGimus superius de Monasterii sanctæ Claræ Portus-Læti fundatione, nunc ejusdem incrementa damus, sed lenta: licet enim „ Ferdinandus, & ejus uxor Leonora præter thermas, de quibus mentionem fecimus, largas eleemosynas pro eo construendo dedissent, Civesque pii plura & ipsi contulissent; nihilominus defuncto Ferdinando, „ & ad secunda vota cum Petro IV. Aragonum Rege Leonora transacta, „ religiosæ ædis structuræ fervor tepebat, maxime quod inchoatum opus „ pro LXX. Monialibus, amplum, nec parvi momenti, opem non vulgarem, sed regiam exigeret. Rebus ergo ita se habentibus, Vasquius „ Episcopus Egitanensis, cujus Episcopi statio potissima est Portus-Lætus, „ ut rem adeo piam a torpore excitam promoveret, & ad perfectionem urgeret, dato diplomate sub die XX. Junii hujus anni MCCCLXXXIX. omnibus fidelibus pro fabrica præfati Monasterii pias eleemosynas contribuentibus, indulgentiarum quadraginta dies elargitus est, confirmavitque „ pariter eas omnes peccatorum remissiones, quas alii Antistites in eum „ finem concesserant, vel in futurum concederent. A fundatione pariter „ Monasterii Clarissarum Virodunensium nonaginta post annos, hoc scilicet „ tantum anno illius Ecclesia a Francisco Episcopo nostri Ordinis, feria tertia Pentecostes solemni, & Catholico ritu dedicata fuit, altareque majus „ Deo dedicatum sub invocatione sanctarum Claræ virginis, & Barbaræ virginis & martyris.

Mon. MS. Prov. Alg.

Sup. ad an. 1322.

ARGUMENTUM.

Aucta familia Regularis Observantiæ, augetur & fratris Paulutii Rectoris potestas. Coadjutores ille assumpsit regiminis Francifcum Fabrianen. Joannem Stronconium & alios. Demum virtutibus & miraculis clarus moritur Fulginei. Celebrantur Comitia generalia. Assumuntur multi ad infulas Pontificias. Florent Viri docti. Recurrit memoria Francisci Cardinalis Carboni. Subjiciuntur aliquot Conventus.

Marian. l.5. c.4. Jacobill. in vit. Paul.

Augetur familia regul. Observantiæ.

I. PRÆTER ea, quæ superius recensuimus, domicilia pusilli gregis Fratrum Regularis Observantiæ, obtinuit hoc tempore in ultima senecta frater Paulutius alia tria, Camerinum, Montis-sancti, Cæsæ Palombæ, ac Muri in Provincia Marchiæ, quæ plenæ ejusdem jurisdictioni, ac si Provincialis foret Minister, subjecta voluit frater Henricus Generalis Minister, hac data commissione.

In

In Christo sibi carissimo fratri Paulutio de Fulgineo Provinciæ sancti Francisci, frater Henricus Ordinis Minorum Generalis Minister, & servus, salutem, & pacem in Domino sempiternam.

II. *Tuis petitionibus libenti animo condescendens, ut Conventum Camerini, & loca Cesæ Palombæ, ac Muræ Provinciæ Marchiæ tibi concessa per....... Ministrum prædictæ Provinciæ, acceptare possis, regere, & gubernare, atque ibidem de Fratribus providere, & illos ibi existentes amovere, & commutare, ac circa dictos Fratres Conventum, & loca præfata facere omnia & singula, ac si ipsorum Minister Provincialis fores, & quod si aliqui ex Fratribus tibi commissis forte habeant litteras a me, quod in aliquibus locis stare possint, non amovendi &c. penitus non obstante, dilectioni tuæ, præsentium tenore concedo, nolens, quod in supradicta commissione Conventus, & locorum prædictorum ab aliquo me inferiore amoveri valeas, nec impediri, vel quomodolibet molestari. Vale in Jesu Christo. Datum Perusii die* XXIV. *mensis Februarii, anno Domini* MCCCXC. Et potestas Fr. Paulutii.

III. Super hæc, & alia Cœnobiola tractus Picæni frater Paulutius suum constituit Commissarium, & Coadiutorem fratrem Franciscum, alias Cichum Fabrianensem, virum optimum, qui dudum cum aliis Fratribus Picœnis ei adhæserat, & religiosissima conversatione consodales ad omnem virtutem, & seculares ad religiosam ineundam vitam alliciebat. Obtinuit hic a nobilissimo heroe Chiavello Fabriaoi domino, Guidonis filio ædiculam Eremitæ Vallis Saxi IV. M. P. a Fabriano distantem, iis in partibus ob sancti Francisci incolatum, & rationes, quas nos alias assignavimus, celeberrimam. Illinc olim, antequam in Minorum potestatem deveniret, translatæ Sanctimoniales Benedictinæ ad portam Plani Fabrianensem, & proinde jus suum in locum, & vicina nemora repetebant, vel annui census solutione in confesso volebant. Ne itaque Fratres arctissimam præferentes paupertatem, hoc onere gravarentur, soluit Chiavellus Abbatissæ aureos ducentos, ut libera omnia permitteret. Multa alia adjecit beneficia, domunculam rebus omnibus necessariis instruxit, incolis victum & vestitum liberali manu porrexit, eisdem sæpissime convescens, & convivens, in oratione pernoctans, & divinas laudes etiam media nocte persolvens. Post aliquot annos, creatus Imperator exercitus Veneti, obiit Venetiis VII. Idus Augusti, anno MCCCCXII. jussitque ultimis tabulis ad hunc locum suum corpus transferri, quod biennio post curavit domina Lixa, sive Alicia ejus conjux fœmina lectissima, & Sodalitio addictissima. Franciscus autem præfatus Vicario functus munere in illa Provincia annis multis, post Monachatus quinquagesimum, eo in loco Eremitæ magna sanctitatis opinione decessit.

Suum Commissarium instituit Franciscum Fabrianen.

Tom. I. an. 1215. n. 20.

IV. Socium alterum fratrem Joannem Stronconium, virum perfectum, doctum, egregium concionatorem, & ardentem regularis Observantiæ zelatorem destinavit Paulutius hoc ipso anno ad Tusciæ Provinciam. Auxit hic valde familiam, maxime post Magistri mortem institutus ejus successor, vitæ puritate, & sermonis facundia omnibus gratus, omnibus venerabilis. Cœnobia multa vetusta ad hanc vitæ normam prudenter reduxit, alia a fundamentis pacifice construxit, uti suis quæque annis enarrabimus, suamque Sodalitatem viris optimis e seculo, vel laxiori vita, assidua concione vocatis, magnopere illustravit. Tamdem virtutibus, miraculis, & spiritu prophe- Et cooperatorē Joann. Stronconium.

tiæ clarus, multis perfunctus laboribus decessit Luceriæ Sarracenorum, in sancti Angeli provincia anno MCCCCXVIII. uti sub illo tempore amplius referemus.

Fr. Angeli de Monte-Leonis virtutes.

V. Huic datus est socius frater Angelus de Monte-Leonis, sacræ Theologiæ Lector, qui e Conventualibus transivit ad fratris Pauli disciplinam, allectus summa Viri virtute, & restaurandæ Religionis desiderio. Assiduus in oratione, & cœlestium contemplatione meruit in visione Christum videre, cujus sacratissimæ passionis mysteria ingenti affectu in Missæ sacrificio recolebat, singulis fere momentis beneficia commemorans creationis, & redemptionis, Deo gratias agebat, & genua flectebat millies intra diei noctisque intervallum. Florentiæ magnam obtinuit cum socio virtutis & doctrinæ opinionem; frequenter enim magno spiritus fervore prædicabant, & ad meliora populum omnem excitabant. Jecerunt illi in Tuscia prima semina Regularis observantiæ, ædificato Fæsulis devoto Cœnobio, obtentisque mox aliis Catonii, Columbarii, & sancti Processi a Tusciæ Ministro. Sub vitæ terminum præcepit ei Guardianus, ut ad Fratrum ædificationem & Dei gloriam revelaret, si quod peculiare donum a Deo receperit: invitusque respondit, se illo speciali affectum munere, quod a triginta annis nullum protulerit verbum otiosum. Obiit pietate & virtute insignis in Cœnobio sancti Processi, visusque est in cœlum ascendere magna comitante sanctorum Fratrum multitudine. Post obitum tres mortuos suscitavit, & multa edidit miracula. Funis, quo præcingebatur, habetur in veneratione Fesulis, ejusque tactu multa languentibus, & parturientibus Deus confert beneficia, qua de causa sæpe Florentiam asportatur.

Alii socii Paulutii.

VI. Præter hos, alios habuit socios frater Paulutius virtute præclaros, fratrem Petrum Narbonensem, anno sequenti, uti dicemus, martyrio clarum, fratrem Germanum Laicum, & alterum ejusdem conditionis virum optimum, ex quibus duo posteriores ipsi consepulti sunt Fulginei. Absolvit autem ille gloriose hoc anno vitam in Patria, cujus morti hic libet præmittere reliqua ejus gesta & virtutes, quæ in hunc locum reservavimus. Labores multos, & tribulationes innumeras pro stabiliendo hoc vitæ genere perpesso, non defuit in angustiis Dominus: cum enim a consanguineo Fulginei Domino recluderetur in quadam turre, ut persequentium declinaret molestias, & suas Domino commendaret afflictiones, tanta repletus est consolatione, & divinæ gratiæ augmento, ut vehementer clamaret: *Satis est Domine, satis est.* Sub finem anni precedentis in Conventu Bruliani, dum lacrymis multis assidue hominum peccata, & in Deum optimum benefactorem ingratitudinem defleret, oculorum lumen amisit: sed tulit patienter corporalis lucis detrimentum, ut facilius interno lumine cœlestia conspiceret: *Melius multo judicavit spiritu videre, quam carne, & illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere, quam illos, qui solo visu per concupiscentiam possunt hominem in interitum mittere gehennæ.*

Oculis orbatur.

Hieron. ep. 31. vit. Patr. lib. 3. in fine.

Venit Fulgineū moriturus.

VII. Oculis orbatum, & viribus deficientem jam octogenarium consanguinei nobiles, & cives Fulginates inierunt consilium de revocando in Patriam, ut ibi vitæ finem poneret, ubi accepit initium, & apud se pretiosum reponeretur pignus quod aliis crediderunt. Miserunt itaque nuncios, qui partim precibus, partim arte, & ratiocinatione eum induxerunt, ut remearet, maxime cum paulo antea revelationem habuerit post unius anni spatium, mortem subeundam esse Fulginei. Pararunt illi comitatus, rhedam, & equitatum, sed horum nihil vir Dei voluit admittere; solo Fratre socio, & baculo contentus. Multa discessurus dedit Fratribus salutaria consilia,

filia, & largas benedictiones imprecatus, cœnobioli muros, quos non videbat, palpans osculabatur, & domunculam multis extulit encomiis, in qua restitutæ vitæ evangelicæ prima jacta sunt fundamenta; Paradisum vocabat contemplationis, seminarium virtutis, scholam religiosæ disciplinæ, paupertatis depositum, & fontem regularis Observantiæ. Audito demum sacro, decantato hymno: *Te Deum laudamus*, mox collacrymantibus discipulis, pedes abiit a socio manuductus Fulgineum. Ubique per omnes semitas occurrebant ex castris, & obviis vicis multi, Dei servum veneraturi, quos ille humillime repellebat, omnino se indignum judicans tanta reverentia. In urbem venit die XVII. Septembris anni præcedentis, & quantum licuit, fugit hominum occursum sed frustra, concurrente universo populo in templum sancti Francisci, ut hominem justum, Deo carum aspicerent. Dilapsus in Cellulam a Patribus Conventualibus præparatam dixit: *Hæc requies mea, dum vixero*; & venienti Ugolino Trincio consanguineo, urbisque Rectori, noluit aperire, sed dici voluit, ut prius conscientiam expiaret confessione sacramentali, quam videre tentaret. Durum hoc responsum propter boni Viri reverentiam patienter tulit generosus Heros, domumque reversus, præmisso illa nocte conscientiæ examine, summo mane confessus, iterum regressus est. Confessi & expiati in occursum irruit frater Paulutius, & salutaria subjunxit documenta circa animæ disciplinam, & urbis gubernium. Conventus Bruliani laudes.

VIII. Voluit hic facere periculum an prophetico fulgeret lumine Paulutius, quod multi deprædicabant; præmisitque servos, qui zelum salutis Ugolini præferrent, & viro Dei narrarent recidivum, in peccata de quibus eum increpaverat, relapsum, neque boni, aut integri Principis vitam præferre. Verum ille ab eo tempore, quo Paulutius eum secreto de multis admonuit, christiane vixit, justeque gubernavit; quod, an ille cœlitus sciret, vel potius leviter crederet, effictis calumniis voluit explorare, & præ cæci Patris foribus se abscondit auditurus quæ vir Dei servorum criminationibus responderet. Ut famuli dixerunt, statim vir Dei vultum ad ostium convertens, inquit: *O te magis cæcum, Ugoline consanguinee, qui cæco ponis offendicula: ut quid non ingrederis, & rationem reddis malarum cogitationum, quibus Deum tentare, & servis ejus tendicula objicere parabas?* Quibus verbis perterritus Ugolinus crimen fassus, Dei virtutem in servis suis magnificavit, & in culpæ satisfactionem donavit Paulutio, & Consodalibus turrim, contiguumque palatium, quod extra Civitatem ad P. M. in editiori colle, & tractu Marani possederat, ut hujus Instituti viris illic ædificaretur Cœnobium, quod post aliquot annos factum est, uti suo tempore dicemus. Claret spiritu prophetiæ. *Ann. 1406.*

IX. Cæterum Vir Dei continuis intentus orationibus, & cœlestium meditationi se, populum Fulginatem, & commissum sibi gregem Deo ferventer commendabat: tempus, quod orationi supererat, instruendis ad se venientibus, & audiendis Fratribus, regendoque Sodalitio dedicavit. Horas antemeridianas ferme omnes insumebat in audiendis sacris, & sanctissimi corporis dominici perceptione, cui quotidie, præmissa digna præparatione, devote communicabat. Sepulcrum invisebat singulis diebus beatæ Angelæ concivis, & sacrorum martyrum Jacobi & Philippi, quorum corpora illuc illata fuisse narravimus, orabatque ut pro se Dominum interpellarent, quatenus, uti in eodem convixerunt Sodalitio, sic conregnarent in Cœlis, & qui sub eodem Duce merebantur, in eodem loco reportarent trophæum. Sub vitæ exitum Assisium duci voluit veneraturus sui Institutoris incunabula, vestigia, & sepulcrum, quibus multa infigens oscula, humiliter commenda- Præparat se ad mortem. *Ann. 1377. n. 1.* Assisii veneratur S. Francisci sepulcrum.

davit sancto Patriarchæ novellum gregem, qui vitam ab ipso præscriptam studebat renovare. Fulgineum reversus sub Septembris initio languere cœpit, & febri vexari, intellexitque prope jam esse mortem sibi Brulliani prædictam, quod, dum Cives & Consodales intellexerunt, turmatim confluebant, ut ab illo benedicerentur, & monita reciperent salutis. Omnibus ille satisfaciebat, pro omnibus orabat, pro Fratribus, pro concivibus, pro Ecclesiæ statu, pro universo sancto populo Dei, & humiliter petita venia omnium erratorum tam in conterraneos, quam in Consodales commissorum, sanctæ Ecclesiæ Sacramenta recepit. Deinde animam Deo commendans, advocatosque interpellans beatissimam Virginem, beatum Paulum Apostolum, cujus nomen præferebat, sanctum Felicianum Fulginei protectorem, sanctum Franciscum suum institutorem, aliosque sanctos Patriarchas, humi, ad similitudinem sancti Francisci, decumbens, paupercula contectus lacerna, manibus in crucis formam compositis, Jesum & Mariam compellans, hilari vultu in ridentis modum, sanctam animam efflavit hoc anno, sive verius sequenti, xv. Kalendas Octobris sacris stigmatibus sancti Francisci sacro, ætatis anno LXXXI. ab ingressu Religionis LXVII.

Sancte moritur.

X. Propalata ejus morte, concurrerunt cives, & ex vicinis castris universi populi defunctum veneraturi, & osculaturi. Per dies aliquot manifeste patuit omnibus absque ullo mortis horrore, aut tetro odore; mox ut populi satisfactum est pietati, Patres Conventuales noctu, secreto, & absque testibus sanctum corpus sepelierunt, timentes, ne ab ejus discipulis repetundarum insimularentur, aut sacri pignoris jacturam furto, vel dolo pati contingeret. Ea de causa in hunc usque diem ignotum est omnibus sepulcrum, neque exhumatum aliquando fuisse ullus recenset. Quare admiror, cur Petrus Rodulphus dicat, ejus corpus quiescere extra urbem Fulginei, & alibi agens de Cœnobio Observantum extra Fulgineum, ita scribat: *Locus sancti Bartholomæi apud Fulgineum, ubi jacet beatus Paulutius, pater primæ familiæ in Italia.* Cum reliqui Scriptores constanter asserant, sepultum fuisse in Ecclesia sancti Francisci, neque ullus sit, qui translationis extra urbem meminerit. Cubicula beati Paulutii, & sociorum multis annis possederunt Observantes in eodem Patrum Conventualium Cœnobio, eisque utebantur pro hospitio, quando Fulgineum veniebant, duobusque designatis locis in Ecclesia confessiones excipiebant sibi addictorum, donec sub Sixto V. utroque hoc privilegio sunt spoliati. Scripserunt Paulutii vitam Marianus Florentinus, qui in vita & post mortem miraculis claruisse, & prophetiæ spiritu plenum fuisse narrant Marcus Ulyssipponensis, Bartholomæus Cimarellus, & omnium copiosissime Ludovicus Jacobillus Fulginas. De eo multis locis agunt Franciscus Gonzaga, Petrus Rodulphus, Jacobus Oddo Perusinus, & alii.

Ubi sepultus.

Rodul. fol. 154. Idem fol. 298.

Quinam ejus vitam scripserunt.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Tom. 2. an. 1223. n. 25. Tom. 5. an. 1389. n. 34. Fr. Sanctes Urbinas.*

„ XI. Absolveram Tomum istum, & sequentem, quando ad manus „ meas pervenerunt aliquot monumenta vitæ, & gestorum venerabilis „ Servi Dei fratris Sanctis laici, de quo obiter paucula delibavimus, quæ „ diligentius a nobis discussa, & in ordinem redacta huc duximus transferenda. In monte Fabri ditionis Urbinatis, oppidulo gentis Paviottæ, „ natus locuplete genere Brancaino, nunc a Juliano nuncupato, adulta „ ætate seculum reliquit, ab alterius malo occasione suscepta, ex insidiis „ eum adorsus quidam, alias susceptoris, vulgo compatris titulo a suspicione alienus, dum icire voluit, ipse ictus in femore post paucos dies „ occubuit. Subiit vehemens mali cogitatio adolescentem, & præstitæ „ causæ, quantumvis licitæ, statuit in Ordine Minorum exercere pœnitentiam.

„ tiam. Ut duriorem faceret, elegit humilem statum conversorum, om-
„ nibus subesse cupiens, excipiendis opportunior injuriis. Panem, quem
„ alii abstinentiæ præfigunt terminum, longo tempore non comedit, her-
„ bas decerpens, vel fructus delibans. Ut dentem pro dente, oculum pro
„ oculo redderet, seu par pari referret, diebus multis oravit & exoravit, *Ejus pœnitentia.*
„ ut inflicti defuncto vulneris dolorem, eo ipso in loco sentiret. Ortum
„ illic apostema molestum & dirum, ad mortem usque duravit, continuos
„ infligens dolores, cujus vestigium etiamnum in femore conspicitur.

„ XII. Ingenti ferebatur devotione erga sacrosanctæ Missæ, & Eucha- *Videt per parietes Eucharistiam*
„ ristiæ Sacramentum, quæ dum non licuit audire, aut videre quodam *Simile prodigiũ narravimus de Francisco Dyrrachino Tom. 6. an. 1305. n. 6.*
„ die impeditus Fratrum obsequiis, sentiens levandæ hostiæ in missa so-
„ lemni campanæ signum, genibus flexis a longe adoravit. Intererant pa-
„ rietes quatuor, sed fixis omnibus patuerunt sacra mysteria, hisque pera-
„ ctis, muri coierunt illæsi. E silva jussus lignum inferre Cœnobio, sub
„ dio in horto reliquit jumentum; summo mane rediturus ad opus, invenit
„ a Lupo occisum & semiesum. Truculentam bestiam fugientem aspiciens
„ revocavit, obsequentem increpavit malefacti, præcepitque ut illatum *Lupum cicurat, & onesi supponit.*
„ Fratribus damnum suo labore compensaret. Injecto fune, impositisque
„ clitellis, in silvam duxit, ligno onustam reduxit, & quoad vixit eo ha- *Tempore brumali cœlitus ei ministratur cerasa.*
„ buit in ministerio. Ægrotans nauseabat ad cibos quoscumque: apetiit
„ ultro cerasa, sed tempore brumali, quo gelu, & nivibus universa rige-
„ bant. Ut impossibilium desiderio abstineret, rogavit infirmorum præfe-
„ ctus; at ille rogare, & deprecari perrexit, ut in hortum descenderet,
„ certo reperturus, & decerpturus quæ cupiebat. Abiit ille subridens,
„ ut complaceret, vidit omnia nive candentia, & arbusculum frondibus,
„ & cerasis onustum. Stupens & hærens miraculum agnovit, fructum de-
„ cerpsit, gustavit, duxit ad ægrum. Miraculo ad posteros transmittendo
„ conservata aliqua cerasa in ampulla; quæ nostræ ætatis homines viderunt,
„ & ante paucos annos ipsa arbor exaruit.

„ XIII. Seminaverat in horto Cœnobii rapas; sed cum postridie nihil *Biduo natæ rapæ.*
„ suppeteret condiendum pro Fratribus, misit suum in culinæ ministerio
„ coadjutorem, ut ferret jam enatas. Irrisit ille hominis simplicitatem,
„ qui crederet ante duos dies jacta semina potuisse adhuc pullulare. Roga-
„ tus tamen, ut visum iret, abiit, vidit terram produxisse fructum suum,
„ & parum semen excrevisse in rapas insolitæ magnitudinis. Eduxit sarculo
„ quot placuit; ministravit optime conditas Fratribus, & supersuerunt ali-
„ quot in tanti miraculi testimonium servatæ longo tempore in Monasterio.
„ Secessit quodam mane oraturus in horti angulum, regressus sub prandii
„ horam in culinam vidit ollam ruptam, dilapsum jusculentum, nihilque *Jusculentũ adauctum.*
„ superesse pro Fratribus. Genuflexus oravit, ut consodalium necessitati
„ Deus provideret. Intuitus in fragmento vasculi paululum juris, quod
„ neque uni sufficeret, cœpit per discos dividere guttulas, quas ita multi-
„ plicatas conspexit, ut duode viginti incolis, aliis adventantibus hospiti-
„ bus abunde sufficerent. Cœnobii æramentum in orificio ruptum adhuc
„ conspicitur, alio genere metalli ejus opera resarcitum, absque ulla placi- *Nolam resarcit.*
„ di tinnitus offensione. Qui campanam aspiciunt fusoriæ artis periti impos-
„ sibile reputant humana scientia hoc addi segmentum potuisse externa
„ colligatura, & in partes actam reuniri posse, nisi liquefactæ coalescant.

„ XIV. Obiit tamdem virtutibus & miraculis illustris circa annum *Sanctè moritur.*
„ MCCCXC. sub Augusti medium; quotannis enim Dominica secunda dicti
„ mensis ejus feriæ celebrantur, coeuntibus populis ex pagis & oppidis vici-
nis.

„ nis. Media ætate decessisse ferunt ex illo apostemate, voluntarie uti diximus, suscepto, cujus dolori leniendo Fratres unguenta & medicamina adhibebant diversa. Prope ejus corpus in sepulcro duæ sunt ampullæ vitreæ olei, quo plaga fovebatur. Sepultus est in Cœnobio Scotaneti, sive Montis Barrochii, Pisauriensis diœcesis, in communi Fratrum cœmeterio; sed gliscentibus miraculis, & prodeunte e sepulcro pulchro lilio, exhumatum corpus nobiliori loco repositum est. Nunc jacet in pulchro mausoleo lapideo deaurato ad lævam ingredientis, prope altare Nativitatis beatæ Virginis Mariæ. Nobili opere consurgit sepulcrum pedes ferme novem, his verbis in summitate inter duos Delphino-Harpyas incisis. *Hic expectat Christo obviam rapi in aera vere sanctus frater Sanctes*. Et sub coronice majori inter duos Angelos. *Hic vir despiciens mundum*. Corpus integrum cernitur, spoliatur veteri, & vestitur novo habitu, aliquando in pedes erectum. In eodem sepulcro servantur crux lignea, sacris reliquiis ornata, ab ipso fabricata; pars magna cilicii, matta, sive storea, super quam dormiebat, vitreæ, quas diximus ampullæ, & varia Sanctorum Lypsana. Ornatur tumulus tabellis votivis, donariis, & lampade, & in sacrario exponitur ejus effigies, manu sinistra crucem, & dextera ante pectus solis gestans simulacrum. Quid hoc secundum portendat, nescio: a peculiari aliquo miraculo adpictum solem licet suspicari.

Sepultus Scotaneti.

Potius in cadavere.

Patrata ab eo miracula.

„ XV. Ante annos ducentos infinitis coruscasse miraculis testatur Bartholomæus Pisanus: paucula ad nos devenerunt; atque ista breviter perstringo. Mulierem ab equo utroque calce in facie percussam, in terram semianimem elisam, ad parentum preces repente curavit; alteram utraque manu contractam sanavit. Hominem jam animam acturum, & fœminam similiter laborantem sospitate donavit. Quemdam capite perpetuo dolentem, & oculo uno læsum, ad suum sepulcrum accedentem, & vertice attingentem utroque malo; alium dexteræ manus spasmo, alterum dissenteria, quartum diuturno dolore, liberavit. De hoc scribunt historici Minorum, Bartholomæus Pisanus, Marcus Ulyssipponensis, Petrus Rodulphus, Franciscus Gonzaga; externi Joannes Baptista Moriconus in cathalogo Sanctorum, & Leonardus Utinensis ex familia Prædicatorum, sermone de laudibus sancti Francisci.

Auctores qui de eo scribunt.

Capitulum Generale 65. Mantuæ.

Marian. citat. Marc. 3. p. lib. 1. c. 18.

XVI. Celebrasse hoc anno Henricum Generalem Ministrum Ordinis Comitia Assisii die 11. Augusti, Indulgentia Portiunculæ celeberrima, scribunt Marianus, & Marcus, sed Mantuæ habita fuisse evidenter mihi constat ex litteris ipsius Ministri Generalis ibidem datis, quarum infra mentionem agam, & hic est finis. *Datæ Mantuæ, tempore nostri Generalis Capituli in Pentecoste inibi celebrati anno* MCCCXC. *indictione* XIII. *die* XXVI. *mensis Maii*. In his decretum est, ut in universo Ordine die XVII. Martii recitaretur officium divinum de sancto Patritio Hiberniæ Apostolo, ritu festorum novem lectionum. Alias monui, me reperisse in Kalendariis, & libris choralibus nostræ sodalitatis nomen, & memoriam hujus sancti Confessoris, quod ab his Comitiis, ut reor, sumpsit originem. Quid autem moverit Patres, ut huic sancto Antistiti peculiarem cultum indicerent, omissis aliis multis sanctis Confessoribus, variarum gentium Apostolis, & Provinciarum Patronis, plane nescierim, nisi fortassis Hiberni Patres in Comitiis ita urgerent, ampliori honori suæ gentis Magistri hac ratione consulturi. Ego quidem sancti Viri prodigiis, & portentis, miraculorum gloria, & fidei Christianæ longe lateque propagatæ meritis excitus, humiliter rogavi sanctissimum D. Urbanum VIII. qui nunc feliciter sedet, ut in nova recognitio-

Festum sancti Patritii celebratur in Ordine.
In notis ad Promptuar. morale a me editum.

tione Breviarii ab ipso præscripta, cui me dignanter jussit interesse, hic honor Patritio accederet, ut qui pro Romana Ecclesia egregie, & cum laude decertavit, Romanis tabulis tot titulis illustrem juberet adscribi. Placuit suæ Sanctitati summa in me benignitate, & in gentem Hibernicam benevolentia ita concedere, & peculiari chirographo decernere, ut in sacris Ecclesiæ dypticis reponeretur. Id itaque debet Hibernia Sodalitio Minorum, ut præ omnibus Ordinibus Hibernorum celebrarit Apostolum; atqui profecto vicissim illa peculiaria huic Instituto frequenter rependit amoris indicia, & summam benevolentiam.

XVII. Assumpti sunt hoc anno ad Episcopatus hi, qui sequuntur Minoritæ. Ad Agien. in insula Cretensi frater Catarinus Barbo Venetus, per obitum Marci, IV. Idus Octobris. Ad Aladen. in Hibernia, sub Archiep. Tuamen. frater Thomas Horetvelle, per obitum Roberti, II. Kalendas Februarii. Ad Astoricen, in Hispania, sub Archiep. Compostellano, frater Ferdinandus ab eadem urbe cognominatus, per obitum Alphonsi, etiam Minoritæ, V. Idus Novembris. Ad Cluanen. in Hibernia, sub Archiep. Armachano, frater Milo Corii, per obitum Philippi, V. Idus Novembris. Ad Hierapetren. in Cretensi Insula frater Joannes Quirinus, nobilis Venetus, per obitum Francisci, IX. Kalendas Novembris. Ad Lambergen. frater Georgius Eberardi, per obitum Conradi XVII. Kalendas Aprilis. Ad Licien. sive Leccien. in regno Neapolitano, sub Archiep. Hydruntino, frater Antonius Viterbiensis, per translationem Leonardi ad Ecclesiam Dragonarien. XVII. Kalendas Decembris. Ad Nimocien. sive Minocien. in insula Cypri, sub Archiep. Nicesien. frater Bartholomæus Gayus, per translationem Stephani ad Ecclesiam Corinthien. XIII. Kalendas Octobris. Ad Severinen. Archiep. in Calabria frater Lucas Joannis, per obitum Gregorii, Idibus Augusti. Ad Trapesunden. Ecclesiam ad Mare Euxinum, sub Patriarcha Constantinopolitano, frater Joannes Mundel, per translationem Alexandri ad Caffen. V. Idus Novembris. Hoc anno Episcopum fuisse Venetiarum fratrem Franciscum Falerium, scribit Petrus Rodulphus, concordatque catalogus Antistitum Venetorum apud Leandrum Albertum in descriptione Italiæ, licet institutum reticeat. Hoc anno die VII. Junii ad horam Tertiæ, præsentibus urbis Consulibus, & Confalonerio, universisque religiosis Ordinibus primarium posuit lapidem in Ecclesia nova sancti Petronii frater Bartholomæus Episcopus Dragonarien. Suffraganeus Archiepiscopi Beneventani, & coadjutor Episcopi Bononiensis, qui paulo antea extruxit sacrarium, chorum, & subsellia ædis Minorum. Obiisse hoc anno, vel ad aliam Ecclesiam translatum fuisse constat ex eo, quod sub hujus anni finem Leonardus Episcopus Licien. translatus sit ad hanc Ecclesiam Dragonarien. uti nunc diximus. Sepultus est in Ecclesia Minorum; ubi etiam ante Altare Crucifixi jacet alius frater Bartholomæus Episcopus, ignotæ tamen Ecclesiæ, adjecto hoc obsoleto epitaphio. *S. Reverendi D. fratris Bartholomæi de Lombardis de Lucla Episcopi, Ordinis Fratrum Minorum* .... M.CCCXI. *indict.* VIII. *die* XXI. *mensis Septembris, cujus anima requiescat in pace.*

Fr. Catarin. Ep. Agien. — Fr. Thom. Aladen. — Fr. Ferdinan. Astoricen. — Fr. Milo Calven. — Fr. Joan. Hierapetren. — Fr. Georg. Lambergen. — Fr. Anton. Lician. — Fr. Barthol. Minocien. — Fr. Lucas Severinen. — Fr. Joan. Trapesuden. — Fr. Franciscus Venetus. — Fr. Bartholomæus Dragonar. — *Ann.* 1382. *n.* 3. — Fr. Barthol.

XVIII. Episcopum fuisse Novariensem hoc anno fratrem Petrum Philargum, sive Philaretum, a Candia cognominatum, de cujus patria, & genere commodiori loco diffusius disseremus, scribit Carolus a Basilica Petri Episcopus Novariensis, in eaque aliquot annis sedisse ex probatissimis astruit monumentis, in quibus illud solemne est, quod a Joanne Galeatio missus, eidem dignitatem Ducis Mediolanensis, & suæ Ecclesiæ privilegia multa ab Wenceslao Imperatore reportarit. Interfuit solemni apparatui, quo ille

Fr. Petrus Novarien.

 insi-

insignia Ducis a viro Principe Benesio Cæsaris Vicario recepit in platea sancti Ambrosii, & concionem habuit ad populum laudatissimam. Mire discrepant auctores circa numerum Ecclesiarum quas rexit. Virum undique tum a doctrina, tum a pietate, tum demum a suprema Pontificia dignitate celeberrimum avide sibi plurimæ adsciscunt. Dum hanc Novariensem gubernaret Ecclesiam, decoratus est a Wenceslao titulo Principis Imperii. Floruit circa hunc annum frater Ludovicus Gandolphus Brumacensis. Obiit & sepultus est ad Minores Pontremuli.

Fr. Ludovicus Gandolphus.

Fr. Joan. Somerius.

XIX. Claruerunt hoc tempore in Anglia frater Joannes Somerius alumnus Conventus Pontis Gualteri, vulgo. *Bridgewalter*, in comitatu Somersetensi ad ripam fluminis Flueli, vir in mathematicis, & philosophicis scientiis apprime versatus. Astronomiæ præ cæteris invigliavit, & partim ex probatissimis auctoribus, partim ex ingenio suo, sedulaque industria monumenta in eo genere laudatissima deprompsit; quæ mandato Thomæ Heberi sui Provincialis, & rogatu Joannæ Principis, Walliæ Regis genitricis perpolivit, in bonum ordinem redegit, & in lucem emisit; additis aliis operibus in posterorum utilitatem. Et frater Galfredus Lingius in Conventu Norvicensi historiarum lectioni, & investigandis patriis antiquitatibus totus addictus, perlectis melioris notæ auctoribus, qui de his rebus agunt, scripsit Chronica Anglicana exorsus ab ingressu Briti in Britanniam.

Fr. Galfred. Longius.

Tom.8. an.1373. n. 22.

Franc. Cardinal. Protector. Committit Clarissas omnes Fratrum regimini.

XX. Post Guillelmum Judicem Cardinalem Lemovicensem, quem anno MCCCLXXIV. diximus alias obiisse, non occurrit alterius Protectoris hujus Ordinis memoria usque ad annum istum, quo Franciscus Carbonus Neapolitanus, tituli sanctæ Susannæ Cardinalis, Protector Ordinis Minorum, & sanctæ Claræ, magna concepta opinione de bono Fratrum regimine, Clarissas omnes sive primæ, sive Urbani IV. sive alterius Regulæ sibi subjectas, curæ & administrationi Minorum commisit, amplissima per omnia eis concessa facultate, transcriptis verbatim litteris Philippi Cardinalis Protectoris, quas anno MCCCLXIX. commemoravimus. Diploma longissimum circa hæc misit ad Henricum Ministrum Generalem Mantuæ comitia generalia celebrantem; cujus exemplar a tribus Notariis Mantuanis juridice recognitum, absoluto Capitulo, misit ille ad fratrem Nicolaum Romanæ Provinciæ Ministrum, ut curam in se susciperet Monasteriorum Clarissarum infra limites prædictæ Provinciæ consistentium. Integrum & illæsum habeo apud me hoc instrumentum, pendente adhuc, & clarissime expresso Ordinis sigillo. Ad calcem hujus Tomi curabimus, in quibus a citato Philippi discrepat, exscribi.

Con Sradbhaile. Conv. Kilithi.

XXI. Ex catalogo Conventuum provinciæ Hiberniæ, quem Pisanus anno MCCCXCIX. produxit, constat sub hoc tempus extitisse Conventum de Mortoto, quem indigenæ nuncupant *Sradbhaile Laoise* in oppido rurali, diœcesis Leghliensis, in comitatu Reginæ, de quo nihil memorabile occurrit. Totum illum tractum incolunt hæretici, & Monasterium diruit Franciscus Cosbii Anglus, ex cujus cœmentis domum construxit. In comitatu Regis, & diœcesi Darensi in patria D. Fallighe, Baroniæ de Gessill extabat Conventus alius per dominum *Cnoghbhbair Falligh* extructus, cujus meminit etiam Pisanus. Locus erat satis opportunus Religiosis, sed ingruente bello, anno MDXCVIII. penitus destructus est.

Monast. Ascul. S. Margaritæ.

XXII. Hoc anno in Civitate Asculana, Piceni antiquissima, pia fœmina Vitarella Tertiariis Sororibus Monasterium extruxit, sub invocatione sanctæ Margaritæ. Optime semper audierunt magna viventes religione & pietate, qua de causa & reditus, & Sororum numerus excrevit.

Con-

Anno Christi 1390.	Bonifacii IX. anno 1.	Wenceslai Imp. anno 12. & 13.	Religionis Minorum anno 183.

Confirmavit hoc anno Pontifex Indulgentias, quibus anno præcedenti diximus Urbanum cohoneſtaſſe ædem ſancti Fortunati Tudertinam: *Apoſtolicæ Sedis pietas*. 11. Idus Februarii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. Calamitoſis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus his Bonifacius
,, Pontifex in Regnum Neapolitanum cum ampliſſima poteſtate
,, Legatum a latere fratrem Bartholomæum Uliarium Minoritam, quem
,, paulo ante Cardinalem tituli ſanctæ Pudentianæ, ex Epiſcopo Florentino
,, creaverat, ejus prudentiæ atque dexteritati plurimum fidens amandavit,
,, ut Neapolim, aliaſque Provincias Regni Clementis Antipapæ partes ſe-
,, quutas, ad Eccleſiæ Romanæ, & Regis Ladiſlai, filii Caroli Dyrachii
,, in Hungaria demortui, ut ſupra dicebamus, obedientiam revocaret.
,, Hunc Ladiſlaum Cajetæ ab Angelo Cardinale Florentino ejuſdem Ponti-
,, ficis Legato inauguratum fuiſſe, eo fere tempore quo Ludovicus II. An-
,, degavenſis Ludovici I. filius a Clemente Avenione ejuſdem Regni coro- *Dogl. p. 4. fol. 412.*
,, nam accipiebat; Joannes Nicolaus Doglionus ſcripſit: qui quidem Ludo-
,, vicus cum claſſe Neapolim appulſus, & a populis feſtiviter exceptus, to-
,, tius Regni fere imperium (ſola Cajeta Ladiſlaum audiente) obtinuit:
,, unde Uliario difficilis valde provincia ſuperanda veniebat. Interea vero
,, Bonifacius Kalend. Martii, conceſſa Indulgentia pro noſtro Conventu Tu- Litteræ Bonifacii.
,, dertino: *Proviſionis noſtræ &c.* omnia privilegia alias conceſſa aliis Re- *Indic. ex Vatic. Monaſt. Ordinis fol. 73.*
,, ligionibus, noſtris etiam Fratribus conceſſit: *Sacræ Religionis &c.* ....
,, ut in Ordinis monumentis legimus: Henricus vero Alferius Aſtenſis, no-
,, ſtræ Religionis Primicerius, Mantuæ in feſto Pentecoſtes Comitia Gene- Capitulum Generale Mantuæ.
,, ralia celebravit, cum regularis Obſervantiæ inſtitutum mira incrementa
,, ſuſciperet, ut Annaliſta refert.
,, II. Venerabilis frater Joannes Laurentius Minorita inſignis Theolo- Fr. Joann. Laurentius doctrina inſignis.
,, gus, cum beatiſsimæ Virgini Deiparæ eſſet addictiſsimus, in ejus conſcri-
,, bendis encomiis ſollicitus piiſſiſſime laborabat; unde & plura de eadem
,, præclara teſtimonia laudum, & ſuæ devotionis coacervavit indicia. Regi-
,, nam eamdem ſæpe ſæpius ferventius orans, in hæc verba totius mentis ar-
,, dore prorumpebat: *Te o Mater Dei, per univerſum orbem Eccleſia invocan-*
,, *do concelebrat: & nos Minoritæ famuli tui Incarnationem Verbi de Spiri-*
,, *tu ſancto ex te factam, quam fideliter credimus prædicantes, ad majorem*
,, *tuæ Maternitatis divinæ gloriam, non ex demerito culpæ, ſed ex mera*
,, *liberalitate gratiæ a Deo præordinatam aſſerimus, & cunctis fatemur:*
,, *etenim ſi nullum protoparentis Adæ peccatum extitiſſet, ſed ille juſtitiam*
,, *conſervaſſet; nihilominus ad humanæ totius naturæ glorificationem ex te*
,, *omnium Deo inferiorum prædilecta, ab omni labe remotiſſima, Chriſtus*
,, *Jeſus natus fuiſſet.* Tantæ devotionis igne ſuccenſus Joannes Lauren- Martyrium ſubit
,, tius, gratia divina, & ope beatiſſimæ Virginis ſuffultus, pro fide Chriſti
,, a Mauris Hiſpaniam tyrannice vexantibus, mortem fortiter ſubire po-
,, tuit, & miſericorditer a Deo martyrii laurea in Regno Granatæ cohone-
,, ſtari hoc anno MCCCXC. Scripſit de eo frater Bartholomæus Eoyas Pro-
,, vinciæ Aragoniæ Miniſter, & ſacræ Inquiſitionis Qualificator in ſua cœle- *Bajard. in mundi mac. Aragon.*
,, ſti, & mundiali machina totius Regni Aragoniæ.

ARGUMENTUM.

Martyrio coronantur Hierosolymis quatuor Minoritæ. Florent viri docti. Creantur Episcopi. Canonizatur sancta Birgitta. Extruuntur Cœnobia.

Quatuor Martyras Minoritæ.

Ann. 1390. n. 6.

I. PASSI sunt hoc anno Hierosolymis gloriosum martyrium quatuor invicti Christianæ fidei pugiles, frater Nicolaus de Taulicis a Sibinico, frater Donatus de Ruticinio provinciæ Aquitaniæ, frater Petrus Narbonensis socius beati Paulutii Fulginatis, uti superius diximus, & frater Stephanus de Lanich Vicariæ Corsicanæ. Zelo fidei, & fervore spiritus agitati abierunt in Templum, seu Mesquitam Sarracenorum, ubi coram Cadi, & innumero populo Christi fidem prædicare, & Mahometis insanias detestari cœperunt. Irruit in eos populus tumultuarie, & verberibus, injuriisque affectos semivivos in carcere absque cibo & potu biduo detinuerunt. Tertia die in medium producti, interrogantur, an ea quæ dixerant in Mahometem, revocare, an vero in sententia perseverare vellent. Intrepidis, & constanter respondentibus ea rata se babere, & plura in dictorum confirmationem adjicere velle, multa inflixerunt rabidi Sarraceni vulnera, & gladiis securibusque minutim corpora ceciderunt III. Idus Novembris. Eorum corpora in rogum bis projecta extinxerunt impetum ignis, & tertio imposita ingenti pyræ, injectaque desuper magna strue lignorum, remanserunt intacta & illæsa, quantumvis per triduum laboraverint Sarraceni in cinerem redigere. Tamdem casso, & irrito opere secreto loco sepelierunt, ne invenirentur, & veneratione haberentur a Christianis.

Fr. Marchovaldus de S. Miniate.

Fr. Antonius a S. Miniate.

Fr. Franciscus de Regatiis.

An. 1403.

II. Florebat hoc tempore in provincia Tusciæ frater Marcovaldus de sancto Miniate Custodiæ Lucanæ, vir celeberrimus, profundæ scientiæ & humilitatis, qui indignum se reputans Presbyteri dignitate, ad exemplum sui Institutoris in Diaconatu permansit. Multis annis sacram Scripturam Bononiæ interpretatus, quindecim Bononiæ rexit Provinciam. Eodem ferme tempore vixit ejus conterraneus frater Antonius, cujus meminit cum laude Pisanus, qui Parisiis, & in Tuscia sacram edocuit Theologiam. In provincia Bononiæ, & Custodia Parmensi claruit frater Franciscus de Regaciis Cremonen. sacræ Theologiæ Magister, & utriusque juris consultus, vir omnium opinione doctissimus, qui ob suam virtutem & doctrinam assumptus est ad regimen Ecclesiæ Bergomensis, ut suo tempore dicemus.

Frater Secundus Episc. Dolien.
Frater Nicolaus Drivestan.
Frat. Hermingus Glandasten.
Frater Joannes Glasguen.
Frater Nicolaus Laventin.
Fr. Henricus Russionen.
Frater Antonius S. Agatan.

III. Hi, qui sequuntur, creati sunt hoc anno Episcopi: Dolen. in Sardinia, sub Archiepiscop. Calaritano, frater Secundus de Moris, per obitum Joannis, nonis Novembris. Drivestan. sub Archiep. Antibarensi, frater Nicolaus Baziæ Pœnitentiarius Apostolicus, per obitum Athanasii, XV. Kal. Martii. Glandaten. in Gallia, sub Archiep. Ebredunen. frater Hermingus de Vicarustede, per obitum Joannis, XVI. Kal. Martii. Glasguen. in Scotia tunc exemptus, frater Joannes Framisden. per obitum Walteri, X. Kal. Martii. Laventin. in Germania, sub Archiep. Salisburgen. frater Nicolaus de Unhost, per obitum Henrici III. Idus Januarii. Russionen. sub Patriarch. Constantin. frater Henricus Ringourt, per obitum alterius Henrici, XIV. Kal. Januarii. Sant-Agathen. in regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Beneventano, in Ducatu gentis Cosciæ, frater Antonius de Sernio, per translationem Nicolai ad Ecclesiam Vencien. XIII. Kalend. Junii.

nil. Serepten. sub Patriarcha Antiocheno, frater Jacobus de Octebrobe, per obitum Bartholomæi, XVIII. Kal. Octobris. „ Pharenni Illyrici insula „ in mare Adriatico, sub Archiepisc. Spalatensi, frater Vicboldus de Viri- „ demia, per obitum Richardi, X. Kal. Februarii.

Fr. Jacobus Serepten.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Vicbold. Episcopus Pharen.

IV. Ad Halicien. Archiepiscopatum Russiæ Metropolim longe lateque patentem, ut quæ Russiam, Podoliam, Wolchiniam, Pocutiam, & Walachiam contineat, per obitum Bernardi assumptus est frater Jacobus Ruchem de Wladonna, V. Kal. Julii. Hunc virum nobilem de gente Streparum progenitum, scribit Jacobus Scrobissevius Canonicus Leopolien. in suo opere de Archiepiscopis Haliciensibus, & ex Joanne Duglosso, consecratum in Ecclesia Tarnoviensi, per Matthiam Præmisliensem Episcopum anno sequenti, die Dominica XXVIII. Octobris. Extare dicit hujus Archipræsulis etiam in hodiernam diem multa pietatis, præcipue in Monasteriis, monumenta; atque inter cætera Indultum pium, quo ad venerationem Augustissimi Sacramenti Eucharistiæ fideles invitat. Anno MCCCCII. solemnes preces instituit ad gloriam Omnipotentis Dei & beatæ Mariæ in Ecclesia parochiali Lemburgensi, ad quas dato signo campanæ populus conveniebat. Et hæc quidem devotio per annos multos intermissa; demum anno MDCXIX. per Magistratum Leopoliensem renovata est. De eo Annales Leopolienses ita habent: *Jacobus vir egregius, gravis pietate, multisque virtutibus clarus, vitæ simplicis, atque exemplaris, custos regni, ac probus senator. Is non solum quæ spiritualia erant, curabat; sed consiliis cum cæteris Senatoribus communicatis, hostium crebris incursionibus se strenue opponebat. Tamdem ad vitæ periodum perductus, religiose ex hoc mundo migravit, anno* MCCCCXI. Eo ipso anno MDCXIX. quo diximus preces ab eo institutas, renovatas fuisse die XXIX. Novembris, feria VI. ante Dominicam primam Adventus, in Templo sanctæ Crucis Fratrum Minorum Conventus Lemburgæ, prope sacrarium casu inventum est ejus corpus integrum, incorruptis etiam vestibus Pontificalibus & habitu religioso; & paulo post ex Archivo ejusdem ædis productum est ejus testamentum, conditum anno MCCCCI. decennio ante decessum; cujus executorem instituit fratrem Joannem Raze Ordinis Minorum, fidelem suum dispensatorem, & Capellanum. Porro Religiosi ejus loci in novam tumbam decenter impositum in sacrario deposuerunt. Huc populus, ob conceptam sanctitatis hujus Antistitis famam, frequens veniebat, atque votis conceptis, multi in variis casibus, & morbis consolationem a Domino recipiebant; prout adhuc probant attestationes & connotationes singulorum. Interim effigie lapidea Archiepiscopali, studio Religiosorum, opere egregio sculpta, atque varia & eleganti pictura adornata, ac supra novum tumulum decore locata, eumdem cum ornatu & insignibus loculo stanneo inclusum, in præsentia Joannis Andreæ Prochnick Archiepiscopi, frequenti Cleri, procerum, nobilitatis, atque magistratus Leopolien. assistentia, ac multitudine populi, in eo quo inventus fuerat loco, iidem religiosi honorifice deposuerunt, die translationis sancti Adalberti Archiepiscopi Gneznensis regni Poloniæ patroni, die XX. Octobris, anno MDCXXVI. addita hac inscriptione.

Frater Jacobus Archiepisc. Halicien.

Jacobus Archiepiscopus Haliciensis ortus Streparum nobili Poloniæ familia, ex Ordine sancti Francisci, ob præclaras animi dotes assumptus. Anno Domini MCCCXCII. *Ecclesiæ Pastor, reipublicæ Senator, Patriæ tutor, regni custos, bonus, prudens, fidelis, vigilans, multisque heroicis virtutibus illustris, consumptus laboribus, vitam mortalem in cælestem mutavit, anno* MCCCCXI. *in Templo sanctæ Crucis apud suos Fratres tumulari voluit. Integer*

ger pelle sua anno MDCXIX. *die* XXIX. *Novembris, ornatu & insignibus Archiepiscopalibus repertus hic in eodem loco die* XX. *Octobris anno* MDCXXVI. *cum devotione ab iisdem Fratribus est repositus*.

Ejus insignibus hæc carmina subjiciuntur.

Sacrorum tibi cura ingens, necnon patriæ rem
Præsenti auxilio, consilioque juvas:
Audes quin etiam hostiles arcere phalanges,
Qua potis est, patriam mens generosa levat.

V. Ne autem lectorem hæ voces Halicia, Leopolis, Lemburga in unius ejusdemque Sedis, aut Archiepiscopatus commemoratione confundant, monemus primo, cathedram Haliciæ, non ignobili tunc civitate Ruthenorum, per Casimirum Locrici filium, cognomento Magnum, fundatam, & a Pontifice Romano institutum primum Archiepiscopum Christinum nobilem Polonum, de quo statim, atque inter varias difficultates, inter obstantes infidelium & schismaticorum procellas sedem hic perseverasse usque ad annum MCCCCXIV. quo per Wladislaum Jagellonem Regem translata est Leopolim; & tunc primum Ecclesia parochialis Lemburgensis seu Leopoliensis facta est Metropolitana; & ipsa civitas aucta & ornata dignitate Metropolitica pro Lemburga, Leopolis cœpit appellari. Quod ad Christinum primum Archiepiscopum attinet, refert prædictus auctor, sibi indicatum, eum prope Sanocum natum, religionem sancti Francisci professum, genus duxisse ex illustri Gozdavitarum familia; & apud Minores Conventuales Leopoli hæc pauca legisse: *Illustrissimus D. Christinus Archiepiscopus Haliciensis anno* MCCCLXVII. In Annalibus vero citatis ita haberi: *Christinus primus Archiepiscopus Haliciensis Ecclesiam Metropolitanam sanctæ Mariæ Magdalenæ Haliciæ construxit; & prout facultates ferebant, dotavit. Prælatos & Canonicos instituit; & quoniam nudos titulos gerebant, de sua mensa alebat egenos, & pupillos sustentabat, doctrinaque clarus, ac bonis operibus plenus obiit.*

Iste frater Christinus.

VI. Canonizavit hoc anno Bonifacius magna solemnitate in Templo sancti Petri sanctam Birgittam viduam Svecam, vitæ sanctitate, miraculorum gloria, & cœlestium rerum revelationibus illustrem, de nostro Instituto optime meritam, cui vicissim vices nostri rependerunt plurimis obsequiis. In nostrarum Sororum Clarissarum Monasterio Panispernæ (uti alias diximus, vitam terminavit; qua de causa uno, & altero diplomate, ipso eodem canonizationis die magnas Indulgentias Pontifex concessit invisentibus Ecclesiam prædicti Monasterii,) & sepulcrum ejus in Wastani, Lincopen. diœcesis: *Splendor paternæ gloriæ*. Nonis Octobris.

Canonizatur S. Birgitta.

Tom. 6. an. 1318. n. 42.

VII. Hoc anno, ait Gonzaga, sed ego aliquanto serius, Fratribus Observantibus inchoatum domicilium extra muros urbis Ferrariensis, sub invocatione Spiritus sancti. Sed cum Alphonsus Dux Estensis timeret, expugnandæ urbi hostibus profuturum, demoliri jussit, alterumque ædificari intra urbem in fundo, quem Comes Alexander Sagratus emit, & Fratribus donavit. Augustior & amplior est hæc ædes, suo structore digna, sed morte præventus totam pro voto non potuit absolvere. Fratribus provinciæ Argentinæ, sive Alemaniæ Superioris, quibus tunc præerat frater Marquardus, facultatem concessit Pontifex hoc anno Cœnobium unum intra limites suæ provinciæ admittendi; ubi vero hæc concessio suum sortita sit effectum, nescimus: *Sacræ religionis*, XVII. Kal. Septembris.

Gonza. in Prov. Bonon. Conv. 4.

Conv. Ferrarien. Spiritus sancti.

Conv. Provinciæ Argentin.

VIII. Ante hunc annum extitisse Conventum Vilnensem in Lithuania, ubi multi ex nostris ceciderunt fortes in bello, dum ibi plantaverunt Eccle-

Conv. Vilnen.

siam

fiam fanguine fuo, uti alias diximus, mihi conftat ex iis, quæ Cromerus refert de excurfu Vitoldi, & Cruciferorum, qui Vilnam occupare tentarunt, & congreffu Olefnicii præfecti Wladislai Jagellonis Regis Poloniæ: *Ad ædem*, inquit, *Virginis matris, quam Francifcani Sodales obtinent*. Porro Vilna nunc civitas eft numerofa, muris & fluminibus duobus Vilna, & Vigilia circumcincta, fedes magni Ducis Lithuaniæ, fectariis omnis generis referta. Intra urbem Minoritarum exurgit Monafterium amplum fatis & fpatiofum, mœnibus vallatum: ex una parte plateam forum verfus, ex altera portam refpicit Trecenfem. In Ecclefia, quæ beatæ Mariæ Virginis in Arena nuncupatur, fepulti funt multi ex Martyribus Francifcanis; alii in Templo fancti Nicolai, alii in æde fanctæ Crucis, alii alibi. Sed cum ad cœmeterium fanctæ Crucis fortuito quidam nobilis heros exploderet globulum, dum attigit locum, ubi Sanctorum Martyrum corpora requiefcunt, ftatim globus ad ipfum rediit jaculatorem, nihil tamen nocuit, quafi leviter admonens irreverentiæ in Sanctos commiffæ. Habet Cœnobium hoc prædia, poffeffiones, villas feptem, & lacus tres, quorum reditibus numerofa illic alitur familia. Primum fundatorem cenfent aliqui, fuiffe Vitoldum Ducem Lithuaniæ, fed ego præfatum puto Wladislaum; Vitoldus enim in prædicta excurfione, dum Lithusniam Skergeloni Wladislai Regis fratri eripere tentat, jam invenit ibi fundatum Monafterium. Paret hæc ædes Patribus Conventualibus provinciæ Poloniæ, & caput eft Vicariatus Vilnenfis.

Tom. 7. an. 1324. n. 28. Tom 8. an 1370. n. 12. Cromer. de rebus Polon. lib. 15.

Monum. MSS. Prov. Polon.

Vide Alex. Guaguin. de reb. Lithuan. in Skergelone.

IX. Hoc tempore inchoatum effe prope Plimoutham in Anglia, intra limites parochialis Ecclefiæ de Sutton, Exonienfis Diœcefis, Minorum domicilium, probat diploma Pontificium datum hoc anno XIV. Kalendas Maii, quo refert litem exortam inter Michaelem Cergeaux prædictæ Ecclefiæ parochum opus impedientem, & Joannem Tyffingion Miniftrum Provincialem, Willelmum Chypton Guardianum, aliofque Fratres fabricam urgentes. Viciffe tamdem Fratres inde colligo, quod inter reliquas facras ædes Anglicanas, hanc etiam referat Nicolaus Harpsfeeldius in Comitatu Devoniæ.

Conv. Plimouthæ.

Harpsfeld. in Cathal. ad finem hiftor. Anglic.

X. Infra fines regni Hungariæ in civitate Sibincen. habitabant religiofæ mulieres quædam ad Ecclefiam fancti Salvatoris, nullius tamen Religionis Inftituto fufcepto. Rogarunt, & obtinuerunt ineunte hoc anno, five potius fub finem præcedentis, Sigifmundus & Maria Reges, ut traderetur eis regula fanctæ Claræ, & liceret earum domicilium in Monafterium, fub nuncupatione fanctæ Catarinæ commutare: *Magnæ devotionis* XI. Kalendas Januarii. Aliud extitiffe hoc tempore Clariffarum Monafterium Neyraci, diœcefis Condomienfis in Guienna, conftat ex Pontificio diplomate, quo viro nobili Soldico de Trabe, Baroni de Arbenatio, Burdegalen. diœcef. confirmatur ampla donatio quorumdam Baronatuum fibi facta ab Halicia Moniali profeffa prædicti Monafterii; ad quam ex teftamento fui fratris Bernardi Baronis, & morte Inftitutorum hæredum devenerunt. Dn ipfam bullam in regefto hujus tomi; fortaffis ferviet ampliori notitiæ hujus familiæ & hæreditatis.

Mon. Sibincen.

Mon. Neyraci.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. BEatorum Donati de Ruticinio Provinciæ Aquitaniæ, & fociorum
„ Nicolai de Taulicis, Petri Narbonenfis, & Stephani de Lanich
„ martyrum, paffio gloriofa hunc annum illuftrat. Hi Religionis chriftia-

Beati martyres Donatus &c.

„ næ,

„ næ, & animarum lucrandarum zelo compulsi, patriis sedibus relictis, in „ Palestinæ oras transmigravere, Hierosolymamque ingressi, & in publicum „ procedentes, Templum Salomonis, Turcarum superstitioni deserviens, „ adierunt, ingenti animi fortitudine & constantia Christi fidem auda- „ cter prædicantes, Mahumeti sectam exprobrantes, eam ut falsam, inju- „ stam & impiam coram populo damnarunt. Quamobrem ira & furore „ percitis a Sarracenis, Mauris, ac Turcis, qui ad solemnitatem convene- „ rant, pluribus plagis crudeliter vapularunt. Subinde in tetrum carcerem „ semivivi detrusi, sine cibo & potu per triduum remanserunt. Exinde ex- „ tracti & rigido examine tentati, cum in confessione Christianæ fidei & „ detestatione Mahumeticæ sectæ constantes experirentur & fortes, parati „ sanguine proprio testificari veritati, sententiam mortis animo lubenti „ exceperunt. Proinde in plateam Civitatis adducti, gladiis impiorum „ animadversi, in frusta discerpti fuere, die XI. Novembris anno MCCCXCI.

Eorum martyrium.

„ Eorum corpora Mahumetani semel & iterum projecerunt in ignem; sed „ nihil læsa, struem lignorum super ipsis componentes, ac triduo semper „ augentes, ut citius redigerentur in cineres, perperam ignem foverunt; „ at mira Dei virtute integra remansere. Agit de ipsis Marcus Ulyssi- „ ponensis, eosque vocat beatos Nicolaum de Taulicis, Donatum de „ Ruticinio Provinciæ Aquitaniæ, Petrum Narbonensem Provinciæ san- „ cti Ludovici, socium ac discipulum beati Pauli de Trincis, & Stephanum „ de Tunellis Provinciæ Corsicæ. Algezira idem in arbore epilogica „ refert.

Servitur eorum corpora illæsa ab igne.

Marc. Ulysip. p. 3.

„ II. Thomas vero Bosius a Marco Ulyssiponense eorumdem memo- „ riam agens, in aliquibus dissentit. Scribit enim, occisis Hierosolymis a „ Mahumetanis anno MCCCLXXXIX. vocatque eos Nicolaum Sebenicen- „ sem, Donatum Aquitanum Rutenensem, Petrum Narbonensem, & „ Estevanum in Bætica, quibus postremo duos alios addit, videlicet beatos „ Joannem a Cesina, ac Petrum Duenam, quorum memoriam habet „ Waddingus. Sed Tossinianus in hunc sensum rem expendit. Beatus Deo- „ datus (Ulyssiponensi Donatus) de Ruticinio Provinciæ Aquitaniæ, & „ frater Nicolaus a Sebenico Dalmata, commorati simul in Vicaria Bosnæ „ per duodecim annos operi Apostolico intenti, junctis duobus ejusdem „ spiritus & zeli, Petro scilicet Narbonensi, & fratri Stephano Genuensi, „ invicem conferentes de propria nedum, sed & de aliena salute sedulo, & „ efficaciter, quantum erat ex propriis viribus, cum tamen auxilio gratiæ „ cœlestis, procuranda; habito consilio Magistrorum Joannis de Noto, & „ Joannis de Casali, in sanctam civitatem Hierusalem transfretarunt: & in „ bono proposito perseverantes, die XI. mensis Novembris anno MCCCXCI. „ Divo Martino Episcopo sacra, circa horam tertiam, quod jam diu mente „ conceperant, opere complere satagentes, magno meditationis studio re „ digesta, & ordinato processu, in publicum eximio spiritus fervore pro- „ diere. Consilium erat ingredi Templum Salomonis; at id tentantibus a „ Janitoribus, seu loci Custodibus permissum non fuit; quinimo repulsam „ passi audierunt, *quid vobis in Mesquita, qui Muselmani non estis?* Mu- „ selmanos enim Turcæ Mahumeto fideles vocant. At illi immoto vultu „ unanimes respnnderunt, cum Cadi, idest Pontifice, se de animarum sa- „ lute, desiderabilium summa, velle loqui; quibus iracunde annuentes „ non tantum ostenderunt, sed eos ad Cadi adduxerunt, coram quo intre- „ pide stantes, quasdam pagellas latinis litteris & arabicis conscriptas, „ hanc unam sententiam exprimentes: *Mahometi lex pessima est, & Religio* *obsce-*

Enarratio de eorum prædicatione, & martyrio.

Wadd. ad ann. 1389. 1397. quo passi sunt.

„ *obscena; quique eam sequuntur in perditionem æternam properant*: ut „ eorum mentem novit Cadi æstu mahumetico fervens totus excanduit, ac „ tantisper moderata bile, ut videretur ex religione in eos procedere, citis „ a Conventu Montis Sion Patre Guardiano cum duobus aliis Fratribus, „ præfatos coram se stantes his compellavit increpans verbis: *Viri nequam*, „ *insipientes, ac omni stultitia pleni, siccine in sanctum Prophetam Mahometum blasphemias effutire potestis? En vobis in pœnam temeritatis* „ *cruenta mors, pluribus tormentorum generibus occurrit armata, ni temere dicta dicto citius revocaveritis*. At illi ad hæc immutato vultu ac intrepido corde quasi uno ore dixerunt: *O Cadi nos insipientes stultosque reputas, qui lumen Evangelii Christi Jesu Dei filii, æternique Dei sequimur? Tu es, cui cæcutienti in tenebris errorum, & respuenti videre lucem, cum cruciatibus Inferni mors manet æterna. Nos in luce ambulantes scimus quo tendimus, nec a veritatis tramite ex Dei misericordia deviabimus; quamobrem nec verbum quidem eorum quæ diximus revocare statuimus, parati etiam proprio cruore dicta firmare*. His auditis Cadi acrius infremuit, ac ferro & igni adjudicatos, tortorum licentiæ dimisit: qui in vincula conjectos fortiterque constrictos, diris verberibus flagellatos, & nudos ad stipites ligatos per tres dies, continuis in tormentis detinuere. Quibus transactis, a tumultuante populo, quod suo Prophetæ ausi fuissent detrahere, validis clamoribus vocabantur ad mortem. Itaque parato ingenti igne in medio foro, & rursus quæsiti si vellent vivere, abjurato Christi Evangelio, Alcoranum profiterentur; isti constanter negantes, a tortoribus ferro trucidati, igni concremandi crudeliter dati fuere; qui tamen eorum corpora divinitus incombusta & illæsa servavit. Consilium erat impiis in cineres in ventum spargendos redigere, ut sacra lipsana christianos laterent: sed perperam id exequi tentaverunt. Passi sunt die XIV. mensis Novembris, anno MCCCXCI. quo die celebratur eorum festum &c.

Artur. in martyr. Francisc. ad diem 11. Novembris.

„ III. Interea in Angliæ provincia cum ejusdem Ministro controversiis vertentibus, requisitus eas Pontifex dirimere voluit, expedito brevi: „ *Exhibita nobis &c.* XIV. Kalendas Maii.

Indic. ex Vatic. Littera Pontif.

ARGUMENTUM.

Amandantur Minoritæ ad Tartaros. Habentur Comitia generalia. Regularis Observantiæ Institutum introducitur in Lusitaniam. Beatæ Angelinæ Corbariensis virtutes referuntur. Creantur Episcopi. Multiplicantur domicilia.

I. LABORARUNT assidue Minoritæ (uti alias sæpe diximus) in conversione Tartarorum, & aliorum infidelium, ac schismaticorum Aquilonarium, idque tanto fœnore, ut in solis montibus Caspiis, ultra decem millia ad fidem reduxerint Christianam. Decedentibus tamen annorum diuturnitate, & laborum molestia Fratribus, deficiebant operarii tantæ messi necessarii. Hos petitum venerunt hoc anno Rogerus Anglicus, & Ambrosius Senensis a Vicario Tartariæ, reliquisque Fratribus missi. Concessi in subsidium viginti quatuor Fratres ex quacumque natione, aut provincia colligendi, modo sponte velint proficisci, & missioni a suis superioribus judicentur idonei. Do ipsas litteras Bonifacii.

Tartari innumeri a Minoritis conversi.

Alii submittuntur.

 Di-

Dilectis filiis Rogero de Anglia, & Ambrosio de Senis Ordinis Fratrum Minorum professoribus, salutem &c.

Ex lib. 4. ann. 3. fol. 121.

II. *Probata devotionis sinceritas, quam ad augmentum Catholicæ fidei dilecti filii Vicarius, & alii Fratres vestri Ordinis ad imperii Tartarorum, & aliorum infidelium, & schismaticorum Aquilonarium partes, ad prædicandum eisdem infidelibus, & schismaticis pro conversione ipsorum ad fidem Catholicam, verbum Dei, per sedem Apostolicam destinati, ac vos eorum Collegæ in hac parte gerere comprobamini, merito nos inducunt, ut votis eorum, ac vestris favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis dictorum Vicarii, & Fratrum, ac vestra petitio continebat, quod licet ipsi Vicarius, & Fratres, ac vos prædicando verbum hujusmodi eisdem infidelibus & schismaticis magnum fructum conversionis prædictæ in illis partibus Dei gratia ferunt operari; tamen decedentibus quampluribus ex eisdem Fratribus, pauci remanserunt ibidem, qui possint manutenere reductos in fide prædicta, & alias continuare fructum conversionis hujusmodi, ut fecerunt, quodque nonnulli ex conversis eisdem, præsertim in Montibus Caspiis partium earumdem, ubi decem millia, & ultra reductorum hujusmodi esse noscuntur, exceptis aliis dictorum imperii, & partium, in quibus etiam sunt copiosæ multitudines reductorum ad fidem prædictam, qui propter carentiam Fratrum hujusmodi in priores errores relaberentur, scilicet si non provideretur super hoc per sedem dictam de remedio opportuno, pro parte dictorum Vicarii, & Fratrum ac vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis assumendi viginti quatuor Fratres dicti Ordinis ad hoc, vita & scientia idoneos, & alias aptos ad prædicationem & conversionem prædictas, partium quarumcumque, ad hoc voluntarios, & eos ducendi vobiscum ad infidelium partes prædictas, ad prædicandum verbum Dei eisdem schismaticis & infidelibus, & conversos ejusdem verbi pabulo nutriendi licentiam concedere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ, de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, viginti quatuor Fratres Ordinis prædicti, vita & moribus commendabiles, de quo dilecti filii Ministri Provinciales, & Custodes, aut Guardiani ipsorum testimonium perhibeant veritati, de quibuscumque nationibus, de quibus vobis videbitur, quique sponte ad easdem partes voluerint proficisci, absque petita suorum Prælatorum licentia, vel obtenta, semel tantum recipiendi, eosque ad dictas, & alias partes infidelium, de quibus etiam vobis videbitur, moraturos in eis ad Dei, & fidei præfatæ servitium; ita tamen, quod tam vos, quam assumendi & ducendi per vos alii Fratres hujusmodi sub obedientia Generalis Ministri, & aliorum Prælatorum ejusdem Ordinis, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint, sicut cæteri Fratres ejusdem Ordinis, nihilominus persistant, plenam, & liberam concedimus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem. Et insuper, ne quis cujuscumque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existat, vos in præmissis impedire præsumat, sub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, districtius inhibemus: nihilominus eisdem Fratribus concedentes, quod omnibus facultatibus, privilegiis, & gratiis Fratribus dicti Ordinis proficiscentibus ad quascumque partes Hæreticorum, schismaticorum, & aliorum infidelium quorumcumque, & commorantium in eisdem per Apostolicam Sedem concessis, quandiu in eisdem partibus fuerint, gaudere plenarie valeant. Non obstantibus Constitutioni-*

nibus, si sint auctoritate Apostolica confirmatæ, necnon privilegiis eidem Ordini concessis, & aliis incontrarium editis quibuscumque. Datum Perusii VI. *Idus Novembris anno* III.

III. Henricum Generalem Ministrum convocasse Patres hoc anno Coloniam Agrippinam ad Comitia generalia, indicant litteræ Pontificis Bonifacii, quas subjungo. At Marianus, & Marcus ea habita volunt anno sequenti, additque Marianus, in iis, ultra alia, præceptum fuisse, ut ex provincia Hungariæ desumerentur Visitatores provinciarum Austriæ & Boemiæ. An fortassis se obtulerit aliqua occasio differendi Capitulum in annum sequentem, nescio: diploma illud hoc anno celebratum insinuat.

Capitulum generale Coloniæ 66. *Marian. citat. Marc. citat. cap.* 10.

Dilectis filiis Henrico Ministro Generali, ac universis Fratribus Ordinis Minorum, salutem &c.

IV. *PRovenit ex vestræ devotionis affectu, quo nos, & Romanam Ecclesiam reveremini, ut petitiones vestras, illas præsertim, quæ animarum vestrarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, in proximo Coloniæ generale Capitulum vestri Ordinis debeat celebrari: Nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor, quem quilibet vestrum dumtaxat, qui dicto Capitulo intererit, vel interesse debebit, & legitime præpeditus non poterit interesse, & quem durante hujusmodi Capitulo, ac tempore accessus ad dictum Capitulum, & regressus ab eodem ad locum prædicti Ordinis, in quo degerit, ab hac luce migrare contigerit, duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contritus, & ore confessus fuerit, semel tantum in mortis articulo, plenam remissionem sibi, in sinceritate fidei, unitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, devotione nostra, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistens, auctoritate Apostolica concedere valeat, devotioni vestræ, tenore præsentium indulgemus. Sic tamen quod dum confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam per se si supervixerit, vel per alios si tunc forte transierit, faciendam injungat, quam ipse, vel illi, ut præfertur, facere teneantur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis hujusmodi, aliqua forte committerent, quoad illa, prædicta nullatenus suffragentur. Nulli ergo &c. Nostræ concessionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum* IX. *Kalendas Maii anno* III.

Ex lib. 3. an. 3. fol. 197.

V. Qualiter strictioris vitæ genus in Castellam, & Aragoniam introductum sit, suis locis enarravimus: hic referendum quomodo transiverit ad Lusitanos. Inito consilio tres viri pii provinciæ sancti Jacobi frater Didacus Arias Asturicensis, doctus & facundus concionator, frater Gondisalvus Marinus nobilis Gallecus, uti mox dicemus, ac Petrus Didaci, alias Diaz, statuerunt solitarium sibi locum deligere, in quo secundum Regulæ suæ præscriptum, religiosius possent observare, quæ voverunt. Ne vero temere facere viderentur, sed haberent quo se tueri possent adversus contradictores & calumniatores, obtinuerunt a Bonifacio Pontifice quod trado diploma, quo perspicue videbitur hujus reformationis fundamentum.

Observantia regularis introducitur in Lusitaniam;

Dilectis filiis Didaco Ariæ, Gondisalvo Marino, ac Petro Didaci Ordinis Fratrum Minorum Professoribus, salutem &c.

Ex lib. 4. an. 3. fol. 197.

VI. *Vestræ devotionis integritas promeretur, ut petitionibus vestris in his præsertim, quæ animarum vestrarum salutem, & quietem animi concernere dignoscuntur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Vestris itaque in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, qui, ut asseritis, vitam solitariam ducere, & locum in aliqua eremo infra Provinciam sancti Jacobi in Compostella, secundum morem dicti Ordinis recipere, ac inibi perpetuo Domino famulari desideratis, recipiendi locum hujusmodi, si vobis pia largitione fidelium, vel alias legitime concedatur, ac in ipso cellam, seu domum construendi, & ædificandi cum oratorio, campanili, campana, refectorio, & aliis necessariis officinis in loco tamen ad id congruo & honesto, ac habitandi ibidem, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibitione, ne Fratres Mendicantiu Ordinum quæcumque loca de novo recipere, aut recepta tenere præsumant, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, faciente plenam, & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Apostolicis, ac ipsius Ordinis statutis, & consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, plenam & liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, facultatem elargimur; jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Volumus autem, quod Superioribus dicti Ordinis nihilominus subditi sub consueta obedientia existatis. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Idus Aprilis anno III.*

Marc. cit. c. 33. Gonz. in exord. Prov. S. Anton.

Horum cooperatores.

Vide Garib. lib. 15. c. 23.

VII. His accesserunt alii, quos ex vetustis chronicis Lusitanis recenset Marcus Ulyssiponensis, frater Petrus de Alemanços, frater Alphonsus Salas, & frater Garcia de Montanos laicus. Inter omnes præstabat doctrina Asturicensis, auctoritate frater Gondisalvus olim dominus de Altamira, qui in juventutis flore desponsata sibi filia Ariæ Gomesii de Silva, adolescentula novenni, sequutus est Soceri partes in Lusitania contra Joannem magnum Magistrum Avisianæ militiæ, qui Regnum affectabat, & tandem obtinuit contra Joannem Castellæ Regem verum hæredem, propter Beatricem conjugem Regum Lusitanorum filiam. Dedita, bonis pactis conditionibus, arce Vimaranensi, quam pro Castellano viriliter defendebat Gomesius, eoque paulo post in Castella decedente, adolescentulæ patruus sponsam denegavit Gondisalvo. Ægerrime hoc ferens, videnſque omnia susque deque agi inter duos hos Reges, alias Christianos & consanguineos, & infelicissima clade Castellanum Algibarotæ a Lusitanis affectum, decrevit mundum relinquere, & vitam ab his turbis remotam transigere. Dispensatis itaque in pauperes opibus amplis, & destinatis in ædes Minorum fabricandas aliis facultatibus, ipsum etiam nomen Fratribus dedit, quibus religiosissime convixit. Hi porro Bonifacii, quem verum agnoscebant Pontificem, auctoritate suffulti, non intra Castellæ ditiones, quæ Clementi VII. parebant, sed in confinibus Lusitaniæ Bonifacio obsequentis, Sedem figere statuerunt, vel illinc moti, quod ex Regula, quam profitebantur, vero & canonice electo Papæ obedientiam debebant. Ita factum in quodam secessu abditissimo, ad vacandum Deo maxime opportuno, ad III. M. P. a Civitate Tudensi, ubi prius erat vetustissimum Sacellum beatæ Mariæ de Mosteiro nuncupatum, quod admirabili cultu & veneratione gens finitima tam Lusita-

ſitaniæ, quam Galleciæ revereri, & frequentare ſolebat, maxime cum eo commendaretur miraculo, quod, incenſa omni ex parte circumdante ſilva, cum incendium ad Eremitorii fores pertingeret, nullo illato detrimento, ſubito extinctum eſt. Hic itaque humile erexerunt domicilium, mox alia adjecerunt, ex quibus diffuſa eſt regularis Obſervantia per univerſum Luſitaniæ regnum ſucceſſivis incrementis, uti ſuis locis nos referemus.

VIII. Supra retulimus puellares annos, & virtutes beatæ Angelinæ Corbarienſis: hoc anno jam quindennis deſpondetur Joanni de Termis, Comiti Civitellæ urbis munitiſſimæ in Aprutio prope fluvios Salinum, & Libratam. Sed illa conſenſum conſtanter denegat; quippe quæ duodennis emiſſo voto ſuam virginitatem Chriſto conſecravit. Pater nolenti iraſcitur, mortem minatur, & inducias dat dierum octo, ut deliberet. In his anguſtiis conſtituta, continuis lacrymis & precibus agonem ſuum Deo commendat, rogatque, ut qui pium caſtitatis ſpiritum infudit, conſervandæ virtutem adjungat. Ita timens & contremiſcens, ne præfixum tempus abſque adjutorio dilaberetur, cœleſti admonetur oraculo, ut patris obſecundet votis, & reliqua divinæ committat providentiæ. Hac fidejuſſione in ſpem meliorem erecta patri voluntatem exploranti humiliter reſpondit, ſe in omnibus obſequuturam. Summa perfuſus genitor lætitia, ſponſum advocavit celeriter, ne pœnitendi daretur tempus, negocium abſolvit, nuptias celebravit. Inter jubilantium turmas, & tripudiantium choros Angelina mente ferebatur in Deum ſuum fidejuſſorem, ſecura de promiſſo, incerta de modo, anxia de ſucceſſu.

B. Angelina invita ſponſum admittit.

Jacobil. in vita B. Ang. & alio lib. de ſanc. Fulgin.
Marian. lib. 5. c. 14.

IX. Expletis epulis, & abſolutis choreis, ſola in cubiculum dilapſa coram Chriſto crucifixo genuflexa flens jugiter ſponſionis monet, & tempus adeſſe certaminis, rogans ne illius ſibi deſit auxilium, cujus juſſu tanto ſe credidit periculo. Has exponenti anguſtias apparuit Angelus Domini confortans eam, & certam ſpondens victoriam. Sed dum virgunculæ dignanter & amice colloquitur, ſponſus per oſtii rimulas obſervat, quid ſponſa ſola peragat in cubiculo, videtque pulcherrimum juvenem familiariter colloquentem. Nihil tunc ſuſpicatus cœleſte, corporeis abductus cogitationibus, irruit repente in habitaculum, neminemque videns præter virginem zelotypus interrogat, quo ſe abſconderit latibulo, qui furtive, remotis arbitris confabulabatur adoleſcens: Flens illa ad pedes ſponſi proſtrata, rem omnem humiliter & confidenter aperuit, ut votum emiſerit, ut in nuptiis cœlitus juſſa conſenſerit, ut mœrentem, & periculo proximam Angelus confortarit, rogavitque qua potuit prece, ut Chriſto ſacram non contaminaret. Hæc audiens nobilis & generoſus adoleſcens, in genua etiam procubuit, & quam prius amavit, reverenter adoravit, tamquam Angelorum colloquio dignam & divinis amoribus æſtuantem: *Itane*, inquit, *generoſi tui cogitatus, ut terrenis ſponſis contemptis, Deo inferiorem nolueris? ita felices ut a Deo vicisſim redameris? ita ſecuri, ut vades mittat ſponſalitii? laudo factum, veneror virtutem, ſuſpicio conſtantiam, ſecundum nomen tuum ſic & laus tua. Angelinæ non habes nomen inane, quæ Angelorum effulges puritate. Non erit cur me timeas, cujus obſequio me totum conſecro; quæ cuſtodes habes Angelos non eſt cur homines verearis, Dei notiſſimam ſponſam quis violare audeat? ad tuum exemplum quis hac virtute cælitibus gratiſſima Deo placere non ſtudeat? Tuum ſponſum, ſoror cariſſima (ſi vel hoc nomine te Domini mei ſponſam appellare liceat) ora, ut quæ ipſi, te teſte, promitto, valeam adimplere. Voveo me nullam tuo corpori illaturum injuriam, promitto ſancto amore a terrenis cupiditatibus defæcato te proſequi, ſancte polliceor quam hucuſque*

Angelus defendit ab injuriis, quas timet.

Inducit ſponſum ut caſte vivat.

Deo

Deo auctore & adjutore conservavi virginitatem, non contaminare.

Uterque votum castitatis emittit.

X. Ad hæc adolescentis verba ingenti gaudio virgo perfusa, Deo gratias egit, qui se a gravissimo liberaverit periculo, & sponso sanctas has inspiraverit voluntates. Mox uterque in divinas laudes prorumpens totam noctem in hymnis, & sanctis colloquiis absumpsit; & iteratis votis coram Christi crucifixi simulacro virginitatem conservare promisit. Sequenti die exploratione secreta, dum hæc inter amicos, & cognatos spargerentur, omnes admirari, omnes cœlestibus sponsis benedicere, omnes bona quæque imprecari cœperunt. Ut vero a parentum lenociniis, & amicorum vanis conversationibus se subtraherent, post paucos dies ad Civitellæ urbem abierunt. Illic piis operibus, & subditis bene regendis intenti, abjecta omni pompa humana, sancte convixerunt, per breve tamen tempus, anno MCCCXCIV. sponso pie obeunte. Angelina terrenis vinculis exoluta, liberius cœlestia cœpit cogitare, & assumpto simul cum suis pedissequis, & ancillis habitu Tertii Ordinis sancti Francisci, velum obduxit omni mundanæ vanitati. Sponsi animæ perpetuo parentabat: pauperibus liberaliter subveniebat, viduas & pupillos fovebat, infirmos invisebat, omnibus omnia præstabat caritatis officia, & quod potissimum erat, multorum ægros animos piis consiliis & sanctis exhortationibus, a peccatorum morbis curavit. Virtute etiam cœlesti multos mirabiliter curavit ægrotos, Deo suæ sponsæ pietatem multis miraculis confirmante.

Moritur sponsus.

Illa habitum suscipit Tertii Ordinis.

Multas virgines ut caste vivant, hortatur.

XI. Non potuit ingens ejus caritas contineri intra fines suæ ditionis, quare per universa ferme Aprutiorum oppida cum aliquot ex suis discipulis discurrens, multos peccatores convertit, multos in viam salutis direxit, plurimas virgines nobiles ubique ad virginitatis amorem pellexit, aliquas paupere veste pœnitentum, a sancto Francisco instituta, donavit. Hinc implacabiles sibi procreavit inimicitias, procis ægerrime ferentibus se contemni a puellis, quas deperibant. Struunt hi vitæ & honori insidias, ac passim nomini detrahunt, quod mariti bona dilapidarit, quod ancillas in suas traxerit insanias, quod innumeris puellis imposuerit, quod nuptias damnarit, & fugiendas docuerit, quod vaga, & sine teste discurrens puellas circumduxerit. Neque his contenti, apud Ladislaum Siciliæ, sive Neapolis Regem in multis accusant, præsertim quod infœcundam & sterilem Aprutinam reddiderit provinciam, secretis artibus & præstigiis indito puellis odio matrimonii. Hæreticam credens Ladislaus, horum delationibus, regio edicto præcepit, ut coram se compareret, firmiter secum constituens flammis devovere malæ doctrinæ seminatricem. Vocata, itineri se accinxit, & nescienti quid Rex vellet, revelavit Deus calumniatorum insidias, severumque Regis propositum. Jussit tamen bono ut esset animo, & Regem ferocientem placaret, oblatis in veste prunis, ut fontem si comperiret, extemplo cremaret. Ut Neapolim, Regis sedem pervenit, multis præmissis precibus & sacra communione, divinis obtemperavit monitis, & in numeroso Procerum consessu, sinum expandit, prunas ardentes ostendit sui criminis, modo constaret, ultrices. Rex duplici consternatus miraculo illæsæ vestis, & revelati, quod nulli credidit, secreti, falsas culpas diluentem, & virginitatis encomia referentem benigne audivit, & cum honore dimisit.

Persecutionem patitur.

A Deo mirabiliter liberatur.

XII. Hæsit ea in urbe aliquot diebus gratias reddens Deo, propter abstersas miraculose calumnias, & Sanctorum Templa, reliquiasque reverenter invisens. Accidit tunc ut filius unicus effœtæ Heroinæ piorum precibus conceptus, summo parentum dolore, & nobilissimæ familiæ interitu moreretur, neque spes ulla superesset, præter Sanctorum intercessiones. Au-

Audierunt hi Angelinæ virtutem miraculo prænarrato comprobatam, seduloque perquisitam in cubiculum, ubi defunctus jacebat, duxerunt. Mater quas potuit lacrymas & preces interposuit, ut quas alii effuderunt orationes pro conceptu, illa offerret pro vita restituenda: *Neque enim impossibile est*, inquit, *apud Deum omne verbum, & ejusdem est potentiæ ut corpori vitam infundat, vel refundat*, indignam se causata Angelina, quæ in re tanta exaudiretur, dilabi tentavit, sed non potuit, oportuitque in genua provolvi, & cum discipulis Dei misericordiam pro afflictis parentibus implorare. Post lacrymas multas, & ferventem orationem ad matrem accedens, spe fovit filii recuperandi, jussitque ut insepultum tenerent in diem sequentem. Ut vero decentius & dignius divinum exciperet beneficium, monuit ut peccatorum præmissa confessione, & Corporis dominici communione, suis etiam precibus Deum pro filio interpellaret. His peractis, sacra virgo cœlesti etiam pane refecta ad feretrum accessit, & magna in Deum fiducia jussit defunctum, ut protinus ex feretro resurgeret. Res mira! in omnium conspectu protinus juvenculus tamquam e somno exsuscitatus, exilivit sanus & vegetus, obstupescentibus omnibus ad miraculi magnitudinem, & exultantibus parentibus ad filii restitutionem. Insigni hoc miraculo in populum sparso, summa in veneratione Angelina cœpit haberi, & illa laudes fugiens humanas ex urbe protinus recessit. O Dei erga servos suos dignationem! sublimes ei deferuntur honores ea ipsa in urbe, ad quam supremo supplicio vocatur punienda: accersitur ad mortem, redit triumphans de morte: citatur perimenda, regreditur exaltanda.

Defunctum puerum resuscitat.

XIII. Domum revertens per omnes locos sui transitus peccatores ad pœnitentiam, & puellas uti prius solebat, ad claustra vocabat, & in sua urbe Civitellæ multas congregavit discipulas. Efferbuit iterum procerum, & parentum puellarum odium, subsannaverunt subsannatione, frenduerunt adversus sacram Magistram, novasque querelas deferunt Ladislao, dicentes eam abuti regia clementia, quotidie nubiles seducere puellas, atque universas confundere, extirpareque familias. Multitudine lamentantium, & quotidianis querelis excitus Rex, universo regno jubet excedere, quantumvis manifestis viderit miraculis a Deo commendatam. Ita fit frequenter, ut Principes plus deferant hominibus, quam Deo; & civiles magis respiciant causas, quam cœlestia prodigia. Per hos importunos criminatores factum est, ut Ladislai in Angelinam cederet reverentia, & desiderium transiret in tædium, dareturque innocens præda viris improbis: *Ejusmodi est levitas & facilitas in Principibus: est facilis quidem ad ædificandum, quæ autem sunt jam ædificata, est facillima ad destruendum, & ut semel dicam, est omnino valde infidelis, & ad ducendum facilis, vento campus, ut ajunt, & res optanda sceleratis.* Jussa est itaque toto regno cum sociis infra duos menses exulare, ex prætexto crimine, quod nobilissimas extingueret familias, quod posteritati esset nociva, quod multiplicandis hominibus contraria. Audita Regis sententia, gratias egit patri misericordiarum, qui per ærumnas, & molestias labilis hujus seculi fastidium, & æterni regni desiderium inserebat, exiliumque a Siculo regno volebat esse semitam ad cœleste.

Iterum accusata jubetur exulare.

Metaphr. in vita S. Joann. Chrys. cap. 98.

XIV. In oratione a Domino confortata discipulas ad mala hæc ferenda animose exhortans, bona sua vendidit, partem maximam pauperibus distribuit, reliquam itineri, & discipulis alendis reservavit. Deinde ad preces regressa instanter rogavit, ut divinæ pietati placeret ostendere, quid vellet, aut quo deberet abire. Responsum accepit, eundum esse Assisium ad magnam

gnam Portiunculæ Indulgentiam, ibique quid oporteret facere, fore significandum. Divinis obsecuta mandatis protinus Civitella recessit, collacrymantibus pupillis, viduis, puellis multis, populo plurimo, bonis universis.

Assisium proficiscitur. Per patriam profecta patrem filiali prosecuta reverentia, vitam & peregrinationem exposuit. Ille filiæ compassus, virtutem tamen admirans, & perseverantiam commendans, ut secum remaneret, invitavit. At illa id sibi non licere respondens, ne divina despiceret mandata, impetrata benedictione paterna, per vicos & castella peccatoribus convertendis, & puellis aggregandis sedulam curam exhibuit. Additis novellis veteranis, quas secum educebat, comitante Angelica cohorte, pervenit Assisium anno MCCCXCV. occurrentibus undique populis in conspectum cœtus virginei. Salutatis sancti Francisci & beatæ Claræ liminibus, Kalendis Augusti, sub vesperam Templum ingressa sanctæ Mariæ Angelorum, oravit pro peccatoribus & persecutoribus, atque ut manifestaretur ei consilium Altissimi, humiliter postulavit. In extasim facta excepit Dei voluntatem eam esse, ut Fulgineum abiret, & habito Episcopi consensu, sibi suisque Monasterium Sororum pœnitentum Tertii Ordinis sancti Francisci construeret.

Inde Fulgineum. XV. Revelato discipulis divino consilio, lætæ die III. Augusti Fulgineum perrexerunt, invocatoque in suo Templo sancti Feliciani, urbis protectoris, patrocinio, & aliorum Sanctorum, præsertim beatæ Angelæ Tertii Instituti sancti Francisci, quorum corpora ea in urbe requiescunt, auxilio, Joannem Angelum Populensem Episcopum Fulginatem humiliter rogarunt, ut sibi suisque in illa civitate habitare liceret, & Monasterium construere. Piis candidarum Virginum votis annuendum judicavit Episcopus, consulendum tamen Pontificem Romanum, absque cujus licentia nova Regularium habitacula condere non licebat. Interim in semotis ædibus decenter & religiose aluit; & tamdem obtento Pontificis assensu, simul cum Ugolino Trincio, urbis Domino, assignavit eis situm prope muros urbis antiquos, & hospitale sanctissimæ Trinitatis, donavitque eis Trincius hortum suum contiguum, empta etiam domo vicina. Hic quam citissime ædificavit Angelina ex suis, discipularumque facultatibus, adjuta etiam Fulginatum eleemosynis, commodum Monasterium, sub nomine sanctæ Annæ, anno MCCCXCVII.

Gonz. in Prov. S. Franc. Mon. 10. non MCCCCV. uti habet Gonzaga, assumptisque ex discipulis septem, duabus virginibus Assisiatibus, duabus Fulginatibus, & una Camerte, Monasticam professa est vitam in manibus Honofrii Trincii, urbis Episcopi, fratris Germani prædicti Ugolini. Primum hoc asserunt fuisse Monasterium Sororum pœnitentum Tertii Ordinis sancti Francisci, sub clausura degentium. Fortasis ita fuit in Italia, quia ex iis quæ hucusque recensuimus per universum hoc opus, constat multa multis in locis præextitisse hujus Instituti Monasteria Regularibus informata disciplinis. Verum est, ex hoc loco multas prodiisse aliorum in Italia Fundatrices, & ab his condita subjecta fuisse regimini Abbatissæ Fulginatis Angelinæ, tamquam supremæ Ministræ,

Ann. 1418. ut suo loco enarrabimus.

XVI. Multæ convolabant ad harum exemplum vitam æmulaturæ, sed cum justum numerum complesset Angelina, lege communibus Monialium suffragiis comprobata, cavit, ne aliæ adjungerentur, sed decedentibus dumtaxat substituerentur. Ut filiarum votis satisfacerent Cives, videntes locum hic deesse, anno MCCCXCIX. alterum ædificarunt Monasterium, pri-

B. Margarita Fulginas. mo vicinum, sub invocatione sanctæ Agnetis, cui præfecerunt unam ex Angelinæ discipulis Margaritam Dominici Fulginatem. Hæc vero dum non solum regularibus optime instruit Sorores disciplinis, verum etiam ædifi-

cium

cium suis, aut parentum sumptibus auxit, meruit ut e suo nomine Monasterium nuncuparetur *Margaritolæ*. Sanctissime per annos multos rexit hanc ædem, obiitque Idibus Junii anno MCCCCXL. miraculis illustris. Ejus reliquiæ cum veneratione in hoc Monasterio asservantur, & connumeratur inter beatas fœminas Fulginates. Missa Spoletum anno MCCCCXXXI. ædificavit hujus Instituti Monasterium alterum, sub titulo sanctæ Catarinæ. Reliquas autem beatæ Angelinæ virtutes, & acta alias commodius prosequemur.

XVII. Hos invenio hoc anno Episcopos, Acconensem in Syria, sub Archiepiscopo Tyrensi, fratrem Gualterinum de Serrezana, per obitum Nicolai, VIII. Idus Novembris. Arbanen. in mari Adriatico, sub ditione Veneta, & Archiepiscopo Jaderen. fratrem Joannem Tergestinum, per liberam resignationem Joannis in manu Pontificis Kal. Martii. Cardicen. in regno Poloniæ, sub Archiepiscopo Gnesnen. fratrem Bernardum Christophori Romanum, per obitum Dominici, VIII. Idus Novembris. Davaliensem, sub Archiepiscopo Atheniensi, fratrem Nicolaum de Neritono, per obitum Antonii, VIII. Idus Novembris. Dulmenen. fratrem Georgium de Ymocha, per obitum Matthiæ, IV. Idus Octobris. Laquedonen. in Hirpinis, in regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Comsano, fratrem Guillelmum de Neritono, per obitum Antonii, IX. Kal. Februarii. Nathuren. sub Patriarcha Constantinopolitano, fratrem Antonium de Tremonia Monasteriensem, per obitum Theodorici, XVIII. Kal. Februarii. Policastren. in Lucania, in regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Salernitano, fratrem Lucam de Rocca-contrata, per privationem Nicolai ab Urbano VI. factam, nonis Aprilis. Assisiatem in Umbria, sub jurisdictione immediata Pontificia, fratrem Andream, per translationem Aldrovandi Michelotti ad ad Clusinam.

(Frat. Gualterin. Episc. Acconen. — Fr. Joann. Arbanen. — Fr. Bernard. Cardicen. — Fr. Nicolaus Davalien. — Fr. Georg. Dulmenen. — Fr. Guillelmus Laquedonen. — Fr. Anton. Nathuren. — Fr. Lucas Policastren. — Fr. Andreas Assisiat.)

XVIII. Concessit hoc anno Pontifex facultatem Ministro, & Fratribus provinciæ Apuliæ recipiendi in oppido frequenti, & opulento Spinatiolæ, aliis *spinæ aureæ*, diœcesis Venusinæ domicilium: *Sacræ vestræ Religionis*, nonis Decembris. An vero tunc extructum, ignoro: invenio duas ibi extare ædes Franciscanorum, unam Conventualium, Observantium alteram, sed illam asserit Rodulphus, ædificatam fuisse sub Custodia Barolitana anno MDLXV. consentiente Simone Gattuliæ Episcopo Venusino: istam dicit Gonzaga, constructam anno MCCCCLXXXV. sub Sixto IV. nisi fortasis error sit in numeris apud Rodulphum, vel eo anno, quo scribit, sit ædes refecta. Indulsit etiam Bonifacius Ministro, ac Fratribus provinciæ Marchiæ, ad preces Caroli Pandulphi Malatestæ, & Galeotti de Malatestis domicellorum Ariminensium, ac Præpositi & Capituli Ecclesiæ Forosimproniensis, ut liceret eis admittere pro novo construendo Conventu Ecclesiam sancti Georgii in eadem urbe, cum domibus contiguis, quæ ad prædictos Præpositum & Capitulum pertinebant, quia primum quod possidebant Cœnobium extra urbis mœnia, quod nos alias indicavimus, bello ingruente, demoliti sunt Romanæ Ecclesiæ ministri, ne hostibus urbi expugnandæ inserviret; habitantibus interim Fratribus in Monasterio sancti Mauxentii in Burgo, Ordinis sancti Benedicti: *Sacræ vestræ Religionis*, Idibus Januarii.

(Conv. Spinatiolæ. — Rodul. fol. 277. — Gonza. in Prov. S. Nicolai Conv. 25. — Conv. Ariminen. — Tom. 5. an. 1292. n. 11.)

XIX. Paulo antea diximus, Cœnobium Mosteiro a primis illis reformatoribus provinciæ Lusitaniæ hoc anno constructum, in quo hic admonere licebit, semper viguisse religiosissimam disciplinam, & viros virtute conspicuos. Præ cæteris ibidem sepultus est frater Joannes a Basto laicus, quem sibi patronum, & mediatorem apud Deum illius regionis incolæ, maxime ægroti, suscipiunt. Infirmitatibus illud adhibent remedium, ut ad collum

(Conv. Mosteiro. — Gonza. in Prov. S. Antonii Con. 1. Monum. MSS. hujus Prov. — Fr. Joannes a Bastu.)

ægroti appendant pauxillum terræ sepulturæ sancti Viri, & mirabiles experiantur effectus. Quidam loci Præfectus, cum diuturno quartanæ morbo laboraret, & recordaretur multos hujus intercessione a variis infirmitatibus liberatos, bene sibi ab illo sperare cœpit, vovitque quod si ab ea infirmitate liberaretur, corpus honestiori loco, & nobiliori conderet sepulcro, statim emisso voto convalescere cœpit, & votum persolvit. Alter ædis præfectus frater Didacus ab Angelis, ob duo miracula in suum beneficium patrata anno MDLXXVIII. secundam fecit translationem ad lapideum monumentum quadrivialis structuræ, quod in pariete lateris Evangelii præparavit. Hunc eumdem Ministri Provincialis munere functum a præsenti mortis discrimine, ob calculi dolorem Vir Dei liberavit, isque annos tres obtinuit vitæ, cum prius promitteret, quamdam antiphonam & orationem in ejus memoriam se recitaturum. Jacet etiam in eodem Conventu cum veneratione frater Alphonsus Auriensis, qui octogenarius obiit anno MCCCCLXXIX. non sine sanctitatis opinione, illucque intulit quamdam beatissimæ Virginis imaginem e Belgio anno MCCCCLVI. asportatam, miraculis insignem. Domum hanc vetustate collabentem refecit, anno MDLVII. Frater Didacus de Ansede, dum secundo Ministeriatus provinciæ Portugalliæ fungeretur officio, adjutus liberalitate Joannis III. Regis, aliorumque benefactorum.

Frat. Alphonsus Aurien.

Marc. cit. c. 31. Gonza. cit. c. 2. Monum. citat. Conv. Insulæ.

XX. Huic ædi contemporaneam facit Marcus Ulyssipponensis, alteram in parva Insula maris Oceani ad ostium fluminis Minii, e regione oppidi Caminhæ in Lusitania a supradicto fratre Didaco Aria, & sociis constructam, sub invocatione sanctæ Mariæ in Insula. Multa hic patrat beata Virgo miracula, atque illud sane admirandum, in angusta Insula sale circumdata, aquam reperiri potabilem. Cum enim quotidie ex opposito oppido, non sine labore & tædio cimba illuc afferre oporteret aquam ad bibendum, & propterea haud libenter eo in loco habitare vellent Fratres, visa est beata Virgo apparere prædicto Didaco, & jubere, ut quodam loco terram effoderet, certo inventurus dulcis aquæ scaturiginem. Sequenti die fecit juxta monentis præscriptum, & invenit quam desiderabat aquam, quæ numquam postea defecit. Post hæc alium eduxit sacra Virgo fontem copiosum aquarum, horto, viridariisque irrigandis, & vestibus abluendis, quod sane divinæ virtuti attribuendum est, in tam arcto terræ spatio (positus enim quisque in Insulæ meditullio in omnem partem per circuitum lapidem projicere potest in extremas oras) mari circumdato, tantam inveniri aquæ dulcis abundantiam: ejusdem beatæ Virginis beneficium fuit, ut Fratribus aliquando magna penuria laborantibus, propter sævam & diuturnam maris tempestatem, illius regionis incolæ, de salute eorum solliciti, ne fame absumerentur, omnem procul fecerint timorem, & divina caritate inflammati, ostendentes, quod aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, omnem maris impetum contempserint, & cibaria esurientibus summo vitæ discrimine importarint. Locum hunc summa in veneratione habent Lusitaniæ Optimates, & Emanuel Rex audita fama ejusdem, & Incolarum, voto emisso ædiculam invisendi, Ulyssippone ad Septuaginta leucas distante, magnis itineribus illuc pervenit, anno MDII. & Ludovicus Infans ejus filius an. MDXLVIII. ac Jacobus Dux Brigantinus, anno MDXX. aliique proceres, Leonora Regina Templum multa, & locuplete donavit supellectile, Elisabetha prædicti Emanuelis Soror, & Ferdinandi Ducis Brigantiæ conjux, alia misit donaria. Cœnobii patroni sunt Marchiones Villæ Regiæ, quo titulo summopere gloriantur, & Fratres perpetuis prosequuntur beneficiis. Hic tirocinium posuit Andræas Insulanus, cognomine ab æde desumpto, olim totius Ordinis

nis Generalis Minister, vir tanto regimine dignissimus. Huc se recipere solebat vir optimus Joannes a Pavoa, suo tempore a nobis ob pietatem & prudentiam commendandus, quoties a religionis muniis se expediebat; fuit enim septimus Vicarius provinciæ Portugalliæ. Hic obiit venerabilis Pater Dominicus a sancto Juliano, qui annis decem & ultra tanto studio mundo valedixit, & mentis recollectioni incubuit, ut neque semel ad ostium cœnobioli toto hoc tempore accesserit, pane tantum & aqua contentus, & unica tunica lacera, in multis locis refecta ex pelle lupi marini. Navigantes naufragantes, & peregrini multoties experti sunt beatæ Virginis, hujus ædis titularis opem admirandam, qua de causa non solum finitimi, verum etiam totius regni, & aliarum regionum incolæ domum hanc summa prosequuntur veneratione. Tantum beatæ Virgini cultum ferre non valens humani generis inimicus, occultas struxit insidias, decepto quodam tirone variis spectris & illusionibus, & publicas intulit molestias, immissis satellitibus hæreticis, qui bis, terve sacrum locum expilarunt, & Fratres multis affecerunt injuriis. *Fr. Dominicus a S. Juliano.*

XXI. Tertiam eodem anno ædificarunt hi reformatores ædiculam, XII. M. P. a prædicta insula, & XI. M. ab oppido Mirtili, nunc Viana ad montis radices. Hic obiit prædictus Gondisalvus Marinus, cujus sepulturæ in quadriviali structura Ecclesiæ, quam Templi crucem vocant, monumentum ex albo lapide imposuit Alphonsus I. Brigantiæ Dux, filius nothus Joannis I. Lusitaniæ Regis ex Agnete nobili puella, Gondisalvo familiaris, & intimus amicus. Postea translata sunt ejus ossa in capsulam sub altari majori. Jacent hic Antonius a sancto Vincentio, primus Provinciæ sancti Antonii Minister, morum probitate, & vitæ integritate insignis; Gualterus laicus perpetuo rerum divinarum studio flagrans, & excelsa mente præditus, qui triduo ante decessum sano & integro corpore, sepulturam sibi parari jussit, in quam tertio quo prædixit die, illatus est. Frater Rubinus Gallus, miræ patientiæ, profundæ humilitatis, & assiduæ orationis donis ornatus, qui Vicarium egit hujus ædis, necnon duarum præmissarum Mosteiro & Insulæ, ac sancti Pelagii. Decessit anno MCCCCXLVII. ex pestilentia, postquam summa caritate populo universo illius oppidi hac contagione laboranti, inservivit. Frater Bartholomæus Insulanus, vir incredibilis pœnitentiæ & abstinentiæ, quam etiam in morbis non remittebat, erga alios mitissimus, erga se valde severus. Obiit circa annum MDLVII. Hujus aliorumque piorum virorum Lusitanorum memoriam præfatus Marcus Ulyssiponensis collegit edendam in quarta parte suorum Chronicorum, quam meditabatur, sed dum non licuit ob alia impedimenta, schedæ remanserunt in hoc Conventu. Ultimo hoc seculo refrigescente caritate, Fratres passi hoc in loco varia incommoda, propter distantiam ab Oppido, statuerunt anno MDCXI. aliud ædificare domicilium intra ipsum municipium, sumptus liberaliter præbente pio quodam viro, non tamen primum derelinquere, sed conservare, designatis quatuor aut quinque religiosis viris, quibus omnia ex novo Cœnobio ministrentur, & qui ibi perpetuas in oratione Dei, & divina contemplatione exerceant excubias. *Conv. Vianæ. Indidem Con. 3. Monum. citata. Fr. Gondisalvus Marinus. Alii pii Viri.*

XXII. Ejusdem temporis fœtum esse Conventum sancti Pelagii Martyris Cordubensis, apud Hispanos illustris, scribit Ulyssiponensis; & a prædicto Gondisalvo extructum, in altissimo monte, prope Minium fluvium. Quia vero difficilis erat undequaque ascensus, & propter nimiam distantiam populorum, omnium rerum laborabant Fratres inedia, locum dereliquerunt. Occuparunt tamen Conventuales, a quibus iterum defluxit ad Obser- *Conv. S. Pelagii. Marcus citatus. Monum. MSS. Prov. Portugall.*

servantes anno MDLXX. sed his iterum recedentibus, & ædificio vetustate collapso restaurationem aggressus est quidam ex Conventualibus, propter salutis beneficium sancti Martyris intercessione impetratum. Biennium integrum domui reparandæ impenderat, cum jam tædio affectus abire pararet, inito cum sociis consilio, ipso die Martyris festivo. Repente tamen mutavit consilium, viso, ipso illo tempore, quo hæc tractabat, insigni miraculo. Erat in Ecclesia puella Galeca Auriensis, Marina nuncupata, toto corpore incurvata, manibus & genibus potius repens, quam ambulans, quæ magno dolore, & labore montem ascendit, tum ut miseriam suam in solemni ejus festivitate sancto Martyri exponeret, tum ut eleemosynam a Fratribus, eo die abundantius pransuris, acciperet. Accidit ut post missarum solemnia, quo potuit affectu Divum deprecata, toto corpore sudaret, statimque multis conspicientibus, sana & vegeta in pedes recta consurgeret. Hoc aliisque quæ sequebantur, commotus miraculis restaurator, in opere complendo perrexit, & deficientibus in Lusitania Conventualibus, tertio ad Observantes rediit, in quorum nunc remanet potestate. Sepultum hic ferunt unum ex illis ptimis reformatoribus.

Conv. Matozini. *Marcus citatus. Gonz. in Provin. Portugalliæ.*

XXIII. Tunc etiam ædificatum Cœnobium alterum in ipso littore Maris, ad tertium lapidem ab Oppido *Matozinhos* Portuensis diœcesis, sancti Clementis ad rupem nuncupatum, sed cum ex vicino mari plura incommoda Fratres paterentur, domicilium transtulit quidam frater Ludovicus Julia-Pacensis ad alium locum prope præfatum pagum anno MCCCCLXXVIII. annuente Sixto IV. & sumptus administrantibus piis, nobilibusque conjugibus Ferdinando Continho, & Maria de Acunha; sacellum maximum, & odæum capacissimum Margarita Villenica, Ecclesiæ reliquum Alphonsus V. Portugalliæ Rex absolvit, sub titulo Conceptionis beatæ Mariæ Virginis. Conventus est sane virtuti acquirendæ opportunus; quippe a turbis, & seculari conversatione remotus, inter condensas silvas summa gaudens quiete, nec non rerum omnium abundantia, advehente populo quidquid necessarium est, tum propter miraculosi Virginei simulacri reverentiam, tum propter singularem erga Fratres affectum. Perpetuum proinde habetur hic Tironum seminarium, ex quo optimi Fratres prodierunt. Vivunt sub arctiori lege Recollectorum vitam sane sanctissimam, & optime audiunt in propinquis vicis & oppidis, maxime veto in civitate Portuensi, quæ abunde Fratribus caritatis mittit subsidia. Hic ego initiatus sum anno MDCVI. XIV. Kalendas

Ubi auctor initiatus.

Octobris, utinam majori virtutis profectu, altioresque egisset radices, quæ illic per sesquiannum tum præceptoris instructione, tum patrum exemplo proposita est disciplina. Intra Monasterii ambitum amplissimi habentur horti, referta pomaria, amœna viridaria, virentia prata, opacæ quercus, altissimæ pinus, placidum flumen, atque inter hæc devoti recessus, & pia oratotia, orationi & meditationi satis opportuna. Hoc in loco sepultus est, & habetur in veneratione, quem supradiximus, vir optimus Joannes a Pavoa,

Hoc anno n.20.

cujus gesta perstringit Marcus Ulyssiponen. & nos suo loco referemus. Plura hic fiunt miracula ad invocationem beatæ Virginis, & venerationem imaginis ejusdem in altari majori expositæ, sub titulo sanctæ Conceptionis, quamobrem mirum in modum a nautis, peregrinis, aliisque sua vota soluturis, & beneficia impetraturis frequentatur.

Conv. Castaneæ. *Marcus citatus. Gonz. in Provin. S. Antonii Portug. Conv. 12. Monum. MSS. ejusd. Provin.*

XXIV. Circa hoc tempus prædictorum piorum virorum socius frater Petrus de Alemanços aliud ædificavit Cœnobium prope oppidum Castaneæ vulgo *Castanheira* XXIV. M. P. ab urbe Ulyssiponensi in exigua terræ portione, a quodam Dominico Simonis ex oppido Villa-Francha oblata. Auxit

xit postea situm Emanuel Rex, agros omnes, & possessiones adjacentes mercatus. Temporum injuriis male affectum Conventum restituit frater Georgius a sancto Bernardino, laicus, adjutus eleemosynis Joannis III. Regis sibi addictissimi, aliorumque fidelium: præ omnibus opi fuit prædicti oppidi Comes Antonius de Athaide rebus Indicis tum præfectus, qui ad majorum suorum exemplum singulari quadam pietate in Fratres hujus ædis ferebatur, ædes sibi magnificas prope Monasterium struxit, & sacellum ad latus Evangelii affabre elaboratum, in quo voluit sepelliri. Posteri sane ab optimi hujus herois vestigiis in sublevanda Fratrum inopia non recedunt, & proinde patronorum merito gaudent auctoritate. Præfuit huic ædi Fr. Joannes ab Oureiro vir assiduæ orationis & pœnitentiæ, qui mirabiliter puellam a dæmone obsessam a malo hospite fremente, & horribiliter clamante liberavit. Ibidem jacent duo pii viri Fr. Didacus Peregrinus, qui ex aula Imperatricis, & Portugalliæ Infantis Mariæ ad Religionem confugit, obiitque sanctissime, & frater Franciscus de Talavera Reginæ, de quibus suo tempore sermo recurret.

Fr. Ioann. de Oureiro.

XXV. Ornavit maxime domum hanc Georgius de Attaide prædicti Antonii filius, Visensis Episcopus, Consiliarius, & Sacellanus maximus Philippi II. & III. Hispaniæ Regum. Claustrum totum refecit, in meliorem formam reduxit, sacrarium, & desuper virorum illustrium hospitium extruxit, sacellum maximum ædificavit, chorum adjunxit, altare illustravit. In eodem sacello pulchra ex lapide jaspide, & variegato, parentibus, Fratribus, & consanguineis posuit sepulcra in sublime erecta, in quibus hæc leguntur Epitaphia. Ex latere Evangelii: *D. O. M. Antonio de Attaide, primo Comiti de Castanheira, Alvari de Attaide, & Tolantæ de Tavora filio, a Joanne III. Rege prudentissimo ob integritatem, pietatem, prudentiam, animi moderationem, inter cæteros Regni Primates maximi habito, & in magnam curarum partem ascito, Regni negotiis, supremisque muneribus (post Regis obitum) sponte abdicato, certiore consilio. prope hoc Cænobium manenti, ut se totum reliquo vitæ tempore Deo dicaret; decessit anno ætatis suæ* LXIII. *Christi vero* CIↃ. CI. LXIII. VII. *die Octobris. Georgius Episcopus optimo patri* M. P. E latere Epistolæ: *D. O. M. Antoniæ de Tavora Comitissæ uxori Antonii primi Comitis de Castanheira, filiæ Alvari Pirez de Tavora, Principis familiæ de Tavora, & Joanne de Silva, omnium virtutum genere, maximaque caritate in pauperes præstanti, quæ post conjugis mortem ad Cænobium Monialium beatæ Mariæ de Castanheira se recepit, ubi orationi, & contemplationi perpetuo vacans, & facultates suas in opera pia, pauperumque usus distribuens; tandem ad æternam vitam translata est die* XI. *Decembris anni* CIↃ. CI. XC. *ætatis suæ* LXXXV. *Georgius Episcopus optimæ Matri M. P.* In medio Parietis Chori ex parte dextra: *D. O. M. Fratri Antonio de Sousa filio Martini Alphonsi de Sousa, & Annæ Pimentel professo Ordinis Prædicatorum, in quo per* XL. *annos religiosiss. vixit, & pro variis muneribus in eo administrandis multas Christiani Orbis partes peragravit, ac tamdem ad Episcop. Visen. assumptus, annum* LVI. *agens decessit* I. *Maii* CIↃ. CI. XCVII. *Georgius Episcopus amico, & consanguineo M. P.* Ex sinistra parte chori. *D. O. M. Præclaro mundi contemptori fratri Bernardo a Cruce, Monacho Cistercien. filio Antonii de Attaide, & Annæ de Tavora, primorum Comitum de Castanheira, ætatis suæ anno* XXXVIIII. *a Nativitate Christi* MDLXXIX. *die* IV. *mensis Septembris vita defuncto. Georgius Episcopus frater M. P.* Ad chori partem, ex parte interiori: *D. O. M. Joanni & Manueli, Michaeli, & alteri Joanni, Elisabethæ, Franciscæ in infantia ad* ca-

cœlum vocatis, *Georgius Episcopus Fratribus desideratissimis*, *M. P.* Obiit ipse Ulyssipone anno MDCX. die XVIII. Januarii, jussitque suum corpus in hoc sacellum efferri, & humari in sepulcro humili, quod in pavimenti medio vivens sibi paraverat. Annuos reditus legavit in perpetuum Abbatissæ, & Monialibus de Castanheira, pro fabrica hujus domus. Templum optima ornavit supellectile, sed testamento cavit, ne deinceps ullus in illo sacello maximo a se condito sepeliretur.

XXVI. Sub hoc tempus conditum fuisse a Blanca genitrice nobilis viri Galeatii Comitis Virtutum, Monasterium sanctæ Mariæ Annunciatæ Ordinis sanctæ Claræ in civitate Papiensi, constat ex diplomate Bonifacii, quo concedit nobili mulieri Catarinæ, prædicti Comitis conjugi, auctoritatem nominandi quadraginta Moniales in eo Monasterio collocandas, quibus sufficientes reditus erant ab ipsa assignandi, si quos socrus deputavit, non sufficerent: *Regimini universalis &c.* IV. Idus Martii. Revocavit hoc anno Pontifex commissionem datam Londonien. & Lichefelden. Episcopis, ut deciderent controversiam ortam inter Minores Londonienses, & Prædicatores Herfordienses, circa sepulturam Joannis Hastongt, Comitis Pembrochiæ, apud Prædicatores tumulati, quantumvis ipse se jusserit sepeliri Londonii apud Minores: *Dudum pro parte*. XVII. Kalendas Decembris. Confirmavit etiam litteras suorum prædecessorum circa corrigendos errores eorum, qui obsequiis insistebant Principum, aut Capellani dicebantur Pontificii: *Ad hoc libenter*, Kalendis Aprilis: *Tenorem cujusdam constitutionis*. IV. Nonas Maii. Indulsit ut Fratres Assisiates omnibus peregrinis libere nullius petita licentia, Eucharistiæ Sacramentum ministrarent: *Magnæ devotionis affectus*. VI. Kal. Novembris.

Monast. Papien.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

FF. Joannes, Sacerdos, & Petrus Laicus, martyres.

Epis. hist. MSS. Prov. Aragon.

„ I. TUrolium. Civitas Episcopalis in Aragoniæ Regno, Hispanis „ *Teruet*, & olim Turrupia, sive Tintana, opus Alphonsi Regis, „ Raymundi Principis Filii, a Cæsaraugusta Metropoli & Regia XXX. M. P. „ Hisp. in Meridiem recedens, ab exordio fere nascentis Ordinis Minoriti- „ ci libenter, & reverenter exceptis sanctis Fratribus Joanne Sacerdote, „ & Petro Laico professo, postea sub Zeita Rege Mauro martyribus, ad „ sancti Bartholomæi ædiculam, pro Fratrum incolatu humile Cœnobiolum „ construxerat; quod hoc anno expensis Illustriss. D. Garciæ de Heredia „ Archiepiscopi Cæsaraugustani, cum ampla valde & speciosissima unius na- „ vis Ecclesia reædificatum fuit; ac præfatorum Martyrum reliquiæ sacræ ad „ Sacellum Crucifixi in eadem Ecclesia translatæ, ubi pluribus annis obli- „ tæ, deperditis monumentis loci depositionis, quieverunt. Post aliquod „ tempus accidit, Valentia e Conventu sancti Patris Francisci Turolium „ venisse venerabilem Patrem Magistrum Vegam celebrem certe virum, „ virtute & doctrina insignem, in Cathedrali Civitatis per Quadragesimam „ concionaturum. Hic ergo ut novit Sanctorum lipsana, quia laterent, „ sine veneratione jacere, Deum ex totis præcordiis exoravit, ut ad piorum spirituale solatium, & ad honorem eorum Martyrum, locum ubi ja- „ cerent, revelare dignaretur. Quadam die dum in Ecclesia præfati Con- „ ventus Turolii sermonem haberet ad populum, dictante spiritu Divino, „ de suggesto manu & voce locum indicavit, ac ibidem effossa terra, desi- „ derata Martyrum corpora, in capsa lignea, exceptis capitibus, adinven- „ ta, paulo post in elegantiore & venustiore deposito, cum hac epigraphe

ESTOS

„ *ESTOS SON LOS SS. MARTYRES F. JOAN SACERDOTE*, „ *E F. PEDRO LAYCO* recondita, plurima solemnitate & pompa ad Altare majus translata fuere. Verumtamen postea duobus in bustis separata, Sacerdotis a dextris, & Laici a sinistris, in sacrario collocata venerantur. Præfatus frater Magister Vega una vice sub alto silentio noctis, clam aperto busto, unum ex ossibus S. martyris Joannis surripuit, secumque Valentiam delatum in Ecclesia sui Conventus, ubi pie colitur reposuit: fassus in aperitione loculi dum furaretur cœlestem fragrantiam expertum fuisse, tamdem Valentiæ æger decumbens ex inspiratione divina ad Conventum Turolii se transferre fecit, & ingressus Ecclesiam humiliter & devote cecinit responsorium: *Ne recorderis peccata mea Domine &c.* & paulo post vita functus ibidem sepulturam accepit. *Ad an. 1625.*

„ II. Hoc eodem anno Smyrna transtulit Deus Astam mirabiliter beati Martyris Henrici Comentinæ, Patriarchæ Constantinopolitani corpus, ut eo Ecclesiam Minorum ibidem ditaret. Rem, quæ fidem humanam superare videtur, nihilominus veram, & certi Auctoris breviter enarrabo. Erat Civitas Episcopalis Smyrna Joniæ totius nobilissima, & post Ephesum primaria, inter Phocæam & Colophonem; ab Epheso in Septentrionem recto itinere ad XL. M. P. recedens; a Pergamo in austrum paulo remotior; a Sardibus in Occidentem Hibernum ad L. a Colophone in arctos ad XX. Phoceæ propior, intra sinum apud Hermi fluminis ostia in plano & colle sita; quæ dira sub tempestate armorum Bajazetis primo, ac Tamerlani postea, Turcarum ac Tartarorum immanium Principum, vi subacta, turpiter populata, & barbare prophanata & direpta ingemuit, arca, in eaque corpore præfati Martyris in mare projectis. At arca, divina protegente & dirigente aura gratiæ cœlestis, natans, Jonii, Ægei, & Adriatici dubiis & spumosis vorticibus pelagi superatis, in Padum primo, tum ex eo in Tanarum invecta, postremo in ripam hujus e regione civtatis Astæ Pompejæ consedit. Ad hoc miraculum effusi Cives, cum ex adscripto nomine, cujusnam esset sacrum Cadaver comperissent, solemni processione in Ecclesiam sancti Patris Francisci recens constructam deferunt: deinde abscissum brachium & caput, debitis informationibus, facultatibusque præmissis, universo populo veneranda exponi cœpta, die XI. Januarii insequuti anni MCCCXCIII. *Topogr. Ferrer.* *Ughell. Ital. sac. tom. 4. fol. 559.*

„ III. Hierosolymam inter, & Olearum Montem, e regione Aureæ necnon stercorariæ portarum Civitatis Sanctæ, Vallis est unius milliaris a Josaphat Rege in ea sepulto, ac etiam a lacrymis nuncupata; ad quam ab Aurea in Torrentem Cedron descendendo, per proprium callem itur a piis, quibus primo non longe a Spelæo illo, in quo nocte præcedente suam passionem Redemptor noster sanguineum sudorem edidit, locus occurrit pluribus arboribus vestitus, in eoque septem graduum scala petrea, ad plateam figura quadra descendens: hujus plateæ in ultima parte, per amplam, valde commodam, & marmoream scalam, sed obscuram, nisi quod a lampadibus ardentibus illustretur, qui descendit, ad vigesimum gradum, a dextris & a sinistris lateraliter in vivo saxo, priscorum sanctorum parentum beatissimæ Virginis Mariæ, Joachim & Annæ, & Josephi ejusdem sponsi; hujus quidem a sinistris, eorum vero a dextris, sepulcra magno spiritus gaudio reperit. Prosequendo vero descensum usque ad ultimum scalæ gradum, mensam videt marmoream, & puteum limpidissimæ atque dulcissimæ aquæ: ibi est Ecclesia tenebrosa plurimum, longitudinis LXX. & latitudinis XXX. pedum, quæ illuminata lychnis „ splen- *Vallis Josaphat describitur.* *Ecclesia B.M.V. ibi subterranea.*

„ ſplendentibus, pulchra oſtentat marmora, quibus in crucis formam extructa fuit: in hujus medio elata teſtudo petrea exquiſita arte elaborata, beatiſſimæ Virginis Deiparæ mauſoleum ſigura tetragona, marmoribus circumveſtitum, luminibus accenſis ſplendidum, protegit; ſuper quod noſtri privilegio ſpeciali ſuffulti, ſingulis diebus omni cum pietate & reverentia divina myſteria celebrant: licet in Meſquitam abierit. Hoc autem anno MCCCXCII. Pſeudoreligioſus Turca, qui eam cuſtodiebat avarus, a Fratribus noſtris in ſancto loco ſacra facere volentibus in annuum tributum certam denariorum ſummam expetebat, quod Chriſtiani ſchiſmatici & peregrini illuc pie adventantes, etiam ſolvebant: hanc novitatem Fratres cum per Imperatoris Turcarum authenticum diploma facultatem liberam in eo loco ſacra faciendi obtinuiſſent, ut præjudicialem & iniquam rejecere. Eum vero perſiſtentem in petitis, humanitate eloquii, & munuſculis linire P. Guardianus procurabat, ſed inutiliter; etenim ille pervicacior, adeo malignatus eſt, ut ab Imperatore auctoritatem exigendi præfatum annuum tributum a quibuſvis Chriſtianis, qui locum ſanctum viſitare vellent, exigendi obtinuit. Hi vero ne malum morem & avaritiæ inſanam legem æterno duraturam ſubirent vel admitterent, a loci pia frequentatione ceſſarunt. At ex alto proſpiciens beatiſſima Virgo, ob illius avaritiam ſuum monumentum ſolita veneratione privari, in regali majeſtate innumerabilibus cœlicolis comitata Pſeudoreligioſo apparens, & divinæ juſtitiæ rigores minans, ut in poſterum ſuum ſepulcrum ab omnibus Chriſtianis libere coli & frequentari permitteret, nimis imperioſa præcepit; & ne viſionem veram inane ſomnium crederet, nervorum omnium attractionis pœnam inflixit. Inutilis repente ſibi factus miſer & dolens, pejora expaveſcere cœpit; itaque ſine mora aceitis Fratribus, viſione & pœna enarratis, licet impœnitens & blaſphemus, ſanctiſſimi loci, ut in poſterum ſuo more libere colerent, claves reſignavit. Superior tantam gratiam deſuper obtentam cum recognoviſſet, ſperans etiam majorem, Fratribus ut pro Turcæ ſalute non tam corporis, quam animæ Deo pias, ferventeſque funderent preces indixit. Paruere illi, ſed impius in ſua perfidia & cœcitate fixus gratiam obtinere non meruit.

Mirabilis caſus per V. Mariam.

Ex opuſc. P. Angel. a Mediolano.

Indic. ex Vatic. Origin. in S. Iſidoro.

Litteræ Bonifacii PP.

IV. Summus interea Pontifex Bonifacius Indulgentia pro Monaſterio ſanctæ Claræ Londini conceſſa: *Licet is &c.* Idibus Maii; etiam ſimilem gratiam pro Cœnobio Fratrum Tyburtin. indulſit: *Glorioſus Deus &c.* VI. Kalendas Octobris.

ARGUMENTUM.

Aſſumuntur aliqui ad inſulas Pontificias, & conſtruuntur Cœnobia.

Fr. Anton. Ep. Vernen.

Fr. Albertin. Wergen.

Fr. Joan. Arch. Neopatr.

Rodulph. fol. 256.

Fr. Joan. Epiſc. Acerrar.

I. NIHIL ferme hoc anno memorandum occurrit, præter pauculos Epiſcopos, & condita Cœnobia. Creatus eſt Antiſtes Vernen. frater Antonius Petri de Malliano, per translationem Bonifacii ad Eccleſiam Soldanen. III. Non. Junii. Wergen. frater Albertinus de Pergula, per obitum Joannis, III. Non. Novembr. Erat hoc tempore Archiepiſcopus Neopatren. frater Joannes Minorita, alumnus Conventus Montisluponum, qui hoc anno, ut ſcribit Rodulphus, Eccleſiam ſancti Franciſci Montis Ulmi conſecravit. Erat etiam Coadiutor Joannis Epiſcopi Accerrarum frater Joannes de Neapoli, qui ob frugem vitæ melioris, & quietis deſiderium vo-

voluit ad ſuum Ordinem redire. Scripſit anno ſequenti Bonifacius Pontifex Miniſtro Terræ-laboris, ut Conventum aliquem, in quo vivere poſſet, aſſignaret: *Cupientibus vitam ducere*. Tabulæ Eccleſiæ Pactenſis in Sicilia referunt, hoc anno Epiſcopum illius urbis fuiſſe fratrem Joannem de Cauſſa Ordinis Minorum. Frater Nicolaus Vannini Aſſiſias, Pontificis Sacellanus, hoc anno inſtitutus eſt ab eodem Pœnitentiarius Baſilicæ Principis Apoſtolorum. Indulſit hoc anno Bonifacius Fratribus Conventus ſancti Franciſci Aſſiſiatis, ut in ea Eccleſia, in qua ſancti Patriarchæ corpus requieſcit, poſſent ſymbolum fidei recitare, ſive cantare in feſtivitate ejuſdem inter Miſſarum ſolemnia: *Præ fulgore dignitatis immenſæ*, III. Non. Octobris. Sub hoc tempus rarius hæc hymnologia Catholica, ſeu Euchariſtia hierarchica, uti vocat Areopagita, in Miſſa proferebatur, & Guillelmus Durandus, qui ſub annum MCCLXXX. ſcripſit, ac illo prior Joannes Bellethus, in Sanctorum Confeſſorum feſtivitatibus non fuiſſe conſuetum recitari, inſinuant. Quoſdam vero in principali feſto Eccleſiæ ſymbolum recitaſſe ſolitos, ſed non in octavis ſcribit Durandus. Paulatim introductum eſt, ut in feſtis Patronorum, & Titularium Eccleſiarum cantetur, licet eis non competat ſecundum regulas ritus antiqui Eccleſiaſtici, ſed quia ad ſolemne feſtum concurrit frequens populus, æquum eſt, ut ſanctam fidem ſubſtantialiter in ſymbolo contentam Clerus ſolemniter proponat & decantet. Hinc factum eſt (quod accurate notavit amicus noſter Bartholomæus Gavantus) ut *Credo* in feſto ſancti Joannis Baptiſtæ in propria Eccleſia recitetur, quod in aliis non licet, necnon in Miſſis votivis, quæ ſolemniter concurrente populo pro re gravi celebrantur.

> Fr. Joan. Pacten.
>
> Quando cœpit ſymbolum cantari in feſto S. Franc.
>
> *Areop. de Eccl. hierar. c.3. Durand. lib. 4. Ratio c.25. Bellet. de divin. off. c.40.*
>
> *Gavan. in comment. ad rubr. Miſſal. par. 1. tit. 11.*

II. Circa hunc annum ad quartum a Raguſina urbe lapidem, in ipſo littore maris, ad cujuſdam montis radices, ſeptentrionem verſus, in vico Ombulæ, Fratres humile ſibi domicilium poſuerunt, contemplationi, & mentis tranquillitati opportunum. Domum alteram in Provincia ſancti Franciſci, & Cuſtodia Regni, ſub invocatione ſancti Antonii, obtinuiſſe Fratres in civitate Regali ſcribit Rodulphus, eamque hoc anno conceſſam ab Epiſcopo Licienſi, Antonio Viterbienſi fortaſſis, quem ante biennium ad hanc Eccleſiam diximus aſſumptum. Hoc anno Cœnobium ſancti Petri de Vimenario, in territorio Villæ Pernuniæ, diœceſis Patavinæ, X. M. P. ab ipſa urbe Patavii, ubi prius extiterat ſancti Petri ſacellum, extructum eſt per Henricum de Gallis civem Patavinum: *Humilibus & honeſtis*. Nonis Septembris. Spectabat prius ad Conventuales, nunc eſt ſub regimine Obſervantium, uti ſcribit Gonzaga, ſed valde errant ii, quos recenſet, originem hujus loci tribuere ſancto Franciſco, & ab humili materia, ac viminea contextura, a Vimenario nuncupati.

> Conv. Ombulæ. *Gonz. in Prov. Raguſ. Conv. 4.*
>
> Conv. Civ. Regalis. *Rodul. fol. 255.*
>
> *An. 1390. n. 17.*
>
> Con. Vimenarii.
>
> *Gonz. in Prov. S. Anton. Con. 10.*

III. In Provincia Hiberniæ, & Cuſtodia Enaghtenſi habetur apud Piſanum memoria Conventus Bleſſiviæ, alias in codice MSS. Breſiniæ, per quem intelligi putant aliqui Cœnobium Cavani; neque enim ſub illo nomine alterius occurrit memoria. Porro iſtud olim in regione Bremireilly, ſive Comitatu Cavani extructum per Dominum O Reylly, nunc totum ab hæreticis deſtructum eſt, & tota progenies Fundatorum e ſuo gradu dejecta eſt, introducta nova Colonia Anglorum & Scotorum. Ex hoc loco prodierunt viri optimi Provinciæ Rectores frater Richardus Brudæus, functus Miniſterio, ad Epiſcopatum Kelmorenſem evectus; frater Joannes Goban, frater Cormacus Gabhan, frater Eugenius Dubhy, qui nudis pedibus abſque ſandaliis incedebat per omnes regni provincias; ubique magno fructu Dei verbum diſſeminans. Tanta facundia, & dicendi lepore prædicabat, ut quantumvis

> Conv. Cavani. *Monum. MSS. Prov. Hibern.*

ultra tres horas aliquando sermonem protraheret, nulli generaret fastidium. Clausis oculis semper concionabatur, dicens prædicatorem non debere aspicere auditores, ut liberius possit reprehendere. Familiarissimum habebat Augustinum, ex cujus doctrina integros contexebat sermones. Hæreticos perpetuo voce & scriptis, præsertim rythmis Hibernicis aculeatis insectatus est, numquam tamen carpentem tentarunt offendere, quem in perpetua habebant veneratione, ob summam vitæ integritatem. A Patribus Conventualibus transivit hic Conventus anno MDII. ad Observantes.

Conv. Trimi. Monum. cit. Camden. in comitatu Meden.

IV. In Custodia Pontensi meminit idem Pisanus Conventus Trimi, in Comitatu Mediæ Orientalis, non ignobilis emporioli, quod Boina flumen subluit. Constructus dicitur a Joanne Principe Henrici II. Angliæ Regis filio, simul cum ipso castro Trinio, dum in Hibernia pro patre gubernavit. Sed castrum ibidem posuisse non Joannem Principem, sed Guillelmum Pepard scribit Camdenus. Situm est Cœnobium inter castrum & prædictum flumen, habebatque Princeps, sive castri dominus, transitum secretum a suo cubiculo ad Ecclesiam, ubi divinis officiis commode poterat interesse. Tota Cœnobii moles corruit, præter unam Ecclesiæ navim, quæ conservatur pro celebrandis Comitiis prædicti Comitatus. Municipium totum inhabitatur ab Anglis hæreticis, quapropter ab eo tempore, quo primum expulsi sunt Fratres a suo habitaculo, redire non licuit.

Conv. Covilliani. Gonz. in Prov. Portug. Conv. 31.

V. Occurrit hoc anno in quodam vetusto instrumento testamentario memoria Conventus sancti Francisci Covilliani, in Lusitania, quod paulo post sancti Francisci ætatem constructum fuisse asserit Gonzaga; alio tamen loco, non eo quo nunc est. Oppidanis enim sedem mutantibus ad aerem salubriorem, translatum fuit ad novum oppidum Fratrum domicilium, communibus populi expensis. Sepulti feruntur hoc in loco illustres regularis disciplinæ propugnatores, quorum nomina exciderunt. Hoc anno amplas concessit Bonifacius Indulgentias visitantibus Ecclesiam, sive altare majus Cœnobii Tyburtini, in die, & per octavas Nativitatis beatæ Virginis: *Gloriosus Deus in Sanctis suis* VI. Kal. Octobris. Indulgentiam hanc procurasse Philippum Cardinalem de Aleconis commemoratur incisis litteris marmori super templi portam, uti alias commemoravimus. Confirmavit litteras Alexandri IV. quibus licentiam dedit Fratribus Assisii confessiones excipiendi peregrinorum: *Apostolicæ Sedis* V. Kal. Septembris. Iisdem indulsit ut de funeralibus solam dimidiam partem ceræ solverent Parochiis: *Dudum ad merita beati Francisci*. Eodem die.

Tom. 4. an. 1256. n. 46.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Collegium Canonicarum Nolanum.

» VI. Confirmavit etiam peculiari Bulla novum Institutum collegarum Canonicarum a nobili viro Nicolao de Ursinis de Nola in Tuscia, » Palatino, & de Soleto Comite, quod alias commemoravimus, pie excogitatum, & fundatum prope Ecclesiam Virginum Ordinis sanctæ Mariæ » Matris Christi, eo scilicet fine, ut sicut beata Virgo enutrita, & educata » fuit ab infantia in templo, & ibidem postea desponsata sancto Josepho; » ita hæ Virgines nutrirentur, docerentur, & desponsarentur suis Sponsis, » quæ nubere vellent; quæ vero nollent, manerent perpetuo in prædicto » Collegio, sicut Anna propheta, beatæ Virginis (uti fertur) magistra, in » templo permansit cunctis diebus vitæ suæ in oratione & jejunio. Ipse » Institutor vivendi præscripsit modum per capita unum & quadraginta » partitum, in quorum quinto Bullam citat Bonifacii Papæ Sodalitii confirmatoriam. Collegas sive Collegio perpetuo addictas, in tres dividit classes; in Choristas seu cultui divino designatas, in laicas professas, & famulas sive servientes. Primarum disciplinæ committuntur puellæ, donec

vitam

„ vitam claustralem sive in hoc Collegio, sive in Monasterio de sancta Ma-
„ ria Jacobi Nolano ducere solemniter elegerint, aut ad nuptias transire
„ maluerint. Confessarium habent Minoritam ex Cœnobio propinquo san-
„ cti Angeli. Vestem portant exteriorem lineam, sive superpelliceum;
„ subtus tunicam leucophæam seu griseam, chorda seu cingulo præcinctam,
„ ad instar Fratrum Minorum, & in pedibus calepodia. Mantellum ser-
„ vientium, & puellarum, quarum vestem discriminabat, voluit etiam
„ Franciscanum. Officium divinum recitant secundum ritum Minorum,
„ eorumque peculiares celebrant festivitates. Laicis professis præscribitur
„ Officium laicorum Ordinis Minorum ipsis verbis Regulæ Franciscanæ.
„ Omnia hæc observavi & exscripsi ex prædictarum Constitutionum codice,
„ dum illud ipsum Collegium ante aliquot annos visitarem, volente Episco-
„ po Lancellotto, cujus regimini subest Collegium, & Monasterium prædi- *An. 1354. n. 13.*
„ ctum Clarissarum sanctæ Mariæ Jacobi, de quo semel & iterum jam sumus *& an. 1374. n. 45.*
„ locuti.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ Simul pepigere fœdus Papa [& Florentini, factaque conventione *Doglioni cit. fol. 412.*
„ pro communi salute, ille v. & isti vi. millia Equitum stipendia-
„ riorum habendi, animis Romanis intumescendi occasionem dedere.
„ Pontificis in auxilium & defensionem accurrit Ladislaus Rex Neapolis,
„ qui Romam veniens Bandaratenses & populum compescuit, & dissidia su-
„ stulit, eo fere tempore, quo in Provincia Boemiæ & Poloniæ frater Ja-
„ roslaus de Benesovia spiritu ambitionis agitatus, ut Romæ in Pontificem
„ populus, sic ipse in fratrem Petrum Grecensem Ministrum Provincialem,
„ cum suis complicibus in manifestum dissidium & schisma erupuit. Con- *Casim. Bierna cit.*
„ gregationem etenim Glatzii in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis ausus *fol. 263.*
„ facere, omnes Provinciæ Officiales pro libito instituit; at non impune.
„ Rem enim ut novit Minister Generalis Henricus, die xx. Octobris, pro-
„ nunciata in eum excommunicationis sententia, ab officio, quod temere
„ assumpserat, merito dejecit, & Grecensem in Ministrum Provinciæ electum
„ confirmavit. Interea Pontifex non tantum indulsit Fratribus Conventus
„ S. P. Francisci Assisii, ut ea in Ecclesia, in qua sancti Patriarchæ Corpus
„ requiescit, possent Symbolum fidei recitare vel canere in festivitate ejus-
„ dem inter Missarum solemnia, quemadmodum notavit Waddingus; sed
„ etiam Indulgentiam pro festo sacrorum Stigmatum ejusdem sancti Patris *Bajar. ex Ann.*
„ concessit: *Splendor paternæ &c.* Kal. Decembris. Massacii vero in Pi- *Bon. in Catal. SS. &c.*
„ ceno Joannes a Marchia Tertii Ordinis S. P. Francisci, eximia caritate, *Joannes a Marchia ex 3. Ord.*
„ humilitate, abstinentia praeclare emicans obdormivit in Domino hoc an- *floret.*
„ no MCCCXCIII.

ARGUMENTUM.

Moritur Clemens VII. Anti-papa. Substituitur Benedictus XIII. Sanctæ Inquisitionis officium peragunt Minoritæ in Lusitania. Creantur Episcopi. Multiplicantur domicilia.

Moritur Clemens VII.

I. HOc anno XVI. Kalendas Octobris hora inter nonam & decimam, obiit Avenione Clemens Anti-Papa, cum prætensam dignitatem retinuisset annis sexdecim, minus diebus duobus, sepultus in Ecclesia Cœlestinorum ad Pontem Sorgiæ. Illius mors spem tulit extinguendi perniciosissimi schismatis, & quidem Carolus Galliarum, Joannes Aragonum, Henricus Castellæ, Legionisque Reges, necnon finitimi, atque longinqui Principes cum Cardinalibus Avenionensibus per legatos egerunt, ne ad electionem alterius procederent, donec Bonifacii Pontificis voluntatem in concordia Ecclesiæ procuranda explorassent, velletque ipse se Pontificatu abdicare, & Cardinales Romani eos, qui Avenione erant ad Comitia admitterent, ut communi utriusque partis assensu, unum, eumque legitimum Ecclesiæ Pontificem præficerent. At Avenionensibus non placuit Comitia differre: id modo Principum voluntati concessum, ut pro se quisque conceptis verbis juraret Pontificatu abiturum si designaretur, modo idem facere Bonifacius in animum induceret. Omnibus visum est optimam excogitatam fuisse rationem totius orbis terrarum concordiæ revocandæ, ventumque est ad suffragia, præmisso, ex solemni formula, quam aliunde excipere licet, juramento.

Marian. de reb. Hisp. lib. 19. c. 5.

Substituitur Benedictus XIII.

II. Omnibus suffragiis unius & viginti Cardinalium Petrus de Luna Aragonius, nobilissima familia natus, juris utriusque cognitione excellens, multis legationibus clarissimus electus, & Benedictus XIII. vocitatus est, comitate, ingenii dexteritate, rei ecclesiasticæ, schismatisque extinguendi zelo sive ficto, sive tunc vero, mox mutato, omnium studia & suffragia conciliavit. Susceptis infulis, statim egit de transferendo in Italiam domicilio, de abdicatione nihil. Utraque re Galli perculsi, Lutetiæ in Conventu Principum de remedio cogitarunt. Ad terrendum hominem, tanta præsertim animi magnitudine, quantum reliqua vita declaravit, majestate opus erat. Legati itaque Duces tres, Burgundus, Aurelianensis, Bituricensis oraturi, flagitaturi, ut pacem terris redderet memor jurisjurandi, memor calamitatum, quas gens Christiana persensit; sin minus fecisset, protestaturi cogendum Patrum Concilium, qui in re præsenti disceptarent. Negat ille deserturum se Dei viventis Ecclesiam, Petrique navem, quam in tantis fluctibus susceperat gubernandam. Ita hæc irritarunt Gallos, ut vi agendum decreverint, cogendumque ad fidei datæ solutionem. Milite & regio Prætore obsessum cum flectere non possent, publico edicto cautum est, ne quis ab eo sacra peteret, neque prius constitere commotæ semel voluntates, donec ab eo recesserint omnes Cardinales, uno excepto Pompelonensi, & ipse dissimulato habitu sese Avenione subduxerit, in Catalaunosque abierit, ubi inter suæ gentis homines pertinaciter imperium protraxit, frustra conante Gallo Hispanos Reges ab ejus fide subtrahere, qui in Clementis prædecessoris obsequium antea pellexit. Verum hæc aliquot post annos contigerunt, durante, magno orbis malo propter unius hominis dominandi libidinem, schismate gravissimo.

Fr. Roderic. Inquisitor in Lusitania.

III. Erat hoc anno hæreticæ pravitatis Inquisitor in Lusitaniæ utroque regno Portugalliæ & Algarbiorum frater Rodericus de Sintria, sacræ Theologiæ

logiæ Magister, cui auctoritatem impertit Pontifex, ut in quacumque domo sui Ordinis infra hujusmodi regna cum socio, quem eligere placuisset, commorari possit, iisque uti privilegiis, quibus reliqui sacræ Theologiæ Magistri potiuntur. Ipsum dabo hic diploma, ut appareat quantum circa origines Inquisitionum, primosque Inquisitores aberraverit Ludovicus a Paramo, uti alias sæpissime monuimus. Primum in hoc regno Inquisitorem generalem dicit Vincentium Ulyssipponen. Ordinis Prædicatorum, creatum ab hoc Bonifacio Pontifice anno MCCCCVIII. quod minime constare potest, cum Bonifacius quadriennio ante illud tempus obierit, & tunc eo anno post Innocentium VII. sederit Gregorius XII. Paulo post invenio illic alium Inquisitorem Minoritam fratrem Alphonsum Alfran, institutum a Joanne XXIII. anno tertio sui Pontificatus, uti sub illo anno amplius dicemus.

Param. lib. 2. de S. Offic. orig. tit. 2. c. 15. n. 1.

Dilecto filio Roderico de Sintria, Ordinis Fratrum Minorum professori, in sacra Theologia Magistro, salutem.

IV. *Religionis zelus, litterarum scientia, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus apud nos fide dignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut te favoribus Apostolicis & gratiis prosequamur. Hinc est quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui, ut asseris, in Portugalliæ & Algarbii Regnis Inquisitor hæreticæ pravitatis existis, ut in quacumque domorum Fratrum Ordinis Minorum infra hujusmodi regna consistentium, cum uno Fratre ipsius Ordinis, quem duxeris eligendum, stare, & vocem in Capitulo, necnon officia per Fratres dicti Ordinis exerceri consueta, prout alii Fratres ejusdem Ordinis in sacra Theologia Magistri in domibus dicti Ordinis infra prædicta regna consistentibus commorantes, exercere possunt, etsi hujusmodi Inquisitor non existeres, habere libere & licite valeas, quodque Fratres domus hujusmodi, in qua pro tempore steteris, tibi sicuti aliis Fratribus dicti Ordinis in hujusmodi Theologia Magistris in præfatis domibus commorantibus necessaria ministrare teneantur, quibuscumque statutis & consuetudinibus domorum & Ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis infringere &c. si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Nonas Maii, anno V.*

Ex lib. 2. an. 5. fol. 226.

V. Creati sunt Episcopi hoc anno quos hic exhibeo. Christonopolitanus, sub Patriarcha Constantinopolitano frater Joannes Zacous, per obitum Alberti XVI. Kal. Augusti. Dalmatien. frater Petrus Petri Tiliconius, Papæ Pœnitentiarius, per obitum Joannis VII. Idus Septembris. Enachdunen. in Hibernia, sub Archiepiscopo Tuamensi, frater Henricus Trillouve, per obitum Joannis VII. Kal. Septembris. Feltren. & Bellunen. in ditione Veneta, sub Patriarcha Aquilejensi, frater Albertus a sancto Gregorio, Patavinus, sacræ Theologiæ Magister, per obitum Antonii III. Idus Februarii. Alias ex errore irrepsit hunc a Bonifacio VIII. fuisse creatum: pro octavo substituendus est nonus. Electus hic fuit anno antecedenti, per compromissum a Canonicis, & confirmatus hoc anno a Bonifacio. Possessionem Episcopatus suscepit die XXII. Aprilis per suum Procuratorem fratrem Bonifacium Gerbium Pedemontanum, & ipse solemniter Urbem ingressus est die XIII. Julii. Eum valde laudat Scardeonius inter viros illustres Patavinos, insignem vocat

Fr. Joannes Ep. Christonopol.
Fr. Petrus Dalmatien.
Fr. Henricus Enachdunen.
Fr. Albertus Feltren.
Tom. 4. an. 1267. n. 9.
Scardeon. lib. 2. class. 6. pag. 128.

Vide Pilonum in histor. Bellun. lib. 5. Portin. lib. 9. c. 9.

Fr. Paulus Galtelin. Fr. Martinus Nicopolien. Fr. Nicolaus Sarepten. Fr. Christianus Arch. Seleucien. Fr. Franciscus Severinen. *Anno 1390. n. 17.* F. Bartholomæus Cortonen.

cat Theologum, & divini verbi facundissimum concionatorem. Obiit anno MCCCXCIX. sive, ut mavult Portinarius, anno nono sui Pontificatus. Galtelinen. in Sardinia, sub Archiepiscopo Arboren. frater Paulus Romanus, per obitum Antonii II. Idus Octobris. Nicopolien. sub Patriarcha Constantinopolitano, frater Martinus Jacobi, per obitum Leonardi eodem die. Sarepten. sub Patriarcha Antiocheno, frater Nicolaus de Bezminz, per obitum Wenceslai, XVI. Kal. Augusti. Seleucien. Archiepiscopus, sub Patriarcha Antiocheno, frater Christianus Bellemares, per obitum Martini, XIV. Kal. Octobris. Severinen. in Calabria frater Franciscus de Menenea, per obitum fratris Lucæ etiam Minoritæ, ut superius diximus. In Catalogo Episcoporum Cortonensium invenio hoc anno ad eamdem Ecclesiam assumptum fratrem Bartholomæum Simonis de Troja, & obiisse anno MCCCC.

Conv. Lanvisiæ.

Camden. de Mona insula in Comitatu Caernarvon.

VI. Invenio sub hoc tempus in quodam memoriali antiquo, memoriam Monasterii Lanvisiæ in Anglia, quod non aliud existimem, quam illud, quod Camdenus vocat Lan-vais in Mona insula Anglicana, sede Druidum antiqua, quam in secunda editione in Comitatu Caernarvoni reponit, & in prima inter insulas se imprudenter relegasse fatetur. Nescio an Conventum hunc indicare voluerit Pisanus sub nomine Levisiæ in Custodia Londoniensi, vel sub appellatione Lamatiæ in Custodia Wigorniæ. Quocumque porro nomine censeatur, ædem fuisse admodum celebrem scribit Camdenus, Minoritisque incolis per benignos patronos se præbuisse Reges Angliæ, tum ob Fratrum, qui ibidem degerunt, sanctimoniam, tum quod ibidem sepulti fuerunt filia Regis Joannis, qui anno MCCXVI. pridie Idus Novembris occidit, ex quo loci vetustas aliqualiter potest deprehendi, & filius Regis Danorum; necnon corpora Domini Clifford, & aliorum Dominorum, Militum, & Armigerorum, qui in guerris Walliæ (ut Camdenus ex publicis regni actis loquitur) temporibus illustrium Regum Angliæ occisi fuerunt. Aliud in Mona insula Diœcesis Bangorniensis Cœnobium Belli-marisci statuit Nicolaus Harpsfeeldius in suo sacrarum ædium catalogo.

Vide Vergil. rerum Anglic. lib. 15. in fine.

Conv. Bellimarisci.

Conv. Bivoniæ. *Rodul. fol. 282.*

VII. Hoc anno aliquale suscepit initium domus Bivoniæ in Sicilia, & Custodia Drepanensi, construente Rogerio equite Senensi, & Bivonensi incola sacellum, sub invocatione sancti Michaelis, & jurepatronatus suæ familiæ, cujus curam commisit cuidam Jacobo Clerico seculari, & hoc decedente, alteri Presbytero Antonio de Rosa, deinde Fratribus Ordinis Minorum. Possessionem accepit nomine Provinciæ frater Laurentius Vassallus, Custos Mazaræ, ex beneficio & sub præsidio illustris fœminæ Dominæ Bonæ Senensis. Consecrata est hoc anno Ecclesia Minorum Montis Ulmi in Piceno, uti hæc inscriptio in ipso templo manifesta testatur: *Reverendissimus Dominus Joannes de Monte Lupone Archiep. Neopatren. Ord. Min. Conv. de mandato Reverendissimi Domini Antonii de Vetis Episcopi, & Principis Firmani, hoc templum prima Dominica Junii* MCCCXCIV. *Bonifacio IX. Pont. Max. nobis sacravit, sub vocabulo sanctæ Mariæ de Castello, & sancti Francisci.* De hujus Ecclesiæ, sive adjuncti Cœnobii vetustate raptim egimus alias. Floruerunt ibidem viri illustres præfertim hoc ultimo seculo Bonifacius Faustus, qui Bibliothecam optimis libris instruxit, & illustrium sui temporis, & Ordinis virorum imaginibus veris decoravit; Faustus de Faustis & alii. Sepultus est reverenter in Ecclesia beatus Petrus Montis-Ulmensis, cujus hæc miracula refert Rodulphus, non tamen tempus, quo obierit. Mulier Firmana renibus adeo incurvata, ut nullo modo incedere posset, ad sancti Viri tumulum asportata, incolumis ad propria remeavit. Quidam e monte Rubiano, crure uno, & tibia contractis, voce magna clamavit ad sepulcrum: *Sancte*

Conv. Montis-Ulmi.

Tom. 4. an. 1265. n. 19.

Beatus Petrus de Monte-Ulmo. *Rodul. fol. 127. Monum. MSS. hujus Conv.*

Sancte Francisce excita fratris Petri animum, ut me ab isto malo velit liberare: & paulo post sanus effectus est.

VIII. Sub hoc tempus extitisse in civitate Brigantina in Lusitania, vulgo *Braganza*, in Dioecesi Mirandæ Duraniæ Cœnobium, constat ex commissione Pontificia hujus anni facta Guardiano, circa quamdam controversiam componendam. Adde quod ejus meminerit Pisanus, qui hoc tempore scripsit in Provincia sancti Jacobi, & Custodia Conimbricensi. Quo tempore initium acceperit, non constat, sunt, qui putent a sancto Francisco inchoatum, quibus non facile assentior: magis accedo ad eos, qui dicunt ab ipsis civibus communi ære factum, & a Dionysio Rege refectum, quod comprobare videntur regia insignia parietibus affixa. Meminit etiam Pisanus aliorum ejusdem regni Conventuum sub Custodia Elboren. videlicet Estremosii in Dioecesi Eborensi, cujus fundationis tempus ignoratur, scitur tamen transivisse a Patribus Conventualibus ad Observantes anno MDXLII. Incolarum virtutem sibi probatam esse Deus aliquando manifesto comprobavit miraculo; deficiente enim pane, cum dispensator unde acquireret, non haberet, & tristis, mœstusque cederet, ecce apparuerunt mensæ panibus repletæ, quibus Fratrum necessitati, & multis ægrotorum infirmitatibus mirabiliter provisum est. Et Conventus Portus-læti, vulgo *Portalegre*, qui eodem anno, quo Estremosius translatus est ad Observantes. Fundatum ferunt a Dionysio Rege, quod confirmant Regia insignia, & sequentes litteræ præ foribus incisæ: *Dominus Dionysius Portugalliæ Rex ædificavit hoc Monasterium*. Necnon Cœnobii Taviren. Dioecesis Algarbien. incertæ fundationis, certæ tamen translationis ad Observantes anno MDXVII. per fratrem Petrum Conimbricensem, ad arctiorem vitæ normam anhelantem, impetrata facultate a Leone X. se cum aliis XXIII. Fratribus hujus loci accolis reformandi.

Conv. Brigantii. Gonz. in Prov. Portug. Conv. 16.

Conv. Estremosii. Idem in Prov. Algarb. Conv. 11.

Conv. Portus-læti. Indid. Conv. 20.

Conv. Taviren. Indid. Conv. 23.

IX. Quintum adhuc commemorat Pisanus sub Custodia Conimbricensi in civitate Lamacensi, vulgo *Lamego* constructum incerto anno, & fundatore. Nunc spectat ad Patres Provinciæ sancti Antonii strictioris Observantiæ, qui vastam, & incompositam primæ structuræ molem, ad sui Instituti regulas reduxerunt, & irriguo fonte magnis expensis e longinquo derivato instruxerunt. Vetusta quædam inscriptio lapidis recenter inventa indicat, templum refectum a Joanne Joannis, Abbate sancti Petri de Aquias, Cancellario Martini Comitis Portugalliæ, & mox Ferdinandi Sanctii filii Dionysii Regis Portugalliæ, eumque illic sepultum in habitu sancti Francisci, anno 1432. non 1532. ut habet Gonzaga, non enim sic constat ratio temporum, quibus illi Principes vixerunt. Decessit hoc in loco anno MDCXI. vir pius frater Joannes a sancto Lazaro ad exemplum sui Institutoris studiosissimus sacrarum rerum munditiei. Circuibat omnes Ecclesias rurales Dioecesium, in quibus habitabat, scopis mundabat, & ministerialia divini cultus summo nitore repurgabat. Ad funus concurrit ingens populi multitudo, eumque magna prosequutus est veneratione Martinus Alfonsus de Melo, Episcopus Lamacensis.

Conv. Lamacen. Idem in Prov. S. Anton. Conv. 6.

Fr. Joan. a S. Lazaro.

X. Hoc anno vel paulo ante mirabile habuit initium Monasterium Valdunen. sive vallis Dominarum in Germania, & Curiensi Episcopatu, prope Veldkirchium, sub Joanne Episcopo, prius Alberti Ducis Austriæ Cancellario, in quo hoc anno incluserunt Sorores. Ita sub compendio illius loci Codex MSS. In Episcopatu Curiensi Sylvast Walduna dicta, ubi pulchri fontis scaturigo, cui nomen *die Guldene Mule*. Ibi etiam erat cava quercus, in qua peregrinus quidam homo hospitabatur, pie se gerens. Descendit ergo Angelus de coelo super lapidem: cui postea Cœnobium hoc superædifi-

Mon. Valdunen. Annal. Suev. lib. 5. part. 3. cap. 13.

ca-

catum fuit. Modulatus est cantum suavissimum, sic & avicula quædam. Conspiciebantur & fœminarum species, nigra velamina gestantes, & Angeli eis supervolitantes. Qua visione innuebatur, Parthenonem ibi construendum esse, indicabat ille homo rusticis vicinorum pagorum Ranquilensis, Runckelsensis, Duserfensis: sed ea ut fabulæ, ridebantur. Ipse tamen Monasteriolum ex quercubus illius silvæ ædificatum iri dicebat. Tamdem huic negotio favebant Comes Montefortensis, Rodulphus junior, Veldkirchii & regionis Dominus, ac mercator quidam Marquardus de Degensee: sed ante rem absolutam, anno MCCCLXXXI. mortui sunt. Tamen postea Cœnobiolum magna difficultate, & fame emersit. Hic inclusæ sunt anno MCCCXCIV. mense Decembri, aliquot Sorores, Ordinem habentes sanctæ Claræ, in quo confirmatæ sunt anno MCCCCIII. quibus multæ calamitates acciderunt. Pestis etiam anno MCCCCXII. multas illarum peremit.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Clem. VII. obit Aven. *Dolg. cit. sup. fol. 411.*

„ Annis sexdecim, duobus minus diebus ab unione cum se Pontificem tenuisset Clemens VII. tamdem XVI. Kalendas Octobris, nonam inter & decimam horam obiit, ad pontem Sorgiæ in Ecclesia Cœlestinorum sepultus. Spes erat hujus mortis occasione extinguendi Schismatis; Regibus & Principibus Christianis in eum finem contendentibus. At aliter exigentibus mortalium culpis, divinæ miserationis tempus protrahebatur. Bajatzete interim Turcarum Imperatore Thraciam, Thessaliam, Macedoniam tyrannice occupante. Igitur unius & viginti Cardinalium suffraggiis, Petrus de Luna Aragonii Regio consanguineus Avenione in Pseudo Papam electus, & Benedictus XIII. vocatus est. Hujus Antipapæ præter annotatas a Waddingo bullas, ab anno nono usque ad vigesimum primum sui Pseudo-Pontificatus, duæ indicantur a Petro de Alva & Astorga, una, qua injungitur Tertii Ordinis Franciscani professoribus, ut deferant chordam procingulo; *Ad Apostolici &c.* x. Kalendas Martii; & altera Fratribus de Soria circa Sacramentales confessiones excipiendas: *Provenit ex vestræ &c.* IV. Idus Novembris, anno XXI. Sed Bonifacius Pontifex fratri Marco resignanti suum provincialatum, rescripsit: *Dudum per nos &c.* hoc anno IV. Idus Novembris. Marcus vero Corona in suo speculo Provinciæ Russiæ & Lithuaniæ enumerans Vicarios Russiæ, ad hunc annum MCCCXCIV. scribit fratrem Janussium Vicarium Generalem.

Petrus de Luna sufficitur Bened. XIII. dictus.

Litt. hujus Pontific.

ARGUMENTUM.

Nativitas, & virtutes puellares Margaritæ Sulmonensis referuntur. Florent viri docti. Extruuntur Cœnobia.

Nascitur beata Margarita Sulmonen. *Jacobil. de Sanctis Fulgin. ad diem 5. Septembris.* Ejus virtutes puellares.

I. NASCITUR hoc anno Sulmone, urbe Pelignorum, in regno Neapolitano, beata Margarita Sulmonensis, patre Francisco Filiolo, matre Gemma, fœmina lectissima, quæ sanctæ Claræ Institutum professa, simul cum filia sanctissima evasit. In teneris annis Deo dicata educanda traditur beatæ Alexandrinæ Clarissæ consanguineæ, in Monasterio sanctæ Claræ Sulmonensi, ubi absque longa præmeditatione habitum suscepit. Tanta pietate, & virtute annos transegit puellares, ut reliquis puellis esset exemplo, omnibus Sororibus admirationi, præsertim in meditandis iis, quæ pro no-

nobis Christus passus est. Uberes in oratione fundebat lacrymas, quæ super manus cadentes rigida hyeme in frigida illa regione congelatæ, dum virguncula immobilis in oratione longo tempore persisteret, totidem uniones, aut gemmæ videbantur. Tredecim hic vixit annis, donec exorta magna seditione in urbe, exulare oportuit cum matre prædicta Alexandrina, aliisque consanguineis, quæ post aliqualem moram in urbe Aquilana, Dei monitu perrexerunt Fulgineum, ibique construxerunt anno MCCCCXXV. Monasterium sanctæ Luciæ, a pietate & virtute inhabitantium sane celeberrimum, quo tempore harum religiosarum mulierum opportunius acta prosequemur.

II. Unum dumtaxat hoc anno invenio Episcopum ex Minoritis Institutum, fratrem Thomam Buttylerum in Ecclesia Christinopolitana, sub Patriarcha Constantinopolitano, per obitum Joannis etiam Minoritæ, anno proxime elapso, ad eumdem Episcopatum electi. Obiit hoc anno in Monasterio Londoniensi frater Joannes Tissingtonus, sacræ Theologiæ doctor Oxoniensis, & ibidem ejusdem facultatis Professor, ac tamdem Minister Provincialis sui Ordinis in Anglia, usque ad mortem. Vir fuit pius & eruditus, magnæque apud omnes auctoritatis. Unus erat ex illis primis Doctoribus, qui Oxonii anno MDCLXXXI. cum Guillelmo Bertono Academiæ Cancellario, Joannem Wicleffum hæresis damnarunt, & iterum an. MCCCXCII. cum Rege Richardo II. Episcopis, & Doctoribus interfuit Concilio Stanfordiensi, in quo prædicta hæresis, cum omnibus sectatoribus, publice, solemniterque damnata est. Ille vir strenuus palam demonstravit, se tamquam alterum Davidem inimicum esse inimicis Dei, eosque perfecto odio odisse, uti egregia ejus contra perfidas illas sectas opera abunde testantur. Biennio post obiisse Claudiocestriæ, in eodem regno alterum insignem Wiclefistarum insectatorem fratrem Guillelmum Watfordensem, sive Waterfordensem, de quo nos alias locuti sumus, & Hibernum indicavimus, scribit Joannes Pitseus; sed diu supervixisse constat ex ejus Opusculo *de Religione* inscripto Cardinali Juliano Cæsarino anno MCCCCXXXIII. Virum asserit pietate & doctrina celebrem, unitatis Catholicæ amantissimum, sectarum, errorum, hæresum hostem infensissimum, quem Thomas Waldensis commendat, & suum deprædicat Magistrum. Interfuit prædicto Concilio Londoniensi, in quo communi omnium suffragio electus est, qui Wicleffi Trialogum præcipuos ejus errores continentem solidis rationibus, & nervosis argumentis confutaret. Ita fecisse nos alias diximus, opusque habemus MSS. necnon alias ejusdem elucubrationes, quas vel Thomæ Arundelio Cantuariensi Archiepiscopo, vel Joanni Trenevanto Episcopo Herefordensi nuncupavit.

Fr. Thom. Episc. Christinopolit.
Pitseus de script. Anglis an. 1395. & anno 1397.
Willot. de script. Minor.
Fr. Joan. Tissington.
Fr. Guillelm. Waterforden.
Tom. 1. an. 1240. n. 27.
Walden. lib. de Sacramen. c. 50.

III Hoc anno, sicuti alias diximus, Conventus, sive Oratorium sanctæ Agathæ extra urbem Cajetanam, a Fratribus Tertii Ordinis dissolute viventibus, quos propterea Fratricellorum nomine aliqui nuncuparunt, transiit ad Observantes, de quo Bonifacii extat diploma: *Sacræ vestræ Religionis*, XVIII. Kal. Decembris. Aliud etiam occurrit ejusdem Pontificis instrumentum, quo Fratribus provinciæ Marchiæ Anconitanæ potestatem facit ædificandi in urbe Camerini domicilium. At cum jam a multis annis aliud ibidem habuerint Cœnobium, uti suo loco docuimus, hoc illud oportet esse, quod incerto tempore diximus constructum, sub nomine sancti Angeli, opera, seu ut loquitur Rodulphus, ex pecunia & eleemosynis fratris Grisalti, quod indicare videntur ipsæ litteræ Pontificiæ, dum narrant, ipsos Fratres velle de bonis acquisitis Conventum construere: *Sacræ Religionis vestræ*, X. Kal. Januarii.

Tom. 7. an. 1328. n. 33.
Conv. S. Agathæ Cajetæ.
Conv. Camerini S. Angeli.
Tom. 5. an. 1289. n. 48.
Rodul. fol. 256.

Conv. Ripæ Daviæ. — *Gonza. in Prov. S. Jacobi Con. 22.* — Conven. Pontis-veteris. — *Indid. Conv. 15.* — *Marc. Ulyssipp. 9. part. lib. 9. c. 22.*

IV. Duo ante hæc tempora extitisse in regno Galeciæ, & Provincia sancti Jacobi Minorum Cœnobia Ripæ Daviæ, & Pontis-veteris constat ex catalogo Pisani. Utriusque origo incerta est, primum initium accepit a quodam discipulo sancti Dominici, ipso sancto Patriarcha adhuc superstite, qui tuguriolum ad M. P. ab oppido, Hispanis & exteris ob peroptimi vini feracitatem notissimo, pœnitentiæ agendæ causa, sub titulo sanctæ Marthæ sibi construxit, ibique sancto fine quievit. Ne vero hæc ædicula fundatoris memoria veneranda pessum iret, Minoritis tradita est, tempore tamen incerto. Secundum Pontis-veteris, vulgo *Pontevedra* intra oppidi muros ante annum MCCC. extructum creditur ex quodam vetusto epitaphio, quo asseritur, nobilem virum Pajum Gomezulum anno MCCCVIII. in eo tumulatum fuisse. Prius domicilium fuisse Templariorum a quibusdam creditur, atqui ante annum MCCCXCVI. ad Minores devolutum constat manifeste ex quodam testamento Mariæ Dominquez, in Archivo Clarissarum illius oppidi custodito. Hic sepultus est beatus Joannes Navarriete, cujus vitam recenset Marcus Ulyssipponensis, & nos suo tempore scribemus.

Ann. 1395. n. 5. — *Tom. 7. an. 1385. n. 19.*

V. Concesserat, uti superius diximus, Bonifacius amplas indulgentias visitantibus Ecclesiam sanctæ Mariæ majoris Tiburtinam, in die & per octavas Nativitatis ejusdem sacratissimæ Virginis; hoc anno propter populi frequentiam, ad eamdem Ecclesiam illis diebus confluentem indulsit, ut ibidem instituerentur quatuor Pœnitentiarii Minores Apostolici, qui eamdem haberent absolvendi potestatem, qua Urbis Pœnitentiarii fruebantur: *Ad ea curis excitamur*. Kal. Augusti. Controversiam inter Fratres domus Cantabrigiæ, Elien. diœcesis, & Cœnobii Warensis, diœcesis Londoniensis circa quæstuum limites decidit: *Magnæ devotionis affectus*, II. Kal. Septembris. Henrico Generali Ministro potestatem facit destituendi provinciarum Ministros a Sede Apostolica importunis aliorum precibus, vel aliis artibus institutos, quos bono Ordinis regimini non judicabat idoneos: *Injunctum nobis* VII. Kal. Julii. Martini IV. litteras de syndicorum institutione confirmavit: *Vestræ sacræ Religionis*, XVIII. Kal. Decembris, necnon alias Benedicti XI. circa totius Ordinis ac Ordinariorum exemptionem: *Meritis vestræ devotionis*, IX. Junii. Conservatores dedit in Germania Archiepiscopum Moguntinum, & Argentinen. & Basilien. Episcopos: *Dilectorum filiorum*, IV. Kal. Martii. Repetitis litteris revocavit omnia privilegia Fratrum Capellanorum Sedis Apostolicæ tum in Anglia, tum in Germania, quorum numerus ita creverat, ut propter tot exemptiones & privilegia, quibus abutebantur, magno erant oneri provinciis & Cœnobiis. Demum Monasterio Clarissarum Ribernizen. diœcesis Zuerinen, de quo suo loco egimus, paupertate gravato tres univit Ecclesias parochiales, vel a Rodulpho Episcopo unionem factam confirmavit: *Sacræ Religionis*, Nonis Junii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Literæ Bonifacii Pontificis. — *Indic. ex copia.*

„ Bonifacius Papa designatis executoribus pro bulla Joannis XXII. „ *Exhibita nobis &c.* VIII. Idus Aprilis: duo ejusdem tenoris di„ plomata, primum pro Fratribus existentibus in regno Angliæ: *Ad Roma„ ni Pontificis &c.* II. Kalendas Septembris; & alterum XVI. Kalendas „ Octobris pro Fratribus in Provincia Alemaniæ constitutis, expedivit. In„ terea frater Laurentius Minorita laicus professus, contemplationi cœ„ lestium deditus, ita vivebat Deo, ut etiam hominibus multum amabilis „ esset: quamobrem omnibus carus, cum omnibus libenter de rebus divinis lo-

„ loquens omnium corda rapiebat: licet simplex & idiota, nihilominus magno spiritus ardore, adeo alte de Deo, & maxime de Christo Jesu disserebat, ut eum quicumque audirent, admirarentur. Mira egit in vita, & post mortem, quam obit in Conventu Adriensi Provinciæ Apuliæ anno salutis MCCCXCV.

Fr. Laurentius miraculis clarus.

ARGUMENTUM.

Celebrantur Comitia generalia. Creantur Episcopi. Multiplicantur domicilia.

I. HEnricus Generalis Minister hoc anno convocavit Patres ad Ordinis Comitia in civitate Ariminensi, quæ inchoata sunt die XXVI. Maii. Quid vero in iis decretum sit, Scriptores non commemorant, neque est qui referat, quid sub his temporibus actum sit in partibus Galliæ, & Hispaniæ, aliisque adherentibus Clementi, & Benedicto successori.

Capitulum Generale Arimini 67.

Marian. citat. Rodulph. fol. 242.

„ II. Polentana familia in Flaminia, sive Romandiola potens, multis„ que auctadominiis, erga Minores summe benefica, etiam sub hoc tem„ pus multis argumentis suam erga idem Institutum probavit propensio„ nem. Guido Polentanus Vicarius Pontificius Ravennæ mortis discrimen „ præventurus, corpore sanus & mente, condito testamento an. MCCCLXXXIX. „ rebus suis disponendis, deficientibus ab eo præscriptis executoribus, præ„ fecit ex Minoritis tres, ex Dominicanis totidem ea in Provincia optimos; „ quorum pietate & judicio tres Ravennates Cives ad id muneris evoca„ rentur, idque in perpetuum. Et hoc ipso anno defunctus Hostasius Po„ lentanus in Divi Francisci Templo, pridie Idus Martias Minoritico habi„ tu indutus, sepultus est. In marmorea tabula oblonga, & quadrata, ubi „ ejus insculpta imago, hæc circum incisa leguntur: *Hic jacet Magnificus* „ *Dominus Hostasius de Polenta, qui ante diem felix occubuit* MCCCXCVI. „ *die* XIV. *mensis Martii, cujus anima requiescat in pace*. Utrimque ad „ caput insignia Polentanorum gentilitia, ad pedes septum habet.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Polentana familia erga Minores beneficia.

Rus. in hist. Raven. lib. 17.

III. Creati sunt autem a Bonifacio Episcopi, Acernensis in regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Salernitano frater Pacellus de Salerno, sacræ Theologiæ Magister, per translationem Benedicti ad Ecclesiam Castellanacensem XIII. Kalendas Aprilis. Laodicen. in Syria, sub Patriarcha Antiocheno, frater Andreas Petri de Monte Laterone, per obitum Martini. VII. Idus Januarii. Nicopolen. sub Patriarcha Constantinopolitano, frater Joannes Cecchi Offidanus, per obitum Martini etiam Minoritæ, uti superius diximus. IV. Idus Januarii. Ortanus in Provincia Romana, immediate subjectus summo Pontifici, frater Paulus de Albertis, per obitum Joannis. II. Idus Novembris. „ Interfuit pactionibus initis inter Ladislaum Regem „ Neapolitanum, & Ecclesiam Ortanam, quam prudentissime rexit usque „ ad annum MCCCCXX. quo ad Ecclesiam Adiacensem in Corsica transla„ tus est. „ Salubrien. sub Patriar. Constantinop. frater Franciscus de sancto Patre, per obitum Joannis. V. Nonas Julii. Sarden. in Lydia Asiæ Provincia frater Franciscus de Domoossole, per translationem Jacobi ad Gisarelen. Idibus Septembris. Signinus in Provincia Romana, immediate sub summo Pontifice, frater Antonius, per obitum Thomæ. IX. Kalendas Januarii. Surgaten. frater Joannes de Saulo, per obitum Andreæ. III. Nonas Octobr. Tharsen. Archiep. in Cilicia, sub Patriarcha Antiocheno, frater Ju-

Fr. Pacell. Episcop. Acernen.

Fr. Andr. Laodicen.

Fr. Joan. Nicopolen.

An. 1394. n. 5.

Fr. Paulus Ortanus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Paul. Episc. Adjacen.

Fr. Franciscus Salubrien.

Fr. Franciscus Sarden.

Fr. Anton. Signin.

Fr. Joannes Surgaten.

Anno Christi 1396.	Bonifacii IX. anno 7.	Wenceslai Imp. anno 18. & 19.	Religionis Minorum anno 189.

Fr. Julian: Arch. Tharsen.

Julianus Hectoris Pisanus, per obitum Joannis. xvi. Kalendas Junii. Agrigentinum in Sicilia, sub Archiepiscopo Panormitano, olim sub Syracusano invenio designatum hoc anno administratorem a Martino Rege fussulto, ut inquit ipse, auctoritate Pontificia, fratrem Joannem de Pino suum Confessarium, quem a fide, sufficientia, habitudine, & prudentia in litteris scriptis ad Capitulum & Clerum commendat. Fuit prius Episcopus Milevitanus, electus anno MCCCXCIII. postremo creatus Episcopus Agrigentinus a Bonifacio IX. obiit anno MCCCCXII. Catalogus MSS. Episcoporum Agrigentinorum, quem penes me habeo, Joannem alterum Minoritam hunc immediate præcessisse commemorat. „ Is fuit Joannes Castrensis Apulus, qui „ ad patriam Ecclesiam Castrensem translatus est.

Fr. Ioan. Agrigentin. & Milevitan.

Fr. Joann. Agrigentin.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Joann. Episc. Castren.

Conv. Lavalen.

Gonz. in Prov. Turon. Pictav. Conv. 1. Monum. MSS. ejusd. Prov.

IV. Circa hunc annum in suburbio sancti Martini ad occidentalem partem urbis Lavalensis, vulgo *de la valle* in extremis finibus Episcopatus Cenomanensis, versus Britanniam superiorem, ædificatum est Cœnobium Minorum nobili & ampla structura per Guidonem Lavalensem, ejusque conjugem Joannam; quorum sepulcra ærea deaurata adhuc conspiciuntur coram altari majori. Temporis decursu ad tantam excrevit amplitudinem, ut pulchra & magna habeat claustra & habitacula, fontesque irriguos quatuordecim, decurrente aqua commode per omnes officinas. Introducti sunt ab ipso ferme initio in hunc locum Fratres Regularis Observantiæ, auctoritate Benedicti XIII. & ministerio Abbatum de Claromonte, & de Bellabrancha, & recensetur in Decreto Concilii Constantiensis inter alia domicilia quæ tunc possidebant hujus Instituti viri in Gallia. Servantur in Archivo multa diplomata Pontificia & Regia, atque in æde capitulari requiescit Reverendus Pater Joannes Benedicti, quondam Ordinis Secretarius, Galliarum Commissarius generalis, & Visitator multarum Provinciarum in Italia, vir in omni scientiarum genere excultissimus, & Græci, & Hebraici idiomatis peritus. Summam composuit moralis Theologiæ, cujus ea est utilitas, ut quindecies sit novis typis evulgata. Pertinet hæc ædes ad Provinciam Turoniæ Pictaviensis.

Fr. Joannes Benedicti.

Conv. Rupellæ.

Gonz. in Prov. Turon. Conv. 32. usque ad 36.

Monast. Rupellæ.

V. Fuisse autem sub hoc tempus in ea Provincia, quæ Turoniæ absolute nuncupatur, & custodia Xantonensi aliquot Conventus, qui non extant, constat ex nomenclatura Pisani. Eos nos hic breviter attingemus, neque enim amplioris narrationis suppetit fundamentum, deperditis & exustis horum locorum scripturis. In civitate Rupellæ ad mare Oceanum sita, quæ hæreticorum nostra hac ætate firmissimum erat præsidium, summa gloria, & rei Catholicæ augmento a Ludovico XIII. Galliarum Rege bellicosissimo, recens devicta, duo erant Cœnobia, unum Minorum quod in hæreticorum collegium conversum est, alterum Clarissarum S. Margaritæ dicatum, quod Catholicorum officiis & exercitiis solum relictum est. Alterum erat Minorum domicilium in insula Oleronis, a Rupella leucis quinque plus minusve distante, diligentia nobilis viri Domini Pontensis constructum, nunc autem præter solos parietes destructum ab hæreticis. Missi sunt anno MDLXXXIV. qui explorarent, an illuc jam tandem reciperentur aliquot Fratres Catholicis auxiliaturi? An firmam ibi statuerint sedem nescimus. Tertium cœnobium erat sancti Joannis in Angeria, urbe regia ad fluvium Vulturnum sita, sed possessa ab hæreticis civitate, expulsisque Fratribus, prophanis usibus deservit. Quartum in Barbezilio oppido supra fluvium Nay, a Guidone Rupesucaldo Comite fabricatum, extra muros, secus viam regiam, qua itur versus Burdigalam, ab Hugonotis destructus. Quintum in urbe Pontis ita a multitudine pontium dicta ad Senonam amnem sita, a Dominis Pontensibus

Conv. Oleronis.

Conv. Angeriæ.

Conv. Barbezilii.

Conv. Pontis.

bus extra muros ædificatum, in honorem sanctorum Francisci, & Dominici, ab eisdem Catholici & Romani nominis hostibus solo æquatum. In hac Custodia & Conventibus vixerunt olim Fratres doctissimi & piissimi, quorum memoria cum ipsis periit domiciliis. Alia quinque hujus Provinciæ Cœnobia enumerat Pisanus, Campriaci, Castri Cadulsi, de Monto, de Allosis, & Columbæ quorum vestigia non invenio apud eos, qui de nostris domiciliis quidquam scripserunt.

VI. Concessit hoc anno Bonifacius Pontifex Ministro & Fratribus Provinciæ Tusciæ, ut admitterent Conventum sibi ædificandum, impensis & cura Crisii de Silano, domicelli diœcesis Vulteranæ, prope oppidum prædictum Silani, ejusdem diœcesis, conversa in eorumdem usum Ecclesia sancti Joannis, cujus Crisius erat patronus: *Humilibus & honestis*. VII. Idus Januarii. Nescio an hic Conventus fuerit extructus; non enim invenio inter alios recensitum a nostris auctoribus. Univit etiam hoc anno Monasterio sanctæ Claræ Conimbricensi, rogante Joanne Rege Portugalliæ, Ecclesiam parochialem sanctæ Mariæ de Penatona, Conimbricen. diœcesis, quæ ad jus patronatus ipsius Regis spectabat: *Etsi ex debito sollicitudinis*. Nonis Julii. Conv. Silani.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ HOc anno Reverendus Pater Hues doctorali sacræ Theologiæ lau-
„ rea insignis, Andegavense Cœnobium sua virtute per hæc tempora Monum. MSS. Prov. Turon.
„ decorabat: a Regina Siciliæ in Confessarium electus, grave onus cum ho-
„ nore subiens, integritatis vitæ fama Religionem illustrans obiit.

ARGUMENTUM.

Illustre subeunt Granatæ Martyrium duo Minoritæ. Assumuntur aliquot ad infulas Pontificias. Augetur numerus Conventuum.

I. HOc anno in civitate Granatensi illustre passi sunt Martyrium frater Joannes de Cetina, & frater Petrus de Duennas: de quibus ita compendiose scribit Joannes Mariana: *Duo Franciscani sodales Christianæ pietatis propagandæ studio incensi, gentisque Mauricæ ab stulta persuasione ad veram religionem revocandæ, Granatæ in magna populi frequentia conciones habere aggressi sunt, moniti ut desisterent, adduci non potuerunt, ac ne verberibus pulsati. Mauri sacerdotes facto agmine, Regem adeunt, injuriam patriæ religioni fieri expostulant, impetrantque uti læsæ majestatis in eos homines ageretur. Capita amputata, corpora unco in Gemonias tracta inter populi convitia; sed post fata tamen a nostris dicati templis sunt, atque in sanctorum Martyrum numero habiti*. Anonymus auctor scripsit diffuse vitam eorumdem, quam in sua Chronica corrivavit Marcus Ulyssipponensis, & nos breviori methodo hic exhibemus. Duo Minoritæ passi Granatæ. Marian. de reb. Hispan. lib. 19. c. 8. Marc. 3. par. lib. 1. c. 11.

II. Joannes patre Joanne Laurentii Cetinæ (oppidum est in confinibus Aragoniæ Castellam versus) natus, adolescentiori ætate inservivit cuidam heroi Aragonio, inutiliter tamen, neque majori fructu, quam temporis & virtutum jactura. Divino quodam igniculo resipiscens, hero & mundo valedixit, eremumque petiit sancti Ginesii, non procul a civitate Carthaginensi, ubi aliquot annis pie vixit. Ad majora virtutis incrementa aspirans, rediit in Aragoniam, & in Cœnobio Montionis, alias Montis-Joni, habitum suscepit B. Joannes a Cetina. CORRECTIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Initiatur inter Minores.

ſcepit Minorum, ubi Sacerdotio initiatus, vitam tranſegit religioſiſſimam. Hinc Barcinonem, ut ſtuderet, miſſus, adeo profecit in ſacris litteris, ut infra paucos annos inſignis evaſerit prædicator, & Mauris, Judæiſque ubicumque occurrerent, vel conſeſſus haberent, ultro Evangelicam propoſuerit veritatem. Translatus ad Cœnobium Chelvenſe in regno Valentino, ſtrictiſſimam in omnibus obſervavit paupertatem, unica ſegmentitia veſte contectus, nudiſque pedibus incedens, vitam æmulari ſatagebat, eorum qui novæ reformationis in ea regione tunc auctores eſſe cœperunt. Audivit pro Christo paſſos paulo antea Hieroſolymis quatuor Minoritas Chriſti athletas, quorum mors tum pretioſa fuit in conſpectu Domini, tum glorioſa in ore Conſodalium: eorumque æmulatus agonem, decrevit in eadem ſancta Civitate, pro Chriſti nomine vitam offerre. Romam venit ſub ipſis auſpiciis Bonifacii IX. licentiam transfretandi, & benedictionem Apoſtolicam impetraturus. Pontifex explorato & probato hominis ſpiritu, liberam conceſſit facultatem, Sarracenis ubicumque prædicandi, excepit tamen ſanctam Civitatem, ne Conſodales illic habitantes in diſcrimen adduceret. Expeditiſſimam omnium viam cogitans Joannes aſſequendi Martyrii, profectionem Bæticam, & fidei prædicationem inter Mauros Granatenſes, eo confeſtim abiit, & Hiſpali a Joanne Vitale, Provinciæ Caſtellæ Miniſtro, licentiam petiit iſthæc aggrediendi. Mature hæc conſideranda dixit Miniſter, neque temere obeunda, in quibus aliqui dum ſibi ſpondent victoriam, turpiter ſuccumbunt; juſſitque ut in ſolitario & religioſo cœnobiolo a Monte nuncupato, non longe ab urbe Cordubenſi, in montibus ſito, longiori examine probaret, an ſpiritus iſte a Deo emanarit. Perſtitit hic annum integrum in continua oratione, abſtinentia, & corporis maceratione, compacto ſibi propriis manibus ex vimine & rudi materia, humili tuguriolo, prope Monaſterium in montis cacumine.

Anhelat ad Martyrium.

Id aſſecuturus proficiſcitur in Bæticam.

III. Hoc ſacro apparatu manifeſtari cœpit voluntas divina, tum creſcente viri virtute, tum confirmante cœleſti potentia bonam de eo conceptam opinionem. Etenim cum incendio flagraret Cœnobii culina, nec ullo modo reprimi poſſet voracitas ignis, quæ trabes & tectum jam depaſcebat, provolutus in genua Joannes, precibus impetravit, ut non ſolum flamma extingueretur, verum etiam univerſum damnum utenſilium combuſtæque officinæ, reſtitutis omnibus in priſtinum ſtatum, reſarciretur, nullo remanente incendii veſtigio. Martinum Fernandez, qui fundum Monaſterio ædificando conceſſit, gravi oppreſſum tibiæ dolore apud Fratres cubantem, mirifice ſanavit. Lapidem immenſi ponderis, quem cæmentarii, & coadjutores multi movere non poterant, appoſita manu, nullo negotio impulit quo volebant. Ita probata, & confirmata hominis virtute, conceſſa fuit, quam anxie cupiebat, & per litteras petiit licentiam, per præcipuos provinciæ Patres in Comitiis Burgenſibus congregatos, ſcripta ſcheda per fratrem Alphonſum Cuſtodem Hiſpalenſem. Deſtinatus ſocius itineris frater Petrus de Duennas Palentinæ regionis adoleſcens, tunc hoc Inſtitutum profeſſus, in aula educatus, annorum duodeviginti, quem Comitem in Martyrio fore, revelatum fuit oranti, in oratorio horti Chelvenſis Cœnobii, dum forte illac cum hero adoleſcentulus tranſiret, ea de cauſa conceſſus, aliter negandus a Patribus caventibus juvenis flexili ætati, quæ facile blanditiis & terroribus ſuperatur.

In receſſu aliquandiu ſancte vivit.

Prodit ad Martyrium.

Socio Fr. Petro de Duennas. Gonz. in Prov. Valent. Conv. 5.

IV. Ad pugnam anhelantes deſignati fidei pugiles, induti armaturam fidei, tamquam ad epulas invitati, propere feſtinant ad deſtinatum certaminis locum, urbem Granatenſem, in via ad oppidum Alcalæ regiæ occurrenti pau-

Granatam pergunt.

pauperi seminudo frater Joannes mantellum porrexit, quo exoneratus, magis se expeditum sensit ad prælium, novasque sibi additas vires, ut Christum, qui in paupere latebat, coram Sarracenis prædicaret. Obviis itaque fidei hostibus adventus causam sciscitantibus intrepide respondebat, se idcirco venisse, ut Christum cordibus insereret, Mahometem averruncaret. Divina factum est providentia, ut quantumvis multa adversus eorum perfidiam proferret, nullus esset, qui iter impediret, nec injuriam irrogaret, donec ad ipsam Civitatem cum socio perveniret. Ut erat in conspectu, præ foribus signo crucis se munivit uterque, & pia præmissa prece, rogaverunt Dominum, ut prosperum suum iter faceret, adulterantemque civitatem ad veræ fidei agnitionem attraheret. Ingressi urbem die dominica, octava Januarii hujus anni, obvium habuerunt fratrem Eustachium Lusitanum, sui Ordinis virum, mercatorum Christianorum, maxime Catalanorum, confessarium & sacellanum, explorantesque civitatem, & commodum locum, in quo postridie prædicarent, inquieto vulgo suspicionem fraudis, & exprobandæ suæ legis timorem ingesserunt. Orto in populo tumultu, Cadi sive summus illorum sacerdos, Mahometo Aben Balva, duodecimo Mauricæ stirpis Rege Granatensi Malacæ agente, Fratres accersivit, interrogavitque adventus causam? Cui illi: *tuam gentisque salutem, in eo consistentem, ut rejectis Mahometis spurcitiis, Christum verum Deum humani generis Redemptorem aperte fateamini, & secundum præscriptam ab eo legem vitam deinceps traducatis.* Abite, inquit, *in malam rem, stulti & amentes, istas insanias prædicate dementibus, vestri erroris sectatoribus non vero Mahometis cultoribus, qui inania vestra dogmata plenis buccis irrident. Si vestræ vultis vitæ consulere, quamprimum, & occulte recedite, idque meæ referte humanitati, ne propediem occidamini.* Non alio (ajunt illi) *argumento opus esset, ut perfidiam vestram irrationabilem esse probemus, quam quod omnem respuatis rationem, erroremque vi, non doctrina, gladio, non scientia, defendatis. Miracula quæ potentiam excedunt humanam, & universum ferme orbem errorum tenebris cæcutientem fidei fulgore clarificarunt, apud vos viluerunt, & magica dicitis ludibria. Quod si vero ulla possit esse in oculis vestris fidei confirmatio, protectio divina circa recte credentem, & incrudeli in periculis destitutio: offero me voracibus flammis; ingrediatur item unus ex vestris, illiusque sit vera fides, cui ignis pepercerit. Quod autem humanitati tuæ tribui velis meam in effera hac gente indemnitatem, quas debeo, habeo gratias, licet beneficii potioris loco reposuerim pro Christo vitam offerre.* Nihil ad hæc Cadius, sed velut insanos, suæ vitæ prodigos jussit duci in domum Christianorum, & impunes dimitti.

In judicium vocantur.

Dimittuntur impunes.

V. Illi vero tamquam inertes latitare nolentes, in publicnm prodibant, & Christum aperte prædicabant, qua de causa commoto populo pridem concitato, quod Cadius remissius egerit, illis audacter verba facientibus in Mahometem, oportuit iterum in judicium evocari. Intelligentes jam tempus instare certaminis, præmissa confessione sacramentali, acceptaque benedictione fratris Eustachii, alacriter perrexerunt, & denuo interroganti Cadio coram populo, quid in ea vellent Civitate? dixerunt, civium salutem per veram Christi confessionem. Fremente ad hæc circumstanti caterva, jussit eos deduci in ergastulum captivorum Christianorum, atque hinc extractos mitti in carceres regios intra palatii ambitum extructos, donec Rex in urbem reverteretur. Ærumnas multas passi usque ad diem XVII. Februarii missi sunt cum aliis captivis ad vineas effodiendas, quo in labore Cristiana effulserunt patientia, & patiendi desiderio. Die Sabbati inclusis turri Christianis, jussus est

Iterum revocantur.

Incarcerantur.

Mira operantur. est die sequenti frater Joannes Missæ exhibere sacrificium, eo tamen in loco, quo celebrandum erat, ultra septuaginta homines congregari non poterant. Compassus ille reliquæ Christianorum concaptivorum multitudini, quæ rei sacræ propter loci angustias adesse non poterat, oravit, obtinuitque ut muri cederent, tantaque esset loci intercapedo, quanta toti Christianorum numero excipiendo sufficeret. Hoc miraculo stupefacti multi ex iis qui aderant, & in fide vacillabant ad Mauricam sectam transituri, in fide confirmati sunt, alii a pueritia captivi longa dissuetudine a Christianis ritibus aberrantes, & necessaria ad salutem dogmata nescientes, magno fervore incensi petierunt plene in Christi lege doceri. Omnibus præcipua fidei mysteria Joannes explicuit, omnes docto & pio sermone hortatus est ad perferendas quascumque pro Christi nomine ærumnas, Apostolico probans eloquio, *non esse condignas* Rom. 8. 18. *passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*.

VI. Per unum & alterum mensem interdiu laboribus, noctu carceribus mancipati a divinis laudibus, & orationibus non cessabant, noctes ducentes insomnes in hymnis, & canticis spiritualibus, longanimitatis, & patientiæ Infirmantur. concaptivis exhibentes exemplar. Perpetuis ærumnis absque alterna requie victus frater Petrus, morbo correptus est, eoque invalescente, ægrotavit ad mortem hebdomadibus tribus frater Joannes, quem plus cruciabat timor perdendæ aureolæ Martyrii, quam febris illa mortalis, quæ inde ei gravior facta est, quod mortem inferret communem, & atrociorem non liceret subire in fidei testimonium. Continuas proinde uterque offerebat preces Deo, ut voto ab ipso immisso, inter tot calamitates & miserias constanti potiri liceret, & inter sacros suos Martyres dignaretur recensere. Exaudivit Dominus preces servorum suorum, & perfectæ restituit utrumque sanitati. Joannes porro non destitit a docenda turba Christianorum, & in fide confirmanda, & quinque habuit publicas conciones, in quibus Christianæ fidei veritatem, & Mauricæ falsitatem comprobavit, maxime in ea, qua Dominicæ secundæ post Pascha Evangelium, quod incipit *Ego sum pastor bonus*, explicavit, monstravitque Christum verum illum esse pastorem, Mahometem vero, nec mercenarium esse, sed furem & latronem, qui oves dispergit ac mactat, tantoque ardore dicendi invectus est in nebulonem, ut fremere, & frendere adstantes Sarraceni, timere ac ultimum expectare exitium cœperint Christiani.

VII. Regressus Rex XIX. Kalendas Maii, post biduum ad se accer- Sistuntur coram Rege. sitos circa multa interrogavit; illi vero, præsertim senior Joannes, intrepido animo ad cuncta responderunt, Christianam passim collaudantes Fidem, & Mauricam exprobantes perfidiam. Ad hæc indignatus Rex immitis, Joannem in capite baculo feraliter percussit. Nihil hic præter gratias reddidit, ad graviora pro Christo ferenda se paratum ostendens: *Nisi resipueris*, inquit, Rex, *& missas istas feceris stultitias, propediem experieris, quo tua te ducat insania, & quam parum tuus tibi proderit Christus. Attamen tu ille miraculorum patrator fortassis temet resuscitabis occisum, aut socio caput restitues abscissum? Hem ista tua vellem videre prodigia; hoc tecum inibo pactum: te in miraculorum exercitium servabo indemnem, comiti caput amputabo, si tu connectas, vera te locutum dixero, sin autem, velut seductor morieris, aut ad nostras acies transibis*. Exclamarunt protinus circumstantes, nullum ineundum cum incantatoribus, & versutis hominibus pactum; quippe præstigiis assueti facile toti genti illuderent, & in magnum adducerent discrimen fidem Dire verberatur Fr. Joannes. Mahometanam. His a sententia revocatus fratri Joanni, constanter Christi causam agenti, ictu baculi denuo grave vulnus inflixit, & oculum excussit, atque

atque veste abstracta, zelum suæ præferens legis addidit verbera, ut fatigato lacerto plura non valeret. Deinde adstanti Ariæ Lusitano, Regio structori, aliisque præcepit, ut quibus ipse non poterat, flagellis excoriarent. Atqui hi ultra mandatum progressi, tam dire verberarunt, ut a tergo viscera diffluerent. In omnibus his non peccavit ille labiis suis, neque stultum aliquid protulit, sed Deo gratias agens, orabat pro percutientibus, & calumniantibus se. Fratri Petro intrepide & animose hæc aspicienti bene precatus est, persuasitque constanter & viriliter agere, & Dei gloriam legitime certantibus præparatam, erectis in cœlum oculis, ostendit. Osculum pacis dare volenti non est permissum, imo Regi persuasum, ut quamprimum e medio tolleret, ne adolescentem amplius dementaret, aut sua pertinacia animos oculosve adstantium perstringeret; spem autem superesse dicebant, ut isto occiso, alter tenerioris ætatis, abjecto Christianismo, ad suam sectam transiret. Rex judex, & carnifex effectus, tamquam suæ legis zelator, prolata in Joannem mortis sententia, arrepto gladio propriis manibus caput abscidit. Occiditur a Rege.

VIII. Ad Petrum mox conversus: *Alieno*, inquit, *disce periculo o Adolescens, quid magis expediat, an stulte sine ullo lucro vitam profundere, an in delicias, seculique voluptates servare. Vita tua in manibus meis est, sunt & divitiæ, ac gloria, resipiscenti illam condonabo, atque ista insuper adjungam. Divitiæ tuæ*, inquit agonotheta, *tecum sint in perditionem, pluris facio, quæ crudeliter exhibes tormenta, quam quæ præstare possis oblectamenta. Ista jamdiu sprevi, illa laturus in tuum regnum adveni. Te aliud agente in tuo triumphamus regno, & sane meus socius jam feliciter regnat, de sua victoria securus, & de meo salute sollicitus. Age ergo, me junge socio, non patiar ab eo divelli: ejus æmulor triumphum, ejus sequi cupio vestigia. Itane*, Inquit Rex, *sanctum tuum judicas socium, & in cœlis regnare; ora eum ut seipsum resuscitare velit occisum. Facillimum hoc esset*, ait Petrus, *divinæ virtuti, qui inanimato corpusculo primum infudit, cur non possit provectiori spiritum refundere? an facilius erat hominem ex limo formare & vivificare, quam compactum corpus & animam conjungere? Ut vero ipse hæc faciat occisus, stulte non petam, non quod posse dubitem, sed quod expedire non sciam. Petrus Apostolus hoc meo socio sanctior erat, multa aliis impertiit beneficia, innumeris coruscavit miraculis, nec tamen ullum in suum usum convertit*. Animadvertens Rex se, aliosque, qui seorsim vocatum flectere blanditiis tentarunt, operam perdere, fustibus, flagellisque cædi imperat. Illa patientis sola vox audiebatur *Deo gratias*, additis aliquando sonoro spiritu piis quibusdam orationibus. Male affectum iterum blanditiis, largissimis honorum, opum, nobilis conjugii pollicitationibus aggrediuntur, & vincere conantur, sed frustra, cuncta respuente sacro Christi Athleta, & dicente sibi, carius esse mori cum socio, quam vivere inter homines vitæ spurcissimæ. Ad hæc Rex ira excandescens, eodem, quo socium ultimo affecit supplicio XVII. Kalendas Maii in Sabbato. Tracta postea cadavera a Regia, quam *Albambra* nuncupabant, usque ad Civitatem, injuriis affecta, & membratim concisa, turpiter deinde per vicos urbis deducta, demum extra portam *Bibarambram* ignominiose ejecta, a Christianis occulte collecta, majori ex parte a Catalanis in suam regionem asportata, in Ecclesia Cathedrali Vicensi honorifice collocata sunt, ut ex subjecto publici scribæ testimonio extracto ex actis visitationis Petri Jacobi Episcopi Vicensis constabit, distributis tamen aliquot particulis & reliquiis in Provincia Bætica, Minoritarum Cœnobiis Cordubensi & Hispalensi.

Tentatur frater Petrus.

Occiditur.

Reliquiæ ductæ in Ecclesiam Vicen.

IX. *Deinde autem die Veneris decima tertia mensis Maii, anno prædicto millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, præfatus admodum illustris, & Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Petrus Jayme, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Vicensis Episcopus, continuando suam generalem visitationem, visitavit in dicta Ecclesia Vicensi reliquias sequentes, præsente Reverendo Domino Bartholomæo Comelles, Canonico dictæ Ecclesiæ, in his interveniente pro reverendis thesaurariis, & operariis dictæ Ecclesiæ, occupatis aliis arduis negotiis, & præsente & interveniente me Joanne Vinyes Notario, & S. D. Reverendissimæ scriba. Primo unam capsulam ligneam rotundam, in qua &c. Item visitavit ossa sanctissimorum Martyrum fratris Joannis Laurentii de Calathajubo, & socii ejus fratris Petri Toletani de Ordine Minorum, in dicta capsulu decenter inventa. Item S. D. Reverendissima visitavit quamdam in scriptis papiri schedulam, qua ossa Sanctorum prædictorum reperiuntur involuta, scriptam de antiquu littera, quam schedulam sua Dominatio Reverendissima mandavit per me dictum Notarium & scribam in præsenti originali processu dictæ generalis visitationis transcribi, & accopiari de verbo ad verbum, prout per me dictum Notarium & scribam, de mandata S. D. Reverendissimæ, & in ejus præsentia, & dicti Domini Canonici Comelles, & aliorum multorum fuit de verbo ad verbum in præsenti processu inserta & accopiuta, & cum suo originali collationata & comprobata, & ejus tenor sequitur sub his verbis:*

Jesus. Maria. Franciscus. In civitate Granatæ, anno Domini millesima trecentesimo nonagesimo septimo, quarto decimo Kalendas Junii, sub Rege Mahomet passi sunt sancti Martyres frater Joannes Laurentius de Calathajubo, & socius ejus frater Petrus Toletanus de Ordine Minorum, qui propter fidem Domini nostri Jesu Christi in carcerem fuerunt missi, & in ferris ligati, deinde graviter verberati, & coram Rege capitibus truncati. Postea ab infidelibus per vicos civitatis turpiter deducti, ad ultimum vero per portam, quæ vocatur Bibarambra extra civitatem ejecti sunt. Post tres dies venerunt Christicolæ captivi, & tulerunt corpora Sanctorum, & juxta arcem muri prædictæ civitatis sepelierunt ea, & de reliquiis eorum miserunt in civitatem Hispalensem, & in urbem Cordubensem Fratribus dicti Ordinis, & ibi a fidelibus Christianis divinitus coluntur. In quorum honore & reverentia multi ab infirmitatibus curantur, & in Ecclesia sancta Dei multis miraculis clarent. Erant tunc temporis Granatæi in fondico Cathalanorum fideles Christiani, qui omnia hæc viderunt, scilicet frater Eustachius de Regno Portugallensi prædicti Ordinis Minorum, frater Michael de Mercede captivorum, mercatores Guillermus Verini, Petrus Rube, Antonius Paracona, Petrus de Borja.

La molt alta Señoru Reinu de Arago, que Deus do vida e sanitat mols anys a llabory gloria del altissim Deu y Señor nostre dona Mariu, on lany mil quatre cens cinquanta seta vuyt de Octobre per sa devocio pres deles reliquies dels dits Sants per merits dels quals Deus per sa infinida misericordia li do gratia, que puxa fer tals obres, que consequesca aquella gloria de Paradis. Amen. Item pulveres &c.

Ego Jacobus Fabrega Presbyter in Ecclesia Vicensi beneficiatus, auctoritate Reverendissimi Domini Vicensis Episcopi Notarius publicus, & Curiæ Vicariatus Ecclesiæ Vicen. Scriba, quiu hujusmodi reliquiarum visitationem interpolatim, prout jacet in præsenti papyri folio, manu aliena fideliter scriptam a suo originali processu visitationis Ecclesiæ Cathedralis Vicensis factæ per Reverendissimum Dominum Petrum Jayme bonæ memoriæ Episcopum Vicen-

censem, de anno millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, in Archivo dictæ Curiæ, una cum pluribus aliis processibus, regestris & scripturis ibidem sub fideli custodia custoditis, recondito & conservato existen. extrahi feci, ideo signo & nomine meis subscripsi, & subsignavi in testimonium præmissorum, rogatus die tertia Februarii, anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo secundo.

X. Discrepat in aliquibus hæc reliquiarum scheda a præmissa narratione per coævum Anonymum compacta, cognominatur etenim Joannes a Calathajubo, quod Celtiberorum in Hispania Tarraconensi, ad Salonem fluvium oppidum est haud ignobile, & Petrus ab urbe Toletana, cum priorem Cetinæ, & posteriorem in Diœcesi Palentina natum dixerimus. Fortassis vel ex longo incolatu, vel educatione, aut stirpis origine ita cognominati sunt ab horum locorum incolis, qui suis urbibus nobilium Martyrum gloriam advehere conati sunt. Dicuntur etiam coram Rege capitibus truncati, cum illorum acta ab ipso Rege ultimo supplicio affectos enarrent. Reliqua concordant, putaverim tamen recentiorem schedam hanc esse, quam quæ actis statim ab ipso martyrio conscriptis fidem abrogent, atque tunc reliquiis appositam, quando anno MCCCCLVII. concessæ sunt aliquæ reliquiarum particulæ Reginæ Aragonum Mariæ, Alphonsi V. uxori. Scripserunt de his Martyribus Anonymus sæpe citatus, Marcus Ulyssipponensis, Antonius Vincentius Domenecus Ordinis Prædicatorum, Franciscus Gonzaga multis in locis suæ historiæ, Joannes Mariana, Stephanus Garibajus, & alii.

> Quinam horum vitas scripserũt. *Marc. 1. par. l. 1. c. 11. Domen. de sanct. Catalon. fol. 56. Gonz. in Prov. Valent. & Granaten. Mariana citat. Garyb. lib. 15. Regum Castellæ. c. 69. & lib. 40. c. 12.*

XI. Creati sunt hoc anno Pontifices, Beriten. Archiepiscopus Antocephalus in Phœnicia, sub Patriarcha Antiocheno, frater Blasius de Clusiano, per obitum Jacobi. VII. Idus Julii. Fernen. Episcopus in Hibernia, sub Archiepiscopo Dublinen. frater Antonius de Terranova; non explicatur, qua ratione vacaverit Ecclesia. VIII. Kal. Junii. In catalogo Episcoporum Fernensium scribit Waræus, hoc tempore sedisse Thomam Den, prius Archidiaconum illius Ecclesiæ, electum anno MCCCLXIII. & obiisse anno MCCCC. Quare judicaverim, aliquem hic latuisse dolum subreptionis, vel falsæ narrationis, & proinde celatum nomen prædecessoris, per cujus absentiam aut obitum deberet sedes vacare. Gravinen. sub Archiepiscopo Materano in regno Neapolitano, frater Franciscus Bonacursius, per translationem Philippi ad Ecclesiam Hydruntinam. XV. Kal. Maii. Paulo post deputatus est in spiritualibus & temporalibus administrator Ecclesiæ Accien. in Corsica, per absentiam Raymundi XII. Kal. Julii. „ Neque enim de vita, aut morte „ Raymundi per decennium, aut circa, veridica potuit haberi relatio. In„ super institutus est Franciscus Inquisitor hæreticæ pravitatis, & Sedis „ Apostolicæ Nuncius cum facultatibus plurimis per universam insulam „ Corsicæ. Quidam institutum volunt Episcopum Gravinensem, Inquisi„ torem & Nuncium Corsicanum, anno MCCCXCV. & VI. Pontificatus Bo„ nifacii, hoc vero anno Administratorem Ecclesiæ Acciensis. „ Hoc anno electum a Benedicto XIII. Antipapa in Archiepiscopum Montis regalis in Sicilia, fratrem Joannem Thaustem Minoritam, Theologiæ Doctorem, & Confessarium Martini Aragonensis, Martini Regis Siculi genitoris, & fratris sui Joannis in regno Aragonio successoris, scribunt auctores historiæ Montis regalis, & ab hac Ecclesia translatum ad Oscensem sub annum MCCCCIII. Martinus Carillus in catalogo Episcoporum Oscensium meminit Joannis Thaustis, quem Normannum, & Ordinis sanctæ Mariæ Mercedis redemptionis captivorum facit. At non concordant hi auctores in temporis mensura, primi enim electum Archiepiscopum asserunt hoc ipso anno, & translatum ad Oscen-

> Fr. Blasius Archiep. Beriten.
>
> Fr. Anton. Episc. Fernen.
>
> Fr. Franciscus Gravinen.
>
> ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Francisc. Inquisitor, Nuncius, Episc. Gravinen. Administrator Accien.
>
> Fr. Joan. Arch. Mont. reg. *Pyrrhus in not. Eccles. Mont. reg. Lelius de eadem.*

Oscensem anno MCCCCIII. postremus assumptum ait ad Oscensem anno MCCCXCIV. nulla facta mentione translationis a Monteregali. Unde vel duo fuerunt hujus nominis, vel auctores annos & Institutum confundunt. Hoc anno Episcopum fuisse Venafri in regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Capuano, fratrem Rogerium Minoritam habeo ex tabulis illius Ecclesiæ.

Fr. Roger. Venafri.

XII. Extructum ante hoc tempus Cœnobium sancti Francisci a Monte nuncupatum, prope Cordubam ex iis, quæ de incolatu Joannis Cetinæ Martyris diximus, plane liquet. Magnis encomiis locum hunc extollunt, qui vel viderunt, vel inhabitarunt. Ex diffusissimo opusculo MSS. mihi transmisso, præcipua hic delibabo. Situs solitarius & asperrimus est inter altissimos montes, vulgo Hispano *Sierra Morena*, densis silvis, spissisque dumetis prædonibus, quibus semper abundant, opportunos. In circuitu haud ignobilia conspiciuntur oppida Adamusii, Villæ-Francæ, Carpii, Montorii, Perabadii. Ad sanctum Franciscum primam referunt domicilii originem; quod vix credam, neque enim regionem Bæticam, inviosque illos montes penetrasse ullum comperio vestigium. Discipuli potius opus puto, & sub ejus ætate vel paulo post inchoatum. Universa Tugurioli moles pedes quadraginta longa, lata viginti quatuor in montis latere, non tam religiosorum Monasterium, quam ferarum caverna videbatur. Ecclesia rupes erat concava, cellulæ in petra excisæ, desuper lumen recipientes, potius mortuis sepeliendis, quam vivis excipiendis, aptiores. Pauculi hic cohabitare poterant, plurimi tamen solitudinis amore cupiebant; quare decreverunt circa annum MCCCXCIV. commodiore loco ejusdem montis ampliorem ædem construere. Benedictus XIII. sub Pseudo-Pontificatus auspiciis facultatem concessit, sed consensum denegavit Martinus Fernandez Iliturgicus fundi Dominus, donec ipso in monte tibiæ vehementi dolore correptus, a prædicto martyre Joanne mirabiliter sanatus est. Nova itaque ædes viginti incolarum capax, & eremitoria aliquot mundanis curis expellendis, divinisque mysteriis contemplandis aptissima, piorum virorum expensis extructa, in hunc usque diem excultissimos producunt Anachoretas. Inter hos fulserunt Bartholomæus Guadalupensis, Franciscus Solanus Peruani Imperii Apostolus, Michael Triguillus, Marcus a sancta Magdalena, Joannes a sancto Ludovico, Joannes de Sanctorcasio, Joannes de Carcamo, Petrus de Azpitia, tantæ in his eremitoriis abstinentiæ & virtutis, ut per integros menses ad victum solum panem, aquam & poma aliquot adhiberent, imo neque hæc aliquando degustarent, sed intacta aliquando in Cœnobium reportarent post longas orationes, divinas extases, & crebras corporis macerationes. Incredibile est quanto ferantur affectu populi oppidorum, vicorumque in circuitu positorum erga hujus loci incolas, tum propter ipsorum religiosissimam vitam, tum propter sanctorum hominum sub Maurico jugo illic habitantium vestigia. Cœnobii patroni Marchiones Carpenses summe in Fratribus benevoli & benefici, extructo sibi devoto habitaculo, aliquando Fratribus cohabitant, & spiritualibus animam excolunt exercitiis. Domum integram edificavit, & lapideam fecit Didacus Lupus de Haro, circa annum MDLVI. ita deprecante prædicto Guadalupense, & mirabiliter lapidicinam excavante. Crebra hic evenerunt miracula cibi præstiti Fratribus modis miraculosis, ignis voraciter silvas depascentis extincti, & artis diabolicæ frequenter elusæ.

Monum. MSS. Prov. Gran. Gonz. in eadem Provinc. Con. 4. Conv. Montis.

XIII. Ex Pisani catalogo constat, in Provincia Castellæ & Custodia Toletana tria præter alias a me descripta habuisse hoc tempore Minoritas Cœnobia, quorum huc usque non meminimus, quia origines erant omnino incertæ.

certæ. Hic tamen dabimus ſub compendio, quæ alii diffuſius enarrarunt. Primum eſt Guadalfagiaræ, in nova Caſtella Ducum Infantatus nobilis urbis, poſt extinctos Templarios Minoritis traditum anno incerto, Fratribus tamen Obſervantiæ anno MCCCCLV. ſub Calixto III. ita ſupplicante Innico Lopetio Mendozio, Marchione Santillanæ, qui in majori ſacello tumulatus eſt. Patris ſepulturam illuſtraturus, & religioſis ſuum amorem patefacturus Petrus Gonzalvus Mendozius, Toletanus Archiepiſcopus, totam Eccleſiam refecit, & auguſtiorem reddidit; ſed architecti vel fabrorum imperitia bis collapſam, tertio nobili ſtructura ædificari ejuſdem Præſulis defuncti facultatibus obtentum eſt. Qua de cauſa jus honorarium patronatus conceſſum eſt prædictæ Sanctillanæ familiæ, hujuſque ſucceſſoribus Ducibus Infantatus, qui in ſacello majori pulchro mauſolæo ſepeliuntur. Atque hinc ſumma eſt Mendoziæ proſapiæ horum Ducum erga domum iſtam benevolentia & munificentia. Res mira ipſa in urbe cuidam hujus domus alumno contigit. Regnante Joanne II. areſcente ſegete præ ſiccitate, Magiſtratus publicam ſupplicationem ad ædiculam prope forum ſancto Dominico ſacram indixit, concionemque habuit quidam ex Minoritis. Sub dicendi finem pia quadam Apoſtrophe ad Deum ſermonem convertit, & tanta fiducia, tantoque fervore ac lacrymis miſericordiam peccatoribus, & terræ pluviam imploravit, ut quotquot aderant in gemitus, ſuſpiria, lacrymas prorumperent, & ſumma pietate cordiſque compunctione Deum orarent, quatenus ſibi loquentem ſervum ſuum exaudire dignaretur. Extemplo ſupra concionatoris caput grandis, ignea & ſplendidiſſima crux apparuit, mox mugire tonitrua, multiplicari fulgura, denſari nubes cœperunt, & copioſiſſima pluvia terræ aridæ exuſtæque faciem mutavit, pallentiaque arua grato virore revixerunt. Inſigne hoc portentum ſcripſit præfatus Joannes Rex ad beatum Vincentium Ferrerium; cui ille quid agendum eſſet ad divinæ majeſtatis, populis offenſæ iram mitigandam, pie reſcripſit. Ipſum epiſtolæ autographum ſervatur Madriti. *Conv. Guadalfagiaræ. Gonz. in Prov. Caſtel. Conv. 4. Salazar. lib. 4. de eadem Prov. cap. 1. & 2.*

XIV. Jacent in hoc Conventu quatuor Provinciæ Caſtellæ Miniſtri, Antonius Cordubenſis doctis ſuis elucubrationibus ubique notiſſimus, Joannes Lilius, Dionyſius Luſitanus, Petrus Alabus; & duo præ reliquis pii viri frater Didacus Dux, ſui Inſtituti tenaciſſimus, adeo aſſiduus in pſalmodia, ut annis ſexaginta, quibus in Ordine vixit, numquam dum per corporis ægritudinem liceret, media nocte ad divinas laudes ſurgere prætererit: & frater Andræas de Loçoya laicus Cœnobii janitor annis quinquaginta, qui toto hoc tempore januam ipſam numquam egreſſus eſt. Magna ferebatur erga pauperes caritate, & in magna annonæ penuria ingentem egenorum numerum ſua alebat induſtria. Gaudet hoc Cœnobium clementi cœlo, & ſalubri aura, optima Bibliotheca, liberalitate fratris Franciſci Ximenii Archiepiſcopi Toletani, commodo valetudinario, multa pretioſaque ſupellectile Eccleſiaſtica dono Ducum Infantatus, quibus demum, videlicet Joanni & Annæ Mendoziis non ſolum templi, verum etiam totius Cœnobii adjudicatus eſt a Patribus iſtius Provinciæ Caſtellanæ patronatus, ob ſummam eorumdem in Fratres pietatem. Frater Antonius Mendozius filius Marchionum Cenetenſium ſacellum pulchrum, reliquiis multis inſigne, conſtruxit ad latus Evangelii; Alvarus Mendozius, Innici Lopetii Mendozii Ducis Infantatus filius ſacerdotia aliqnot ſecularia in hac Eccleſia inſtituit, annuos reditus reliquit, multis modiis tritici diſtribuendi inter egenos menſibus Aprilis & Maii, & puellis nubilibus maritandis ex patris Guardiani conſilio. Anno MDCIV. venit in urbem Rex Philippus III. & abſque ullo Fratrum incommodo

modo cum Regina & cubiculariis habitavit tribus diebus in Cœnobio, & cum in hos incidisset feria IV. Cinerum in sacello majori interfuit cum eadem Regina divinis officiis, tantumque voluit deferri Fratribus honorem, ut prius omnes, etiam oblati, ad Christianos ritus excipiendorum cinerum, quam ipse aut Regina accessissent.

Conv. Talabricen. Gonz. citat. Conv. 10. Salaz. citat. cap. 10.

XV. Secundum prædictæ Custodiæ omissum Cœnobium est Talabricense, vetustissimum, si primum spectemus domicilium, exructum, uti ferunt, a quodam sancti Francisci discipulo, prope Parochiam sanctæ Mariæ Magdalenæ extra villæ muros ad Tagi ripam. Secundum quod nunc extat recentioris est structuræ, quippe anno MCCCCXCIV. a Ferdinando Talabricensi Hieronymiano, Reginæ Catholicæ Elisabethæ Confessario, Episcopo Abulensi, mox Archiepiscopo Granatensi, post ereptam Mauris urbem primo, affabre fabricatum in ipsa sanctæ Leocadiæ parochia, in qua progenitores sepulti erant, habitis prius Innocentii VIII. licentia, Petri Gonsalvi Mendozii Archiepiscopi Toletani, & Parochi assensu. Jus vero parochiale, cum omnibus templis S. Leocadiæ emolumentis, translatum est ad sanctæ Eugeniæ Ecclesiam, non procul inde distantem. Elapsis deinde aliquot annis, Franciscus Ximenius, ex Minorita Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, Inquisitor supremus, & omnium religiosorum per universa Hispaniæ regna Catholicis Regibus subjecta reformator, Patres Conventuales ad regularem Observantiam reduxit, nolentes alio transmisit, & vetustum voluit absque habitatore domicilium, cum unum idque quadraginta & amplius religiosorum capax, ea in urbe sufficeret, reditus vero & possessiones amplas, quibus illi gaudebant, per parochias Talabricenses divisit. Corruit postea derelictum habitaculum, ex cujus ruinis constructum est Eremitorium sanctæ Mariæ Magdalenæ. Demum hujus recentioris Conventus Præfectus, fraterna pietate commotus, annuente Leone X. ex vetustæ domus cœmeterio Fratrum ossa solemniter in suum transtulit, comitantibus universis villæ ordinibus. Anno MDXLVIII. Joannes Suarez Carvajalius, Episcopus Lucensis, & sanctæ Cruciatæ Commissarius, sibi, suisque successoribus (erat enim prius uxoratus) sacelli majoris patronatum obtinuit ab Antonio de Aranda, alias de Andrada, Provinciæ Ministro, in eoque tum ipse, tum filius ejus Garcias Suarez Carvajalius, Regibus Hispaniæ a consiliis, & Villarum Pennalverii & Alhondigæ Dominus, sunt sepulti. Sacellum ipsum magnifice extruxit Episcopus, supellectilem multam, ac locupletem divino cultui ministravit, filius Bibliothecam instructam moriens legavit. Jacet in hoc Conventu frater Joannes a Zarzuela professione laicus, vita & moribus insignis, qui ante & post mortem miraculis fulsisse perhibetur.

Conv. civitatis Regiæ. Gonz. citat. Con. 11. Salaz. citat. cap. 11.

XVI. Tertium Civitatis (olim Villæ) Regiæ secundo dicitur coævum, & a Regibus Castellæ constructum, quod indicare videntur frequentia Regum insignia muris insculpta, atque hoc titulo regiæ fundationis Fratres petierunt a Philippo III. ut collabantem Ecclesiam placeret restaurare, quod & fecit, postquam productis instrumentis constitit, a suis prædecessoribus primitus fuisse constructam. Transiit ad Patres Observantes sub Catholicis Regibus Ferdinando & Isabella, inter quos ex Conventualibus mansit frater Petrus Ahumada beatæ Mariæ ultra modum addictus, & suæ professionis zelotes, quamobrem moriens maximum sui reliquit desiderium, & honorifice ibidem sepultus est. Quinquaginta Fratres hic commode habitant; abundat enim urbs rebus necessariis, floretque ibi Philosophiæ studium, & optimi quique urbis heroes in prædicta Ecclesia sacella habent, ac sepulturas.

XVII. Ad eamdem Provinciam & Custodiam Segoviensem spectabant etiam

etiam ſub hoc tempore Ulmetenſe & Collarenſe Cœnobia, nunc vero ſubſunt Provinciæ Conceptionis. Primum diſtat ab urbe Abulenſi Leucis tredecim, a Valliſoletana ſeptem, in Diœceſi tamen Abulenſi, intra muros, oppidanorum ſumptibus creditur conſtructum. Ibidem vitæ finem poſuit anno MDCXV. frater Antonius Barroſo: multiplici virtute excultus, mira dexteritate inimicitias ſedabat, numquam manducabat niſi poſt veſperam, hora ſere poſt meridiem quarta, nihilque in cibum tunc admittebat præter panem & herbas coctas, vel crudas: ſed inter multos macerandi corporis modos orandi ſtudium numquam intermittebat. Secundum Diœceſis Segobienſis, extra muros, fundatores habuiſſe dicitur Marchiones Collarenſes, qui & nunc Duces Albuquerquii, quorum munificentia in ampliſſimum crevit domicilium. In pulchro templo nobile habent mauſoleum, eorumque beneficio ſacrarium multa diteſcit ſupellectile. Aliud ſupereſt hujus temporis Cœnobium ejuſdem provinciæ & Cuſtodiæ Victoriæ, nunc autem Provinciæ Burgenſis, videlicet Mirandæ Iberinæ, Cantabrorum oppidi, de quo nihil eſt memorabile, præterquam quod ad Obſervantes translatum ſit ſub prædictis Regibus Catholicis Ferdinando, & Iſabella.

Conv. Ulmeten. *Gonz. in Prov. Concept. Conv. 31. Mon. MSS. ejuſd. Prov.*

Conv. Collaren. *Indid. Conv.* 34.

Conv. Mirandæ Iberinæ. *Idem in Prov. Burgen. Conv.* 11.

XVIII. Erant hoc tempore extra muros Aſſiſii duo paupercula Monaſteria Clariſſarum ſancti Sebaſtiani de Cameraria, & ſancti Nicolai de Horto, quæ ne omnino interirent, communi conſenſu paucula relictæ Sorores petierunt a Bonifacio Pontifice, ut his unitis liceret aliud intra urbem conſtruere, quibus aſſenſit: *Ad ea quæ cultum* XI. Kalendas Aprilis. Univit etiam Monaſterio Clariſſarum Londonien. Eccleſiam Parochialem de Potron, Lincolnienſis Diœceſis, in quam jus Patronatus obtinebant, ex conceſſione Cluniacenſium Prioratus ſancti Andreæ de Northampton, dictæ Diœceſis: *Etſi ex debito ſollicitudinis*, Nonis Julii. Novi Monaſterii in urbe Januenſi a quibuſdam nobilibus viduis ædificandi, Sororibus educandis, & in diſciplina regulari docendis quatuor magiſtras indulſit, & juſſit mitti ex Monaſterio S. Laurentii Paniſpernæ in Urbe: *Ad ea quæ Religionis*, III. Nonas Junii. Decrevit contra nonnullos Plebanos, Rectores Eccleſiarum, eorumque Capellanos, in provincia Saxoniæ, Fratres a legatis Sedis Apoſtolicæ, vel ab Ordinariis approbatos, poſſe ſine Plebanorum licentia confeſſiones excipere, inſervitque ſuis litteris diploma Clementis IV. Circa hanc ipſam controverſiam: *Exhibita ſiquidem nobis*, XV. Kalendas Decembris. Alias etiam Bonifacii VIII. circa inſtitutionem, auctoritatemque Miniſtrorum Generalium, & Ordinis regimen, ex regeſto exhibuit Apoſtolico: *Proviſionis noſtræ*, Kalendis Decembris.

Mon. Aſſiſi.

Mon. Lōdonien.

Mon. Januen.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ Deſidia Chriſtianorum Occidentis, dum pennas concidiſſe videntur; horrificus tubæ clangor Bajazetis ex oriente, eo anxie animum impellit (ne forte otiemur) ad incrementa frugum juſtitiæ, laboribus Fratrum noſtrorum, & largo labore ſollicitata, expendenda. Unum ferme ſupra triginta ante jam annos, ex Boſna, Ludovico Hungariæ piiſſimo Rege jubente, octo Minoritæ ad Triballos in Bulgaria, gentem barbaris ritibus ac præſtigiis infectam tranſierunt. Eſt autem Bulgaria Europæ regio Myſſiæ ſuperioris pars, inter Serviam, Valachiam, ac Thraciam, inter Hemum celebrem montem, qui Myſiam a Macedonia ac Thracia dividit, & Danubium fluvium notiſſimum contenta. Ciabro amne a Servia diviſa, Danubio a Valachia. Urbes illius nobiliores, „ So-

Wadd. ad ann. 1466.

Minores 8. proficiunt. „ Sophia Metropolis, Serrajum, Silistria, Chilia, & Nicopolis ad Hemum, „ Hanc regionem Minoritæ operarii excolentes præfati octo, infra dies „ quinquaginta ultra ducenta millia hominum converterunt, ut legimus ab „ ipso Ludovico Rege, plures alios operarios a Ministro Generali expe- „ tente, testatum. At quonam tot nostrum abiere labores? heu! horum & „ eorum impii Bajazetis furor, ferrum, & ignis omnem memoriam, tota „ regione subacta, sustulit. Tristem casum ut audivit Sigismundus Rex „ Hungariæ, & præfati Ludovici Gener, cujus dicto Bulgari quiescebant; „ sub hoc tempus lecto exercitu, ac etiam cum auxiliariis copiis Franco- „ rum, ut Bajazetum abigeret, Nicopolim ad Hemum obsedit; dictaque „ die cum hoste, conseruit, at adeo adverso Marte, ut vix per Danubium „ parvulæ scaphæ beneficio in Pontum Euxinum defluere, & ad Thomam „ Mocenicum Venetorum classis Novarcbum se recipere potuerit. Quamo- „ brem Bajazetus, tanta victoria insolens, Constantinopolim, cujus Subur- „ bia jam spoliaverat, deleturus rediit. Eo prælio Joannes Burgundiæ Dux „ occubuit, & universa regio deturpatam a Turcis Religionem Catholi- „ cam, quam facile admittebat, & sancte admirabatur, ingemuit. Ita pla- „ cuit Altissimo, cujus judicia abyssus multa, permittere, ut Bajazetus fe- „ rus aper de silva in Bulgaria vineam Domini Sabaoth depasceret.

Doglcit. fol. 412. — Pet. Bert. fol. 536.

ARGUMENTUM.

Moritur beatus Antonius Hungarus. Creantur Episcopi. Florent viri illustres. Propagatur multiplicatis domiciliis Institutum.

Jacob. de Sanct. Fulg. Idem de Episc. Fulg. Mon. MSS. Moritur B. Antonius Hungarus.

I. OBIIT hoc anno III. Idus Maii beatus Antonius Hungarus tertii Instituti sancti Francisci sectator, ignotæ tamen urbis, & prosapiæ. Venit in sacram Urbem peregrinationis, & magnæ indulgentiæ Jubilæi lucrandi causa, anno MCCCL. ubi moram aliquot annis traxit, visendis sanctorum liminibus, operibusque pietatis exercendis totus intentus. Opportuniori veste, & vitæ genere Deo famulaturus, tertii Ordinis sancti Francisci habitum suscepit, & leges observavit, deinde sui Legislatoris sepulcrum veneraturus, & celebris Indulgentiæ Portiunculæ merita assecuturus, Assisium profectus est. Hinc reversus Fulgineum anno MCCCLXXI. in morbum incidit, ductusque ad Xenodochium sancti Spiritus, multiplicem expertus est ministrorum caritatem. Recuperata valetudine, statuit quæ recepit misericordiæ opera erga alios exercere, & infirmorum, pauperumque obsequiis operam suam omnem, vitamque locare. Nihil illo mansuetius, nihil benignius, nihil erga proximum beneficentius; infirmos curabat, alebat, confortabat; expositos infantes tenerrime fovebat, pie educabat, instruebat, pauperes & peregrinos Christianis prosequebatur officiis. Abstinentiæ & pænitentiæ erat admirabilis, orationis assiduæ, & profundæ humilitatis, sanctus virtutum omnium exemplar, tantam obtinuit in populo opinionem, ut ad eum omnes recurrerent angustiati pro consilio, afflicti pro remedio, tentati pro suffragio. Tamdem annis & meritis plenus, longa purgatus infirmitate, quam patientissime toleravit, præmissis Christiani hominis muniis, receptisque sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, pie obdormivit Fulginei. Corpus honorifice, concurrente universo populo, in quodam sacello Ecclesiæ prædicti Xenodochii positum est, & perpetua populi reverentia celebratum, Deo plurimis per ejus intercessionem benefaciente. Postremo anno

Ejus virtutes.

no MDCVIII. translatum est ad aram templi majorem , supra quam in nobili theca integrum, & illæsum omnium exponitur venerationi .

II. Qui sequuntur , fuerunt ad infulas Pontificias assumpti . In Ecclesia Clonferten. sub Archiep. Tuamen. in Hibernia frater David Corre , per translationem Mauritii ad Tuamen. & Willelmi Arcb. Tuamen. ad Clonfert. sed cum hic debito tempore negligeret Bullas expediri , collata est Ecclesia Davidi . XIII. Kalend. Aprilis . In Drivestan. sub Archiepiscopatu Antibar. frater Andreas de Montagnana in locum Danutii . XI. Kalend. Augusti . In Suden. frater Gualterus de Polema , per obitum Francisci . XII. Kalend. Septembris . In Caffen. in partibus Tartarorum hoc tempore Episcopum fuisse fratrem Joannem Minoritam constat ex quodam diplomate, quo ei varia conferuntur privilegia : *Personam tuam* . II. Nonas Martii . Hoc anno fuisse etiam Episopum Nicopolitanum fratrem Joannem Offidanum Minoritam, constat ex consecratione Ecclesiæ Minorum Fabrianensis hoc anno ab ipso facta, uti alias enarravimus . Ex tabulis Ecclesiæ Milevitanæ habeo , hoc anno duos Minoritas fuisse ad eamdem vario electorum studio promotos , fratrem Maurum Cali Meliten. doctrina , & rerum agendarum solertia præclarum , & fratrem Andream de Pate Siculum Savensem , sacræ Theologiæ Magistrum, Siciliæ Provinciæ Ministrum . Cessit prior posteriori . „ Pactis quibusdam conditionibus circa proventus Ecclesiæ , de-
„ mum translatus est ad Ecclesiam Cataniensem in eodem regno Siciliæ , uti
„ sub annum MCCCCIX. referemus . Amicus noster Rochus Pirrus in notitia
„ Melitensi ait translatum ab Innocentio VII. Sed in Cataniensi asserit id
„ factum ab Alexandro V. Andreæ rebus impense favit Rex Martinus , cui
„ erat a sacris ministeriis .

Fr. David Episc. Clonfert .
Fr. Andreas Drivestan.
F. Gualter. Suden.
Fr. Joan. Caffen.
Fr. Joann. Nicopolitan.
Tom.6. an.1322. n. 26.
Fr. Andreas Milevitan .
ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI .
Fr. Andreas Episcop. Catanien.

III. Quorumdam Provincialium Ministrorum , vel auctoritate , vel contempta dignitate illustrium , hoc anno mentionem invenio ; fratris Petri Marini , al. Martini , Provinciæ Aragoniæ Ministri , quem Zurita sacris studiis ac doctrinis , & canonicis institutionibus apprime vocat eruditum , missumque scribit cum aliis Oratoribus a Martino Rege Aragonum ad Benedictum Antipapam , a Gallis obsessum Avenione , ut rerum omnium decertationem , omnem partem existimationis , ac spem dignitatis suæ , & suscepta negotia concordiæ , & conjunctionis Ecclesiæ unius Philippi Burgundiæ Ducis , Caroli Francorum Regis patrui , fidei potestatique , si publicæ orbis Christiani paci consultum velit , committat . Fratris Marci Veneti Provinciæ sancti Antonii , qui in Capitulo Generali Coloniæ habito , renunciavit officio , & Patribus resignationem admittere nolentibus ob viri probitatem , & in regimine prudentiam , iterum laborem subire coactus est , jubente etiam Pontifice . Fratris Joannis de Monteregali provinciæ sancti Francisci , qui ab eodem Pontifice licentiam impetravit accelerandi celebrationem Capituli Provincialis , ut præfecturam deponeret . Fratris Guillelmi de Perleto Provinciæ Januensis , qui sponte ministerium resignavit in manibus Henrici Generalis Ministri , cui partim capitulari electione , partim Pontificia designatione Felix Januensis successit . Fratris Marini Martini Marchiæ Anconitanæ Vicarii Provincialis , celeberrimi Concionatoris , & hæreticæ pravitatis Inquisitoris in eadem regione Picæni . Impar erat alterius Ministri Provinciæ sancti Jacobi virtus , si querelis contra eum ad Pontificem delatis credendum sit . Iis commotus Bonifacius causam commisit discutiendam Henrico Generali Ministro , qui non solum potentiam non restrinxit , sed ampliavit ; vel fortassis , quia injuste accusatus , vel quia leviter cum homine agendum erat, cui sponte ad ejus obedientiam accedenti facile erat jugum ex-

Fr. Petrus Marinus .
Zurita in Ind. rer. Arag. & in Annal. l.10.c.68. Marian. de reb. Hispan. lib. 19. c. 9.
Fr. Marcus Venetus .
Regest. vat. lib. 2.
Fr. Joan. a Monteregali .
Fr. Guillelmus de Perleto .
Fr. Marinus Martinus Inquisitor Marchiæ .

excutere, & Pseudogenerali Avenionensi manus dare. Hinc turbati queruli Fratres, maxime duarum Custodiarum Lusitaniæ, iterum Pontificem appellant. His audiendis duos statuit Fratres Provinciæ Anglicanæ, aliæ namque viciniores Hispaniæ & Galliæ sub Benedicti tumultu adhuc fluctuabant: *Quamvis prout ex injuncti*. Nonis Octobris. Ex his litteris plane convincitur quod supra admonuimus, etiam hoc tempore Custodias Lusitanas Ministro Provinciæ sancti Jacobi subfuisse, & tardius in distinctam Provinciam fuisse erectas. Invenio hoc anno Sacellanum fuisse Sigismundi Regis Hungariæ Dosam Stephanum de Marchal, eique datam administrationem Monasterii sancti Martini de Sacro-Monte Ordinis sancti Benedicti, diœcesis Januensis: *Ad Ecclesiarum*. x. Kalendas Novembris. Henrici III. Castellæ & Legionis Regis fuisse itidem Confessarium fratrem Joannem Henriquez, uti & genitoris Joannis fratrem Ferdinandum de Illescas, summoque affectu Henricum hunc, ac Catarinam conjugem Minorum Institutum fuisse prosecutos, scribunt illius gentis historici. „ Et quidem non parum Henrici „ erga eos propensionem hoc probabit Instrumentum, ante aliquot annos „ emissum.

An. 1378. n. 10.

Fr. Dosa Stephanus.
Fr. Joann. Henriquez Confessarius Henrici Regis.
Fr. Ferdinandus de Illescas Confessarius Regis Joannis.
Garibus lib. 15. c. 48.
ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

HENRICUS Dei gratia, Rex Castellæ, & Legionis, universis & singulis personis Majestati nostræ immediate subjectis, salutem, & prosperos ad vota successus.

Henricus Rex Castellæ sub sua protectione suscipit Minoritas.

„ *Volumus notum fieri vobis, quoniam propter devotionem, quam erga „ beatum Franciscum, & ejus Ordinis Fratres ab infantia gerimus, „ speciali volumus prædictos Fratres protectione defendere, & gratia sublimiori communire: quare domos omnes sancti Francisci, Fratres, & familias, & bona, quæ juste tenent, & possident in Regnis nostris, recipimus „ sub nostra protectione speciali, præsentis scripti auctoritate mandantes, & „ firmiter inhibentes sub pœna indignationis nostræ, quatenus nullus sit, „ qui prænominatos Fratres, domos cum bonis, quæ possident, ausu temerario contra hujus nostræ protectionis tenorem, impedire, offendere, seu molestare præsumat, imo prædictos Fratres cum domibus suis habeant pro nostræ Majestatis reverentia favorabiliter commendatos. Ad hujus autem „ protectionis gratiæ memoriam, stabilitatem & firmitatem, præsens scriptum fieri fecimus nostri culminis sigillo munitum. Datum in urbe Toletana die* VIII. *Septembris, anno Domini* MCCCXCIV.

Conv. Pacis Augustæ.
Gonz. in Provin. S. Michael. Con. 6.
Mon. MSS. ejusdem Provin.

IV. In prædicta Provinciæ sancti Jacobi Custodia Salamantina, a Pisano recensetur sub hoc tempus Conventus Pacis Augustæ, sub corrupto vocabulo *Paracensis* vulgo *Badajoz*, latine Badejocii, qui nunc spectat ad Provinciam sancti Michaelis in tractu Extremæ-Duræ: quo tempore, vel quo auctore constructus sit, nescitur; diploma ibi extat Joannis II. quo beneficia quædam impertit Fratribus anno MCCCCLX. & ædificatum ante multos annos asserit Cœnobium. Situm est intra muros prope portam Xeresii, vulgo nuncupatam sanctæ Marinæ. Sacellum maximum ruinæ proximum refecerunt Teresia Silvia relicta Joannis de Figueroa, ejusque filius Hieronymus de Figueroa, & Soto major, pulchro ornarunt altari, & mediocri supellectili, additis annuis reditibus, qua de causa concessum fuit eisdem jus patronatus anno MDLI. sed anno MDLXVII. translato Cœnobio ad Observantes distracti fuerunt hi, & reliqui reditus, & majori ex parte applicati Clarissis Monasterii sanctæ Annæ, quæ suffragia benefactoribus, & legatariis de-

debita in eodem Fratrum Cœnobio fieri curant, & solvunt. Translationem hanc fieri petiit Philippus II. præcepit Pius V. executioni mandavit vir optimus, Antistitum decus, Joannes Ribera, Episcopus Pacensis, electus Archiepiscopus Valentinus. Pacifice & religiose cessit Guardianus Patrum Conventualium frater Gaspar de Frexenal fratri Alphonso Altamirano Commissario a fratre Ludovico Zapata Ministro Provinciæ sancti Michaelis. Ruinosum & vetustum ædificium, acceptis multis eleemosinis, in commodum & pulchrum hi reduxerunt, triginta & amplius Fratrum capacissimum, in eoque Philippus II. & III. Hispaniarum Reges per aliquot dies commorati sunt, ille anno MDLXXXVI. hic anno MDCXIX. Contenderunt Parochi cum Fratribus hujus Conventus, & reliquis Ordinibus Mendicantibus circa quartam funeralem: & Eremitæ Augustiniani cum Minoritis circa præcedentiam in publicis supplicationibus, quam etsi concedebant Fratribus hujus Conventus, denegabant tamen alterius recentioris vulgariter dictis *excalceatis*, in eisdem supplicationibus consociis. In prima controversia decrevit in favorem Mendicantium Archipresbyter Metellinen. an. MDCXII. die XXVIII. Augusti, & contra Augustinianos anno MDCXVIII. Episcopus Pacen. & interposita appellatione, anno MDCXIX. die X. Septembris Franciscus Cennius Patriarcha Hierosolymitanus, Nuncius Apostolicus. Jacet hoc in Conventu præ reliquis frater Alphonsus de Tapia, Scalabiæ, nobilibus ortus parentibus, vir notæ pietatis, & pœnitentiæ. Fr. Alphonsus de Tapia.

V. Ab eodem auctore, & sub eadem Custodia recensetur Eremitorium sanctæ Mariæ de Angelis. In illa ipsa Hispaniæ regione perquirendum puto hoc Eremitorium, neque aliud esse, quam quod nunc commodum est Cœnobium, sub eodem titulo sanctæ Mariæ de Angelis, in villa Cællæmeæ, vulgo *Sælamea* olim dicta *municipium Julepense*, uti antiqua monumenta in memoriam Trajani Imperatoris erecta, incorrupta testantur inscriptione. Exordium habuisse ad jactum lapidis extra prædictam villam anno MDLXXVI. sumptus & fundum ministrantibus villæ Rectoribus, aut militibus Alcantaræ, ad quos municipium spectat, fabricam curante fratre Paulo Xeresano provinciæ sancti Josephi alumno, scribit Gonzaga. Sed cum parce satis, ac præter votum ad operis promotionem (subministrati enim aurei mille & quingenti dumtaxat) Fratrumque victum necessaria darentur, locum, reclamantibus Cellameanis, deseruerunt. Vocati itaque Fratres provinciæ sancti Michaelis, Cœnobiolum humile quidem admiserunt anno MDLXXXIV. die XIX. Augusti, impetrata prius venia Philippi II. militiæ Alcantarensis summo administratore, & pactis quibusdam conditionibus circa Ecclesiæ jura, & visitationem prædictæ militiæ ministris relinquenda. Primus illuc advenit cum quatuor consodalibus frater Didacus a sancto Petro insignis prædicator, & paulo post, dejecta priori fabrica, nobilem cœpit, perfecitque viginti quinque annorum spatio frater Josephus a sancta Maria, uti ista inscriptio Hispanico idiomate, lapidi in ambitu, seu claustro incisa, commemorat: *Inchoavit hoc Cœnobium pater frater Joseph a sancta Maria, anno* MDXCI. *absolvit anno* MDCXVI. *totumque opus consummatum est fidelium eleemosynis*. Præcipuum habuit in universa hac fabrica benefactorem Garciam de Rebles Salazarium, Alcantarensis militiæ Thesaurarium, cui concessum pulchrum sacellum ad latus Evangelii, sibi suisque posteris tumulandis. Sacellum maximum adjudicatum est Catarinæ de Mon-Roy. Francisci de Mon-Roy, ac Constantiæ de Morales filiæ, relictæ Joannis Ruezii de Contretas, cujus facultatibus eleganter extrui curabat prædictum sacellum, & ali in Conventu perpetuos professores Philosophiæ & Theologiæ, publicæ stu-

Conven. Cellameæ. Gonzag. citat. Conv. 21. Monum. MSS. citata.

studiosorum secularium utilitati R. P. Bonaventura de Mon-Roy ejusdem Heroinæ germanus frater, provinciæ sancti Jacobi alumnus, & aliquando Rector, quem olim Salmanticæ cum reverentia suspiciebam. Antequam vero ad justam mensuram Cœnobii hic locus reduceretur, crediderim paucorum Fratrum ibi præextitisse oratorium illud, quod Pisanus commemorat, sub nuncupatione sanctæ Mariæ Angelorum, quod adhuc perseverat.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litteræ Bonifac. *Indic. ex Vatic.* *Petr. Bert. cit. sup. fol. 536.* *Bajazetus a Tamerlano superatur.*

„ I. Bonifacius Pontifex Fratribus Conventum Montis Sion visitantibus nonnulla per suum breve: *Justis & honestis &c.* Kal. Aprilis indulsit; quando Timircultu, quem Tamerlanem vocant, Magnus Tartarorum Cham totam Asiam igne & ferro depopulabatur; & adversus eum Bajazetus in Galatiæ, & Bithyniæ finibus aciem instruxit, ubi pugnatum est adversis signis in multam noctem; & Bajazetus superatus, captus, aureisque compedibus vinctus, in caveam per Asiam traductus est. Periere Turcarum ducenta millia in ea clade, quæ incidit in hunc annum MCCCXCVIII. at nostrorum Europæ lacrymas non absterfit. Interim frater Guillelmus de Perletto, oppido ab Alba Pompeja XIII. milliaribus circiter Italicis, & a Curte-millia III. tantum distante, cum provinciam Januensem regeret, sponte in manibus Henrici Ministri Generalis suum ministerium resignavit; quod ab Amadeo VII. primo Sabaudiæ Duce, ob suam doctrinam, vitæ ac morum integritatem expeteretur Confessarius, & duplex hoc munus obire nequiret. Hujusmodi renuntiationis causa duo expedivit brevia summus Pontifex, quorum unum incipit: *Religionis zelus &c.* & alterum: *Cogit nos &c.* amboque Idibus Augusti, quibus subinde tertium addidit: *Dum attente &c.* Kal. Decembris. Igitur acceptata resignatione Guillelmi, eidem partim Capitulari electione, ait Waddingus, partim Pontificia designatione Felix Januensis successit.

Fra. Guillelmus fit Confessarius Amadei VII. Sabaud.

„ II. Ad beati Francisci Fabrianensis, miraculis in vita, & post obitum gloriosissimi commendationem & honorem, ejus concives Ecclesiam Conventus, in qua sacræ ejus reconduntur exuviæ, consecrari curarunt hoc anno MCCCXCVIII. scilicet LXXVI. post annos ab ejus depositione; tempore quo Fratres totius Marchiæ ad Comitia provincialia ibidem celebranda conveniebant; & occasione trium Antistitum, scilicet Joannis Offidani Nicopolitani, ex Ordine Minorum assumpti; Benedicti ex Ordine Eremitarum sancti Augustini Asculani, & I. Episcopi sanctæ Natariæ, qui ad visendum sepulcrum & corpus beati Joannis Baptistæ, Discipuli sancti Silvestri Auximani Abbatis, in Ecclesia sancti Benedicti conditum, missi fuerant. Igitur non tantum Fratribus, sed innumera etiam concurrente utriusque sexus hominum multitudine, die Dominica ante Nativitatem beati Joannis Baptistæ, Templum illud solemniter consecratum est. Amplas dedit pro hac solemnitate Indulgentias Mutius Episcopus Camerinas illius loci diœcesanus, statutis diebus, quibus eas lucrari deberent Fideles, additis etiam in fine his verbis: *Has indulgentias nuper nostra auctoritate concessas, volumus in sepulcro beati Francisci de Fabriano specialiter a Septuagesima, usque ad Octavam Paschæ annis singulis valituras.*

Wadd. ad ann. 1322.

Aymo de Sabaudia ducit Mentiam.

„ III. Aymo de Sabaudia, Philippi filius, Dominus Combæ Viennæ, Casalis majoris, Villæ-francæ & aliorum locorum, uxorem duxerat Mentiam

„ tiam filiam Georgini ex Marchionibus Cevæ, patriæ Pedemontanæ, ex
„ qua nullos habuit liberos:pro Amadeo & Ludovico Nepotibus ex fratre, *Pingon. fol. 45. n.212.*
„ gubernacula regebat: quam devotus esset cum sua conjuge Mentia, seu
„ Mehentia S.P.Francisci, necnon S. P. Dominici, & religiosorum utriuſ-
„ que Ordinum, ex ejus supremis tabulis testamentariis, sub XIII. Martii Amborum benevolentia in Ordinem.
„ signatis apparet, in quibus inter alia legitur: *Item donatione causa mor-*
„ *tis relinquit pro anima sua Conventui Fratrum Prædicatorum de Savil-*
„ *liano, pro adjutorio faciendi, & construendi unam Capellam in Ecclesia*
„ *sancti Dominici dicti loci Savilliani, ad honorem Dei, & sancti Petri M.*
„ *florenos centum, rapiendos super Communitate Caballarii Majoris, super*
„ *uno dono facto, & debito ipsi D. Aymoni per ipsam Communitatem, oc-*
„ *casione certæ concessionis gabellarum factæ ipsi Communitati. Item dona-*
„ *vit & donando reliquit de bonis suis mobilibus, pro emendo unam Capel-*
„ *lam in Ecclesia sancti Francisci de Pinerolio florenos centum, ad memoriam*
„ *animæ ipsius Domini, juxta ordinationem Illustriss. D. Mehentiæ ejus*
„ *consortis &c. quibus peractis legitimeque publicatis, paulo post eodem*
„ *mense & anno* MCCCXCVIII. *sine liberis decessit: sepultus in Templo Vil-*
„ *lefrancæ Subalpinæ.*

ARGUMENTUM.

Restauratur Societas Fratrum peregrinantium in Fidei obsequium. Joannis Eremicolæ mors & virtutes referuntur. Aliquot recensentur Episcopi. Celebrantur Comitia generalia. Bartholomæi Pisani opus, & gesta commendantur. Prætermissorum Conventuum subditur notitia.

I. PLURIMI Minoritæ hoc tempore divino spiritu, atque animarum zelo succensi, sanctum reassumpserunt fœdus, & caritatis vinculis invicem colligati, sacram conscripserunt militiam ad debellandas aereas potestates, & conterendos Christianæ fidei inimicos. Pium hoc studium inter Prædicatores & Minores ortum habuit sub Innocentio IV. anno MCCLII. & sub Joanne XXII. Gregorio XI. atque Urbano VI. Aucto Fratrum numero adeo invaluit, ut peculiari titulo vocaretur *Societas peregrinantium propter Christum.* Hi enim auctoritate Apostolica suffulti, constituto sibi Præside Ministri Generalis Vicario, terras peragrabant Ruthenorum, Walachorum, Tartarorum, Sarracenorum, Paganorum, Cretorum, Bulgarorum, & aliarum Orientis, Aquilonisque nationum non credentium. Habebant in Cœnobiis, & congregationibus suis Archiepiscopos & Episcopos magnis per Sedem Apostolicam ornatos facultatibus, & per terras infidelium euntes mittebant semina sacræ doctrinæ, & errores hæresesque eradicabant. Restiterunt tamen aliqui, præsertim in Russia, & quibusdam partibus Hungariæ, qui suæ gloriæ detrahi putabant, quidquid per hos insigniter fieret, & suam minui judicabant auctoritatem, per privilegia a Sede Apostolica istis concessa. Horum temeritatem repressisse Gregorium XI. diximus alias, & datis his litteris denuo condemnavit Bonifacius.

Societ. Fratr. peregrinantiũ propter Christum. *Vide Scrobissen. de Arch. Halicien. c.9.*

Tom.8. an. 1371. n.7. & ann. 1373. n.18.

Di-

Dilectis filiis, Vicario dilecti filii Ministri Generalis, & Fratribus Ordinis Minorum Societatis peregrinantium nuncupatis, ad evangelizandum fidelibus & infidelibus, ac Schismaticis Catholicæ fidei salutaria documenta, per Sedem Apostolicam destinatis, in Lemburga partim, Russiæ partim commorantibus, salutem &c.

Ex lib. 1. an. 10. fol. 209.

II. *EXultat cor nostrum in Domino Jesu Christo, ipsique gratias agimus gratiarum omnium largitori, quoties nos sentire contingit, quod duritiæ cordium infidelium, tamquam terræ vastæ & rudæ solitudines imbre divinæ gratiæ indigenti per sanam doctrinam, & salubria documenta divina virtus imbrem compluit gratiæ baptismalis, qua ipsorum fidelium animæ a luqueo damnationis erutæ sempiternis gaudiis præparantur, & ut laboris tam gratus fructus juxtu cor nostrum ad Dei gloriam invalescat, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærendo, semotis præpetiis, quæ zizaniæ sator ex more subinfert, Ministerium Christi servorum ad hæc operantium libenter favoribus, & gratiis Apostolicis communimus. Dudum siquidem cum felicis recordationis Urbanus Papu V. prædecessor noster, nonnullos Fratres vestri Ordinis ad terras Ruthenorum, Walachorum, Tartarorum, Sarracenorum, Paganorum, Cretorum, Bulgarorum, & aliarum non credentium nationum Orientis, Aquilonis, & quaslibet alias partes Sedis Apostolicæ magisterio non intendentium, ad illuminandum mentes eorum, exterminandumque falsitates hæreseos micantium animos confortandum luce divini sermonis, & docta cælitus rectitudine operis destinasset, eis inter cætera proponendi ipsis nationibus Verbum Dei, ipsosque, & converti ex eis ad unitatem fidei cupientes recipiendi ac baptizandi, & Ecclesiæ sanctæ filiis uggregandi, confessiones etiam omnium fidelium in terris prædictis audiendi, eosque a peccatis eorum, de quibus confessi essent, absolvendi in forma Ecclesiæ consueta, & injungendi eisdem pænitentias salutares concessit, auctoritate Apostolica, liberam potestatem. Et deinde cum dicti Vicarius & Fratres ad partes Russiæ, in quibus ob infidelium multitudinem multu messis apparuit, & operarii pauci essent, ut partes ipsæ, quæ se exhibebunt divinæ gratiæ aptiores, per imbrem celestem irrigari, redderentur aptæ colentibus, declinassent, eædemque partes tamdem unda superioris irrigui madefactæ, permagna parte caperent verbum Dei, & in fecundam segetem pullularent; pro parte ipsorum Vicarii, & Fratrum dictæ societatis, qui tunc in partibus illis erant, exposito fœlicis recordationis Gregorio Papæ XI. ipsius Urbani nostro mediato successori, prædecessori nostro, quod licet ipsi & quilibet eorum in dictis, & nonnullis aliis partibus Schismaticorum & infidelium baptizandi, & prædicta, ac alia Sacramenta Ecclesiastica conferendi, & ligandi, & absolvendi, & nonnulla alia spiritualia faciendi haberent a Sede Apostolica plenariam facultatem, & ab obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris, cujus vigore nonnullas personas utriusque sexus Russiæ partium prædictarum ad Catholicam fidem, & ad obedientiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris & magistræ tantorum fidelium reductas baptizaverant, eisque hujusmodi alia Sacramenta contulerant, quidam tamen Joannes Presbyter, Wratislavien. diœcesis in terra Lemburgæ, Halicien. diœcesis, sacerdotem Catholicum verbis se asserens, sed factis negans, invidiæ stimulis concitatus, sicut inimicus homo in agro Dominico zizaniam seminans, ponendo schismata & errores inter infideles, & filios dictæ Romanæ Ecclesiæ, & eos a dicta sede recedere, & ad infidelitatem, seu damnabilem ritum Schismaticorum reducere te-*

temere & damnabiliter faciendo, & abviando ne alii infideles ac Sbismatici ad fidem & obedientiam reverterentur, eisdem publice coram fidelibus, nec non Schismaticis & infidelibus prædicaverat, quad iidem Vicarius & Fratres prædictas non habuerint potestates, & propterea baptizati per eos rebaptizandi erant, & eis Sacramenta prædicta iterum conferenda, & absoluti denuo absolvendi erant, cum gesta per eos, ut falso referebat, efficaciam non haberent, & propterea multi ex eisdem conversis & absolutis ad infidelitatis vomitum reversi fuerant, & alii a conversione salutifera retrahebantur, alii vero de suo statu, quem credebant dubium, non sine multa perplexitate vacillabant in ipsius Joannis, & aliorum, quos secum in æternæ mortis præcipitium protrahebat, animarum periculum, & manifestam damnationem, & scandalum gravissimum fidelium partium prædictarum; idem Gregorius prædecessor ex his, ut asseruit, merito perturbatus, per quasdam litteras primo certis dedit Judicibus in mandatis, ut ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios in terra prædicta, & alibi, ubi expedire viderent, eorum populis tam fidelibus, quam infidelibus & schismaticis quibuscumque publicarent, & facerent solemniter publicari, quod iidem Vicarius, & Fratres baptizandi, & cætera alia spiritualia exercendi, quæ concessa eis a dicta Sede privilegia continebant, habebant plenariam facultatem, dictumque Joannem, & alios contrarium asserere præsumentes, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, status vel conditionis existerent, etiamsi Pontificali, vel alia qualibet dignitate fulgerent, ad desistendum ab hujusmodi falsis assertionibus & seductionibus, per censuram Ecclesiasticam ac suspensionem & interdictum, a prædicationis officio, & privatione quorumlibet aliorum officiorum suorum, & beneficiorum, necnon per carcerationem, & alia opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus foret, auxilio brachii secularis, & per alias suas litteras idem Gregorius prædecessor eidem Vicario, necnon Fratribus dicti Ordinis, quos ad hoc ducerent deputandos in dicta terra Lamburgæ, & aliis ipsius Russiæ partibus ministrandi iisdem fidelibus, ac etiam Neophytis Sacramenta prædicta & omnibus aliis privilegiis eis a dicta Sede concessis utendi, usque ad beneplacitum dictæ Sedis, contradictione cujuslibet non obstan. tribuit facultatem, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis, qui dicto Gregorio, necnon felicis recordationis Urbano Papa VI. ipsius Gregorii immediato successore, prædecessore nostro, sicut domino placuit, sublatis de medio, successive divina favente clementia, fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, pro parte vestra petitio continebat, quod iniquitatis filius Joannes Ruten., qui se gerit pro Rectore parochialis Ecclesiæ terræ Lamburgæ, Halicien. diœcesis, alteri Joanni præfato succedens in vitium, ac mala malis accumulans in reprobum sensum datus, & quidam alii sui complices, in hac parte namen domini in vanum recipere minime formidantes, vobis, qui eisdem Vicario & Fratribus ad continuandum hujusmodi ministerii fructum legitime successistis, prætextu quarumdam litterarum conservatoriarum per nos sibi concessarum, quæ incipiunt: Frequentes hactenus, *circa præmissa, de quibus in eis mentio non habetur, diversa quotidie impedimenta ministrarunt hactenus & ministrant, inde sumentes molitæ temeritatis colorem, quod ipsæ Russiæ partes, & specialiter dicta terra Lamburgæ,* Halicien. *diœcesis, licet adhuc neophytos admixtos Schismaticis, & Infidelibus habeant, tamen jam pro magna parte Clero & populo Christiano lætantur, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut in favorem & augmentum ipsius fidei Catholicæ, ne per hæc fructum hujusmodi deperire contingat, opportunis reme-*

mediis, de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos igitur ad continuandum in partibus illis salutis hujusmodi fructum auctoritate dictorum prædecessorum tam salubriter inchoatum, & ut summotis inde universæ perfidiæ sentibus, puritas ibi fidei pullulans invalescat, felixque Russiæ patria, quæ etiam Christi gratia Catholico Rege, & orthodoxis Baronibus gaudet, fiat Christianæ gratiæ latitudo, ejusque devotionis fama se per partes cæteras totius orbis extendat, caritatem vestram in caritatis Christi visceribus præsentibus excitamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus propter adversitates hujusmodi, quæ per hostem humani generis ad impediendum dictum fructum procul dubio ingeruntur, tamquam fideles ministri satoris æterni semen gratiæ in agro sterili non credentium animarum serere nullatenus desistatis, etiam Neophytorum & credentium animos confirmantes in fide, corda fidelium in luce sermonis, & rectitudine operis confortetis, ministeriumque eorum, quantum possibile redditur, sine affectione curratis. Nos enim ut in iis eo plenius ipsum vestrum ministerium prosperetur, quo majori fueritis auctoritate suffulti, prædicta Urbani & Gregorii, & omnia & singula alia privilegia vobis a prædicta sede concessa, dummodo alias specialiter & expresse revocata non sint per Sedem eamdem, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; & nihilominus in domo vestri Ordinis terræ Lamburgæ præfatæ pro catechumenis & Neophytis, eorumque pueris scholam, quam jam diutius habuistis, prout etiam possitis in dicta vestra Ecclesia baptisterium pro baptismo infidelium ad fidem & obedientiam, prædictas venientium, libere retinere; & illi ex vobis, qui præsentati fuerint venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Halicien. vel Primislien. confessiones omnium fidelium, seu Neophytorum audire tam in domibus infirmorum, quam in Ecclesia vestra, eosque a peccatis eorum, quibus confessi fuerint, nisi talia sint, de quibus Sedes Apostolica sit merito consulenda, absolutionem in forma Ecclesiæ consueta, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, eisque in vestra Ecclesia terræ prædictæ vel alibi, ubi & quando vobis expedire videbitur, proponere publice verbum Dei, legata seu relicta in testamentis vel voluntatibus, ac alias per aliquem Dominorum terræ Russiæ prædictæ, vel minoris Walachiæ, seu Podoliæ, ac etiam Tartariæ partium pro Ecclesiarum constructione, seu pro ornamentis, & libris, vel paramentis earum, seu pro indumentis vestris donata libere, aut alias ad vos translata legitime fuerint; etiamsi talia immobilia bona sint, vigore præsentium, de nostra & dictæ Sedis licentia libere recipere, & ad eum usum, ad quem deputata fuerint, integraliter licite retinere valeatis. De funeralibus vero apud Ecclesiam, vel Conventum loci vestri eligentium sepeliri, canonicam portionem solvere teneamini: ita tamen quod si eligentium hujusmodi corpora pro ultimo vale, juxta morem ad parochialem Ecclesiam, de cujus parochia assumuntur, deferri contingat, ipsius Ecclesiæ Rector portione funeralium, quæ tunc dimittuntur ibidem, tantummodo contentus existat, nec de aliis funeralibus, quæ apud vos remanebunt, neque de oblationibus seu offertoriis, quæ pro tempore vobis fuerint ubilibet, aut de spoliis apud vos sepultorum, nec de legatis vobis in ultimis voluntatibus per quosvis sepultos hujusmodi, vel alias, canonicam portionem solvere teneamini, plenam & liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem & licentiam elargimur; impedientes vero, seu contradicentes, per nos concessa superius declarata excommunicationis sententiam, a qua præterquam in mortis articulo, non possint absolvi, nisi a Romano Pontifice, incurrere volumus ipso fa-

facto, & tam fælicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit: Super cathedram, *& Clementis VI. quæ incipit*: Dudum a Bonifacio, *quam etiam aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus, ac statutis Apostolicis, privilegiis, indultis, & aliis in contrarium editis nequaquam obstantibus, seu Archiepiscopi, Episcopi, vel Rectoris cujuscumque, aliorumque Prælatorum Cathedralium, & parochialium Ecclesiarum contradictionibus, consuetudinibus, necnon inhibitionibus quomodolibet, non obstantibus quibuscumque. Nos enim decernimus irritum, & inane quidquid in contrarium per quoscumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hanc paginam nostræ confirmationis, communitionis & concessionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum* VIII. *Idus Januarii anno* x.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum provinciæ Hungariæ, secundum morem dicti Ordinis, salutem.

III. *Dum sancta mater Ecclesia proprium dirigit ad filios dilectionis intuitum, in eis, nec mirum, præcipua jucunditate lætatur, qui abjectis mundanis illecebris, præcipuæ devotionis gratia præditi, & ferventioris spiritus ardore succensi, se realiter exhibent, sub Dominico Regularis Observantiæ jugo, aliosque verbo & exemplo constituunt cælestis beatitudinis amatores in orthodoxæ fidei fulcimentum. Talis profecto est vestra sacra Religio, quæ virtutum Domino militatis, & pro qua nos ad ipsius Ecclesiæ regimen, divina dispositione vocati, paterna sollicitudine vigilantes, religionem eamdem sæpe gratiarum dulcedine refovemus, quibus eadem Religio Deo propitio, a noxiis protegatur, salubria incrementa suscipiat, & pacis affluat ubertate. Dudum siquidem accepto per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, quod magna multitudo Cumanorum, Philistæorum, Tartarorum, Patarenorum, & aliarum infidelium, & Schismaticarum nationum de diversis regionibus Paganorum ebullientes, ad regnum Hungariæ descenderant, & quasdam vestras Regiones Provinciæ Hungariæ, quæ secundum Ordinis vestri morem in Hungariam, & alia plurima Regna descenditur, occupaverant, & tunc etiam morabantur ibidem. Ipsi Cumani, Philistæi, Tartari, & Patareni, & aliæ nationes, civitates, & oppida, ac terras aliquas, & Episcopos proprios non habebant, seque pro eorum libito de patria ad patriam dictæ Provinciæ, cum eorum tentoriis, familiis & peculiis transferebant, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Magisterio minime intendebant. Idem prædecessor Spiritu sancto directus ad illuminandum mentes eorum, exterminandumque ab eis falsitates hæreticas, & credentium animos confortandum luce divini luminis, & docta cælitus rectitudine operis, vestris prædecessoribus Ministro, & Fratribus dictæ Provinciæ, qui tunc erant, inter cætera proponendi ipsis Nationibus verbum Dei, & converti ex eis ad unitatem fidei cupientes recipiendi, ac baptizandi, & Ecclesiæ filiis aggregandi, confessiones etiam omnium conversorum & aggregatorum hujusmodi audiendi, eosque a peccatis eorum, de quibus confessi essent, absolvendi in forma Ecclesiæ consueta, & injungendi eisdem pro modo culpæ pœnitentias salutares, eosque etiam excommunicatos absolvendi, & cum eis dispensandi, & nonnulla alia sacrosancta Ecclesiastica & gratiarum munera, prout contineri in Apostolicis privilegiis eorumdem asseritis, conferendi, eisdem concessit auctoritate Apostolica potestatem. Et deinde sicut accepimus, cum quidam tuus prædecessor, fili Minister, hujusmodi auctoritate suf-*

Ex lib. 5. an. 10. fol. 250.

fultus, & privilegiis communitus, nonnullos Fratres Ordinis, & Provinciæ prædictorum ad vagas & tunc efferas quodammodo, & perfidas nationes hujusmodi, ad prædicandum eis Evangelicam veritatem, ac Apostolica, & alia dictæ Sedis salutaria documenta, & alias ad proficiendum in eis, per conversationem honestam, & exemplaris vitæ ministerium, cum favore inclytæ memoriæ Regis Hungariæ, qui tunc erat, destinasset, ipsique Fratres per imbrem cœlestis irrigui nationes easdem redderent cultoribus aptas, multaque messis appareret ibidem, operarii vero pauci, cum plerique ipsarum nationum jam caperent verbum Dei, & messis hujusmodi tractu temporis in fecundam segetem pullularet, idem & alii tui prædecessores Ministri ejusdem Provinciæ nonnullos alios Fratres Provinciæ, & Ordinis prædictorum ad opus tam salutiferum saeccessivis temporibus destinarunt, & sic paulatim proficiendo iidem vestri prædecessores, ac vos adeo in dictis nationibus, prævia Christi gratia, profecistis, aliis etiam Apostolicis privilegiis ac gratiis, & regiis favoribus usi, quod nationes ipsæ jam permagna ex parte ad fidem Catholicam sunt conversæ. Verum sicut nuper ad nos lamentabilis qaærela produxit, hostis antiquus salvandis invidens animabus, ac hujusmodi agro Dominico zizaniam seminans, quosdam locorum Ordinarios, & parochialium Ecclesiarum Rectores contra hujusmodi vestra salutaria opera excitavit, & quibusvis suggerere prætendit, ut cum nasiones prædictæ intra limites regni Hungariæ, ubi copia Prælatorum habetur, habitent, ut præfertur, vobis privilegiorum hujusmodi indulta non competant; transeuntibus, & commorantibus cum eisdem: tum tamen alias ipsos ab erroribus retrahere non possitis, & ad fidem exhortari præfatam, ae etiam conversos ex eis in fide Catholica conservare, ob quam oecasionem iidem Ordinarii, atque Rectores vos, ut præmittitur, eum dictis nationibus transeuntes & commorantes interdum ausu sacrilego capere, detinere, verberibus affici facere, & etiam inhumaniter verberari, aliasque vexare, ac in hujusmodi sancto ministerio multipliciter impedire præsumunt; nonnulli etiam Ordinarii, & Rectores hujusmodi, quandoque corpora defunctorum, qui dum agerent in humanis, apud vestra loca elegerant sepeliri, ad Ecclesias, de quarum parochiis assumuntur, contra antiquam consuetudinem procurant & faciunt ex radice cupiditatis per commotiones & strepitus de facto deferri; quod si aliqua hujusmodi corpora hominum apud loca præfata propriam sepalturam habentium, jadicatorum ad mortem, vel alias interemptorum fuerint, dicti Ordinarii & Rectores eadem corpora deferre ad sepulturam hujusmodi non permittunt, nisi prius eis aliqua summa pecuniæ pro consecrato terragio parochialium Ecclesiarum hujusmodi persolvatur, & nihilominus Ordinarii, & Rectores præfati a vobis de calicibus, crucibus, viaticis, monstrantiis reliquiarum, ampullis, paramentis altariam, & de Sacerdotalibus vestimentis Ecclesiasticis, ac aliis ad divinum cultum spectantibus, vel pro Ecclesiarum vestrarum fabricis, tam per alios, quam etiam eligentes sepulturas hujusmodi, vel eorum intuitu donatis, relictis, vel oblatis Ecclesiis, aut locis vestris, quæ ad decorem & causam ornatas ex more ad hujusmodi funeralia deferuntur, quartam exigant, seu canonicam portionem, & alia vobis impedimenta gravissima inferunt, & inferri procurant, & faciunt contra præmissa privilegia, in grave scandalum, tam vestrum, quam etiam populorum, & enorme fidei Catholicæ detrimentum. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super his de opportunis remediis, ac gratiis & favoribus, prout tanta res eget, dignaremur. Nos itaque vices ejus tenentes in terris, qui expansis in cruce brachiis, quantum in se est omnes homines amplecti desiderat, & neminem vult perire,

ta-

captiones, detentiones, & alias vexationes, ac alia impedimenta præfata penitus inhibentes, ac etiam abhorrentes, ut eo copiosior fructus ex vestris operibus in horrea Salvatoris, & æterna ejus tabernacula inferatur, quo hujusmodi ministeria vestra divinæ majestati aptiora prospicimus, & apud nos pro condignis gratiarum rependiis gratius interpellant, hujusmodi supplicationibus inclinati, Apostolica vobis auctoritate concedimus, quod prædictas nationes in prædicto regno Hungariæ, quocumque transierint, & ubicumque moram fecerint, licite sequi, & eum eis morari, ac in eos indulta vobis Apostolica libere, & absque aliquo impedimento exercere possitis; libere & licite ad sepulturam hujusmodi deferri facere, absque eo quod prius ad dictas parochiales Ecclesias deferantur, & absque aliqua solutione prætextu terragii supradicti. Ceterum vos ad solutionem quartæ, seu canonicæ portionis, de calicibus, crucibus, monstrantiis reliquiarum, uiaticis, ampullis, paramentis altarium, sacerdotalibus indumentis Ecclesiasticis, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, ac pro fabricis Ecclesiarum vestrarum, tam per alios, quam per eas, vel eorum intuitu, quorum funera deferantur tunc ad dictas vestras Ecclesias, seu loca, donata, relicta, vel oblata eisdem Ecclesiis, sive locis, quæ vobis & eisdem locis vestris legitime acquisita ad decorem, vel causa dicti ornatus ex more tunc ad funeralia deferuntur eadem, ut præfertur, decernimus non teneri, constitutionibus, privilegiis, & indultis Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque; & insuper omnia et singula privilegia a Sede Apostolica vobis indulta et concessa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Et nihilominus ut prædicta omnia et singula debitum sortiantur effectum, Venerabiles Fratres nostros Archiepiscopos, et Episcopos dicti Regni Hungariæ, et eorum quemlibet insolidum privilegiorum et indultorum vestrorum conservatores et executores, tenore præsentium deputamus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis, decreti, confirmationis, communicationis, & deputationis infringere &c. si quis autem hoc attentare præsumpserit &c. Incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, XIV. Kalendas Maii anno X.

„ IV. Henricus Castellæ, & Legionis Rex, summopere dolens Or- „ bem Christianum diuturno perniciosoque schismate ingemiscentem, stu- „ dia in contraria discindi, pro sua erga Religionem Catholicam pietate, „ decrevit Legatos ad Romanorum, aliosque Reges, & Principes destina- „ re, ut conjunctis votis, jamtamdem curarent unitatem, & pacem rebus „ reddere Christianis. Inter hos, si non primus, saltem secundus designa- „ tus est frater Ferdinandus de Illescis, olim sui genitoris, & nunc suus „ Confessarius, quod in litteris salvi conductus ita expressit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Ferdinandus Nuncius ad Imperatorem, & Reges.

Henricus Dei gratia Rex Castellæ, & Legionis, universis, & singulis harum seriem inspecturis, salutem, & fidem indubiam præsentibus adhiberi.

„ *Noveritis nos, fideles & dilectos nostros Joannem Episcopum Zamorensem, magnæ nostræ audientiæ Auditorem, fratrem Bernardinum* de* „ *Ordine Minorum, claræ memoriæ genitoris nostri, & nostrum Confessarium* „ *atque Consiliarium, Garciam Ferdinandi militem Camerarium nostrum,* „ *& Alphonsum Rodericum Doctorem legum, dictæ nostræ audientiæ Auditorem, pro sacrosanctæ Matris Ecclesiæ unione procuranda, solemnes Am-* „ *basciatores nostros, & Nuncios speciales ad Romanorum Regem, alios*

* Melius *Ferdinandum.*

„ *Reges, & Principes destinare. Quo circa vos, & vestrum quemlibet attenti, & affectuose rogamus, quod dictos Ambasciatores nostros, quando cum equitaturis, cæterisque rebus suis per Civitates, Villas, loca, castra jurisdictionis vestræ transitum fecerint, sive moram, nostri gratia velitis eos commissos habere, & specialiter commendatos, non patientes, consentientesve, quod quis eisdem, vel suæ comitatui in personis, seu rebus suis impedimentum, molestiam inferant, sive damnum, sed ipsos cum rebus, & equitaturis suis, ire, transire, morari, & redire diu noctuque libere, & pacifice permittatis, eis & eorum cuilibet de salvo, & securo conductu quoties expedierit, & ab eis, vel eorum aliquo fueritis requisiti, nostri gratia vestras litteras concedatis, certi proinde, quod vobis ad gratiarum tenebimur actionem. Datum in Villa de Brioca ultimo die Septembris anno Domini* MCCCXCIX.

Moritur Joannes Eremita. *Anonym. in legen. MSS. Marian. in append. l. 2. Marc. 3. p. lib. 3. c. 10.*

V. Hoc anno, vel circiter, die XXII. Aprilis ad Massacium, Marchiæ Anconitanæ castrum, obiit Joannes Eremicola, tertii Instituti S. Francisci sectator. Hic inter rusticos, patribus hæreticis natus, tamquam e spinis rosa, divina gratia præventus est clementer, ut a consanguineis erudiretur in fide Catholica, & a pueritia divinos experiretur favores. Assidue orationem repetebat dominicam, & ad frequentes preces alios puerulos excitabat. Divinis rebus ita erat addictus, ut de his solis vellet fieri sermonem. Candorem animi, & latentem sub tenello pectore virtutem Deus manifestaturus, voluit ut arescentibus arvis æstivo calore, & deficientibus pastoribus ac pecudibus præ aquarum inopia, Joannes puerulus obducto in terra circulo, & invocato nomine Jesu, venam aquæ abundantissimam sitientibus aperiret. Ad majorem miraculi confirmationem adhuc fons iste emanat, & communi appellatur nomine *fons caprarum beati Joannis*. Adolescentior factus, custodia gregum dimissa, custodiendæ & excolendæ animæ totus incubuit. Ad sanctissimi Patriarchæ Benedicti exemplum secreto specu se abdidit, communicato consilio cum sola genitrice, per ejus preces conversa. Hæc per funem ad tintinabuli tinnitum panem, aquam, & herbas crudas ministrabat: ille vero totum tempus in sacris meditationibus, rigidis pœnitentiis, & diris cum hoste conflictationibus consumebat. Invidebat ei dœmon tantam virtutem, nihilque non excogitavit, ut eum ab hoc vitæ genere deturbaret. Validis tentationibus animum pulsabat, spectra horrenda objiciebat, minis terrebat, & aliquando verbera adjiciebat, sed inconcusso adolescentis animo. Tamdem tot certaminibus victus dœmon confusus recessit, & puerili quadam vindicta projecto lapide tintinabulum fregit. Ita frequenter evenit, ut dœmon majora non valens, ad minora se vertat, & in magnis victus, in parvulis ridiculum se exhibeat congressorem. Damnum hoc exile satis genitrix reparavit, empto altero tintinabulo, quod dum inimicus simili modo contereret, rogavit Joannes ut tertium emeret mater ex sui laboris pretio, dicens fortassis propterea duo priora a dœmone confracta, quia empta fuerunt nummo male acquisito. Non inanem fuisse hanc suspicionem, & genitricis confessio, & campanula laboris mercede comparata, in hunc usque diem integra, comprobarunt. Pendet in architriclinio Fratrum Minorum ad constantem hujus rei memoriam.

Miraculosum aperit fontem.

Secreto specu se addit.

Frequentes ei cũ hoste conflictus.

VI. Mansit in spelunca ista toto tempore, quo genitrix vixit, at illa decedente, dum non esset, qui panem ministraret, oportuit per ædes circuire. Pia conversatione quorumdam religiosorum allectus, habitum assumpsit tertii Ordinis sancti Francisci, sub quo miros adinvenit modos pœnitentiæ. Quo-

Suscipit habitum 3. Ordinis.

Quotidie sacrosanctis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentis animam sanctam recreabat, assidua oratione, & longo jejunio contra dœmonis insidias exercebat, perpetuis lacrymis sibi, aliisque peccatorum veniam implorabat, donec attrito laboribus corpore, ex gravi & diuturna infirmitate, tamdem obdormivit in Domino. Placuit virtutum, quibus fulgebat, auctori ejus sanctitatem manifestare, & obitum annunciare per mirabilem sonitum campanarum Monasterii, sive Abbatiæ Massacii Monachorum Camaldulensium, stupentibus omnibus ad occultum motum & sonitum, nulla humana ope editum, quid hoc portenderet prodigium? Cœperunt interrogare; quibus casu respondit quidam: fortassis eremitam Joannem decessisse, non enim per aliquot dies extra antrum prodivit. Abierunt, qui explorarent, inveneruntque flexis genibus, manibus ad modum orantis ante pectus conjunctis, recto corpore, facie in cœlum elevata firmiter rigentem. His in populum sparsis, omnes in antrum convenere visuri & veneraturi Dei servum; deinde in hymnis, & canticis sanctum corpus, qua potuerunt solemnitate, ad Monasterium duxerunt, ubi ex mirabili sonitu campanarum, judicarunt eum voluisse locum indicare sepulturæ. Cœpit innumeris clarere miraculis, præsensque exhibere omnibus infirmis remedium; qua de causa oppidani suum designarunt apud Deum tutelarem, & festum ejus colunt ritu solemni. Post aliquot annos, supplicante beato Jacobo Piceno, Monasterium prædictum in Minores transtulit Martinus V. & translationem confirmavit Nicolaus V. Anno MCCCCL. qua ratione factum est, ut beati Francisci alumnus, in sancti Patriarchæ sectatorum deveniret potestatem. In eadem Ecclesia, sub altari sanctissimi Crucifixi jacet frater Joannes Minorita, anno MDLIX. die XI. Martii, defunctus signis & miraculis illustris.

Mirabiliter ejus mors indicatur.

Fr. Joan. Massacii sepultus.

VII. Prælatos Ecclesiarum Minoritas hujus anni invenio sequentes: fratrem Joannem Gibiletum in Ecclesia Chomoquen. insulæ ditionis Pontificiæ, per obitum Martyros, V. Kalendas Augusti: fratrem Benedictum Arpinatem in Potentina, in Lucania regni Neapolitani Provincia, sub Archiep. Materano, in locum Stephani, VII. Idus Februar. fratrem Sixtum Coletam de Juvenaccio, in Rubena in Calabria, ejusdem regni Provincia, sub Archiep. Barensi, per obitum Antonii, VI. Idus Januar. fratrem Dominicum de Sora in Marcensi, vulgo sancti Marei in citeriore Calabria, sub Archiep. Cosentino, per obitum Thomæ, III. Kal. Augusti: fratrem Bertholdum Huchi de Rotuila in Senascopulen. per obitum Gotti Episcopi, III. Idus Julii: fratrem Joannem Plicta in Vilnen, in Lithuania, per obitum Andreæ Vazilo Minoritæ, primi illius Ecclesiæ Episcopi, uti superius diximus, VII. Kalendas Aprilis: fratrem Matthiam in Urbevetana, ditionis Pontificiæ, per translationem Nicolai ad Imolen. XIII. Kalendas Octobris. De hoc Antistite Catalogus Urbis veteris, una cum Synodalibus Cardinalis Poli decretis anno MDCXLVII. typis Romæ datus hæc recenset verba; *Frater Matthias de Awedutis Urbevetanus, Ordinis Minorum præclarus Theologiæ Magister, fuit prius Balneoregii Episcopus, & eodem tempore anno* MCCCXCV. *Curiæ Episcopalis Urbis veteris, Sede vacante, Vicarius, omnibus tamen Episcopalibus reditibus sibi attributis, & post aliquot annos ad Episcopatum eumdem, relicto Balneoregiensi, est promotus. Anno* MCCCCIV. *Diæcesanam Synodum celebravit, cujus aliqua adhuc extant fragmenta. Castrum sancti Viti permutationis titulo in Monaldum e Monaldensibus de Cervaria transtulit, quo deinde perventum ad Franciscam Monaldi ex fratre neptem, illud anno* MCCCLXXXVI. *generosa fœmina Urbevetanæ Civitati reliquit. Eodem anno, cum Monasterium sancti Laurentii inter vi-*

Fr. Joan. Episcop. Chomoquen.

Fr. Bened. Potentin.

Fr. Sixtus Ruben.

Fr. Dominic. Marcen.

Fr. Berthol. Senascopulen.

Fr. Joan. Vilnen.

Ann. 1386.

Fr. Matthias Urbevetan.

ADDITIO ALIORUM.

„ *vineat ad omnes periculorum casus, bellis præsertim sævientibus, esset* „ *objectum, Matthiæ opera Moniales sunt intra Claustra Civitatis revocatæ, illudque postea anno* MCCCCXXXVI. *Monasterio sancti Laurentii est* „ *unitum. Anno autem* MCCCCIX. *Matthias Cælestem repetiit Patriam*, „

Fr. Georg. . . . .

Hoc anno fratrem Georgium Doglionem Bellunensem, Minoritam, Episcopum . . . . . . & Suffraganeum Brixinensis dedisse Conventui sancti Petri Ordinis Minorum urbis Belluni, caput sanctæ Aldegondæ Virginis, refert Georgius Pilonus in historia Bellunensi. Hoc etiam anno duos floruisse Episcopos Venetos Minoritas, scribit Rodulphus, Joannem Lucianum Episcopum Burguduensem, & Benignum Episcopum Cenadiensem, qui Venetiis extruxit magna ex parte turrim campanariam Ecclesiæ Cathedralis. Episcopum fuisse Casandren. fratrem Franciscum Angelum Viterbiensem, habeo ex monumentis Ecclesiæ sancti Francisci Fabriani, & Indulgentiis concessis capellæ sanctæ Mariæ in Trivio.

Pilon. in histor. Bellun. ad ann. 1399.
Rodul. fol. 233.
Fr. Joan. Burguduen.
Fr. Benign. Cenadien.
Fr. Francisc. Casandren.

Capitulum generale Assisii 68.

In eo suum opus producit Fr. Bartholomæus Pisanus.

VIII. Celebratum est hoc anno Capitulum generale, non in Conventu Monachiensi Custodiæ Bavariæ, uti scribunt Marianus & Marcus, sed Assisii in Umbria, uti cum aliis verius affirmat Rodulphus. In eo decretum est, ut festum celebraretur sancti Joseph sponsi illibati Virginis intemeratæ Mariæ, sub officio confessoris novem lectionum. In his etiam Comitiis produxit opus suum de conformitatibus frater Bartholomæus Pisanus, in quo, magno labore, multis undique collectis argumentis, voluit ostendere, sanctum Franciscum per universum vitæ curriculum Christo nostro Redemptori fuisse conformem. Multa sane utilia, & quæ lucem nostris attulere Historicis bona fide congessit, rudi tamen stylo, & confuso rerum, ac temporum ordine; suo tamen instituto accommodo. Non omnia omnes, maxime critici, & delicatuli ingenii viri, probant; eo tamen candore & sinceritate ille scripsit, ut injurius sit, qui quidpiam ab eo commentum, aut effictum esse submurmuret. Probarunt librum Patres in Comitiis congregati, quibus examinandum & discutiendum ille commisit, uti ex ipsius epistola, & altera Ministri Generalis, reliquorumque virorum istius consessus operi præmissis apparet. Illis gratum fuisse opus, ingenti & singulari in eum collato dono, testificati sunt; ultra enim immensas gratias, quas litteris & verbis reddiderunt, Minister Generalis ex totius Capituli assensu, dedit ei habitum integrum, quo utebatur sanctus Franciscus: dignum quippe judicarunt, ut qui qualis fuerit Franciscus exacte descripsit, Francisci exuviis donaretur. Ita certe piis muneribus, vel religiosis honoribus, aut æquis subsidiis excitari oporteret varia, & nobilia Ordinis ingenia, ad honorificos subeundos labores quibus summopere illustrari posset religio; calcaria namque addit virtuti spes præmii, & nullus est quantumvis humilis, quem a labore non retrahat ingratitudo. Porro Bartholomæus reverenter & gratanter donum admisit, quo majus saltem sibi mage carum dari non posse judicavit, illudque Pisas asportavit, ubi pretiosa theca ingenti populi applausu reconditum in hanc diem magna servatur veneratione. Marianus, & ex eo Marcus Ulyssipponensis volunt hunc librum exhibitum in Comitiis celebratis anno MCCCXC. sed errasse circa ista, & locum Capituli, sub eo anno admonuimus, & vere non nisi hoc anno auctor hoc opus in medium produxit.

Excitanda præmiis Ordinis ingenia.

Marian. cit. c. 4. Marc. 1. p. lib. 1. c. 8.

Quando obierit Pisan.

IX. Virtutibus & miraculis illustris paucos post annos obiit Pisis, in senectute bona, circa annum MCCCCI. uti scribit Marianus; neque enim ultra hoc tempus ejus vita protrahenda videtur. Quippe qui anno MCCCXLVII. erat insignis concionator, & scripsit, uti alias diximus, vitam beati Gerardi. Quare corrigendum venit illud ejusdem epitaphium, quod dicunt incisum mar-

Tom. 7. an. 1343. n. 11.

marmoreo ſepulcro ad cornu Evangelii,ad aram majorem, ubi obiiſſe dicitur anno MCCCCLI. die X. Decembris & ſubſtituendum anno MCCCCI. Aliter vixiſſe oportuit ultra annos centum & triginta. Filius fuit Domini Albici de Rivonico, & in adoleſcentia Minoribus nomen dedit. Virtutis & doctrinæ ſtudiis ſolerter ſe exercuit, & tantam inter ſuos Conſodales conſecutus eſt opinionem, ut ad docendos alios evocatus ſit Bononiam, Patavium, Piſas, Senas, & Florentiam, quibus in locis ſacram Theologiam ſumma cum laude profeſſus eſt. Non minorem aſſecutus eſt famam in ſacris declamationibus, quibus ab anno MCCCXLII. uſque ad vitæ terminum per annos ſexaginta potenti virtute plurimos ad Chriſti fidem, & meliorem frugem convertit. Tanta fide paupertatem voto firmatam ſervabat, ut nec in ſcribendis concionibus aliiſve opellis deperiri chartam vellet, & proinde magna ex parte ſcribebat in pugillaribus, ſeu tabella, aut membrana delebili, ut prioribus, quibus jam uſus erat, eraſis, nova poſſet inducere. Cum Piſis apud ſuos Conſodales nobile tablinum, quod vulgo vocant, clauſtrum, conſtrueretur ſumptuoſiori opere, quam quod pauperes deceat, domum implebat querelis, & vociferans dicebat: *Heu ſancta paupertas ita nos dereliquiſti! quo receſſiſti a nobis, ut te perſequari? ſtructura iſta a tuis regulis longe recedit. Qui prævaricantur abs te in ſuam moliuntur perniciem.* Hæc toties repetiit, tantumque egit apud ſuperiores, ut oportuerit opus intermitti. Unica tunica rudi, brevi & panniculoſa uſus, abſque ſandaliis incedebat, etiam in peregrinationibus, quas ſingulis annis ſuſcipiebat, Aſſiſii ſalutaturus limina ſancti Franciſci, & in monte Alvernæ locum quo Chriſti Stigmatibus fuerat inſignitus.

Ejus doctrina.

Paupertatis ſtudium.

X. Tantam aſſecutus eſt ſanctitatis opinionem, ut in oppidis, & urbibus per quæ tranſibat, Florentiæ præſertim, turmatim ad eum concurrerent, perſonam veneraturi, & veſtem oſculaturi. Multa vivens patravit miracula, quorum aliqua ipſe ſcripſit in vita beati Gerardi, de qua nos alias egimus; omnia tamen tribuens meritis ſancti Ludovici, aut reliquiis beati Gerardi, quas infirmis applicabat. Anno MCCCXLIII. in villa Vallis Arni, ad ſanctam Mariam de Trivio prope Piſas,mulierem Maſſeam nuncupatam, annum unum & menſes octo a diabolo poſſeſſam ſanavit, miſſa Piſis per maritum ſchedula cum reliquiis beati Gerardi. Earumdem contactu viginti & amplius demoniacos in ipſa civitate Piſarum curavit, atque inter hos fœminam Dianam appellatam, annis triginta obſeſſam, quæ pecudum more per agros & montes divagabatur. Puerulum quinquennem Auguſtinum, textoris filium, in platea ſancti Franciſci Piſarum utroque oculo orbatum, capiti impoſita charta, piis aliquot precibus ſignata, perfecto viſu donavit; atque his ſimilia alia multa operatus eſt miracula. Multa & varia opera ſcripſit a me in ſcriptorum catalogo numeranda; & tamdem plenus dierum ferme centenarius obdormivit in Domino. Corpus, ob populi concurſum per dies aliquot ſepeliri non potuit, furtim ſublatum humatum eſt ſub lapide marmoreo prope, & ante altare beati Gerardi, quem ſummo coluit affectu.

Virtus & ſanctitas.

Tom. 7. an. 1341. n. 19.

XI. Librum conformitatum ſancti Franciſci cum Chriſto ab hoc auctore compoſitum, toto hoc noſtro opere paſſim citamus, in quo præcipua geſta priſcorum noſtrorum patrum, maxime quæ ad pietatem ſpectant, conglomeravit, atque inter reliqua recenſuit ſeriem Provinciarum, & numerum Cœnobiorum, quæ uſque ad hunc annum, quo opus abſolvit, vel Comitiorum patribus obtulit, extabant. Ex his, quæ ſuis conſtabant temporibus, aut aliunde oblata occaſione huc corrivare potuimus, nullum omiſimus: multa tamen adhuc ſuperſunt, quorum nulla incidit mentio, neque ullam potuimus arripere anſam, ut de iis tractaremus. Nunc hoc loco præfigemus cata-

catalogum ipsum Pisani, & per singulas Provincias discurrentes, brevi compendio sub his duobus annis, omnes, quos hucusque omisimus, describemus Conventus. In hoc anno præmittemus familiæ Cismontanæ, in sequenti Ultramontanæ Provincias, deinde Vicariatus, ne ad lectoris fastidium omnia simul congeramus. Est tamen adeo corrupta illa nomenclatura Conventuum, ut multis in locis divinare oporteat. Ut in densis tenebris minus errarem, & inter spuria, vitiataque nomina non plane cæcutirem, opi fuerunt duo codices MSS. unus bibliothecæ Aracælitanæ, pulchro charactere in charta pergamena exaratus, anno MCCCCXVIII. pancis annis post mortem auctoris, opera fratris Marci Trivisani Ministri Provinciæ Romanæ; alter Bibliothecæ Vaticanæ inscriptus: *Polychronicon*, in quo eadem Conventuum series habetur, mutato tamen aliquantulum ordine Provinciarum, nec non Petrus Rodulphus, & Franciscus Gonzaga in notitiis, quas exhibent Conventuum. Hic nos apponemus catalogum Pisani excusum, quem habemus præ manibus, & utroque latere utriusque codicis MSS. lectiones, ut ex eis veriora percipiantur nomina, ubi vero omnium communis fuerit error, vel ex Rodulpho, vel ex Gonzaga, aut aliunde, ubi constiterit, in margine corrigemus. Aliquorum autem Cœnobiorum, quæ apud Pisanum non habentur, notitiam ministravimus ex probatis monumentis; aliqua enim illius subterfugerunt notitiam, uti ipse fatetur in fine catalogi. Notandum autem, non omnia domicilia eodem nomine Conventuum, aut Cœnobiorum intelligi apud Patres Conventuales, ad quos ferme omnia hæc spectant; quæ enim majora sunt, & justi numeri Fratrum capacia, vocant *Conventus*; quæ humiliora, & unum alterumve habitatorem habent, *loca* appellant, juxta antiquum, & apud Pisanum receptum modum loquendi. Nos de omnibus sub uno *Cœnobii* nomine differemus.

NOMINA OMNIUM COENOBIORUM *familiæ Cismontanæ quæ hoc tempore extabant exscripta ex tribus Codicibus.*

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

PROVINCIA SANCTI FRANCISCI

Habet loca octoginta divisa per novem Custodias.

Custodia Assisii habet novem loca, scilicet.

S. Francisci de Assisio.	De Assisio.	De Assisio.
Portiunculæ.	Locum sanctæ Mariæ de Portiuncula, sive de Angelis.	S. Mariæ de Portiuncula, sive de Angelis.
Sanctæ Claræ.	Sanctæ Claræ.	Sanctæ Claræ.
Sancti Damiani.	Sancti Damiani.	Sancti Damiani.
Carceris in monte.	De Carceribus.	De Carceribus.
Spelli.	De Spello.	De Spello.
Bictomii.	De Vectonio.	De Bethonio.
Insulæ.	De Insula.	De Insula.
Rochecioiæ.	De Rochiciola.	De Rochiciola.

Custo-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Perusii habet.	
Perusium.	De Perusio.	De Perusio.
Montis.	De Monte in Perusio.	De Monte in Perusio.
	De Agello.	De Agello.
Luctolum.	De Libotello.	De Aboctolo.
Dirutum.	De Diruta.	De Deruta.
Marsiani.	De Marciana.	De Martiana.
Agellum Corciani.	De Corciano.	De Corciano.
Prægium.	De Prægio.	De Prægio.
Farnetæ.	De Ferneto.	De Farneto.
Curatellæ.	De Civitella.	De Cunctella.
Mons-Jovis.	Montis-Jovis.	Montis-Jovis.
Insulam Laci.	De Insula Laci.	De Insula Laci.
	Perusini.	Perusini.
	Montis Lucidi.	Montis Lucidi.
	S. Mariæ de Angelis.	S. Mariæ de Angelis.
	Custodia Castelli habet.	
Castellum.	De Castello.	De Castallo.
Burgum.	De Burgo S. Sepulcri.	De Burgo S. Sepulcri.
Fractam.	De Fracta.	De Fracta.
Montonium.	Montonæo.	De Montoneo.
Barolum.	Cerbaroli.	Acerbaroli.
Cytnam.	De Citerna.	De Cisterna.
	Custodia Tudertina habet.	
Tudertum.	De Tuderto.	De Tuderto.
Ameliam.	De Amelia.	De Amelia.
Asquaspartam.	De Aqua Sparta.	De Aqua Sparta.
Hemitam.	De Eremita.	De Heremita.
S. Illinatam.	De S. Illuminata.	De S. Illuminata.
Moncionem.	De Montajone.	De Montinone.
Pantanell.	De Pantanellis.	De Patanellis.
Lugnanum.	De Lognano.	De Longniano.
Mualles.	De Canali.	De Canali.
	Custodia Eugubina habet.	
Eugubinum.	De Eugubio.	De Eugubio.
Gualdum.	De Gualdo.	De Gualdo.
Nicerium.	De Nuceria.	De Nucerio.
Capnonum.	De Capricornio.	De Capricornio.
Collestaciarium.	De Collestacialio.	De Collostaviolo.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Narnien. habet.

Narniam.	De Narnia.	De Narnio.
Interamnem.	De Interamnis.	De Intianne.
S. Geminum.	S. Gemini.	S. Gemini.
Pedis Lutum.	Pedis Luci.	Pedis Luci.
Strunconem Curicum.	Stranconii.	Stranconii.
	De Carbio.	De Carbio.
Aronem.	De Arrone.	De Arione.

Custodia Vallis Spoletanæ habet.

De Fulgineo.	De Fulgineo.	De Fulgineo.
De Spoleto.	De Spoleto.	De Spoleto.
De Trevio.	De Trevio.	De Trevio.
Jani.	Jani.	Jani.
De Pistoia.	De Pistia.	De Piscia.
Montis Falconis.	Montis Falconis.	Montis Falconis.
Mevanii.	Mevanii.	Menanii.
	De Monte Luco prope Spoletum.	De Monte Luco prope Spoletum.

Custodia Montanorum habet.

Nursiam.	De Nursia.	De Nursia.
Cassiam.	Cassiæ.	Cassiæ.
Vissum.	De Jusso.	De Jusso.
Montem S. Martini.	Montis S. Martini.	Montis S. Martini.
Ceretum.	Cerreti.	Cereti.
Vallem.	Vallis.	Vallis.
	Hospitalis.	Hospitalis.
	Occosii.	Occusii.
	S. Mariæ Magdalenæ.	S. Mariæ Magdalenæ.

Custodia Regni habet.

	Montis Regalis.	Montis Regalis.
Goissam.	Leonissæ.	Leonisse.
Lapostam.	Lapostæ.	Laposte.
Montem Leonem.	Montis Leonis.	Montis Leonis.
Arquatam.	Arquati.	Arquati.
	Matricis.	Matricis.
Monticell.	De Monticellis.	De Monticellis.
Accumulum.	Accumuli.	Accumuli.
	Civitatis Regalis.	Civitatis Regalis.

FRO-

Anno Christi 1399.	Bonifacii IX. anno 10.	Wenceslai Imp. anno 21. & 22.	Religionis Minorum anno 192.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

PROVINCIA MARCHIÆ.

Habet septem Custodias.

Custodia Esculina habet.

De Esculo.	De Esculo.	De Esculo.
	De Pignano.	De Pigiano.
De Vena Rupta.	De Vena Rupta.	De Venarupta.
Sanctæ Victoriæ.	Sanctæ Victoriæ.	Sanctæ Victoriæ.
Polegii.	Pulegii.	Pullegii.
Montis Alti.	Montis Alti.	Montis Alti.
Castellionis.	Castilionis.	Castilionis.
Ripatirinsonis.	Ripe Transonis.	Ripe Transonis.
Montis Falconis.	Montis Falconis.	Montis Falconis.
De Osida.	De Offida.	De Offida.
De Monte Florum.	De Monte Florum.	De Monte Florum.
De Aqua Viva.	De Apia Viva.	De Aqua Viva.
Furchæ.	De Furce.	De Furce.
Cosiman.	De Corsignano.	De Cassignano.

Custodia Camerini habet.

De Camarino.	De Camerino.	De Camerino.
De Tolentino.	De Tolentino.	De Tolentino.
	De sancto Severino.	De sancto Severino.
De Monte Sancto.	De Monte Sancto.	De Monte Sancto.
Civitatis Novæ.	Civitatis Novæ.	Civitatis Nove.
De Macerata.	De Macerata.	De Macerata.
Montis Luponis.	Montis Luponis.	Montis Luponis.
De Trabe.	De Trabe Bonantis.	De Trabe Bonantis.
De Serra.	De Serra.	De Serra.
De Mirro.	De Murro.	De Murro.
Ploraci.	Plorati.	Plorati.
Montis Milonis.	Montis Milonis.	Montis Milonis.

Custodia Anconitana habet.

	De Ancona novum.	De Ancona novum.
Forani.	Forani.	Forani.
De Auximo.	De Auximo.	De Osino.
De Rachaneto.	De Rachaneto.	De Racaneta.
De Cragulo.	De Cingulo.	De Angulo.
	Locũ secundũ in Forano.	Locũ secundũ in Forano.
De Monticulo.	De Monticulo.	De Monticulo.
De Tornosano.	De Tornosano.	De Torsia Sano.
Castri Mylii.	Castri Milii.	Castri Milii.
De Camiurta.	De Camorano.	De Camorano.
Castri Sicardi.	Castri Ficardi.	Castri Ficardi.
Aruli.	Siroli.	Syroli.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Esina habet.	
De Esio.	De Esio.	De Esio.
De Pura.	De Pira.	De Pira.
De Matelica.	De Matellica.	De Mathelica.
Serreri.	De Serra S. Quirici.	De Serra S. Quirici.
Sancti Quirici.		
De Rocha.	De Rocha.	De Rocha.
De Sera Comitum.	De Sera Comitum.	De Serra Comitum.
De Saxoferrato.	De Saxoferrato.	De Saxo Ferrato.
De Stasulo.	De Stabulo.	De Stabulo.
Montis Novi.	Montis Novi.	Montis Novi.
De Senogallia.	De Senegallia.	De Senegalia.
De Fabiano.	De Fabriano.	De Fabriano.
De Monte Bodio.	De Monte Albedinis.	De Monte Albedinum.
	Custodia Firmana habet.	
De Firman.	De Firmo.	De Firmo.
De Lauro.	De Lauro.	De Lauro.
Sancti Genesii.	Sancti Genesii.	Sancti Genisii.
Mollian.	Molliani.	Moliani.
De Rezabalumbi.	De Cessa Colimbo.	De Cessa Columbo.
	De Monte Cubano.	De Monte Cubano.
De Falerno.	De Fallerono.	De Falerano.
Brumforicii.	Brufortii.	Brufortii.
De Monte Ulmi.	De Monte Ulmi.	De Montulim.
Montis Granarii.	Montis Granarii.	Montis Granarii.
Montis Actionis.	Montis Actonis.	Montis Actionis.
Sancti Elpidii.	Sancti Elpidii.	Sancti Elpidii.
	Montis sanctæ Mariæ.	Montis sanctæ Mariæ.
Montis sancti Petri.	Montis sancti Petri.	Montis sancti Petri.
De Massa.	De Massa.	De Massa.
De Amandula.	De Amandula.	De Amandula.
Sancti Angeli.	Sancti Angeli.	Sancti Angeli.
De Penna.	De Penna S. Joannis.	De Penna sancti Joannis.
Sancti Joannis.		
	Custodia Fanensis habet.	
De Fano.	De Fano.	De Fano.
Montis Avium.	Montis Avium.	Montis Avium.
Forosinphonii.	Forisempronii.	Fori Simphonii.
Pensauri.	Pisauri.	Pensauri.
Sanctæ Victoriæ.	Sanctæ Victoriæ.	Sanctæ Victoriæ.
De Pergula.	De Pergula.	De Pergula.
De Cormalto.	De Corinalto.	De Corinalto.
De Saltaria.	De Saltaria.	De Saltaria.
De Monte Scotaneto.	De Scotoneto.	De Scotoneto.
Montis Fosimi.	Montis Forimisini.	Montis Formosini.

Cu-

Anno Christi 1399.	Bonifacii IX. anno 10.	Wenceslai Imp. anno 21. & 22.	Religionis Minorum anno 192.

Codex MSS. Vaticanus. Codex Impressus. Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Feretrana habet.

De Urbino.	De Urbino.	De Urbino.
Saxi Corbarii.	Saxicorbarii.	Saxi Corbarii.
Sagiola.	De Frigiola.	De Fugiola.
Montis Florentini.	Montis Florentini.	Montis Florentini.
Sancti Marini.	Pennæ S. Martini.	Penne sancti Martini.
Leonan.	Leonani.	Leoni.
Durati.	Duranti.	Duranti.
Mercatelli.	Mercatelli.	Marcatelli.
Sancti Angeli in Vado.	S. Angeli in Vado.	S. Angeli in Vado.
Sancti Leonis.	Sancti Leonis.	Sancti Leonis.
Calvi.	Calvii.	Calivi.

PROVINCIA ROMANA

Habet septem Custodias.

Custodia Romana habet.

S. Mariæ de Capitolio.	Locum S. Mariæ de Aracœli.	S. Mariæ de Aracœli.
	S. Francisci Transtiberim.	S. Francisci Transtiberim.
De Sutrio.	De Sutrio.	De Sutrio.
Campagniæ.	Campagnani.	Campagnani.
Castellaniæ.	Civitatis Castellanæ.	Civitatis Castellanæ.
	Montis Compatrum.	Montis Compatrum.

Custodia Viterbiensis habet.

De Viterbio.	De Viterbio.	De Viterbio.
Tuscanella.	De Tuscanella.	De Tuscanella.
De Coneto.	De Cornero.	
Montis Alti.	Montis Alti.	De Montis Alti.
De Monte Flascone.	De Monte Flascone.	De Monte Flascone.
Ortan.	Civitatis Ortensis.	Civitatis Ortensis.

Custodia Urbevetana habet.

Urbisveteris.	De Urbeveteri.	De Urbe veteri.
De Balneo Regio.	De Balneo Regio.	De Balneo Regio.
De Ulcino.	De Bolsena.	De Balsena.
De Aqua Pendente.	De Aqua Pendente.	De Aqua Pendente.
De Piceno.	De Proceno.	De Proceno.
Piciliani.	Pitiliani.	Pitiliani.

Cu-

ANNO CHRISTI 1399.	BONIFACII IX. ANNO 10.	WENCESLAI IMP. ANNO 21. & 22.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 192.

Custodia Reatina habet.

CODEX MSS. VATICANUS.	CODEX IMPRESSUS.	CODEX MSS. ARACOELITANUS.
Reate.	De Reate.	De Reate.
Fontis Columbæ.	Fontis Columbæ.	Montis Columbæ.
	Civitatis Ducalis.	Civitatis Ducalis.
Longone.	Longoni.	Longoni.
Vall introduc.	Vallis.	Vallis.
Arch Sinibaldi.	Arcis Sinibaldi.	Circi Symbaldi.
Græci.	De Græcio.	De Gregrio.
Podii Vastonis.	Podii Busconii.	Podii Busconii.
Taram.	Taranii.	Tarani.
Malleani.	Maliani.	Maliani.
Montis Leonis.	Montis Leonis.	
Sancti Alexandri.	Sancti Alexandri.	
S.Jacobi de Radicania.	Sancti Jacobi.	Sancti Jacobi.

Custodia Tiburtina habet.

Tiburis.	De Tibure.	De Tibure.
Rubiam.	Ruviani.	Rimani.
	De Cœllis.	De Cellis.
	Sufflagii.	De Sufflagio.
Vicovarii.	Vicovarii.	Viconarii.
Civitatellæ sub Laci Cellarum.	Civitellæ.	Civitelle.

Custodia Maritima habet.

Tracenæ.	De Terracina.	De Fracina.
Pipnæ.	Piperni.	Piperni.
Bcciæ.	Secciæ.	Seccie.
Ilymphæ.	Nimphæ.	Rimphe.
Albani.	Albani.	Albani.
Notom.	Netruni.	Neptrini. *
Veletren.	Velletri.	Velletri.

* Nepesini.

Custodia Campaniæ habet.

Agnaviæ.	Anagniæ.	Anagmine.
Vallis Montonis.	Vallis Montonis.	Vallis Montonis.
Alatri.	Alatri.	Alatri.
Florentini.	De Ferentino.	De Ferentino.
Pylei.	De Pillo.	De Pilio.
	Segaroli.	Segaroli.
	Somnini.	Somni.

PRO-

Anno Christi 1399.	Bonifacii IX. anno 10.	Wenceslai Imp. anno 21. & 22.	Religionis Minorum anno 192.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

PROVINCIA TUSCIÆ,

Habet Custodias septem.

Custodia Pisana habet.

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
Desunt hæc in Codice Vaticano.	De Pisis.	De Pisis.
	De Vico Pisano.	De Vico Pisano.
	Sancti Martini.	Sancti Martini.
	Sarazanæ.	Sarraçane.
	Pontremuli.	Pontremoli.

Custodia Lucana habet

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
(Desunt hæc in Codice Vaticano.)	De Luca.	De Luca.
	De Piscia.	De Piscia.
	De Ficeclo.	De Fice.
	Sancti Miniatis.	Sancti Mimatis.
	Pistorii.	Pistorii.

Custodia Florentina habet.

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
Florentiam.	De Florentia.	De Florentia.
	De Carmignagno.	
Pratum Frigaum.	De Prato.	De Prato.
	Castri Florentini.	Castri Florentini.
Burgum S. Laurentii.	Burgi S. Laurentii.	Burgi S. Laurentii.
Locum Nemoris.	De Nemore.	De Nemore.
	De Fichino.	De Fighino.
Barbarinum.	De Barberino.	De Barberino.

Custodia Senensis habet.

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
Senas.	De Senis.	De Senis.
Sanctum Geminianum.	De S. Geminiano.	De S. Germano.
Collem Podium.	De Colle.	De Colle.
	De Wlterris.	De Wlterris.
Bonici.	De Podio Bonici.	De Podio.
Ascian.	De Asciano.	De Asciano.

Custodia Aretina habet.

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
Aretium.	De Aretio.	De Aretio.
	Sacri Montis Alvernæ.	Sacri Montis Alverne.
Pucoii.	De Puppio.	De Puppio.
Gaggareti.	De Gangareto.	De Guargueretro.
	De Monte Varchi.	De Monte Varchi.
Listignan.	De Lucignano.	De Lucignano.
Castillionem.	De Castillione.	De Castillione.
Cortonam.	De Cortonio.	De Cortonio.

Cu-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Clusina habet.	
Elusium montem.	De Clusio.	De Clusio.
Castrum Plebis.	De Castro Plebis.	De Castro Plebis.
Scetonæ.	De Scetona.	De Scetona.
Sartianum.	De Sartiano.	De Sartiano.
Radicofano.	De Radicofano.	De Radicofano.
Plantu.	De Plano.	De Plano.
Sancti Processi.	De sancto Processo.	De sancto Processo.
Columbarii.	De Columbaria.	De Columbaria.
Montis Alcui.	Montis Ilcini.	Montis Ylenii.
	De Monte Policiano.	
	Custodia Maritima habet.	
Massan.	De Massa.	De Massa.
Plumbin.	De Plumbino.	De Plumbino.
Gresetum.	De Grosseto.	De Grosseto.
Castillionis.	De Castellione.	De Castillione.
Suveretum.	De Suvereto.	De Sonereto.
	De Monteno.	De Monteleone.

PROVINCIA BONONIÆ

Habet quinque Custodias.

	Custodia Bononiæ habet.	
	Bononiæ.	De Bononia.
Sancti Francisci prope Bononiam.	Sancti Francisci cum Monasterio.	Sancti Francisci cum Monasterio.
Dnmini Pacis.	Domini Pacis.	Domini Pacis.
	Sancti Pauli in Monte.	
Vernavæ.	Uragnanæ.	Uragnane.
Plavorii.	Planorii.	Plonorii.
Sancti Joannis.	Sancti Joannis.	Sancti Joannis.
Cnnfortini.	Confortini.	Confortini.
Crispellani.	Grespolani.	Crespolani.
Argelatæ.	Argelatæ.	Argellate.
Ricardinæ.	Ricardinæ.	Ricardine.
Caldarariæ.	Calderariæ.	Calderarie.
	S. Mariæ in Monte.	
	Custodia Ferrariæ habet.	
Ferrariæ.	De Ferraria.	De Ferraria.
Mutinæ.	De Mutina.	De Mutina.
	De Fanano.	De Favono.
Carpi.	De Carpo.	De Carpo.
	Mirandulæ.	De Admirandole.
Regii.	De Regio.	De Regio.
Montis Falconis.	Montis Falconis.	Montis Falconis.

Cu-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Parmæ habet.

Parmam.	De Parma.	De Parma.
Cremonæ.	De Cremona.	De Cremona.
Burgum S. Domini.	Burgii S. Domini.	Burgi S. Domini.
Placentiæ.	De Placentia.	De Placentia.
Bobii.	De Bobio.	De Bobio.
	Casalis Majoris.	Casalis Majoris.

Custodia Ravennæ Ferrati.

Ravennæ.	Ravennæ.	Ravennæ.
Ymolæ.	De Imola.	De Ymola.
Paventiæ.	De Faventia.	De Faventia.
	Cerviæ.	Cervie.
Montis Regis.	Montis Regis.	Montis Regis.
Gausignani.	Tossignani.	Torignani.
Luci.	De Lugo.	De Lugo.
Banacavalli.	De Bagnacavallo.	De Bagnaccivallo.

Custodia Forlivoli habet.

Forlivium.	De Forolivio:	De Forluvo.
Arimini.	Arimini.	Arimini.
Cæsenæ.	Cesenæ.	Cesene.
Sancti Angeli.	Sancti Archangeli.	Sancti Archangeli.
Umaldulæ.	Medulæ.	Medulle.
Lomani.	Longiani.	Longiani.
Sanctam Agatham.	Sanctæ Agathæ.	Sanctæ Agathæ.
Verucli.	Duo in Veruculo.	Duo in Vernechio.
Fractæ.	Fractæ.	Fracte.
Bertenonii.	Bartinorii.	Bertonarii.
Castrocarum.	Castrocarii.	Castrocari.

PROVINCIA S. ANTONII

Habet Custodias quatuor.

Custodia Paduana habet.

Padua.	De Padua.	De Padua.
Vincentia.	De Vincentia.	De Vincentia.
Montemcilicem.	Montis Silicis.	Montis Cilicis.
Estensem.	Estensem.	Extensem.
Lendenariam.	Lendenariæ.	Lendenarie.
Rodigium.	Rodigii.	Rodigii.
Plebem Sacci.	Plebis Sacci.	Plebis sacri.
Bassian.	Basciani.	Basciani.
Corcarodulum.	Quartaroli.	Quartaroli.
Brivolentam.	Begulentæ.	Begulente.

Anno Christi 1399.	Bonifacii IX. anno 10.	Wenceslai Imp. anno 21. & 22.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Montignanæ.	Montignani.
	Sancti Petri de Viminaro.	Sancti Petri de Vimirano.
	Sanctæ Ursulæ.	Sanctæ Ursulæ.
	Galzignani.	Galcignani.

Custodia Venetiarum habet.

Venetiarum sanct. Duo sanctus Franciscus in Vinea & in Insula.	De Venetiis.	De Venetiis.
	Sancti Nicolai.	Sancti Nicolai.
	S. Francisc. de Vinea.	
	S. Franc. de Contrata.	S. Franc. de Contrata.
Trevisum.	De Trivisio.	De Trivisio.
Coneglan.	De Coneglano.	De Corneclavo.
Clusiam.	De Clagia.	De Clugia.
Civitatem Bellum.	Civitatis Belluni.	Civitatis Bellinii.
	De Feltro.	De Feltro.
	Seravallis.	Seravallis.
Assillum.	Assilii.	Assilii.

Custodia Forijulii habet.

Utinum.	De Utino.	De Utino.
Portum Gruarii.	Portus Gruarii.	Portus Guarii.
Civitatem Austæ.	Civitatis Austriæ.	Civitatis Austriæ.
Cremonam.	De Glemona.	De Glemona.
Castellum.	Castelli.	Castelli.
	Villæ Altæ.	Villæ Alte.
Fleancum.	Fulcinicii.	Falcuntii.
Curiciam.	Goritiæ.	Goricie.

Custodia Veronensis habet.

Veronam.	Veronæ.	De Verona.
Mantuam.	Mantuæ.	Mantuæ.
Trident.	Tridenti.	Tridenti.
Ripam.	De Ripa.	De Ripa.
Coloniam.	Coloniæ.	Colonie.

PROVINCIA MEDIOLANI

Habet Custodias quinque.

Custodia Mediolani habet.

Mediolanum.	De Mediolano.	De Mediolano.
Laudæ.	De Laude.	De Laude.
Pocolum.	De Puteolo.	De Poccolo.
Galaratæ.	Galaratæ.	Gallerate.
Saran.	Sorani.	Sorani.

Cu-

Anno Christi 1399.	Bonifacii IX. anno 10.	Wenceslai Imp. anno 21. & 22.	Religionis Minorum anno 192.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Modoetiæ habet.	
Modorciam:	De Modoetia.	De Modoctia.
Opprenum.	Oppreni.	Oppreni.
Viconicatum.	Vicomercati.	Vicemercati.
Caturium.	De Cantuario.	De Cantu.
Decium.	Desii.	Decii.
Marman.	Margliani.	Morgliani.
	Custodia Brixiensis habet.	
Brixiam.	Brixiæ.	De Brixia.
Pergamum.	De Pergamo.	De Pergamo.
	De Iseo.	Ce Ysco.
Gragan.	De Gregnano.	De Gregano.
Vallentamonicam.	Vallis Camonicæ.	Vallis Canomice.
	De Crema.	De Crema.
	Custodia Cumana habet.	
Cumas.	De Cumis.	De Cumis.
Varisium.	Varisii.	Varisii.
Lugan.	Lugani.	Lugnani.
Locuran.	Lucarni.	Lucororani.
	Custodia Vercellen. habet.	
Vercellas.	De Vercellis.	De Vercellis.
Novariam.	Novariæ.	Navariæ.
Yporegiam.	Iporegæ.	Yporegie.
Moollam.	Meelæ.	Moelle.
	Augustæ.	Austæ.
	Domus ossulæ.	

PROVINCIA JANUÆ.

Habet Custodias sex.

	Custodia Januæ habet.	
Januam.	De Janua.	De Janua.
Sagonam.	De Savona.	De Savona.
Clavarum.	De Clavaro.	De Clavoro.
Albarium.	De Albario.	De Albario.
Clapellam.	De Capella.	De Capella.
Sextum.	Sexti.	Sexti.
Carium.	De Cairo.	De Cario.
	Custodia Asten. habet.	
Ast.	Asten.	De Asten,
Albam.	Albæ.	Albæ.

CODEX MSS. VATICANUS.	CODEX IMPRESSUS	CODEX MSS. ARACOELITANUS.
	De Aquis.	De Aquis.
Montem Calvum	Montis Calvi.	Montis Calvi.
Curtimilium.	Cortimilii.	Cortimilu.
	Custodia Albingauni habet.	
Albiganum.	Albingauni.	Albignane.
Naulum.	De Nobo.	De Noldo.
Vigintimilium.	De Vigintimilio.	De Vignitanilio.
Cevam Montem.	De Ceva.	De Cena.
Vici.	Montis Vici.	Montis Vici.
Fosanum.	Fossani.	Fossani.
Cuneri.	De Cunio.	De Cuneo.
	Custodia Pedemontis habet:	
Penarolium.	Pinaroli.	Pinaroli.
Kerium.	Cherii.	Cherii.
Montem Kalerium.	Montis Calerii.	Montis Challerii.
Tauram.	Taurini.	Taurini.
Secusiam.	Secusiæ.	Secutie.
Ripalolium.	De Riperolo.	De Riparolo.
Clavasium.	Clavasii.	Clavarii.
	Custodia Montis Ferrati.	
Alexandriam.	De Alexandria.	De Alexandria.
Casale.	De Casali.	De Casali.
Valentiam.	De Valentia.	Valentie.
Cassinas.	Cassinæ.	Cassine.
	Custodia Papiæ habet.	
Papiam.	Papiæ.	Papie.
Cardonam.	Terdonæ.	Terdona.
Vigueriam.	Vigueriæ.	Vigherie.
Castrum novum.	Castri novi.	Castri novi.

PROVINCIA DALMATIÆ.

Habet Custodias quatuor.

	Custodia Ragusina habet.	
Ragusinum.	Ragusii.	Ragusii.
Duracium.	Duratii.	Duratii.
Ulcinum.	Dulcinii.	Dulcunii.
Catara.	Cataræ.	Cathare.
Scutarz.	Scutari.	Scrutari.
Antibarz.	Lntivari.	Antibari.
Daxa.	Daxæ.	Daxe.
	Corculæ.	Corcule.

Cu-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	*Custodia Ladrensis * habet.*	
Jadriam.	Jadræ.	Jadre.
	Extra Isadram super Insulam.	
Pagum.	Pagi.	Pagi.
	De Pagman.	De Paçinan.
	Podnovi.	
Sebenicum.	Sebenici.	Sibemchi.
Berberium.	Berberii.	Breberii.
Scandelam.	Scardonæ.	Scardone.
Traguium.	Tragurii.	Tradeurii.
Spaletum.	Spaleti.	Spalati.
	Custodia Arben. habet.	
Arbum.	Arbi.	Arbi.
Seneam.	Seniæ.	Senie.
	Modrusiæ.	Medrussie.
Veglam.	Veglæ.	Negle.
Kersum.	Chersii.	Chersi.
	Custodia Istriæ habet.	
	Polæ.	Pole.
Parentum.	Parentii.	Parentii.
Piranum.	Pirani.	Pirani.
Justinopoli.	Justinopol.	Justinopolis.
	Muglæ.	Mugliæ.
Trigestum.	Trigesti.	Tergesti.
	Vallis.	Vallis.

* Jadrensis.

PROVINCIA TERRÆ LABORIS.

Habet quinque Castodias.

	Custodia Neapolitana habet.	
Desunt in Codice Vaticano.	Sancti Laurentii.	S. Laurentii.
	S. Claræ, sive Corporis Christi.	S. Claræ, sive Corporis Christi.
	Sanctæ Mariæ Novæ.	Sanctæ Marie nove.
	Sanctæ Crucis.	Sanctæ Crucis.
	Sanctæ Mariæ Dominæ Reginæ.	Sancte MarieRegine Domine.
	S. Mariæ Magdalenæ.	Mariæ Magdalene.
	S. Mariæ Ægyptiacæ.	S.Marie Egyptiace.
Capuæ.	Capuæ.	Capue.
Aversæ.	Aversæ.	Aversæ.
Teanum.	Tyani.	Tyrani.

Suessæ.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
Sueffæ.	Sueffæ.	Sueffe.
	Nugiani.	Mignani.
Mataloni.	Mataloni.	Matalora.
Nolæ.	Nolæ.	Nole.
Calera Miniavi.	Caleni.	Caleni.
	Custodia Salernitana habet.	
Salernum.	Salerni.	Salerni.
Tarenti:	Gurreti.	Garreti.
Castrum maris.	Castri maris.	Castri maris.
Amalfiæ.	Malfi.	De Malfi.
		S. Severini.
Ravelli.	Ravelli.	Ranelli.
Giffoni.	Giffonis.	Giffonis.
Sam.	Sarni.	Sarani.
Nuceriæ.	Nuceriæ.	Nucerie.
	Custodia Principatus habet.	
Marti.	Marsici.	Marsici.
Oleti.	De Oleta.	De Oleta.
Nur.	De Muro.	De Muro.
Diam.	Diani.	Dyannii.
Saponariæ.	De Saponaria.	De Saponaria.
Edoli.	De Ebolo.	De Ebolo.
Cucul.	Cuculli.	Luculi.
Montemlarum.	Montelaris.	Montis Laris.
Agloboli.	Agloboli.	Agloboli.
S. Maria.	S. Mariæ.	S. Mariæ.
	Custodia Beneventana habet.	
Beneventi.	De Benevento.	De Benevento.
Avelini.	Avellini.	Avellini.
S. Agatæ.	S. Agathæ.	S. Agathe.
Cereti.	Cerreti.	Cerreti.
Ariani.	Ariani.	Ariani.
Aquæ putridæ.	Aquæ Putridæ.	Aquæ putride.
Montis Sarculi.	Montis Sarculi.	Montis Sarculi.
Montis Fuscoli.	Montis Fostuli.	Montis Foscoli.
	Olivæ.	Olive.
	Custodia sancti Benedicti habet.	
Gagetæ.	Gajetæ.	Gajettæ.
Tgeti.	Trajecti.	Trajecti.
	De Fundis.	De Fundis.
Locus Tyri.	Itri.	Ytri.
Albeti.	Vici Albi.	Vici Albi.

S.Ger-

Anno Christi 1399.	Bonifacii IX. anno 10.	Wenceslai Imp. anno 21. & 22.	Religionis Minorum anno 192.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
S.Germanum.	S. Germani.	S. Germani.
	Soræ.	Sore.
Arpini.	Arpini.	Arpini.
	Temperani.	Cepani.
	Oliveti.	Oliveti.
	Aquini.	Aquini.
Vicarbo.	Maronulæ.	Maronule.

PROVINCIA PENNENSIS

Sex habet Custodias.

Custodia Aquilæ habet.

Aquilam.	De Aquila.	De Aquila.
Sfonticlas.	Fonticularum.	Fonticularum.
Ofenum.	Offeni.	Offeni.
Castrum vetus.	Castri Veteris.	Castri Veteris.
Sulmonam.	De Sulmona.	De Sulmona.
Paper.	Poperi.	Poperi.

Custodia Pennensis habet.

Civitatem Pennensem.	De Penna.	De Penna.
Caternanam.	Cataviari.	Cathamani.
	Adali.	Aladi.
Pontariam.	Pontariæ.	Pontarie.
Lauretum.	Laureti.	Laureti.
	Celani.	Celani.
Manupellum.	De Manupello.	De Manupello.
Tectum.	Tocti.	Tocti.

Custodia Theatina habet.

Teatinam.	Theatinum.	Theatinum.
Lasanum.	Lassani.	Lasani.
Tonam.	De Ortona.	De Ortena.
	Piscariæ.	Piscarie.
Palenam.	Palenæ.	Palene.
Guardiam.	Guardiæ.	Guardie.
	Francavillæ.	Frachaville,
Buelanam.	Ludani.	Lucani.

Custodia Arien. habet.

Adriani.	De Arida.	De Adria.
Pellim.	Poleni.	Pleni.
Vallem citatem.	Vallisii.	Vallis.
Sancti Angeli.	Civitatis S. Angeli.	Civitatis S. Angeli.
Silurum.	Silusci.	Silmei.
Montem Silvanum.	Montis Silvani.	Montis Silvani.

Cu-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Arascoelitanus.
	Custodia Aprutina habet.	
S. Justam.	S. Justæ.	S. Justæ.
	S. Omeri.	S. Homeri.
Teramnum.	Terani.	Terrani.
Caplum.	De Camplo.	De Camplo.
Citatellam.	Civitelæ.	Civitelle.
Mirrum.	Murri.	Murri.
Gueram S. Civium.	Contraguerræ.	Contraguarre.
	Custodia Marsicana habet.	
Civitatem Marsicanam.	Marsicanum.	Marsicanum.
Sellan.	Selani.	Selani.
S. Petrum.	S. Petri.	S. Petri.
Avezan.	Avezani.	Anecani.
Corbarium.	Corbarii.	Corbarii.
Callocosium.	Taglia Cozzi.	Tagliatorii.
Balsoranum.	Balsorani.	Balsonami.

PROVINCIA SANCTI ANGELI

Habet quatuor Custodias.

	Custodia Comitatus habet.	
Ysernie.	Iserniæ.	Ysnie.
Venafri.	Venafri.	Venaterri.
Boran.	Bojani.	Boyani.
Campobassi.	Campibassi.	Campibassi.
Anglon.	Angloni.	Angloni.
Limosan.	Limosani.	Lunosani.
Planicii.	Planicii.	Planicii.
	Custodia Civitatis habet.	
Gulion.	Guillionisii.	Guilionensi.
	Allareni.	Alreni.
Civitatem Præcinæ.	Civitatis.	Civitatis.
	Præcinæ.	Precine.
Emonarum.	Termularum.	Termularum.
Vasti.	Vasti.	Vasti.
Montis Odorici.	Montis Odorici.	Montis Odorici.
	Custodia Montis sancti Angeli habet.	
S. Angeli.	Sancti Angeli.	S. Angeli.
Manfredoniæ.	Manfredoniæ.	Manfredonie.
S. Joannis Rotundi.	S. Joannis Rotundi.	S. Joannis Rotandi.
Vestarum.	Vestarum.	Vestarum.

Pe-

CODEX MSS. VATICANVS.	CODEX IMPRESSVS.	CODEX MSS. ARACOELITANVS.
Pesquicii.	Pasquitii.	Pasquicitii.
Rodi.	Rodi.	Rodi.
Kamam.	Camani.	Camani.
Nricell.	Ischitellarum.	Ischitellarum.

Custodia Captivate habet.

Lugenæ.	Lucernium.	Lucernium.
S. Severi.	S. Severini.	S. Severini.
Fogiæ.	Fogiæ.	Fogiæ.
Casali novo.	Casalis novi.	Casalis novi.
Trojæ.	Trojæ.	Troye.
Esculi.	Estulli.	Esculi.
Corneti.	Corneti.	Corneti.

PROVINCIA APULIÆ

Habet quinque Custodias.

Custodia Barolitana habet.

Barum.	Barolum.	Barolum.
Andriam.	Andriæ.	Andriæ.
Melsiam.	De Melfia.	De Melfia.
Canusiam.	Canusii.	Canusii.
Venusium.	Venusii.	Venusii.

Custodia Baren. habet.

Barum.	De Baro.	De Baro.
Barontum.	Bitonti.	Botonti.
	Melficanum.	Mellicanum.
Vigiliensem.	Vigiliensem.	Vigiliensem.
Tnensem.	Trani.	Travii.
Cavirit.	Caurati.	Caurati.
Juvenacium.	Juvenacii.	Juvenacii.

Custodia Tarenti habet.

Tarentum.	Tarenti.	Tarenti.
Oreaz.	De Osea.	De Orea.
Hostumum.	Hostimii.	Octavii.
Joam.	Joæ.	
Monopolum.	Monopolis.	Monopolini.

*Custodia Brundusii * habet.*

* Brundusii.

Brundusium.	Brundusii.	Brondusii.
Neritonam.	Neritoni.	Veritoni.
Licium.	Litii.	Litii.
Ydrontum.	Hydrunti.	Ydroncii.
Alexannum.	Alexini.	Alexmi.

Custodia Materana habet.

Materam.	De Matera	De Macera.
Guina.	De Gravina.	De Garanna.
Montem Pilosum.	Monti Pilosi.	Montis Pillosi.
Cearicum.	Tricarici.	Tricarici.

PROVINCIA CALABRIÆ

Habet quatuor Custodias.

Custodia Regii habet.

Regium.	De Regio.	De Regiao.
Gerasium.	Gerasii.	Gerasii.
Tropeam.	De Torpia.	De Torpia.
Montis Leonis.	Montis Leonis.	Montis Leonis.
Semahajana.	Seminariæ.	Seminariæ.

Custodia Cutronæ habet.

Cotronum.	De Cutrona.	De Cotrono.
Catauzarium.	Cantazarii.	Cantacarii.
Squillacium.	Squilazii.	Squalacii.
Sucastrum.	Novi Castri.	Novicastri.

Custodia Vallis habet.

Amanteam.	De Amachea.	De Amanchea.
Bisimanum.	Bisviani.	Bisunani.
Cusentiam.	Consentiæ.	Consentiæ.
Martoranum.	Mocoronii.	Matoracii.

Custodia Castri Villarii habet.

Castrovillarum.	Castrivilarum.	Castri Vilerii.
S. Marcum.	Mara.	Marci.
Curilianum.	Curiliani.	Curiliani.
Scaveam.	Scaleæ.	Scalee.

PROVINCIA SICILIÆ

Habet quinque Custodias.

Custodia Messanæ habet.

	De Messana.	Messana.
Catanea.	De Cathania.	De Cathina.
Randacium.	Randacii.	Randacii.
Taromeraum.	Tauromenii.	Teuromerii.
Pactis.	De Pactis.	Paccis.

Custo-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Agrigentina habet.

Agrigentum.	De Agrigento.	De Agrigento.
Placeam.	De Placea.	De Platea.
Castrum Joannis.	S. Joannis.	Castri Joannis.
	Narii.	Varii.
Licatam.	Terræ novæ.	Terræ novæ.
Eraciam.	Castri novi.	Castri novi.

Custodia Panormitana habet.

Panormum.	Panormi.	Panormi.
Policium.	Policii.	Pollicii.
Termis.	De Termis.	De Termis.
Cephaludum.	De Cefaludi.	Cefaludi.
Castrum bonum.	Castri Boni.	Castri boni.
Curilionem.		

Custodia Trapani habet.

Gpam.	De Trapano.	De Trapano.
Marsariam.	Mazatiæ.	Maccarie.
Massaliam.	Marsaliæ.	Marsalie.
	Montis S. Juliani.	Montis S. Juliani.
	Aleanii.	Alcami.
Sanctam.	Salem.	Salem.

Custodia Siracusana habet.

Syracusam.	De Siracusa.	De Syracusa.
Lemtram.	Leontini.	Leontini.
Notum.	Nothi.	Nothi.
Ratgusiam.	Ragusiæ.	Ragusie.
Calatagiron.	Calatagironi.	Galatagironi.

PROVINCIA ROMANIÆ

Habet tres Custodias.

Custodia Nigropontis habet.

Nigropontis.	De Nigroponte.	De Nigroponte.
Candiæ.	De Candia.	De Candida.
Caneæ.	Chaneæ.	Canee.

Custodia Thebana habet.

Thebas.	De Thebis.	De Thebis.
Athenas.	Atthenarum.	Athenarum.
Corintum.	Corinthi.	Corinthi.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Clarentiæ habet.

Clarenciam.	De Clarentia.	Clarentia.
Cora.	De Corono.	De Corono.
Patras.	De Patras.	De Patras.
Andrevillæ.	Andrevillæ.	Andrenile.
Jacrati.	Jacinti.	Lacinti.
	De Saxaro.	Saxaro.
Zefaloniæ.	Confaloniæ.	Cefelonie.

PROVINCIA TERRÆ SANCTÆ

Habet duas Custodias.

*Custodia Nicoliæ * in Cipro habet.*

* Nicosia.

Nicosia	Nicosiæ.	Nicosie.
Famagusta.	Famagostæ.	Famogoste.
Pasum.	De Papho.	De Papho.
Nimocium.	Namotii.	Viviotii.
Sissium.	De Fimiso.	Satuso.

Custodia Syriæ habet.

Montis Syon.	Montis Syon.	Montis Syon.
	Sepulchri Domini.	Sepulchrum Domini.
	De Bethleem.	De Bethleem.
	De Baruto.	De Barutho.

XII. Hucusque exscripsimus Conventus familiæ Cismontanæ, nunc ex his omnibus describemus, quos hactenus omisimus, dum nulla se offerebat occasio de eisdem scribendi. In Provincia sancti Francisci, & Custodia Assisii, duo sunt Cœnobiola, unum quod vocant de Insula, sive de Bastia,
Conv. Bastiæ. Rodulph. fol. 253. Tom. 6. an. 1306. n. 7.
Rodulpho sanctæ Crucis de Bastia prope Assisium, de quo solum commemoratur ibi jacere beatum Conradum Offidanum, uti alias diximus. Alterum Rochiciolæ extra oppidi mœnia, ubi multi Viri sancti dicuntur floruisse. In Custodia Perusina Cœnobiolum Corciani, de quo nihil est memorabile.
Conv. Tifernen.
In Custodia Castelli Tifernense, quod satis egregium esse refert Rodulphus, illudque plurimum exornasse beatum Jacobum laicum Tifernatem insignem sculptorem, cujus opus est Ecclesiæ suggestum affabre elaboratum. Conditus est sub altari majori, & visitur caput ejus cum oculorum palpebris adeo
Tom. 6. an. 1306. n. 23.
recentibus, ac si modo defunctus esset. Multis miraculis claruisse alias narravimus. Fractense, cui annexum est anno MDXXX. Sacerdotium, seu quod vocant beneficium ecclesiasticum. Cerbarolii ubi sanctus Franciscus aliquandiu commoratus est. In Custodia Tudertina Cœnobium Montajonæ, de quo nihil agit Rodulphus, fortassis quia destructum, vel dimissum a Fratribus, nisi illud forte sit, quod vocat Montis-Corvi. Aliud de Pontanellis, tertium de Canali, de quibus nihil præter nuda nomina habetur memo-
Conv. Pedis-Lucis.
rabile. In Custodia Narniensi Cœnobium Pedis-Lucis, quod ab Oppidanorum universitate constructum fuisse anno MCCCCXVII. ait Rodulphus; sed ante illud tempus extitisse constat ex catalogo Pisani, fortassis quod nunc extat

extat domicilium, fuit tunc constructum, vel refectum. In Custodia Montanorum Cœnobia Jussi, sancti Martini, Hospitalis Occosii, & sanctæ Mariæ Magdalenæ, ex nomine dumtaxat nota; duorum posteriorum non meminit Rodulphus.

XIII. In Provincia Marchiæ, & Custodia Asculana Cœnobia venæ Ruptæ, & Pulegii, de quibus præter nomen nihil est reliquum; Montis alti, quod sanctum Franciscum prius extruxisse fertur in nemore ultra flumen Ausum, & ad Religiosorum preces mirabili indicio transtulisse ad locum, in quo nunc conspicitur. Campana fusa est anno MCCLXIII. & librum ritualem, seu Antiphonarium in primo folio exciso prætulisse ferunt annum MCCXXXII. quod si ita est, probabilior redditur opinio de prima origine sub sancto Francisco. Domum hanc plurimum illustravit Felix Perettus, prius Vicarius Generalis sui Ordinis, mox Episcopus sanctæ Agathæ, deinde Cardinalis, demum Summus Pontifex Sixtus V. ejusque patruus frater Salvator de Monte-Alto, qui eodem in loco prædicto Felici Religionis habitum concessit, & Magister Flaminius Benedictus ex eadem urbe, præfectus Cœnobii Bononiensis, & Orator Provinciæ Marchiæ ad eumdem Sixtum V. ut congratularetur ei ad Pontificatum assumpto. Cœnobium Castillionis in agro Asculano, uno distans milliari ab Appiani oppido, vulgo dicitur *San Francesco del Gallo*. Cœnobium Offidanum ante annum MCCXLIII. inchoatum, adeoque angustum, ut Innocentius IV. binas dederit litteras ad Rectores Offidanos, quibus hortabatur vendi in augmentum prædictæ domus possessiones aliquas vicinas, quæ spectabant ad Monasterium Benedictinorum Farfense. Consecrata fuit Ecclesia anno MCCCLIX. Dominica prima mensis Maii, per fratrem Nicolaum Argoli Episcopum.... Floruit hic beatus Conradus Offidanus, cujus corpus diximus coli in Conventu Insulæ prope Assisium. Obtinuerunt tamen Offidani brachium integrum, quod cum veneratione asservatur in Oratorio Confratrum sanctissimi Sacramenti. Cœnobium Cosigniani ante creatum Alexandrum IV. ædificatum extra oppidum, dedit enim hic Pontifex Indulgentias visitantibus Ecclesiam in quibusdam festivitatibus. Circa annum MCCCCXLVIII. se receperunt Fratres intra ipsum oppidum ad oratorium sancti Pauli, sibi concessum ab Abbate Farfensi, declinaturi improborum injurias, nec tamen omnino primum locum dereliquerunt, dum ante paucos annos Ecclesiam refecerunt.

Conv. Montis-Alti. — *Conv. Offidanus.* — *Fr. Nicolaus Episc....* — *Conv. Cosigniani.*

XIV. In eadem Provincia & Custodia Camerini, Cœnobium Tolentini circa tempus Innocentii IV. extructum; quippe suis litteris hortatur fideles, ut ad fabricam Ecclesiæ manus porrigant adjutrices. Hinc prodierunt beatus Thomas Martyr, de quo alias scripsimus, & cujus craneum asservatur ibidem cum magna veneratione, coliturque ejus dies festus, in quo publicas aperiunt nundinas Tolentinates: Magister Jacobus Ordinis Procurator Generalis, sub Guillelmo Casalensi Ministro Generali, & Eugenio IV. Summo Pontifice, Inquisitor hæreticæ pravitatis Venetiis, & in Marchia Tarvisina: Magister Bartholomæus Tolentinas, sub eodem Eugenio Inquisitor Urbini, Massæ Trebariæ, & inter Feretranos: Magister Hieronymus Jacobilla Tolentinas; per annos octodecim rexit Provincias Boemiæ, Austriæ, Silesiæ, & totius Germaniæ, fuitque a sacris Confessionibus Cæsari Rodulpho II. Pragæ sepultus ad ædem sancti Jacobi: Magister Antonius Tolentinas Inquisitor in Istria: & Magister Petrus Inquisitor sub Ministro Generali Antonio de Rusconibus. Habet hoc Cœnobium adnexam quamdam ædiculam sancti Joannis intra mœnia ejusdem civitatis. Domus Montis-Sancti fundata in declivio Montis sancti Nicolai, qui spectat ad juspatronatus

Conv. Tolentin. — *Tom. 6. an. 1321. n. 1.* — *Conv. Montis-Sancti.*

natus Ecclesiæ Cathedralis Firmanæ, distatque a mari Adriatico V. M. P. Fundum concessit intra oppidi mœnia Gerardus Episcopus, uti constat ex Bulla Alexandri IV. data II. Idus Martii Pontificatus anno IV. quæ nunc ad manus nostras pervenit, refertque concessionem Gerardi, & totius Capituli Fratribus factam. Innocentius IV. aliis litteris hortatus est Christifideles, ut fabricandæ domui subsidium ferrent, vixitque hoc in loco beatus Gerardus de Monte Sancto, & frater Archangelus ab eodem oppido vir pius, & in Theologia morali eruditus, Pœnitentiarius Lauretanus. Sub annum MDX. celebrata sunt hoc in loco duo Comitia Provincialia, prima anno MCCCCXLIII. secunda anno MDXCIV. In his electus est Provincialis Magister Horatius Civallus Maceratensis vir eruditus, qui multa scripsit de naturalium, politicarumque rerum varietate, & egregium instruxit Musæum in sua patria. Domus Civitatis novæ, diœcesis Firmanæ sita in quodam colle facilis ascensus III. M. P. a mari Adriatico constructa, uti aliqui volunt, ante vel sub Pontificatum Gregorii IX. quia suis litteris anno III. Pontificatus indicat Monasterium sancti Jacobi de Monte Panico, Ordinis sanctæ Claræ subjectum fuisse Minoribus, & supradictus Gerardus Episcopus Firmanus anno MCCLXXII. concedit Indulgentias invisentibus prædictum Monasterium curæ Minorum commendatum. Conditam prius fuisse sub invocatione sanctæ Mariæ Magdalenæ, constat ex Bulla Nicolai IV. ibi conservata, & anno MCCCXCIX. Joannes Auximanus Canonicus Auximi, & Vicarius Generalis Firmanus in litteris scriptis anno MCCCXCIX. ad Angelum Camertem Guardianum, vocat ædem sanctæ Mariæ, nunc vero communiter audit sub nomine sancti Francisci. Floruit in hoc loco beatus Jacobus a Monte-Sancto laicus, cœlestium rerum contemplatione & miraculis clarus, sepultus in æde parochiali, & sub annum MDX. frater Joannes Paulus Nicolai Bevilaquæ, qui ex dispensatione Apostolica fuit Rector Ecclesiæ sancti Thomæ extra oppidum, quæ postea unita est huic Cœnobio, & Plebanus templi sancti Pauli, in illo oppido Primarii, cujus turrim campanariam accrevit & porticum. Construxit etiam nobili opere ultra dimidiam partem hujus Cœnobii. Celebrata sunt hic tria Capitula Provincialia, primum anno MDXXIII. secundum anno MDXXX. in quo electus est Minister Magister Joannes Camers, & tertium anno MDLXXXIX. in quo Magister Gregorius a sancto Genesio. Cœnobium Ploraci intra præruptos montes in loco aspero primitus exstructum est paulo post sancti Francisci decessum, uti ferunt, extra oppidum ad D. P. & translatum creditur ad locum, in quo nunc est circa annum MCCCXXVII. ex facultatibus piæ fœminæ Margaritæ Salimbenis. Ædem magna ex parte restituerunt & ornarunt Magister Petrus Antonius Provincialis Marchiæ, & Magister Comes Raynerius nobilis Camers.

Conv. Civitatis novæ. *Beatus Jacobus a Monte-Sancto.* *Conv. Ploraci.*

XV. In Custodia Anconitana Cœnobium Forani primum, & secundum (duo enim in illo erant oppido) de quibus illud solum comperimus, utrumque translatum esse ad Observantes. De eo, quod extra oppidum extructum est ad sesquimilliare ab Appiniano, alias disseruimus. Cœnobium Cinguli intra muros oppidi in regione, seu quarterio, quod vocant sancti Stephani, ædificatum ante annos MCCXLIV. uti constat ex quodam instrumento pergameno concordiæ initæ inter duos populos Cinguli & Civitellæ, subscripto & stabilito in prædicto Cœnobio anno prænotato die XVI. Octobris. Eo in loco floruit beatus Angelus Clarenus sive de Cingulo, de cujus peritia in litteris Græcis alias disseruimus, & Magistrum diximus Simonia Cassiani.

Tom. 5. an. 1279. n. 19. *Conv. Cinguli.* *Tom. 5. an. 1289. n. 34.*

Conv. Apiri. XVI. In Custodia Æsina Cœnobium Apiri in centro oppidi constru-

ſtructum incertæ eſt originis; ſub quadam tamen icone pone altare maximum hæc habetur inſcriptio: *Hoc opus fieri fecit frater Offredutius Gualterutius ſub anno Domini* MCCCXXXVI. Conſecrata eſt Eccleſia ſub titulo Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, per Ludovicum Epiſcopum Caſturienſem, anno Domini MCCCLXXXI. Indict. IV. in die ejuſdem feſtivitatis, licet nunc communiter audiat ſub nomine ſancti Franciſci. Floruit hic ſub annum MDXXX. Magiſter Matthias de Salvarinis Apiranus, inſignis concionator, qui Recineti Montem Pietatis erexit. Cœnobium Serræ ſancti Quirici in meditullio oppidi, ubi aſſervatur vetuſta ſcriptura, quæ indicat ante annum MCCLXIII. extructum, & alia quæ refert anno MCCXCII. venditam domum intra dictum oppidum fratri Bernardutio de Saxoferrato, Guardiano Conventus ſanctæ Mariæ Novæ Ordinis Minorum oppidi Serræ ſancti Quirici. Claruit ibidem Magiſter Cæſareus in prædicto oppido natus, & in rebus agendis expertus: rexit Provinciam Marchiæ ſub annum MDXXXI. necnon Nicolinus Cæſareus Ordinis Scriba, & Provincialis Mediolani, mox Marchiæ. Cœnobium Serræ-Comitum, de quo bis alias egimus, primo propter Indulgentias a Nicolao IV. in obſcuris humilis ædiculæ initiis conceſſas: ſecundo propter conſtructam ſolidius ædem, & translatam curam animarum ab Eccleſia ſancti Stephani, qua Fratres potiebantur ad ſanctæ Luciæ. Conſecratum eſt templum die XXVII. Julii, anno MDXI. per Georgium Benignum Epiſcopum Callien. Floruit ibidem Magiſter Franciſcus Armillinus circa annum MCCCCXV. in doctrina Theologica, & rebus agendis inſignis, Commiſſarius generalis Provinciæ Orientis, & Provinciæ Marchiæ Vicelegatus, ſub Thoma Cardinali Armillino Legato, poſtea deſignatus ejuſdem Provinciæ Theſaurarius, & Præfectus annonæ.

Conv. Serræ S. Quirici.

Conv. Serræ-Comitum. *Tom. 5. an. 1292. n. 13. & an. 1314. n. 17.*

Fr. Franciſcus Armillinus.

XVII. In Cuſtodia Firmana Cœnobium Cæſæ-Columbæ, de quo nihil invenio, niſi quod ſub Leone X. tranſierit ad Obſervantes; neque vero inter horum domicilia hujus reperio notitiam. Rodulphus in recenſu ſuorum iſtud omiſit. Cœnobium Brunfortii, Piſano Bruſurtii in Agro Sarnani, in loco nuncupato Valcajanus, ab ipſo ſancto Franciſco inchoatum, ubi cinguli extremitate quibuſdam litteris Seraphini effigiem, tamquam ſigilli opera exaratam, impreſſit. Ab eo tempore Sarnani oppidum Seraphino pro ſtemmate utitur, eademque inſignia præferebat Conſtantius Cardinalis Sarnanus hac ipſa de cauſa. Cum vero plurima in agro paterentur Fratres incommoda, anno Domini MCCCXXVIII. domicilium tranſtulerunt intra oppidi mœnia, uti alias diximus, & monuimus ſub nomine Sarnani nullam hujus Cœnobii fieri mentionem apud Piſanum, aut Rodulphum. Huc translatæ ſunt multorum piorum virorum reliquiæ ex Conventu Suſiani. Floruerunt hic præter prædictum Cardinalem, cujus etiam corpus illic conditum eſt, Benignus Arredus Sarnanus egregius concionator, evectus, ut fertur, ad Eccleſiam Bellunen. & Nicolaus de Sarnano Inquiſitor in Marchia Anconitana, ſub Innocentio VII. & in Romandiola ſub Gregorio XII. Cœnobium ſancti Elpidii in Religionis primordiis extructum extra oppidum, poſtea translatum ad oppidi meditullium. Hinc prodiit Monaldus de ſancto Elpidio vir doctus anno MCCLXIII. Fabriani electus Marchiæ Provincialis. Cœnobium Montis ſancti Petri Angelorum, de quo licet alias locuti ſimus, eſt quod hic moneamus, Fratribus tunc habitantibus extra oppidum conceſſam fuiſſe anno MCCLXX. Eccleſiam ſancti Petri de Marano intra oppidi mœnia, cum paramentis & utenſilibus neceſſariis, per Monachos Monaſterii ſancti Petri de Florentio, diœceſis Spoletanæ, de quo ſervatur ibidem tranſactionis & donationis inſtrumentum, ſcriptum Spoleti in Eccleſia ſancti

Conv. Brufortii.

Tom. 7. an. 1328. n. 11.

Conv. S. Elpidii.

Conv. Montis S. Petri. *Tom. 4. an. 1265. n. 19.*

cti Simonis. Actor erat & Procurator nomine Monachorum Dominus Ventura Spoletanus: & admissa est hæc donatio nomine Joannis Cardinalis Caetanis Protectoris Ordinis Minorum. Erecta fuit ab initio Ecclesia sub invocatione sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, licet nunc communiter audiat sub nomine fulius sancti Petri. Habet fontem Baptismalem, & curam animarum adnexam, exercendam tamen per Presbyterum secularem deputandum per Capitulum Ecclesiæ Lateranensis. Consecrata est anno MDLXXVI. die VII. Julii per fratrem Felicem Perettum, Episcopum tunc Firmanum, & Cardinalem, mox Summum Pontificem. Floruit ibi Crucittus ab hoc oppido denominatus, Episcopus Insulensis sub Eugenio IV. Cœnobium Amandulæ, de cujus origine nihil certum habetur: vetustatem tamen indicat structura & Bulla Alexandri IV. circa auctoritatem Inquisitorum ibidem asservata. Ruinam minante prima Ecclesia, meliori forma & situ erecta est altera sub invocatione sanctæ Mariæ stirpariæ, nunc tamen vocatur sancti Francisci. Consecrata est anno MCCCLII. & anniversarium celebratur singulis annis post diem octavam Pentecostes. Jacent hoc in loco beatus Gabriel, quem dicunt Æsinum, sub altari majori, & beatus Servus-Dei sub altari sancti Antonii, miraculis illustres.

Conv. Amandulæ.

Conv. Fani. Ann. 1215. n. 33.

XVIII. In Custodia Fanensi in ipsa urbe Fani, ad littus Adriaticum notissima, aliud est Cœnobium præter illud, quod memoravimus Observantum, cui humile initium dedisse sanctum Franciscum traditio est, & primis incolis pro Templo deseruisse ædiculam sancti Juliani, quæ nunc in atrio Cœnobii conspicitur, & Confratres possident immaculatæ Conceptionis. Litteræ illic extant Alexandri IV. commendantes Fratres, & Fabricam fidelium caritati, & sepulcralis lapis hac incisa epigraphe: *Anno Domini* MCCLXXXVI. *Hoc opus factum fuit tempore nobilissimi Domini Thebaldi de Bracciatis de Brixia, quod fecit fieri Magister Simon Medicus olim de Luca, vetustissimum Taureliorum familiæ sepulcrum*. Consecrata est Ecclesia anno MCCCXXXVI. constructamque a nobili familia Malatesta indicant pulchra sepulcra marmorea, unum in Ecclesiæ fronte, adjuncta hac inscriptione. *Sigismundus Pandulphus Mal. D. & Clementiss. Principi Pandulpho Malatestæ Patri suo sacrum dedit* MCCCCLX. alterum in odæo Fratrum, subscriptis his carminibus.

Clara pudicitiæ Dux Paula Bianca potentis.
A genitrice trahens Ursini sanguinis ortum.
Cui patrium Malatesta genus, celsumque maritum.
Pandulphum Aula dedit, formæ splendoribus omnes
Vincens, atque viros summis virtutibus æquans:
Hic cineres liquit, celeremque petivit olympum.
Obiit autem anno MCCCXCVIII. *in festo sancti Antonii*.

Est etiam ibidem illustris familiæ Castracani sepulcrum, cum hoc epitaphio. *Castrusio Castracani* XI. *Jacobi Castrileonis Comitis F. cum generis, tum suarum virtutum luce claro, charoque omnibus, Bolionia gentilis uxor, & filii V. Annos* LXXX. *obiit Idibus Januarii* MDLVII. Peculiaris ritus servatur in hoc Cœnobio invitandi populum ad recitandam Angelicam salutationem sub auroram: quod enim in reliquis Italiæ partibus fit trino pulsu, hoc in loco observatur uno simplici tractu, ad perpetuam memoriam proditæ urbis, & sub auroram ad signum unius campanæ pulsus, diripiendæ, nisi sanctus Bonaventura, qui forte in illa tunc erat civitate, proditionem subodorasset, & detexisset sub Alexandro IV. qui de traditoribus sumpsit supplicium. Floruerunt hoc in loco frater Bartolutius Fanensis, sub hoc tempore Marchiæ In-

Inquisitor, Bonaventura Martinellus Marchiæ Provincialis, sub annum MDLI. ob summam prudentiam adlectus in consilia publica & secreta civitatis, quo privilegii honore functus est usque ad mortem. Franciscus Rusticutius Guardianus Bononien. electus Episcopus Venusinus. Cæsar Nardus a secretis Felici Peretto, in Pontificatu Sixto V. dum esset Vicarius Generalis, evectus ad Episcopatum Cariatensem, Joannes Franciscus Nardus & Augustinus Nardus prædicti Episcopi nepotes viri docti.

XIX. Cœnobium Pisaurien. de quo pauca diximus alias, nescirique certum tempus fundationis. Ecclesia prius denominabatur a sancto Petro Apostolo, cujus effigies pario lapide sculpta cernitur in Templi fronte supra ostium. Illic conspiciuntur beatæ Michaelinæ, cujus vitam exaravimus, nobile sepulcrum, & Mausolæa Illustrium virorum, præsertim Paulæ Ursinæ Principis Malatestæ uxoris, apposito hoc epitaphio. Nescio an hic vel Fani corpus requiescat; utrobique conspicitur sepulcrum. *Tom. 5. an. 1292. n. 11.* Conv. Pisaurien. *Tom. 8. an. 1356. n. 24.*

Ursi de natis illustribus edita Patre,
Matre Columnensi, Pandulphi de Malatestis
Magnifici conjux clarissima, Paula sepulcro
Hoc, carnem terris, sed mentem reddidit astris.
Roma dedit nasci, Pensauri sede relicta,
Mille tercentum Christi labentibus annis,
Uno cum septem decies sexta quoque Febru.
Luce simul quarta cum septima ut & hora.

Et viri illustris Joannis Jacobi Leonardi coram altari majore: cujus hæc inscriptio: *Joanni Jacobo Leonardo Montis Abbatis Comiti, Jureconsulto & Oratori clarissimo, viro ad bene merendum de hominibus nato, qui cum post multos magistratus honorifice gestos Francisci Mariæ, ac Guidobaldi Urbini Ducum, quibus ob egregiam fidem, admirabile in maximis rebus consilium & singularia merita charissimus fuit, ad Venetos Legatus, in ea luce Italiæ, gravitatis, prudentiæ, atque integritatis suæ ad memoriam illius legationis sempiternam, fixa vestigia reliquisset, in patriam reversus, non sine Principum & civium suorum mærore decessit. Elisabetha uxor mœsta posuit. Vixit ann.* LXIII. *mens.* II. *obiit* IV. *Non. Januarii* MDLXII. In medio columnæ secundi arcus porticus superadditæ. *D. O. M. Isabellæ Vitelliæ Jacobi fratris, generis nobilitate, insigni religione, morum integritate, corporis forma, muliebrium virtutum præstantia, incomparabili. Hippolytus Ruverius Marchio tanta conjuge orbatus, sibi mœstissimum hoc solatium, illi Innocentiss. vitæ transactæ æternum statuit monumentum. Vixit ann.* XXXI. *mens.* IV. *dies* VIII. *in conjugatu ann.* XIII. *mens.* V. *dies* XII. *obiit ann.* MDXCVIII. *Idib. Julii*. Floruerunt hoc in loco frater Antonius Pisauriensis circa ann. Dom. MCCCXC. Marchiæ Provincialis, & Magistri Franciscus Pratellus, ac Hieronymus germani fratres ex oppido Montis-florum adscripti hujus Cœnobii patres, quorum prior post rectas optimas sui Ordinis academias, fuit Inquisitor hæreticæ pravitatis in civitatibus Pisarum & Senarum, & mox Marchiæ provinciæ Minister; posterior profectus ad Capucinos, fuit eorum summus præfectus, pieque obiit in Civitate-nova ad suos Consodales. Uterque vero ædificavit in patria sui Instituti Cœnobium, Franciscus Conventualium, Hieronymus Capucinorum adeo brevi intervallo dissita, ut in conspectu sint mutuo, & sagitta possit utrinque pertingi. Demum illic vixit circa annum MDLXXXII. Magister Petrus Georgius Commissarius generalis provinciæ Dalmatiæ.

XX. De Cœnobio Collis Pergolæ alias breviter actum est, hic adjun- Conv. Pergolæ.

adjungimus inchoatam fuisse novam ampliorem Ecclesiam anno MCCLXXVII. & consecratam fuisse anno MCCCXXV. pridie Kal. Junii. Servantur ibi duo ingentia volumina sacrorum Bibliorum egregio charactere exarata, & pulchro minio, variisque coloribus ad singula ferme folia, nobilius quàm explicari possit, exornata, quæ Magister Andreas. Pergulensis Pisis transmisit in patriam: nobile sane donum, & ingentis pretii compensatione dignum, sed quod alio transferatur in publicum Musæum, vel insignem aliquam Bibliothecam. Floruerunt hoc in loco eruditione & regimine frater Zenobius Pergulen. circa annum MCCCCXL. Frater Honofrius Theologiæ publicus professor, qui obiit anno MCCCCLXXXII. Frater Ludovicus sacræ Theologiæ Magister, qui obiit anno MCCCCXCIV. Frater Simplicianus Doctor Theologus, & Umbriæ Provincialis anno MDXXIV. Magister Bartholomæus Golfus insignis concionator, Marchiæ Provincialis, qui circa annum MDXXXVII. interfuit sacro Concilio Tridentino. Magister Thomas Marunus, etiam hujus Provinciæ Minister, anno MDLVII. Magister Timotheus Leonus circa annum Dom. MDXC. Commissarius Generalis multarum Provinciarum. Magister Andreas Battacinus vir eruditus, Commissarius provinciæ Sardiniæ, in qua obiit. Magister Cæsar Antonellus Minister Provinciæ sancti Angeli. Cœnobium Corinalti, quod diximus sub Pio V. translatum ad Observantes, sed postea rescivimus sub Sixto V. deprecante Cardinale Sarnano, & urgente Magistro Bartholomæo Vetulo Conventualibus restitutum fuisse. Floruerunt hic Magister Sanctes Panta Provincialis Marchiæ, ejusque nepos Ludovicus Panta Provincialis Austriæ & Boemiæ, qui Recineti claustrum absolvit, & Ecclesiam organis & pulchro icone altaris majoris ornavit. Cœnobium Montis-Formosini extra oppidum Mondaini, diœcesis Ariminen. prius parum distabat ab oppido, cujus Ecclesia consecrata fuit ab Episcopo Ariminen. anno MCCLVI. Domin. II. Maii: deinde ad alium locum amœniorem per M. P. distantem translatum est, cujus Ecclesia consecrata est ab Episcopo etiam Ariminensi anno MCCCX. pridie Kal. Junii. Fundum concessit dominus Menadellus de Bisurca, ædificatumque est Templum, & Conventus anno MCCLXXX. Guardiano fratre Joanne de Monte sanctæ Mariæ. Turris campanaria alta nimis fabricata est anno MCCCXXVII. Multa contulit huic Cœnobio magister Lucas Antonius Venerucius Mondaini natus, qui post rectas multas sui Ordinis academias, creatus est Provincialis Boemiæ, obiitque Pragæ anno MDXCIX. die IX. Decembris. Floruit hic Joannes Baptista Lucarellus, qui in Indiam Occidentalem profectus multos Christo lucrifecit, & in Italiam reversus magno fervore per plateas prædicabat, obiitque Neapoli inter Reformatos Conventuales Monasterii sanctæ Luciæ magna pietatis opinione.

Conv. Corinalti.

Conv. Montis Formosini.

Tom. 5 an. 1286. Conv. Urbini.

XXI. In Custodia ultima Feretrana caput est nobile Cœnobium Urbini, quod alias breviter diximus ad annum MCCLXXXVI. fabricatum: eo enim tempore Fratres & syndicus Conventus emerunt Ecclesiam sancti Angeli, cum domibus adjacentibus, ab Ægidio Episcopo Urbinate pretio ccc. librarum Ravennatum, reservato tamen annuo canone unius libræ ceræ, & unius floreni auri pro renovatione investituræ. Titulus sancti Angeli abiit in oblivionem, & nunc vocatur Ecclesia sancti Francisci. Hic jacet sub altare sancti Laurentii beatus Pilingottus, cujus vitam alias enarravimus. Reliquias veneraturus supplex venit, solemni instituta processione, singulis annis ultima dominica Maii post vesperas populus & Magistratus Urbinas. Floruerunt hoc in loco multi viri docti post annum MD. Antonius Cimbellerius, Joannes Franciscus Cinus, qui obiit Venetiis an. MDXXVI.

Tom. 6 an. 1304. n. 4.

Fran-

Franciscus Riccius, & alii. Hujus Cœnobii membrum est ædicula Montis Busseti, quæ prius erat Abbatia Ordinis sancti Benedicti. Cœnobium Frigiolæ invenio in monumentis Conventualium transiisse ad Observantes, sed apud hos istius loci vestigium non invenio; fortassis derelictus est ob aliqua incommoda. De translatione Cœnobii sancti Marini intra ipsum oppidum alias egimus, postea incidimus in monumenta aliqua prioris ædificii. Structum erat in nemore extra oppidum, idque paulo post sancti Francisci decessum; constat enim Ecclesiam consecratam fuisse anno MCCLIV. Novi domicilii Templum constructum est anno MCCCLXI. per quemdam Vannem Flordiligiæ, & translatio Fratrum facta est anno sequente, id postea comprobantibus Gregorio XI. summo Pontifice, & Claro Episcopo Feretrano, datis litteris anno MCCCLXXIII. Cœnobium sancti Angeli in Vado extructum est extra oppidi portam pulchra in planitie ante annum MCCLXXIII. uti constat ex libris ritualibus, aliisque vestigiis ejusdem domicilii. Consecrata est Ecclesia anno MCCCX. ultima Dominica Septembris, concessis indulgentiis septem annorum a Septem Episcopis. In sacrario conservatur reverenter corpus Castoræ de Gabrielis, nobilissimæ & piissimæ Matronæ Eugubinæ, quæ communiter Beatæ audit appellatione. Vixit hoc in loco Magister Ludovicus Silvestrius Vadensis, qui opera edidit Richardi a Media Villa, & domum ipsam multis beneficiis devinxit.

Conv. Frigiolæ.

Conv. S. Marini. Tom. I. an. 1298. n. 11.

Conv. S. Angeli in Vado.

XXII. Hæc habuimus addenda vel notanda de provinciæ Marchiæ Patrum Conventualium Cœnobiis, ex quibusdam monumentis nobis transmissis, ex quibus etiam damus hic seriem Capitulorum provincialium, & Ministrorum, si non integram, saltem uberiorem, quam nostrorum incuria solet exhibere.

PROVINCIÆ MARCHIÆ.

Comitia.	Ministri.
Anno 1234. Anconæ.	Frater Petrus Vercellensis.
1263. Fabriani.	Monaldus a S. Elpidio.
1306.	Pax Calliensis.
1319. Fabriani.	
1338. Montis-Luponum.	
1339. Anconæ.	Petrus Sentinas.
1344. Maceratæ &c.	
1355. Recineti.	
1359. Offidæ.	Peruginus.
1364. Fabriani.	
1367......	Perutinus.
1368. Fani.	Martinus Januen.
1369. Firmi.	
1372......	Mag. Martinus Doctor. Theol.
1373. Æsii.	
1379.	Ugolinus de Serra Petronum.
1389.	Antonius Pisaurensis.
1398. Fabriani.	Marinus Martini.

Sub Innoc. VII. fuit Provincialis Marchiæ Fr. Joan. de Saravalle sacr. Theol. Doct.

1438. Recineti.	Augustinus de monte Baroccio.

Comitia.	Ministri.
1439. Cinguli.	
1440 Firmi.	
1441. Auximi.	
1442. Monticuli.	
1443. In monte Sancto.	
1450. Cinguli.	
1452. Fabriani.	
1462. Maceratæ.	Mag. Ubaldus de Monte novo.
1473. Joannes Bigottinus de Ancona Theol. habetur in transumpto Sixti IV. quod asservatur in Conventu M. Luponi.	
1485.	Martinus de Castignano.
1486. Castrifidardi.	Franciscus de Fortio.
1487.	Paulus de Mercatello.
1490. In Monte Bodio.	
1500. Mercatelli.	
1501. Cinguli.	
1503. Mondavii.	
1504. Amandulæ.	
1506. Urbini.	Antonius de Saxo Ferrato.
1507. Maceratæ.	
1509. In Saxo Ferrato.	
1510. In Castro Fidardo.	
1512. Auximi.	
1514. Amandulæ.	
1515. Calii.	Guido de S. Leone.
1516. In S. Severino.	
1518. In Monte novo.	Tiberius de eodem.
1519. Maceratæ.	Petrus Angelus de Monte Ulmi.
1520. In Monte Bodio.	
1521. In Monte Milonum.	
1522. Maceratæ.	Anastasius de S. Severino.
1523. In Civitate nova.	
1524. Urbini.	Franciscus de Urbino.
1525. Sarnani.	
1526. Fabriani.	
1527. Corinaldi.	Ludovicus de S.Leone Præsiden. Magistro August. Righino Ferrarien.
1528. In Rocha Contratæ.	
1529. Ob penuriam confirmati fuerunt Officiales per Magistrum Guidonem de Penna Commissarium.	
1530. In Civitate nova.	Joannes de Camerino.
1532. Æsii.	
1533. In Monte Bodio.	Cæsarius de Serra sancti Quirici.
1534. Ob penuriam Officialium Capitulum nullum judicatum est.	
1535. Senogalliæ.	
1536. Laceri.	
1537. Fani.	Bartholomæus de Pergula.
1539. Æsii tres Custodiæ, & in Monte Milonum quatuor inferiores convenerunt.	
1540.	Antonius Franciscus de Auximo, Præsidente Generali Spata.

Anno Christi 1399.	Bonifacii IX. anno 10.	Wenceslai Imp. anno 21. & 22.	Religionis Minorum anno 192.

Comitia.	Ministri.
1541. In Monte Luponum.	Sanctus Pata de Corinaldo.
1543. Anconæ.	Capitulum Generale & Provinciale, Generalis Constacciarius.
1544. Recineti.	
1545. In Saxo Ferrato.	Antonius de Mondaino.
1546. In Rocha Contrada.	
1547. Lauri.	
1548. Firmi.	Bartholomæus de Macerata.
1549. Æsii.	
1550. Maceratæ.	
1551. Fani.	P. M. Ventura Fanen. Præsiden. Generali Monte.
1152. In Monte Ulmi.	
1553. In Monte Bodio.	
1554. Æsii.	Joan. Pucus Camers.
1555. Camerini.	
1556. In Monte Luponum.	
1557. Cinguli.	Thomas Marc. Pergulen. Præsid. Magistro Pocio,
1558. Fabriani.	
1559. In Foro Sempronio.	
1560. In Monte Phelotrano.	Nicol. Titus de Mondaino. Præsid. Gener. Delphino.
1561. In S. Angelo in Vado.	
1562. In Castro Durante.	
1563. Anconæ.	Berardinus Stracha Ancon. Præsid. Magistro Thoma de Varisio.
1564. In Castro Fidardo.	Thomas. Cicchinus Lupponen. Præs. Magistro de Luco.
1565. In Monte Sancto.	
1566. In Monte Granario.	
1567. In Sancto Elpidio.	Cæsar Nardus Fanen.
1568. In Monte Alto.	
1569. In Aquaviva.	
1570. Recineti.	Petrus Tausignanus, Præsidenti Generali Pico de Camerino.
1571. Camerini.	
1572. In Monte Bodio.	
1573. In Serra S. Quirici.	Eleuterius de Crema, Præsidente Generale Pico.
1574. Maceratæ.	Nicolaus de Serra sancti Quirici.
1575. Castiniani.	
1576. Lauri.	
1577. Recineti.	Franciscus Pratella de Monte Florum, Præs. Generali. Mag. Petro Antonio de Nocera.
1578. Pisauri.	
1579. In Penna S. Joannis.	
1580. Maceratæ.	Petrus Anton. Mancianus de Ploraco.
1581. In Monte Ulmo.	

1582. Au-

Comitia.	Ministri.
1582. Auximi.	
1583. Molliani.	Julianus Causius.
1584. Firmi.	
1585. In Monte Georgio.	
1586. In Monte Granario.	Mag. Franc. Maurus.
1587. Asculi Cap. Provinciale & Generale.	Evang. Pelleus de Forsio, qui & Præsidens.
1588. Cinguli.	
1589. In Civitate nova.	Gregorius de sancto Ginesio:
1590.......	Franciscus Pontius a sancto Angelo.
1591. Firmi.	Franciscus Pontius a sancto Angelo.
1592. sancti Severini.	
1593.	
1594. In Monte Sancto.	Horatius Ciccallus de Macerata.
1595.	
1596. Monticuli.	Præside Generali Guesualdo.
1597. Fabriani.	Seraphinus Bentivenga de Macerata.
1598. Falleroni.	
1599. Ripæ Transonum.	
1600. Corinaldi.	Vinc. Philotheus a Mondaino.
1601. Congregatio in Castro Fidardo & Auximi.	
1602. Æsii.	Reliqua desunt.

XXIII. In Provincia Romana,& Custodia Reatina Cœnobia Longonii, Vallis, Arcis Sinibaldi; licet hæc duo posteriora unum faciat Rodulphus. Teranii, Rodulpho Tarani, sancti Alexandri, & sancti Jacobi. In Custodia Tiburtina Cœnobia Ruviani, de cœlis, suffragii. In Custodia Maritimæ Cœnobia Albani, & Neptuni. In Custodia Campaniæ Cœnobia Alatri, & Firentini, de quibus præter nuda nomina nihil aliud comperimus.

Conv. Pisarum. Tom. 1. an. 1211. n. 25.

XXIV. In provincia Tusciæ, & Custodia Pisana caput est Cœnobium Pisarum, de cujus prima & humili origine breviter egimus: hic adjungenda aliquot ejus incrementa. Prima ædicula erat sanctissimæ Trinitati sacra, quam a Pisano Antistite recepit sanctus Franciscus, cui adjunctum, cura beatorum Agnelli & Alberti Pisanorum discipulorum humile domicilium. Temporis decursu, & Pisanorum pietate crevit in immensam molem, & ædicula, quæ adhuc extat, commutata est in Templum capacissimum. In eo sibi Sacella extruxerunt, & sepulcra posuerunt nobilissimæ Urbis familiæ

Tom. 7. an. 1330. n. 1.

Comites de Donoratico, de quibus nos alias, Gambacurtæ, Agliatæ, Mastiani, Lanfranci de Pisassis, Mayrolini, Sanchasciani, Zacchetti, Neretti & aliæ plurimæ. Aulam capitularem, sibi suisque hæredibus in sepulturam accepit Laurentius Ciampolinus, anno MCCCXC. Magna pars parietum Templi constructa est ex politis marmoribus liberaliter ministratis per Dominos Walandos, de quibus in Templi fronte hæc extat memoria: *Anno Domini MCCC. Nobiles de domo Walandorum concesserunt liberaliter Fratribus sancti Francisci, ut præcidi faciant marmora de monte ipsorum pro remedio animarum suarum, parentumque suorum, pro construenda Ecclesia Fratrum*. Nuperrime reliquam partem absolvit, fenestras aperuit, ornamenta addidit Serenissimus Dux Etruriæ, de quo super Ecclesiæ portam ita legitur: *Ferdinandus Medices Mag. Dux Etruriæ III. anno* MDCIII. Floruerunt hoc in loco prædicti Agnellus, & Albertus, Antonius Tigrimius, & Bartho-

tholomæus Pisanus, virtute & pietate illustres, de quibus nos suis locis disseruimus. Jacent hic in pavimento crucis Ecclesiæ frater Bartholomæus Malacinæ Pisanus, Episcopus Emporiensis, cujus epitaphium tritum & deletum est, & assumptionem ad Episcopatum nos dedimus alias, ac frater (*Tom.6. an.1301. n. 4.*) Franciscus Tudertinus, cujus sepulcro ita inscriptum: *Hic jacet sepultus Venerabilis P. frater Franciscus Viennæ de Tuderto, Minister Provinciarum sancti Francisci & Romanæ, & Procurator totius Ordinis Minorum, qui obiit anno Domini* MCCCXXIII. *die* VIII. *Octobris*. Habet in hoc Cœnobio hæreticæ pravitatis Inquisitor proprias ædes, & destinatam mansionem cum reliquis necessariis ad suum munus exequendum. In eadem Custodia Cœnobia sancti Martini, Sarazanæ, & Pontremuli, de quibus nihil ferme est memorabile, nisi quod in ultimo conspiciatur sepulcrum fratris Ludovici Gandolphi Episcopi Brumacen. & in penultimo effigies sancti Francisci ad vivum expressa a Margherito Aretino pictore sui ævi celeberrimo.

XXV. In Custodia Lucana de Cœnobii Pisciæ receptione per sanctum (*Conv. Pisciæ.*) Franciscum egimus alias, addimus hic, tunc Ecclesiunculam fabricatam a (*Tom.1. an.1211. n. 25.*) Dominis Orlandis. Alterius capacioris Ecclesiæ Sacellum majus construxerunt Domini Obozi; in ea Sacellum alterum Domini Mainardi anno MCCXXXV. frontem Templi alii MCCXCVIII. aliique refecerunt anno MDV. Cœnobii reliquam partem addiderunt Domini Orlandi. Cœnobium Ficecli, quod anno MCCXCIX. die XXIII. Octobris libere donarunt Minoritis Abbatissa, & Sorores Monasterii Clarissarum urbis Lucanæ, additis privilegiis, & auctoritate designandi eo in oppidulo plebanum.

XXVI. In Custodia Florentina Cœnobium Carminiani a beato Bernardo Quinta Vallio acquisitum, ubi floruerunt beatus Joannes Parens, primus post sanctum Franciscum Instituti Rector, hoc oppido oriundus; beatus Humilis Perusinus insignis Concionator, & beatus Joannes Alvernicola. Cœnobium Pratense, ubi floruit frater Arlottus vir doctus, & Minister (*Conv. Praten.*) Generalis, de quo alias egimus. Ecclesia consecrata est anno MCCVII. die (*Tom.5. an. 1285. n. 4.*) XV. mensis Januarii, per Joannem Pratensem Episcopum Aquilanum, ex auctoritate Nicolai de Pandolphinis Episcopi Pistoriensis. Jacent hic viri præclari Ordinis Minorum, quorum suis temporibus mentionem agimus. Præcipuos habuit benefactores hoc Cœnobium ex familiis de Melioratis, de Spighis, de Beneamatis, de Cessinis, & Marcum Datinum Pratensem civem, & Mercatorem Florentinum, & Nicolaum de Torellis Medicum. Uterque jacet in hoc Templo. Obiit hic anno MCCCLXXXVIII. ille MCCCCX. ex horum facultatibus relictis communi Pratensium ærario subvenitur Fratrum necessitatibus. Cœnobii Castri Florentini completa fuit structura an- (*Conv. Castri Florentini.*) no MCCCXLI. die XXVI. Julii per nobiles familiæ de Becciis de Certaldo, uti apparet ex lapide marmoreo supra portam Ecclesiæ, qua patet ingressus ad claustrum. Jacet hic beatus Donatus Ferrarien. spiritu prophetico conspicuus. Floruit ibidem frater Jacobus de Trissanto egregius verbi divini declamator. Cœnobium Burgi sancti Laurentii donatum ajunt Chronica (*Conv. Burgi S. Laurentii.*) Ubaldinorum ab illustriss. hac familia anno MCCXII. ubi diximus extare sancti Francisci vestigia. Domum vetustate collapsam restaurarunt Magistri Ale- (*Tom.5. an.1291. n. 48.*) xander Ferrinus, & Franciscus Tibaldus Florentini. Cœnobium Fichini, (*Conv. Fichini.*) vulgo de *Figline* ante annum MCCLXXX. constructum, uti constat ex quodam epitaphio sepulcrali in Ecclesia, & quadam concessione Nicolai Papæ III. Auctores creduntur Domini Serristoriæ familiæ, olim hujus castri Dominatores, quod eorum stemmata multis locis affixa indicant. Floruerunt hic Magister Michael Zassus Tusciæ Minister circa annum MCCCLXXX.

Mag-

Mag. Franciſcus Facondi, qui longo tempore Ferrariæ prædicavit, & Principum Eſtenſium confeſſiones excipiebat, Mag. Petrus Mazzantus Miniſter electus Groſſeti ſub Generali Franciſco Samſone, per cujus mortem inſtitutus eſt Vicarius Generalis. Ex bonis paternis multa contulit huic ædi beneficia. Poſt hos alii Antonius Seriſtorius, Bernardinus Piallaccius, Petrus Mollius viri docti domum illuſtrarunt. Cœnobium de Barberino circa annum MCCC. conſtructum a Republica Florentina.

XXVII. In Cuſtodia Senenſi Cœnobium Volaterrarum, in quo floruit Mag. Gabriel Volaterranus Inquiſitor Senarum, & Mag. Joannes, ab eadem urbe cognominatus, electus Volaterris Miniſter Tuſciæ an. MDXXVI. Quo autem anno hæc domus extructa ſit, ignoratur. *Conv. Aſſiani.* Cœnobium Aſſiani a ſancto Franciſco ferunt inchoatum. Vir nobilis Antonius Columnenſis magna ex parte auxit an. MCCCXLV. Clauſtrum interius reſtauravit Mag. Jacobus Mazzonius, aliaque addidit beneficia. Sacellum ſibi extruxit familia Bandinellorum anno MCCCLXI. Floruit hic, præter jam relatum Jacobum, Mag. Franc. Filigellus, qui Etruſco carmine vaſtum & incomptum Bartholomæi Piſani opus de conformitatibus tranſtulit.

XXVIII. In Cuſtodia Aretina, diximus alias, Cœnobium Montis-Varchii *Tom. 7. an. 1327. n. 17.* extructum ab Oppidanis, impetrante facultatem Carolo Duce Calabriæ, *Conv. Montis-Varchii.* Regis Roberti Siculi primogenito. Dicatum eſt Templum ejus patruo ſancto Ludovico Tholoſati Epiſcopo. Domum vetuſtate collabentem refecit ſub anno MCCCCXXX. Mag. Antonius Fortis, eo oriundus oppido, vir doctus & inſignis concionator. Floruerunt hic Antonius Pettonus in Theologicis eruditus, & in rebus agendis prudens, Tuſciæ Miniſter. Franciſcus Ghinuccius in Theologia Magiſter, ejuſdem Provinciæ Miniſter, vir intrepidus, & propterea amandatus a quatuordecim Miniſtris ad Sedem Apoſtolicam acturus de abrogando Miniſtro Generali Amerino, & frater Aurelius Petri inſignis per univerſam Italiam verbi divini declamator. Cœnobium Caſtilionis Aretini, quod vitæ ſanctitate & miraculis exornavit beatus Manſuetus, ſancto Ludovico Francorum Regi familiaris, a quo dono accepit partem ſacratiſſimæ ſpineæ coronæ noſtri Redemptoris.

Conv. Cluſi. XXIX. In Cuſtodia Cluſina ipſam domum Cluſii, a ſancto Franciſco, ſive ejus ſocio, ad hoc miſſo, inchoatam volunt aliqui, dum Sarthiano, uti *Tom. 1. an. 1212. n. 5.* diximus alias, Cetonam ibat; atque hic aſſervatum fuiſſe annulum, quo beata Virgo deſponſata eſt puriſſimo viro Joſepho, nunc in Eccleſia Cathedrali Peruſina reverenter cuſtoditum, de quo peculiarem ſcripſit libellum Joannes Baptiſta Laurus vir eruditus, ſanctiſs. D. Urbani VIII. intimus cubicularius, *Conv. S. Proceſſi.* meus amicus, ante biennium vita functus. Cœnobium ſancti Proceſſi ad radices Montis Senarum, in medio quatuor oppidorum Montis Lateronis, Arcidoſſi, Caſtri-plani, & Montis-Jovis, conſtructum fertur an. MCCCXXXIV. *Conv. Montis-Ilcini.* a Coccho Buonſignorio, ſive Bono-Domino cive Senenſi, de quo nihil *Tom. 5. an. 1285. n. 16.* aliud occurit notabile. Cœnobium Montis-Ilcini, de cujus origine alias locuti ſumus, ornant corpus beati Philippini laici, de quo jam dictum eſt, *Tom. 5. an. 1290. n. 12.* & multi viri præclari hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & in ſacra Theologia Magiſtri, alias ſuis annis commendandi. Multa huic domui præſtitit beneficia Mag. Hieronymus Tinellus Ilcinenſis.

XXX. In Cuſtodia Maritimæ Cœnobium Plumbini incerti temporis, *Conv. Plumbini* & obſcuræ notitiæ. Ante annos ſexaginta deſtructo primo domicilio, extra oppidum conſtructo, propter belli metum, humilem emerunt Fratres domum intra caſtrum, ubi floruerunt Mag. Guerinus Capellettus inſignis Eccleſiaſtes, & Mag. Franciſcus Lucianus, ac Jacobus Leonis Regentes optime-

morum sui Instituti studiorum, & Tusciæ Ministri. Cœnobium Grosseti, alias Druseti, sub sancti Francisci ætate Fratribus concessum a Monachis Benedictinis, & ab ipsis derelictum propter aeris intemperiem. Ex hujus & alterius Monasterii Monialium ejusdem Instituti fundata sunt octo Sacerdotia seu Canonicatus in Ecclesia Grossetana. Primus loci Guardianus vocabatur frater Ronconius, & Ecclesia Titularem habebat sanctum Fortunatum martyrem, cujus festum celebratur die xv. Octobris. In Cœnobio Monterii, de quo alias actum est, vixerunt frater Petrus Jacobi de Monterio, vir pius, & musicæ peritus, qui hujus artis aliquot reliquit monumenta. In Cœnobio Montis Politiani habetur pulchrum ejusdem Antiphonarium, & inter reliqua officium sanctissimæ Trinitatis, cujus modos ille composuit, & ita subscripsit: *Præmissus cantus in prælibato beatissimæ Trinitatis officio factus, & compositus fuit a fratre Petro Jacobi de Monterio Ordinis Fratrum Minorum, & provinciæ Tusciæ. Hujus officii verba composuit frater Joannes de Beccano, egregius Doctor in sacra Theologia, & Archiep. Cantuariensis ejusdem Ordinis de Provincia Angliæ.* Frater Laurentius, & frater Petrus Monteriani piissimæ vitæ, & beato Jacobo Piceno familiares; frater Paulus Mazzarocchius, qui translati Cœnobii Ecclesiam simul cum fratre Francisco suo nepote ædificavit; frater Paulus Lombardus vir doctus, & Tusciæ Minister.

Conv. Grosseti.

Conv. Monterii.

Tom. 7. an. 1324. n. 10. & an. 1345 n. 12.

XXXI. In Provincia & Custodia Bononiæ Cœnobium Varignani, & sancti Benedicti Oppidi Planorii. Hoc postremum fuit translatum ad alios, sed sub Julio restitutum Patribus Conventualibus. Habet adnexum hospitale Monzoni a Sixto IV. anno VI. sui Pontificatus Fratribus concessum. Cœnobium sancti Joannis in Perticeso, unde oriundum diximus fratrem Bonagratiam Ministrum Generalem. Consortini & Calderariæ, quæ anno MCCCCLXII. adnexa sunt Conventui magno Bononiensi. Cœnobium sanctæ Mariæ in monte, quod in suo catalogo Rodulphus omisit.

Conv. Varignani.

Conv. Planorii.

XXXII. In Custodia Ferrariæ, Cœnobia Fanani, Carpi, Mirandulæ, & Montis-Falconis. In Custodia Parmensi, Cœnobia Parmæ, ubi floruerunt vir optimus Joannes Parmensis Minister Generalis, Joannes Quaja vir doctus, & Melchior Frizoleus; & Casalis majoris. In Custodia Ravennæ Cœnobium Faventinum, ubi floruerunt beatus Matthæus Bononiæ sepultus. Mag. Antonius Cassianus vir integerrimæ vitæ, & singularis doctrinæ, Bononiæ Minister; Joannes Antonius Vandius, clarissimus Scoti Interpres; Joannes Antonius Vasecletius in omni artium genere præstantissimus; Philippus Braschius in Peripatetica disciplina non mediocriter eruditus, in Ferrariensi Academia publicus Professor; Antonius Braschius insignis per optimas Italiæ Urbes concionator, vita functus Terdonæ. Cœnobia Cerviæ, quod Mag. Joannes Antonius prius Ordinis Procurator, mox Generalis plurimum exornavit. Montis Regis, Lugen., quod alias inchoatum diximus anno MCCXXXIII. Occurrerunt postea aliquot monumenta, quæ doceant altare majus constructum esse anno MCCXXXVIII. & Ecclesiam consecratam anno MCCLIV. die XXIV. mensis Martii, per Thomam Episcopum Imolensem. Postquam autem oppidum Lugi datum fuit in Feudum Nicolao Marchioni Estensi, per Eugenium IV. anno MCCCCXXXVII. melius cœpit habere hoc Fratrum receptaculum, & anno MCCCCLXIV. die x. Maii, per fratrem Franciscum de Ruvere Ministrum Generalem, postea Sixtum IV. fuit erectum in commodi Cœnobii dignitatem. Jacet hoc in loco sub altare sancti Antonii Patavini beatus Bonavita Lugen. cujus vitam alias sub compendio exhibuimus.

Alia Cœnobia.

Conv. Faventin.

Tom. 2. an. 1233. n. 41.

Conv. Lugen.

Tom. 8. an. 1375. n. 42.

XXXIII. In Custodia Forolivii Cœnobia sancti Archangeli, Meldulæ, & Longiani, quod a sancto Francisco ferunt inchoatum, de quo ego dubitaverim. Domum vetustate collabentem restituit Sigismundus Octavianus de Longiano, cui hoc monumentum Fratres posuerunt: *D. O. M. Dom. Sigismundo Octaviano Longianen. quia vetustissimam Ecclesiam & domum angustam, rudem, deformem, claustri, turrisque structura restituit, adauxit, decoravit cum fornicibus undequaque. Superior & Fratres munificentiam ejus perpetuo hic memorandam fecerunt; anno Domini* MDCXIX. Octavianus de Octavianis stabilivit perpetuos reditus pro alendo annuo concionatore. Celebrata sunt hic duo Comitia Provincialia anno MCCCCXCIII. & anno MDXLII. nec non & anno MDCXVIII. congregatio Provincialis, in qua numerati sunt Fratres ferme trecenti. Floruerunt hic aliqui Viri docti, inter quos frater Bernardinus Inquisitor hæreticæ pravitatis in tractu Ariminensi. Cœnobium Fractæ in territorio oppidi Roversani, non longe ab urbe Cesenæ ab Universitate, uti ferunt, constructum. Cœnobium Castricarii, de quo nihil extat memoria dignum, destructis omnibus, & direptis scripturis in bellis Florentinorum.

Conv. Longiani.

XXXIV. In provincia sancti Antonii, & Custodia Patavina Cœnobium Vincentiæ, in quo floruerunt Mag. Lazarus præceptor Jacobini de Bargio, & Albertus Episcopus Tarvisii, de quo alias locuti sumus. Cœnobia Montis-Silicis, Estensis sive de Atteslis, Lendenariæ, Plebis-facci, unde originem traxisse ferunt beatum Jacobum martyrem a Padua cognominatum, sanctæ Mariæ de Basciano, cui annexus fuit Prioratus sanctæ Mariæ a Paulo III. Quartaroli, sive Quartaroduli, prope Paduam Begulentæ, & sanctæ Ursulæ.

Tom. 5. an. 1355. n. 17.

XXXV. In Custodia Veneta Cœnobia sancti Nicolai. Clugiæ, Feltrii, ubi floruit Mag. Aloysius hæreticæ pravitatis Inquisitor, Asilii sive Asoli. In Custodia Foro-Juliensi Cœnobia Castelli, Villæ-altæ, Fulcinicii sive Pulcenici, Goritiæ, ubi est in veneratione oratorium sancti Antonii. In Custodia Veronensi Cœnobia Ripæ & Coloniæ.

XXXVI. In Provincia, & Custodia Mediolanensi, Cœnobium Sorani, alias Saroni, ubi floruit Petrus Fusus insignis concionator, & Mag. Ludovicus publicus Professor Ticinensis. In Custodia Modoetiæ Cœnobium a quodam Imperatore constructum, & aliud Opprevi a sancto Francisco fundatum, in quo beatus Amadeus primam Missam cantavit, & reait annis sex, uti patet in ipso Ecclesiæ vestibulo: tertium Vicomercati: quartum Margliani, alias Mariani. In Custodia Brixiensi Cœnobia Isei prope lacum, a quo nomen accepit, ubi beatus Amadeus aliquanto tempore commoratus est, & Vallis Camonicæ. In Custodia Comana Cœnobia Lugani, in quo prius erat Sacellum sancti Nicolai, & alterum Lucarni, de quo nihil Rodulphus. In Custodia Vercellensi Cœnobia Meellæ, Augustæ Prætoriæ, in quo floruit Mag. Antonius a Sapientibus, Generalis, qui Concilio Tridentino interfuit, vitæ probitate & doctrina spectabilis; & domus Osculæ, de quo nihil occurrit memorabile.

XXXVII. In Provincia & Custodia Januensi Cœnobium Cluvarii. In Custodia Astensi Cœnobia Albæ Pompejæ, Montis-calvi, & Corsimilii. In Custodia Albinganensi Cœnobia Nobense, Cevæ, Montis-Vici, & Fossani. In Custodia Pedemontis Cœnobia Pinaroli, quod plurimum exornarunt Mag. Antonius insignis concionator, & in Scholasticis disciplinis eruditus, Mag. Bartholomæus Provincialis, & Mag. Ludovicus Lector Taurini. Et Cœnobium Riparoli. In Custodia Montis-ferrati Cœnobium Casalis sancti Evasii, quæ Civitatis titulo decorata est a Sixto IV. ad preces Guillelmi Pa-

Plura recensentur Cœnobia.

Palæologi Marchionis Montis-ferrati. Floruit ibidem Mag. Joannes de Casali, qui plures quæstiones edidit in Philosophiam & Theologiam, & Mag. Guillelmus Generalis. In Custodia Papiæ Cœnobium Viguerii, alias Viglevani, cujus originem se minime invenisse fatetur Simon Puteus, qui prædicti oppidi res & principium descripsit.

XXXVIII. In Provincia Dalmatiæ & Custodia Ragusii Cœnobium Dyrrachii, ubi floruit beatus Antonius Dyrrachinus Antistes Dirrachiensis, miraculis clarus, qui multis annis Sarracenis fidem Christi prædicavit. Cœnobia Dulcini seu Olcinii, Cathari, in quo floruit beatus Adam prædicti beati Antonii in prædicatione socius; & sub Gregorio XIII. Franciscus Episcopus Catharensis, qui populo gratus & civibus, dum jura suæ Ecclesiæ defendere, & ablata repetere tentat, veneno extinctus est. Scutari, Antibari, Daxæ, & Corzulæ, sub titulo sanctæ Mariæ Gratiarum, II. M. P. extra civitatem in cujusdam scopuli jugulo communi urbis ære fabricatum. Sævissimo exorto inter Turcas & Corzulanos bello, Fratrum domicilium ab hostibus exustum, sed commodius a civibus refectum est. Sunt hic devotissimæ Christi, & Virginis Mariæ imagines, quarum virtute & patrocinio, mulieres Corzulanæ, fugientibus maritis, insignem reportarunt de Turcis victoriam, & urbe potitos animo plusquam virili repulerunt.

Conv. Dyrrachii.

Conv. Corzulæ.

XXXIX. In Custodia Jaderensi Cœnobium Pagi, & alterum Pagmani, alias Pasmanii ab illustri familia Clocochichia ac Banovina, in honorem beati Dumni M. P. ab oppido in cujusdam scopuli clivo constructum, in quo frequenter Comitia Provincialia celebrata sunt. Cœnobia Podnovi, sive Podueni, Berberii, ubi jacet quidam beatus Andreas; Scardonæ, & Spallesi. In Custodia Arbensi ipsum Arbi Cœnobium, aliud Sæviæ, tertium Mordusiæ, quartum Chersii, in quo jacet frater Michael sanctitate & prodigiis insignis. In Custodia Istriæ Cœnobium Polæ, in quo beatus Otto multis effulsit miraculis, & fabricam auxit frater Antonius Episcopus Polæ in Absaro; Cœnobia Parentii, alterum Serrani, ubi floruit Magister Valengus Provincialis. Justinopolitanum ubi floruit beatus Monaldus, de quo alias dictum est. Muglense, & Vallis, in quo jacet frater Julianus, ejusque festum ibidem celebratur.

Tom. 6. an. 1314. n. 9.

XL. In Provincia Terræ Laboris, & Custodia Neapolitana, Cœnobia Theani, Suessæ, a Suessanis sub titulo sancti Joannis concessum; & Nolæ constructum ab Illustrissimo Domino Nicolao Ursino, ejusque familia, in loco ubi prius extiterat sacellum sanctæ Margaritæ jurispatronatus prædictæ familiæ Ursinæ. In Custodia Salernitana Cœnobia Surrenti, Castrimaris, Ravelli, Giffonis, ubi floruit Magister Leonardus de Rubeis, Ordinis Primicerius, & Cardinalis, de quo alias actum est: necnon Lucas Gauricus Astrologus insignis, Paulo III. apprime carus; & Valentinus Camarotus, prius Medicus Patavii famosus; & Sarni Cœnobium a Sarno amne nuncupatum, prope quem fons emanat tantæ frigiditatis, ut si rubra vina aliquanto tempore in phialis immittantur, albescant. In Custodia Principatus Cœnobia Marsici, Oletæ, Mari, Diani, Saponariæ, Cuculli, Montelaris, & sanctæ Mariæ. In Custodia Beneventana, Cœnobia Ariani sub Pio II. anno MCCCCLXIII. procurantibus Illustrissimo Comite Ennico*, & Cobella ejus uxore ad Observantes translatum; Montis Sarculi, ubi floruit vir doctus Joannes Antonius. Montis Fusculi non longe a Benevento, ubi vixit Magister Hieronymus Denshuvis Provinciæ Minister, cessitque Provincialatu sub regimine Laurentii Spathæ Generalis. In Custodia sancti Benedicti Cœnobium Fundarum ad C. P. extra civitatem, paulo ante hoc tempus ab

** In veteri editione perperam Henricus legitur.*

ab Honorato Gaetano Comite extructum: & anno MCCCCLXXVII. ab Honorato altero hujus nominis secundo, ad Observantes translatum, & magna ex parte restitutum. Dum illac in Regnum Neapolitanum anno MDCXXIX. transirem, has exscripsi memorias. Super portam templi in marmore: *Honoratus Gajetanus secundus de Aragonia F. F.* Super iconem magnam in templi capite habentem imaginem beatæ Virginis in ulnis filium gestantis, sanctorum Francisci a dextris, & Antonii a sinistris, & subtus ipsius Honorati ad pedes beatæ Virginis genuflexi cum insignibus Gajetanorum ex utroque latere: *Illustriss. Honoratus Gajetanus II. de Aragonia, Fundorum Comes VI. Regni Sigill. Logotheta & Prothonotarius an.Dom.*MCCCCLXXXIII. 1. *Decembris. Christophorus de Verona pinxit.* In choro ad latus Evangelii conspicitur ejus sepulcrum in muro paululum a terra erectum, & in marmore incisum istud epitaphium: *In hoc Mausolæo repositum est corpus Illustrissimi Honorati, II. Gajetani de Aragonia, Fundorum Comitis, qui in vita sua dilexit Deum, & multas Ecclesias reparavit. Obiit anno MCCCC. LXXXXI. die* XXV. *Aprilis* IX. *Indictione.* Cœnobia Soræ, Arpini, Temperani, Oliveti, & Aquini.

XLI. In Provincia Pennensi Cœnobia Fonticularum, Offeni, Castri veteris, ubi conservatur ampulla sanguinis sancti Francisci, qui in die sacrorum Stigmatum effervet. Sulmone, in quo vixit frater Petrus de Consano sacræ Theologiæ Magister, & Ordinis Primicerius, de quo suo loco actum est. Cœnobium Poperi, sive Populi. In Custodia Pennensi, Cœnobia Cataviari, Adali, Pontariæ, Laureti, Celani, ubi floruit frater Thomas de Celano, quem alias diximus sancti Francisci vitam scripsisse, & prosam illam defunctorum: *Dies iræ dies illa*, ex aliquorum sententia, edidisse: ubi etiam sanctus Franciscus cuidam militi, qui eum hospitio excepit, mortem prædixit. Cœnobia Manupelli & Torti. In Custodia Theatina ipsum Theatis Cœnobium, & quæ sequuntur, Lanciani, ubi anno MCLXXXIV. accidit, quod quædam mulier, Boma nomine, sub habitu S. Francisci suam tegens pietatem & religionem (sicut & alias fecisse dicemus inferius) inter fratres religiose conservata, detecta est, & dimissa, ut recluderetur in Monasterio Monialium. Ortonæ, Piscariæ, Palenæ, Guardiæ, ubi reperitur venerabile caput beati Nicolai de Majello ad altare sacelli Ursinorum. Francavillæ & Ludani, ubi reperitur miraculosa hostia conversa in carnem, & servantur reliquiæ sanguinis miraculosi. In Custodia Aridensi, sive Adriensi, ipsum Aridæ Cœnobium, in quo floruisse diximus beatum Andream de Andria; Cœnobium Peleni, Vallisi, Civitatis sancti Angeli, Silvici, Montis-Silvani. In Custodia Aprutina, & Marsicana nihil occurrit præter sola nuda nomina Cœnobiorum, nisi quod Avezanum, & Taliacozzi fundaverit familia Ursina.

An.1181. n.1.
Tom.2. an.1230. n.7.
Tom.3. an.1141. n.13.

XLII. In Provincia sancti Angeli & Custodia Comitatus Molisæ, Cœnobia Venafri, Boajani, Campi-Bassi, Angloni, & Planitii. In Custodia Civitatis Cœnobia Guillionisii, Alareni, Civitatis, Procinæ Termularum, Vasti, & Montis Oderici. In Custodia sancti Angeli Cœnobia Manfredoniæ, sancti Joannis Rotundi, Vestarum, Pasquitii, Rodi, Camani, Ischitellarum. In Custodia Capitiniatæ nihil est memorabile, præter ea quæ alias diximus.

XLIII. In Provincia sancti Nicolai sive Apuliæ, & Custodia Barolitana Cœnobia Baroli, in quo beatus Adam Rufus, Andriæ, in quo frater Landus Tarantinus Minister Apuliæ, sanctitate & miraculis insignes; Amalphitanum, in cujus termino, in Monasterio sancti Stephani sanctus vir frater Gismundus in veneratione habetur, Canusii, & Venusiæ beatæ Virgini de Pace dicatum extra oppidum, Horatii poetæ ortu celeberrimum, paulo ante hoc tem-

pus

pus ab illustrissima Heroina, Maria Donata Ursina fabricatum. In Custodia Barensi Cœnobia Malfitanum, alias Malfeti, Vigiliense, Trani, Juvenacii, ubi floruit Magister Joannes Vallonus, qui formalitates Scoti illustravit. In Custodia Tarentina ipsum Tarenti Cœnobium, ubi floruit Magister Pyrrhus vir doctus, quem Tarentinorum Princeps Legatum misit ad Pium II. in Conventu Mantuano commorantem; & Cœnobium Monopolitanum, unde oriundus frater Anselmus Marzatus Cardinalis Monopolitanus Capucinus. In Custodia Brundusii ipsum Cœnobium Brundusinum, & Hydruntinum. In Custodia Materana, urbis Materæ Cœnobium, alterum Gravinæ, tertium Tricarici.

XLIV. In Provincia Calabriæ & Custodia Rhegina Cœnobium Jeraciense vetustum, in quo floruerunt frater Bernardinus Barbatanus, hujus Provinciæ Minister, & frater Leonardus Ventura insignis Concionator. Jacet in Chori dextera parte in sepulcro marmoreo Nicolaus Rubeus Comes Jeracien. & Baro Brozzani ac Bovalini. Cœnobium Seminariæ ignoti temporis & auctoris, origine tamen tertium hujus Provinciæ. Extructum est ad ipsum urbis ingressum in publica platea, qua de causa ad frequentem populi concursum annui & quadragesimales ibi habentur sermones. Inservit Tironibus educandis, ibique floruerunt tres viri docti, & in regimine experti, ejusdem, uniusque familiæ Fantinæ, frater Thomas ter Minister hujus Provinciæ, Dominicus, & Leonardus, qui eamdem etiam rexerunt. Magister Guillelmus egregius Concionator præclarum sydus ubique appellatus, Anibal Caballicensis & alii. In Custodia Cutronis, ipsum Cutronis Cœnobium extructum, uti ferunt a beato Pierio sancti Francisci socio, cujus corpus honorifice asservatur in sepulcro marmoreo, effundebatque pretiosum liquorem ab incolis manna dictum, morbis vulneribusque medicandis efficacissimum, donec quidam ex familia Luciferana effingens uxorem ægrotasse, accepit a Guardiano vitriolum hujus medicaminis, ille autem applicuit molossi, quem in pretio habebat, cicatricibus, a quo tempore prædictus liquor emanare cessavit. Multa referebantur hujus pii Viri miracula, sed periit Codex MSS. in quo simul cum vita recensita erant, pereuntibus etiam reliquis scripturis, flagrante Cœnobio Catanzarii, quo fuerunt transmissæ, quando istud Cutronense, quod extra urbem destructum fuit, ne irruentibus Turcis deserviret in præsidium. Intra urbem prope mœnia, & Episcopatum construi cœpit aliud sub annum MDXL. sed dum Clerus simul cum Episcopo se opposuit, Cosmus Cirus Provincialis obtinuit a Paulo III. commissionem ad Decanum & Cantorem Squillacien. ut contradictores compescerent, quod & illi fecerunt, & opus Fratrum industria continuum accepit incrementum, licet situs angustia impediat, ne Cœnobium perfectum accipiat complementum ad mensuram & proportionem pulchræ, quam Fratres ædificarunt, Ecclesiæ. Cœnobium Squilacii in urbis ferme meditullio, incerto tempore extructum in ædibus Comitis Martorani, nobilissimæ familiæ Marzanorum. In Choro sepultus est Anonymus Episcopus Minorita, Coadjutor Episcopi Squillaciensis, qui longo tempore aberat a sua Sede in Hispania. Floruerunt ibidem Lactantius Arturus vir doctus, qui varia scripsit, hanc Provinciam rexit, & Ordinis deputatus est Procurator Generalis; Joannes Antonius Rhodius nobili genere ortus, hujus Provinciæ moderator, & in arte metrica insignis; & Magister Paulus egregius Scotista. Cœnobium Novicastri vulgo Neocastri, antiquius sane quam reputat Rodulphus, qui sub Nicolao Summo Pontifice fundatum scribit anno MCCCCLXXII. assentiente Antonio illius urbis Antistite. Etenim præterquam quod in catalogo Pisani hoc tempore exhibito recen-

Conv. Cutronis.
B. Pierius.
Conv. Squillacii
Conv. Novicastri.

recenſeatur, non conſentiunt annus & Pontificatus, quos præſcribit. Illo anno MCCCCLXXII. Sixtus IV. non Nicolaus quiſpiam ſedebat: quare omnino error irrepſit in numeros, neque aliunde melius corrigi poterit, quam ex catalogo Antiſtitum Neocaſtrenſium, & tempore quo ſedit prædictus Antonius. Titulum habet ſanctæ Mariæ de Gratia, & ſitum in media urbe in loco dicto Cutura. Floruit ibidem Magiſter Thomas Porta, dictus Neocaſtrenſis vir doctus, & in declamando inſignis eloquentiæ.

XLV. In Cuſtodia Vallis Cœnobium Amacheæ ſive Amantheæ, urbis maritimæ, diœceſis Tropejæ, conſtructum, uti ferunt, a beato Pierio ſupradicto ſancti Franciſci ſocio intra civitatem prope arcem. Cœnobium Conſentinum ex communi urbis ærario paulo poſt religionis exordium fabricatum, & anno MCCCCXXXIV. translatum ad Patres Obſervantes. Jacent in Eccleſia tres Fratres profeſſione laici, ſed virtute conſpicui, Antonius Citrarius, Angelus, & Zacchæus Conſentini. Mirum illud ſane quod cum frater Zacchæus inſereretur ſepulcro fratris Angeli, ante aliquot annos defuncti, cunctis qui aderant ſpectantibus, digneque admirantibus, hic integro adhuc cadavere, loco ceſſerit meliori fratri Zacchæo, ſibi olim amiciſſimo, uti ceſſiſſe dicitur ſanctus Laurentius corpori Protomartyris Stephani in ſuum ſepulcrum illato. In Sacrario ſumma in veneratione habetur corpus fratris Joannis a Caſtrovillari Diaconi, ſanctitatis opinione apud Conſentinos celeberrimi. Aſſervatur ibidem inter alia diplomata unum Clementis IV. quo primo anno ſui Pontificatus concedit Indulgentias inviſentibus altare majus in die dedicationis templi, aliiſque feſtivitatibus, unde confirmatur hujus Conventus vetuſtas. Cœnobium Mocoronii, cujus veſtigium aliunde, neque ex Rodulpho, neque ex MSS. monumentis illius Provinciæ ad me miſſis poſſum comperire, niſi fortaſſis illud ſit, quod Martorani appellant, & a ſupradicto Pierio volunt inchoatum extra civitatem in ſaltu amœno, in quo tamen frequenter audiuntur: *Ore truces ululare lupi ſub nocte ſilenti*. Ipſa civitas ædificata eſt in colle, undique præruptis rupibus defenſa, unoque tantum itinere pervia. Caſulas habent agricolæ ex materia vili, atque in his compreſſi velut apes in alveariibus, habitant. In Campana prima Conventus inſculptus eſt annus MCCCXIV. Indictio II. Floruerunt hic docti Magiſtri ſacræ Theologiæ Petrus Strange, Franciſcus Flaſcineus, hujus Provinciæ Miniſtri, & Marcus Antonius Paſſarus, qui bis eamdem gubernavit.

Conv. Conſentin. — *Gonz. in Prov. Calabr. Conv. 7.* FF. Antonius, Angelus, & Zacchæus Conſentini. — Fr. Joannes a Caſtrovillari. — Conv. Martorani.

XLVI. In Cuſtodia Caſtrovillarum, ipſum ita appellatum Cœnobium, extructum a beato Petro de ſancto Andrea Fanen. beati Franciſci diſcipulo (mortuo uti in additionibus ad tomum quartum referimus, anno MCCLXIV.) in centro oppidi diœceſis Caſſanen. Floruerunt hic Viri præſtantiſſimi in Theologia Scholaſtica, & ſacris concionibus, Victorius Capellus bis hujus Provinciæ Miniſter, Petrus Piſtorienſis, Antonellus Marcheſius, Martialis Pelegrinus, qui interfuit Concilio Tridentino, & duodecim annis rexit cathedram Metaphyſicæ in Academia Patavii, obiitque anno MDLXXVI. Kalendis Januarii. Antonius Macrinus, Jacobus Muſſitanus, Philippus Geſualdus Ordinis Generalis, & poſtea Epiſcopus Cariaten. de quo diffuſius ſuo loco differemus. Hieronymus Muſſitanus, bis illius Provinciæ Miniſter, qui multiplici beneficio & ornamento ſibi hanc domum devinxit. Cœnobium Maræ, de quo nullum apud alios reperio veſtigium; vel periit, vel fortaſſis illud eſt, quod Marcenſe, vel ſancti Marci alii appellant, & nos ſuo loco deſcripſimus. Cœnobium Caroliani a prædicto beato Petro, uti ferunt, conſtructum longiuſcule ab oppido in loco, quem Curiæ Viridarium appellant, ubi rudera, & Eccleſiæ norma adhuc apparent. Translatum eſt ad alium

Conv. Caſtrovillarum. — *Tom. 4. an. 1320. n. 8.* — Conv. Caroliani.

alium locum, oppido viciniorem per Comitem Rogerium, uti communis fert traditio, cui adstipulatur ejus sepulcrum lapideum, & stemmata in Ecclesia. Floruerunt hic Franciscus Puliesius hujus Provinciæ Minister, vir doctus, Petrus Corina, qui fuit Commissarius in Provincia sancti Angeli, Andreas Provincialis Terræ Sanctæ, & alii. Cœnobium Scaleæ oppidi maritimi, diœcesis Cassanen. a beato Pierio supradicto extra oppidum prope littus fundatum. Est ibi malus medica ab eodem Pierio plantata, cujus fructus & folia variis morbis curandis frequenter probantur efficacia.

XLVII. In Provincia Siciliæ & Custodia Agrigentina Cœnobium sancti Joannis, sive Castri-Joannis constructum in prætorio Comitis prædicti Castri, qui a Regibus Siciliæ defecit. Conflagratis ejus ædibus, area concessa est Fratribus cum adjuncto sacello sancti Andreæ, ubi erecta erat confraternitas sancti Spiritus, qua de causa & Spiritui sancto, & beato Andreæ a prima Cœnobii constructione, & aræ, & peculiares indictæ sunt solemnitates. In Custodia Drepani Cœnobium Montis sancti Juliani fundatum ab Illustri Comite Francisco Vintimillio, sub invocatione sancti Francisci. In Custodia Siracusana, Cœnobia Ragusiæ, sive potius Raccudiæ, de quo nihil memorabile occurrit, & Calatajeronis extructum, sub invocatione sancti Michaelis, sed nunc appellatur sancti Francisci. Ibi jacet quidam beatus Richardus, qui multorum morbos sanavit, & plurima patravit miracula, quæ in peculiarem congesta sunt libellum, in hoc Conventu diligenter asservatum. Conven. Castri-Joannis.

XLVIII. De provinciis Romaniæ & Terræ sanctæ (quas tunc sub Vicariarum nomine recensuit Pisanus, & propterea nos post omnes provincias etiam Ultramontanas exscripsimus) nihil est relictum memorabile, destructis omnibus per Sarracenos, præter loca sancta Hierosolymorum, Bethlehemitanum, & Constantinopolitanum, sive Peyræ, de quibus suis locis actum est, & de aliis, quæ vel ex Vaticanis monumentis, vel aliunde occurrebant. In provincia Romaniæ, & Custodia ac Cœnobio Nigropontis floruerunt & sepulti sunt frater Matthæus vir sanctissimus miraculis illustris, & frater Petrus vir optimæ vitæ, multa passus a virtutum omnium adversario. Sæpissime conatus est eum ab oratione deturbare; dolebat enim ad hujus ferventes preces frequentem tribui peccatoribus remissionem. Semel id ipsum magno tentavit conatu, nec potuit, dumque in his occuparetur insidiis, vocatus a quodam incantatore, moram in tentationibus protraxit. Demum vocanti obsecutus, interrogatusque cur tandiu venire distulerit? respondit se totum huic uni addictum, ut quemdam fraterculum Minoritam Petrum ab oratione retraheret, & postremo oleum, operamque omnem perdidisse. His auditis incantator resipuit, videns quam infirmæ sint dæmonis vires contra eos, qui Christianam sectantur justitiam, præsertim eos qui jugiter sanctis precibus Deum interpellant auxiliatorem. De provinciæ Terræ sanctæ martyribus partim sub compendio, partim diffusius locuti sumus, de aliis suis temporibus locuturi. Tom. 7. an. 1342. n. 26. & an. 1326. n. 12. Frat. Petrus Nigropontis.

XLIX. Post absolutum catalogum Cœnobiorum familiæ Cismontanæ, a Pisano Comitiis Generalibus traditum, hic exhibeo unum, aut alterum Cœnobium, hoc ipso anno extructum, & ab illo minime recensitum. Primum urbis Fesularum, in territorio tamen Florentino, a sancta Maria Floris, sive Annunciata, nunc a sancto Francisco nuncupatum, admisit frater Joannes Stronconius strictioris Observantiæ, beati Paulutii Fulginatis discipulus, sibi oblatum a Guidone Thomæ Palagio, quem Gonzaga Thomam de Palatio nuncupat, viro nobili, cive Florentino, atque ædis patrono. Situm erat Conven. Fesularum. *Marian. cit. Gonzag. in Prov. Tuscia Con. 1. Marc. cit. c. 7.*

erat ad III. M. P. a civitate Florentiæ, in cacumine Montis prope Fesulas, ubi olim erat fortalitium, & tunc habitabant Moniales Ordinis sancti Augustini, laxatæ tamen disciplinæ. Nolebat pius pater, ut propter se suosve consodales loco pellerentur, urgente tamen socio beato Angelo a Monte-Leone, ut pietati acquiesceret utriusque civitatis Florentinæ, & Fesulanæ, quæ hujus Instituti viros habere cupiebant, & legitimas dicente causas subesse, ut Moniales alio transferrentur, atque amplius prædicente prodituros ex hoc loco, tamquam ex fœcundo Sanctuario insignes pietate viros, qui novello Instituto adjutorium, & universæ religioni magnum adveherent ornamentum, admisit, quæ sibi offerebantur. Habito consensu Ministri provincialis Tusciæ, & Pontificia auctoritate translatis Monialibus ad commodum Monasterium de Lapi nuncupatum, prope Florentiam, derelictas ædes in oportuniorem formam Guido benefactor reduxit. Porro hoc anno (non MCCCXC. uti habet Gonzaga) hæc facta fuisse evidenter probant litteræ Pontificiæ: *Sacræ religionis*, VI. Idus Februarii. Primus hic fuit Observantiæ Conventus in provincia Tusciæ, & vigesimus tertius totius familiæ, cujus primi Incolæ tam insigni floruerunt pietate & virtute, ut longe lateque bonum nomen illorum diffunderetur. Paupertatis ultra quam dici possit, studiosi, angustos statuerunt vitæ transigendæ limites: habitum rudem segmentitium, panem arctum, & aquam brevem. Soli senes vinum delibabant, jubente Guardiano, sufficiebatque universis per dies quindecim phiala una, dum paucissimi vellent gustare, nullus bibere. Rarissime prodibant in populum, eaque modestia, ut lectissimæ fœminæ evocatas in conspectum filias ab his juberent discere gressus compositos, & oculos modestos. Hac vitæ disciplina universum hominum genus ad se trahebant, multos, qui imitabantur, plurimos, qui suspiciebant, omnes qui mirabantur. Inter eos, qui sua nomina dederunt, floruerunt pietate & miraculis, frater Thomas de Scarlino laicus, cujus gesta alias referemus, & corpus habetur in veneratione apud Reatinos; frater Clemens Capponius nobilis Florentinus; frater Franciscus Concivis, frater Nicolaus Antonii de Uzano vir ditissimus, & nobilis, qui facultates multas ante ingressum pauperibus distribuit, Monasterium Monialium Ordinis Prædicatorum in civitate Florentiæ ædificavit; Fesulis Xenodochium, quod Cippus dicitur, Fratribus infirmis hujus Conventus curandis, & forensibus recipiendis extruxit, & magnum legavit palatium Academiæ instituendæ in urbe Florentia. Functus est munere Vicarii regularis Observantiæ in hac Tusciæ provincia, & fuit socius sancti Bernardini; frater Joannes Riccius Florentinus, qui Commissarius & Vicarius fuit super Cœnobiola provinciarum sancti Francisci, Romanæ, & Etruscæ antequam dividerentur, & post hæc Vicarius in provincia Tusciæ; frater Antonius del Fornajo vir venerabilis & religiosissimus; alter hujus nominis Florentinus, & alii plerique, quorum nomina exciderunt.

Ann. 1418. & 1420.

Marian. cit. Chron. antiqua.

L. Hoc exemplo multi hoc subierunt Institutum, & qui non poterant, uxorum, consanguineorum, aliisque vinculis obstricti, cohabitabant, frequenter psallebant in choro, media nocte surgebant, communicabant pœnitentiis. Dum hæc domi referrent, & religiosissimam vitam describerent, excitabantur etiam fœminæ, filiæ, & ancillæ desiderio similis vitæ transigendæ, fuitque adolescentula, quæ ficto habitu & sexu, importunis precibus variis modis, uti tunc solebant, probata, recepta est ad tirocinium, expletura & permansura, nisi paulo post ab hero cognita domum invita revocaretur. Sub id tempus admissa fuit altera in Conventu Carceris As-

Fesulis puella mentito sexu fit Minorita.

Assisii, quæ prius vixit in claustro Monialium sancti Cerbonii prope Lucam, ex quo ejecta cum aliis propter exortas seditiones, sexum mentita virilem, Assisium venit, & in prædicto Conventu ferme annum explevit tirocinii. Ægrotans per sex menses, morti propinqua petiit se admitti ad solemnem professionem, qua emissa, Guardiano vitæ vicissitudines propalavit, & paulo post moriens sepulta est in Fratrum cœmeterio. Alia Sanctimonialis e suo dilapsa Monasterio, recepta est, sub habitu & nomine virili, in Monasterio Capriolæ prope Senas, perseveravitque aliquanto tempore, emissa solemni professione, donec tamdem agnita, reducta est ad pristinam clausuram. Rarum hoc & singulare postremis his seculis, sed non inauditum aut incredibile, maxime iis, qui Sanctorum legerint vitas; atque inter has illustrium fœminarum Eugeniæ, Euphrasiæ, Marinæ, Euphrosinæ, & aliarum cum sanctissimis Monachis, & Patribus effecti sexus diuturnum convictum, & contubernium. Prædicti Conventus Fesulani ampliata Ecclesia consecrata est anno MDXVI. die XIX. mensis Octobris ab Antonio de Bardis, Samacensi Episcopo, qui mox exuta dignitate Episcopali, annuente Leone X. Fratribus nomen dedit, & coram Cristophoro Forliviensi, Vicario Generali Cismontanæ familiæ, regularis Observantiæ solemne votum religionis emisit. Alia Assisii. Tertia Senis.

LI. Alterum Cœnobium est sancti Hieronymi, a *Slano* lingua Illyrica nuncupatum, propter situm in quo fundatum est in littore maris Ragusæi. Hinc non longe distant Christiani quidam Popovani appellati, tyrannico Turcarum Imperio subjecti, quibus duo hujus Cœnobii prædicatores ex Pontificum Romanorum indultis Sacramenta ministrant, verbum Dei exponunt, & quæ ad animarum curam spectant diligenter impertiunt. *Gonza. in Prov. Ragusii Conv. 5. Conv. Slani.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Non tantum Bonifacius peregrinantium Fratrum in obsequium, fidei societatem, data bulla: *Exultat cor nostrum &c.* VIII. Idus Januarii, quam refert Annalista, restaurare; sed etiam sub eodem tempore altera expedita in favorem eorumdem inter Infideles prædicantium, augere & constabilire procurat: *Et si ex debito &c.* VIII. Idus Januarii. Subindeque datis quibusdam aliis pro Bachalaureis commorantibus in Conventu Bononiensi: *Desiderantes &c.* XIII. Kal. Martii, & pro fratre Stephano Pœnitentiario Lateranensi: *Religionis zelus &c.* VI. Kal. Martii, ad alia non minoris momenti se convertit. Cum enim præpotentia Bandaratensium, quam Romæ exercebant, nimis fieret sibi molesta, Cajetam ivit: appropinquabat vero Magni Jubilæi annus, unde Romani Papam Romæ sedentem desiderantes, ad eum ob id Legatos expedivere: at hic Urbem repetere negabat, nisi Senatorem, quem ipsis dedisset extraneum admitterent, Bandaratensesque exauthorarent; qui tamdem assentientes, Senatorem Malatestam, filium Pandulphi Ariminensem, quem dedit admiserunt, ac ita compositis rebus, Romam rediit Pontifex; cum interea Capitulum Generale Assisii in Umbria celebrabatur, & Russia Vicarium Generalem habebat fratrem Henricum, ut ex Marco Corona Casimirus Biernaski refert. *Litteræ Bonifacii Pontificis. Indic. ex Vatic. Dogl. cit. f. 415.*

„ II. Beatus frater Petrus Calaber natione, Christi servus, vir pius ac modestissimus, Provincialatus Calabriæ munere functus, sanctitate præclarus, apud suos Calabros sarcina carnis solutus, hoc anno florebat, ut habet Gonzaga: Jacobus vero Umber, oratione, humilitate, con- *Fr. Petrus Calaber sanctit. claret. Fr. Jacobus Umber item.*

Catal. SS. & BB. Ordin.

„ templatione, ac miraculis insignis, in civitate Castellana debitum naturæ „ solvit etiam hoc anno, juxta catalogum SS. & BB. Ordinis Innocentio X. „ summo Pontifici dedicatum. Antonius Piscina cognomine, qui potens „ opere & sermone multis extitit causa salutis, Antignati Insubriæ oppidi, „ & Conventus sanctæ Mariæ de Gratiis XVIII. Provinciæ Mediolanensis „ illic extructi accola nonnumquam, famosissimus sui temporis Ecclesiastes, „ atque virtutibus omnino insignis extitit: sed Florentiæ huic seculo ne„ quam vale dixit hoc anno XVIII. Kal. Decembris, teste Arturo Monaste„ riense in suo martyrologio Franciscano secundæ editionis.

P. Brit. lib. 3. de Viris Illust. &c.

ARGUMENTUM.

Indicitur magna Jubilæi Indulgentia. Deponitur ab Imperio Wenceslaus, & eligitur Rupertus Dux Bavariæ. Placentiæ urbem magnis æstuantem dissidiis pacificat Silvester Senensis. Creantur Episcopi. Recensentur omissi Conventus familiæ Ultramontanæ.

Annus Jubilæi.

I. ANNUM hunc celebrem reddiderunt plenaria illa Indulgentia peccatorum, quam Jubilæum appellant, cujus lucrandæ gratia magna ex omni parte hominum multitudo in Urbem confluxit, etsi pestis & bella variis in locis Italiæ grassantia, itinera reddiderint difficiliora; & Wenceslai Imperatoris, ob socordiam, turpem vitam, & regnandi imperitiam exautoratio per Fridericum Coloniensem, Wernerum Trevirensem, Joannem Moguntinensem Archiepiscopos, & Rupertum Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem. His accessit voluntas & consilium Bonifacii IX. qui non nisi deposito Wenceslao, & substituto altero, tantæ Majestati magis idoneo, scissæ Ecclesiæ, & turbatæ Italiæ subveniri posse judicabat. Acta sunt hæc in Leinsteu superiori, die XX. Septembris, vel ut aliis placet XX. Augusti, quantumvis reliqui tres Electores vocati venire detrectaverint. Paulo post Wenceslao substitutus est prædictus Rupertus, cujus electionem ratam habuit Pontifex Bonifacius, & anno sequenti ipso Epiphaniæ die Coloniæ, quia Aquisgranum eum Regem nollet, coronatus est ab Archiepiscopo Electore. Ab hoc itaque tempore, licet non statim ubique obtinuerit Rupertus, ejus Imperium auspicabimur; & Wenceslaum patri & avo optimis Principibus per omnia dissimilem, in sua inertia torpentem, ventri, venerique indulgentem, ac in utramque aurem desidiose stertentem deinceps missum faciemus.

Exuitur Imperio Wenceslaus.

Substituitur Rupertus Comes Palatini.

II. Placentiæ perpetuo odio, & certo urbis interitu, inter se dissidentibus duabus illis factionibus Guelpha & Gibellina, in Italiæ perniciem a malorum omnium satore, & pacis inimico excogitatis, magnam, sane difficilem, assumpsit Provinciam frater Silvester Senensis Minorita, vir stabilis virtutis, minimeque vulgaris doctrinæ, easdem pacificandi; tamdem id assecutus est ineunte hoc anno, die XVII. Januarii, delectis septem viris pacis sequestris, & præscriptis quibusdam legibus, in quarum observationem octo millia hominum juraverunt, confectoque per Joannem de Roncoveteri inter Guelphos & Gibellinos de pace retinenda publico instrumento, subsecuta est solemnis civium supplicatio. Eodem tempore Bergomi floruit alter doctrina, & pietate spectabilis beatus Damianus Cararienis, qui concionibus, lectionibus, & sanctis operibus populum ad magnam frugem reduxit. Obiit Cremonæ, anno MCCCCI. & inter viros sanctos propter crebra miracula connumeratur.

Frater Silvester Severi pacificat Placentinos.

Locatus in histor. Placent. ad hunc annum.

Miech. Carrar. lib. 15. Annal. Ital.

Peregrin. in vinea Bergomen. p. 2. cap. 68.

B Damian. Cararien.

„ III. Hic

Additio Patris Lucæ Waddingi.

B Luciæ Calatagironen patria, & parentes. Vide Anton. Beatil in vita S. Nicol. lib. 7. c. 10. Pia ejus infantia.

„ III. Hic sub hunc annum memorare libet breviter vitam, & acta Luciæ virginis Siculæ, dum frustra ubique certum vitæ mortisque tempus, etsi diligentissime, perquisierim. Nata Calatagironi, nobilibus piisque parentibus, ab iis didicit Deum timere, assidue orare, pauperibus misereri. Anno ætatis VI. ad prædium paternum ducta, & infantili libertate a sociis dilapsa, arborem ascendit, ficus decerptura. Orta tamen repentina tempestate, tonitruis exterrita, & fulgure arborem exscindente, in terram dejecta perstitit immobilis. Obstupescenti venerandus adstitit senex, qui in pedes erectam blanditiis confortavit, & humaniter domum reduxit. Ad ostii limen valedicentem interrogavit puella, quisnam esset, qui tantam erga se præstiterat humanitatem? *Ego*, inquit, *sum Nicolaus Dei famulus, Miræ Episcopus, quem tui parentes impense colunt; hoc eis in tui tutela volui rependere beneficium*. Viri sancti reverentia perculsa, rem omnem parentibus narravit, divinoque excitata munere diligenter studuit se Deo servatori gratam exhibere. Crescens ætate crevit & virtute, ad opera pietatis promptissima, in templo prima, in mensa postrema. Mirabantur omnes in tenella virguncula tantum virtutis robur, mirabilem in oratione fervorem, constantissimum tuendæ virginitatis propositum, insatiabilem erga pauperes beneficentiam.

Adhæret Franciscanæ Salernitanæ.

„ IV. Ex Salerno in eam urbem venerat soror quædam Franciscana visum consanguineos, cui per dies aliquot illic hærenti, & religiosissimam vitam agenti, Lucia constanter adhæsit, neque ab ejus consortio blanditiis, aut injuriis potuit avelli. Subiit demum cogitatio; firmum sibi statum præfigendi, quo posset Deo securius famulari, rogavitque Salernitanam Magistram, ut viam aperiret. Respondit illa, Deo inspirationis auctori firmiter adhærendum, & proinde exeundum e domo paterna, ab universa cognatione, & a terra nativitatis; ita enim fore, ut pauciores, & debiliores in via Dei pateretur adversarios. Admisso libenter consilio cum redeunte clam noctu profugit Salernum, ibique in domo parentum religiosæ mulieris occulta permansit, donec illa viam universæ carnis ingressa regulare domicilium subire decrevit. Præter vetusta duo Clarissarum Monasteria, de quibus alias locuti sumus, erat alterum Franciscanum sub invocatione sanctæ Mariæ Magdalenæ, in quod non difficulter admissa, votisque nuncupatis, cœpit consociis prælucere omnimodæ virtutis exemplo.

Tom. 5. an. 1296. n. 19. Tom. 5. an. 1297. n. 55. Ann. 1446. n. 25.

„ V. Firmum sibi statuit religiosi ædificii fundamentum, profundissimam humilitatem, nullum abhorrens Monasterii vile obsequium, nullam admittens sui commendationem. Monasterii Præfectæ promptissime obediebat; non expectabat ut repeteretur præceptum, dicto citius obsecuta, nullam aliquando jussionis causam requirens. Seniores omnes consodales, tamquam Superiores venerabatur; æquales & juniores se digniores reputabat, ut omnibus subesset, in omnibus peculiares meditabatur excellentias. Orationi, & contemplationi assidue intenta, etiam dum manibus operabatur, preces non omittebat, semper, & ubique cum Deo protrahens colloquium. Affligendi corpus non erat modus, crebra illi verbera, panis arctus, aqua brevis; lectus humus, subucula cilicium. Duas tanti cruciatus excogitabat causas, ut scilicet Dei offensas vindicaret, & Christo passo compateretur. Adeo intenso dolore acerbas illius pœnas mente revolvebat, ut exanimis frequenter appareret. Singulis sextis feriis totius diei sibi indicebat silentium: ab ortu ad solis occasum

Christum Crucifixum manu gestabat, & oculis contemplabatur, sub noctem solius panis, & aquæ admittens refrigerium. Ut his liberius intenderet exercitiis solitaria quærebat loca, mœroribus opportuna, omnium Sororum fugiens conspectum.

Sanctissime audit.

VI. Dispersa per universam Provinciam Virginis fama, concurrebant plurimi, tamquam ad sacrum oraculum, inter homines consilium, apud Deum patrocinium postulantes. Omnes sanctam, omnes veræ religionis idæam, & virtutis exemplar proclamabant. Tamdem cursu feliciter consummato, diuturnis multisque corporis afflictationibus succumbens,

Et moritur.

in morbum incidit, diuque multipliciter vexata dolore, in nihilo tamen vitæ anteactæ, regularisque Observantiæ remisso rigore, felicem animulam suo reddidit Creatori. Nunc ejus corpus honorifice quiescit in Ecclesia Monasterii sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sororum Ordinis sancti Benedicti.

Qua de causa corpus ejus in Monasterio asservatur Benedictino.

Quomodo, vel quo tempore illuc delatum sit, varium est hominum judicium. Quidam asserunt, illo priori sanctæ Mariæ Magdalenæ Monasterio, in qua vitam subiit regularem, & corporis exuvias deposuit, propter rerum inopiam, & Sororum paucitatem extincto, reliquas cum regulis suis translatas fuisse ad hoc Benedictinum, transportato etiam corpore beatæ Luciæ. Ferunt etiam illud tunc miraculum accidisse, digito scilicet dexteræ manus Abbatissæ, ut primum advectum corpus reverita est, immisum vehementem dolorem, nullis medicamentis leniri potuisse, donec effusis ad sacram Virginem precibus, interne monita est aliquid corpori defuisse, eamque jussisse ut diligenter investigaretur, an pars aliqua remanserit in sepulcro; inventoque illo digito, quem dolebat Abbatissa, & corpori reddito, dolorem recessisse.

VII. Alii putant, Dei famulam adhuc viventem cum pauculis Franciscanis ad hoc Mnnasterium translatam fuisse, & sub regula, habituque priori illic decessisse. Provectæ quidem ætatis, & integræ fidei homines asserunt se vidisse simul illic congregatas utriusque Instituti Sorores, & tamquam in distinctis collegiis suæ professionis normam observasse. Non id quidem aden mirum, aut insolitum, quin alia hujusmodi præcesserint exempla. Tertio contendunt alii, hoc ipsum, quod extat Sororum Collegium, prius fuisse Franciscanum, in eoque primum receptam Luciam, & collectis illic inconditorum Monasteriorum, bellorum injuriis laxatorum, Sororibus Benedictinis, ad illud Institutum, superante hac parte, domum tamdem deflexisse. Ita etiam factum in aliis Monasteriis, in Barcinonensi sancti Antonii, & oppidi Mocluheni suis locis narravimus.

Vide ann. 1308. *ann.* 1447. *ann.* 1448.

Tom. 2. *an.* 1233. *ann.* 1493. *ann.* 1496.

VIII. In tanta opinionum varietate, quid certo affirmem, non habeo: nulla enim suppetunt monumenta, aut integra hujus Virginis acta, quæ facem præferant, aut ad perfectam rei notitiam manuducant. Sola extat apud illius Parthenonis Sorores legenda antiqua, sed incompleta, simplici stylo, & vetusto charactere membranis exarata, & officium, quod recitant in illius natalitio, ab aliquo Minorita compactum, ad similitudinem officii sanctæ Claræ, inde multis verbis, & semi-antyphonis, ac responsoriis excerptis. Lectiones porro ex ipsa miscebant legenda, uti Benedictinis erat in usu. Atqui in ea hæc habentur verba: *Tamdem sicut Deo placuit, adjuncta est Sororibus de Ordine Minorum, in loco sanctæ Mariæ Magdalenæ morantibus, quæ admirantes pulchritudinem, ac sanctitatem illius &c.* & infra: *Beati namque Francisci Regulam cum omni obedientia servare promisit, a quo promisso nullatenus deviavit &c.* & in officio passim inculcatur, sub sancti Francisci Regula militasse. Antypho-

Cum aperte cōstet fuisse Franciscanam.

phona tertia in primis Vesperis ita habet: *Hæc Virgo spernens gloriam, de mundo fert victoriam in Ordine Minorum, dumque Francisci studium sectatur &c.* Antyphona secunda nocturni secundi: *Francisci tenens formulam hæc Virgo Deo grata &c.* Responsorium primum ejusdem nocturni: *Francisci sequens Regulam cum sancta paupertate &c.* & in hemicyclo inuri super monumento conspicitur illius immago, habitu Franciscano, ab Andrea Salernitano, vetusto pictore delineata.

IX. Ex his duo habemus comperta, primum Franciscanis nomen dedisse in Monasterio sanctæ Mariæ Magdalenæ, sive illud hoc ipsum, quod nunc est, sive aliud fuerit distinctum. Secundum, sub Franciscana Regula semper vixisse. Unde manifeste refelluntur, qui eam Ordini Benedictino adscripserunt. Octavius Cajetanus Syracusanus, in idæa operis de *Caetan. fol. 135.* vitis Siculorum Sanctorum (etsi in ejus codicibus manuscriptis constet errorem deposuisse, & Franciscanam dixisse) Philippus Ferrarius in novo *Ferrar. ad 26. Septembris.* cathalogo Sanctorum, & Rochus Pyrrhus in notitia Ecclesiæ Syracusanæ, *Pyrrhus fol. 233.* qui amplius addit, in Monasterio Calatagironensi Benedictino professionem emisisse, & inde anno MCCCC. translatam fuisse ad fundandum Monasterium Salerni. Tertii autem fuisse Instituti, non secundi Clarissarum, *Sed Tertii Ordinis.* inde conjicio, quod Soror illa, quæ Calatagirone Salernum illam conduxit, Tertiaria fuerit; ita enim suadent libertas ad alias terras emigrandi, & in domo paterna conversandi, quæ Clarissis est interdicta, & imago ad sepulcrum depicta, quæ candidum tantum capitis præferi velamentum, Clarissæ autem nigrum adjiciunt.

X. Magno illic colitur honore corpus sericis involutum, quod conservatur in monumento marmoreo prope altare præcipuum ad latus Epistolæ, a terra ultra palmos septem erecto, quod in ipso muro, arcuato fornice superiori parte terminatur. Sub fornicem est supradicta effigies, habitu Franciscano contecta, capite radiis, & diademate circumamicta, manu dextera crucem, & lilium supra sinistram declinantis. E regione pendet lampas accensa, & circa tumulum multa donaria, tabulæ votivæ, & oculi argentei, propter beneficium restitutæ lucis affixi. Caput theca clauditur argentea, quod populo exponitur adorandum in ejus festivitate, & in base legitur, opus esse Dorotheæ Thesonæ ejusdem Monasterii Sanctimonialis, anno MDLXXXVI. celatum. Dens molaris in capsula servatur, catenula ligatus argentea, qui aquæ immersus a dentium dolore multos, aqua epota liberavit. Festivitas ejus celebratur, & Officium recitatur die XXVI. Septembris ex concessione Leonis X. pridie Kal. Julii, Pontificatus anno II. Reverendissimus Pater Innocentius Calatagironius Minister Generalis Minorum Capuccinorum, vir gravis & doctus, multis titulis commendabilis, suæ concivis veneratione instinctus, favore & patrocinio Julii Cardinalis Sabellii, qui nuper Archiepiscopatus Salernitani curam transtulerat in Fabritium Sabellum suum ex fratre nepotem, obtinuit insignem corporis partem, brachii scilicet os, quod ab humero ad cubitum extenditur. Ex tumulo præsentibus honorabilibus testibus extraxit die II. Januarii MDCXLIV. Julius Pepulus Archidiaconus, & Vicarius Generalis Salernitanus, & cum publico traditionis documento eidem consignavit in patriam ferendum, ut cultus Virginis illuc propagaretur, ubi ipsa feliciter propagata est.

XI. Qui sequuntur, hoc anno creati sunt Episcopi. Acconen. vulgo *Fr. Joann. Episc. Acconen.* *Acre*, alio nomine Ptolemais in Syria, sub Archiep. Tyren. frater Joannes Richardus Blunt de Helde, per obitum Nicolai, III. Idus Junii. Caurien. vulgo

Fr. Stephanus Caurien. Fr. Benedictus Laodicen. Fr. Nardellus Marsican. Fr. Stephanus Nathuanen. Fr. Paulus Arch. Nazaren. Fr. Bertrandus Episc. Samaritan. Fr. Antonius Scopien. Fr. Franciscus Bergomen. *Peregrin. citat. par. 1. cap. 50.*

vulgo *Coria*, in Extremadura, Hispaniæ regione, sub Archiep. Compostellano, frater Stephanus de Crivellis, per obitum Joannis, II. Non. Februarii. Laodicen. in Syria, sub Patriarcha Antiocheno, frater Benedictus Nicolai, per obitum Martini, IV. Kal. Maii. Marsican. in regno Neapolitano, & Provincia Lucania, sub Archiep. Beneventano, frater Nardellus de Gajeta, per obitum Petri III. Idus Junii. Nathuanen. frater Stephanus Petri, per translationem Joannis ad Ecclesiam Soltavien. XIII. Kal. Novembris. Nazarenus Archiepiscopus in regno Neapolitano, frater Paulus, per translationem Joannis ad Ecclesiam Eguinen. V. Idus Februarii. Samaritan. frater Bertrandus de Pogiis Parmen. per obitum Matthæi XVII. Kal. Junii. Scopien. sub Archiep. Præstamen. frater Antonius de Terano, per obitum Hermanni III. Non. Julii. Erat etiam hoc tempore Episcopus Bergomen. frater Franciscus de Pisis Lauden. translatus ab Ecclesia Cremonen. ad quam iterum regressus, obiit anno MCCCCII.

XII. Superest ut juxta superius promissa, exhibeamus hic Ultramontana Cœnobia a Pisano recensita, a nobis huc usque prætermissa, quia incognita fundationis tempora. Clarior tamen in istis, quam in Cismontanis notitia fecit, ut pauciora nos præterierint, quia dum in Gallia, & Hispania, omnia Minorum vetusta domicilia, & in aliis Provinciis plurima in Observantum transierunt potestatem, atque de omnibus, qua potuit industria, scripsit sigillatim illustrissimæ, piæque memoriæ vir Franciscus Gonzaga, minori opera, & majori operis compendio, licuit horum origines invenire: quapropter in aliquibus Provinciis, quas Pisanus recenset, forte nihil occurret huc transferendum. Damus prius catalogum ipsius Pisani, deinde quos omisimus Conventus.

NOMINA OMNIUM COENOBIORUM familiæ Ultramontanæ quæ hoc tempore extabant ex tribus Codicibus exscripta.

PROVINCIA SANCTI JACOBI

Habet octo Custodias.

Custodia sancti Jacobi habet.

	Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	S. Jacobum.	S. Jacobi, scilicet Compostella.	S. Jacobi, scilicet Compostellæ.
* Coruniæ.	Cruaam.	Corviensem. *	Cormensem.
* Betanzos.	Betanos. *	Bisacensem.	Bisacensem.
	Pontem veterem.	Pontis veteris.	Pontis veteris.

Custodia Auriensis habet.

	Auriam.	Auriensem.	Auriensem.
	Lucum.	Lucensem.	Lucensem.
* Viveriensem.	Umarium.	Vivariensem. *	Mariensem.
* Ripadaviensem.	Ripam evii.	Ripaviensem. *	Ripamensem.
	Villam Francam.	Villæ Franchæ.	Ville Franche.
	Montem Regium.	Regii.	Montis Regii.

Custo-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.	
	Cuſtodia Legionenſis habet.		
Legionum.	Legionum.	Legionum.	
Aſtarien.	Aſtoricæ.	Aſtoricæ.	
Onatum.	Ovetenſem.	Onetenſem.	
Abeleſium.	Abilifienſem.	Abilifienſem.	
Traeſium.	Cinegienſem. *	Cinegienſem.	* Tincienſes.
	*Cuſtodia Samotenſis * habet.*		* Samorren.
Samoram.	Samotenſem.	Samorrenſem.	
Taurum.	De Thauro.	De Tauro.	
Bunentum.	Benaventenſem.	Benaventen.	
Villam Ripadarz.	Villarigodenſem. *	Villa Ripadenſem.	* Villapanden.
Majoricam.	Majoricenſem.	Majoricenſem.	
	Cuſtodia Salamantina habet.		
Salamanticam.	Salamantinæ.	Salamantice.	
Civitatem Roderici.	Civitatis.	Civitatis.	
Placenciam.	Placentinum.	Placentinum.	
Plancam.	Bejarenſem.	Bajatenſem.	
Bezerii.	Paracenſem. *	Peracenſem.	* Pacen. ſive Badaiozii.
	Eremitorii S. Mariæ de Angelis.	Heremitorii S. Mariæ de Angelis.	
	Cuſtodia Colimbrienſis habet.		
Colimbriam.	De Colimbria.	De Colunbria.	
Portum.	De Portu.	De Portu.	
Urajonis.	Vimarii.	Jumarii.	
Breganciam.	Bregantium.	Bregantium.	
Guardiam.	Gardienſem.	Gardienſem.	
Covillianam.	Covalinienſem.	Conalimenſem.	
Sametum.	Lamacenſem.	Lamacenſem.	
	Cuſtodia Ulixbonæ habet.		
In Cod. Vat. nihil habetur hujus Cuſtodiæ, neque ſequentis.	De Ulixbona.	De Ulixbona.	
	Santarenienſem.	Sanctaremenſem.	
	Covilanienſem.	Coralamenſem.	
	Lancarienſem.	Laucarienſem.	
	Cuſtodia Elborenſis habet.		
	Elborenſem.	Elborenſem.	
	Bojenſem.	Boyenſem.	
	Extrimocenſem.	Extrunecenſem.	
	Tamenſem.	Taimenſem.	
	Portolatrenſem.	Portolatrenſem.	

PRO-

	Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

PROVINCIA CASTELLÆ

Habet octo Custodias.

Custodia Hyspalensis habet.

	Yspalim.	De Hyspali.	De Hispali.
	Cordubam.	Cordubæ.	Cordube.
* Xerezium.	Cericium. *	Gircensem.	Giricensem.
		Insulæ viridis, sive de Algizara.	Insulæ viridis, sive de Algicaria.
* Giennium.	Gehenium. *	Gihenensem.	Ghienensem.
	Beatiam.	Beatiensem.	Beatiensem.
	Obetum.	Ubetensem.	Ubetensem.

Custodia Toletana habet.

	Toletum.	Tolleti.	Tolleti.
	Gualdafajaram.	Gadalfajariæ.	Galdalfajarie.
	Talauconam.	Talaveræ.	Talanere.
	Villam Regalem.	Villæ Regalis.	Villæ Regalis.
* Madritum.	Majoricum. *	Marciensem.	Marcejensem.

Custodia Murtiensis habet,

	Murciam.	Murtiæ.	Murtie.
* Conchæ.	Concam.	Conchiæ. *	Conchie.
* Huetæ.		Liveti. *	Liveti.
	Aptam.	Optæ.	Opte.

*Custodia Sagaviensis * habet.* (* Segovien.)

	Segobiam.	Segaviæ.	Segame.
	Abulam.	Abulæ.	Abule.
* Collaris.	Coleram.	Ajellaris. *	Ayellaris.
* Arevali.		Arenoli. *	Arenoli.
	Ulmetum.	Oliveti.	Oliveti.
	Metinam.	Metinæ de Campis.	Metine de Campis.

Custodia Palentina habet.

	Palentiam.	Palentiæ.	Palentine.
	Vallem Oleti.	Vallis Oleti.	Vallis Oleti.
	Cajonem.	Carrionis.	Carrionis.
	S. Facundi.	S. Facundi.	S. Facundi.
	Penam fidelem.	Pennæ fidelis.	Penne fidelis.

*Custodia Burgiensis * habet.* (* Burgensis.)

	Burgis.	Burgi.	Burgi.
* Logronii.	Lutrovium.	Latroni. *	Lacronii.

Ca-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.	
Castrum Zencii.	Castri Cæsaris.	Castri Cæsaris.	
Benaforatum.	Beneforati. *	Beneforati.	* For. Veloradi.
Palentiolam.	Palentiolæ.	Palentio.	

*Custodia Bictoriensis * habet.* — * Victoriensis.

Victoriam.	Bictoriæ.	Brictorie.	
S. Andericum.	S. Anderiæ.	S. Anderie.	
Metmiam de Pomerio.	Metinæ de Pomatio. *	Metine de Pomatio.	* Metymnæ de Pomatio.
Frigeum.	Frigiæ.	Frigie.	
Castrum,	Bermei.	Bermer.	
Murandam.	Mirandæ.	Mirande.	

Custodia Soriensis habet.

Sorianum.	Soriæ.	Sorie.	
Almazanum.	Almasani.		
S. Stephanum.	S. Dominici de Silvis. *	S. Dominici de Sillis.	* Silos.
Atenciam.			* Atienſæ.
* Aillosii. Axillones. *	Atrencæ. *	Attrence.	

PROVINCIA ARAGONIÆ

Habet Custodias septem.

Custodia Barchinonæ habet.

Barcinona.	De Barchinona.	De Barchinona.
Gerunden.	Gerundæ.	Gerunde.
Vici.	Vici.	Vici.
Castillionis.	Castillionis.	Castillionis.
Villæ Francæ.	Villæ Franchæ.	Ville Franche.
	Bergæ.	Berge.

Custodia Hilerdæ habet.

Ylerdam.	De Hilerda.	De Hilerda.	
Terraconam.	Tatraconensem.	Traconensem.	
Dertusen.	Derthusiæ.	Dertusie.	
Servariam.	Zervasiæ. *	Cervasie.	* Cervariæ.
Morellam.	Morellæ.	Morelle.	
Montem-Album.	Montis Albi.	Montis Albi.	
Montem-sonum.	Montis Sonr.	Montis Soni.	
Taragam.	Terragem.	Terrage.	

Custodia Cæsaraugustæ habet.

Cæsaraugustam.	Cæsaraugustæ.	Cesaraugustæ.	* Oscam.
Foscam.	Ossæ. *	Osse.	
Tirasonam.	Cirafchiæ.	Trafchie.	
Iaca.	Iaccæ.	Iacce.	

• Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

	Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
* Exeæ.	Exeara.	Oxoæ. *	Oxoe.
* Bergiæ.	Barbastrum.	Barbastri.	Barbastri.
	Burgiam.	Burgi. *	Burgi.
* Satinienæ.	Sarayenam.	Certegenæ. *	Cerregene.

Custodia Majoricarum habet.

	Majoricarum.	Majoricarum.	Majoricarum.
	Minoricarum.	Civitadellæ.	Civitadelle.
* Ivisæ.		Iussæ. *	Iusse.

Custodia Valentina habet.

	Valenciam.	Valentiæ.	Valentiæ.
* Xative.	Xatraam.	Zacinæ. *	Cacine.
	Muri Vetera.	Muris Veteris.	Muris veteris.

Custodia Navarræ habet.

	Pampilionem.	De Pamphilone.	De Pampilone.
	Tutellam.	Tutellæ.	Tutelle.
* Sanguesam.	Sangosam.	Sanguosæ. *	Sanguose.
	Oletum.	Oleti.	Oleti.
	Stellam.	Stellæ.	Stelle.

* Saraviæ.

*Custodia Saraniæ * habet.*

* Calatajubium.	Calatavibrum.	Calatavilii. *	Calataruli.
	Turolium.	Turolli.	Turoli.
* Darocam.	Dorocam.	Derossæ. *	De Rosse.
	Molraam.	Molinæ.	Demoline.

PROVINCIA AQUITANIÆ

Habet decem Custodias.

Custodia Tolosana habet.

Tolosan.	De Tolosa.	De Tolosa.
Samatai.	De Sarano.	
Rivus.	Rivorum.	Rivorum.
Castrum novum.	Castri novi.	Castri novi.
Murellum.	Murelli.	Murelli.
Apanam.	Appamiarum.	Appanarum.
Insulam.	De Insula.	De Ursula.
Mirapitis.	De Miraspice.	De Mira Pisce.
Vaurum.	Vauri.	Nauri.

Custodia Albiensis habet.

Albium.	Albium.	Albium.
Rapistanum.	De Ripastagno.	De Ripastagno;

Lau-

ANNO CHRISTI 1400.	BONIFACII IX. ANNO II.	WENCESLAI IMP. ANNO 22. & 23.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 193.	
CODEX MSS. VATICANUS.	CODEX IMPRESSUS.	CODEX MSS. ARACOELITANUS.		
Lautricium.	Lauftricii.	Lanftricii.		
Caftas.	De Caftris.	De Caftris.		
	Cuftodia Auxitana.			
Sauxm.	De Auxo.	De Auxo.		
Tarbiam.	De Tarbia.	De Turbia.		
Vallem Caproriam.	Vallis Caprariæ.	Vallis Caprariæ.		
Nugarolin.	De Nugarolio.	De Nugarolio.		
Mirandam.	Mitandæ.	Mitande.		
	Cuftodia Agenen. habet.			
Agenti.	De Ageno.	De Ageno.		
Manfum.	De Mafo.	De Mafo.		
Conominum.	Candonii. *	Candonii.		* Candomii.
Marimandas.	Marmadæ. *	Marmade.		* Marmandæ.
Neriacum.	Neriaci.	Neriaci.		
Caftrum gelofium.	Caftrigelofii.	Caftri gelofii.		
Pennam.	De Penna.	De Penna.		
	Cuftodia Ruthenfis habet.			
Rutenam.	Ruthenæ.	Ruthenne.		
Figiacum.	De Figiaco.	De Figiaco.		
Aureliacum.	Aureliaci.	Aureliaci.		
S. Africanum.	S. Affricani.	S. Affricani.		
Villam Francam.	Villæ Franchæ.	Ville Franche.		
Ameliatum.	Amoliaci. *	Ameliati.		* Miliaci.
	*Cuftodia Caturchi * habet.*			* Caturci.
	De Caturcho.	De Raturcho,		
Gondium.	De Gordonio.	De Gordonio.		
Marcellum.	Marcelli. *	Marcelli.		* Marcelli.
Montem Albanum.	Montis Albani.	Montis Albani.		
S. Antonium.	S. Antonii.	S. Antonii.		
Montem Cuffi.	Montis Cafi. *	Montis Caffi.		* Montifcucii.
	Cuftodia Petragoricenfis habet.			
Petragoras.	Petragorarum.	Petragorarum.		
Secundam Fidem.	De Sancta Fide.	De Sancta Fide.		
Montranacum.	Montiniaci.	Montinati.		
Brageciatum.	Brageniaci. *	Bragemati.		* Brageraci.
Albam transMadolium.	De Alba Terra.	De Alba Terra.		
Valatum.	Salati. *	Salati.		* Sarlati.
	Oxidolii. *	Oxidoli.		* Ixidolii.

	Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Lemovicensis habet.

	Leraonicas.	Lemovicarum.	Lemonicarum.
	S. Iuraanum.	S. Iuniani.	S. Iumani.
	Nuntrodunum.	Nuntronii.	Nitronii.
* Donsimachil.	Docuraac.	Donzimaci. *	De Concimati.
	Buiam.	Briviæ.	Brume.

Custodia Baionæ habet.

	Baionam.	De Baiona.	De Bayona.
	Marcianin.	Montis Martiani.	Montis Marciani.
	Aquis.	De Aquis.	De Aquis.
* Morlanis.	Morlauis.	De Morlauiis. *	De Norlauiis.
	Olorum.	Oleri.	Cedi.

Custodia Burdegalen. habet.

	Burdegalam.	Burdegalæ.	Burdegalæ.
* Reolæ.	Reulam.	Regulæ. *	Regale.
		Sancti Macharii.	Sancti Macharii.
	Itasacii.	Assarii.	Assarii.
	Sanctum Emilianum.	Sancti Emiliani.	Sancti Emiliani.
	Liburnam.	Linorii.	Linorii.

PROVINCIA PROVINCIÆ

Habet septem Custodias.

Custodia Marsiliæ habet.

	Massil.	De Marsilia.	De Marsilla.
	Buoniam.	Brincolæ.	Briguole.
	Degman.	Righignani.	Richignani.
	Aquis.	De Aquis.	De Aquis.
	Grassam.	De Grassa.	De Grassa.
	Arearum.	Arearum.	Arearum.
* Niciæ.	Niceiam.	De Nizia. *	Niccia.

Custodia Arelatensis habet.

	Arelatæ.	De Arelatæ.	De Arelate.
	Bariscon.	Terrasconis.	
* Selli.	Vellonis.	Sollonis. *	Sollonis.
* Manuascæ.	Maurastæ.	Maiuassæ. *	Mamasse.
	Relaviæ.	Relauiæ.	Relanie.

Custodia Avenionis habet.

	Aumonium.	De Avinione.	De Avimone.
	Auraicum.	Auraicæ.	Aurayce.

Val-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
Valxiacum.	Valriaci.	Valriaci.
Montiliorum.	Montiliorum.	Montiliorum.
Infulæ.	Infulæ.	Infule.
Aptæ.	Aptæ.	Apte.

Custodia Alesti habet.

Aleftum.	De Alefto.	De Alefco.
Marologii.	Marologii.	Marogolii.
Minatis.	Minatis.	Ninatis.
Sancti Ægidii.	Sancti Egidii.	Sancti Egidii.
Argentariæ.	Argentarii.	Argentarii.
Albenarii.	Albenarii.	Albenarii.
Ulfeciæ.	Ufeciæ.	Ufetie.
Balneolis.	Balneolis.	Balneolis.
Andufiæ.	Andufiæ.	Andufie.

Custodia Montis Pesulani habet.

Montifpefulanum.	De Monte Pefulano.	De Monte Pefulano.
	De Aquis Mortuis.	De Aquis Mortuis.
	Neumafi.	Neumanfi.
	Lunelli.	Lunelli.
Agatæ.	Agræ.	Agare.
Gymati.	Givaci.	Germati.
Florenciacum.	Fiorenziaci.	Florentiaci.
Londonæ.	Landonæ.	Lendone.
Agarici.	Agantici.	Agantici.

Custodia Cistarici habet.

Ciftaricum.	Ciftarici.	Caftaria.
	Carpetras.	Carpetras.
Dignam.	Dignæ.	Digne.
Folquiliaquiri.	Folqualquerii.	Folqualquerii.
Vapinci.	Vapinqui.	
Ebredunum.	Ebrundunii.	
Regium.	Regii.	Regii.

Custodia Narbonensis habet.

Narbonam.	De Narbona.	De Narbona.
Bitis.	De Bitterris.	De Viterris.
Villam Francam.	Villæ Franchæ.	Ville Franche.
Perpinianum.	De Pirpignano.	De Pergignano.
Afilam.	Auxiliani.	Auxiliani.
Carcaffonam.	Carcafonæ.	Carcuftone.
Limofi.	Limofi.	Lunofi.
Podium.	Podii.	Podii.
Sardam.	Fordani.	Fordiani.

PRO-

PROVINCIA BURGUNDIÆ

Habet ſex Cuſtodias.

Cuſtodia Lugdunenſis habet.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
Lugdunum.	De Lugduno.	De Lugoluno.
Matiſconam.	Maciſonis.	Maciſconis.
Karillocum.	Cariloci.	Cari Loci.
Montem Briſonem.	Montis Briſonis.	Montis Bruſonis.
Vllam Francam.	Villæ Franchæ.	Ville Franchæ.
	Burgi.	Burgi.

Cuſtodia Divionis habet.

Diulnionem.	Divionis.	
Belnam.	Belnæ.	Belve.
Caſtillionem.	Caſtillionis.	Caſtilionis.
Barum.	Bari.	Bari.
Caſtrum Vilani.	Caſtri Viliarii.	Caſtri Villarii.

Cuſtodia Biſuntina habet.

Biſuntinum.	Biſuntinum.	Biſuntinum.
Salinum.	Salinenſem.	Salivenſem.
Ledoen.	Ledonenſem.	Ledonenſem.
Grejacum.	Grajaci.	Grayaci.
	Golenſem.	Dolenſem.

Cuſtodia Lauſana habet.

Loſanam.	Lauſanæ.	Lauſane.
Gebenas.	Gebenenſem.	Gebenenſem.
Grationopolim.	Granipolis.	Grationopolis.
Camberiacum.	Gamberiaci.	Camberiaci.
Nividunum.	Nividuni.	Nundini.
Grandiſonum.	Grandiſoni.	Grandiſoni.
Morentum.	Mojerenci.	Moyrenci.
	Cameræ.	Camere.

Cuſtodia Viennæ habet.

Vienna.	Viennæ.	Vienne.
Podium.	De Podio.	De Podio.
Anoviacum.	Annomaci.	
Valenciam.	Valentiæ.	Valentie.
Romanis.	De Romanis.	De Romanis.
Dyam.	Dienſem.	Dienſem.
Criſtam.	Criſtæ.	Criſte.
Montilium.	Montilii.	Motilii.

Cu-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
Custodia Alverna habet.		
Carum Montem.	De Claramonte.	De Claromonte.
Buatam.	Urivatensem.	Brinacensem.
S. Portianum.	S. Portiani.	S. Porciani.
Novum Montem.	Xioni.	Xiovi.
Ferradæ.	Montis Ferradi.	Montis Ferrandi.
	Silviniacf.	Silvimaci.

PROVINCIA TURONIÆ

Habet quinque Custodias.

Custodia Santonensis habet.		
Vantonas.	De Santonis.	Santonis.
Oleris Rupellam.	De Rupella olerum.	De Ripella olerum.
Insulam.	De Insula.	De Insula.
S. Joannem.	S. Joannis.	S. Joannis.
Bribezillum.	Berbetilli.	Berbetili.
Pontes.	De Pontibus.	De Pontibus.
Compuacum.	Compriaci.	Campriaci.
Engolismam.		
Custodia Bituriensis habet.		
Bituris.	De Biturica.	De Biturica.
Turonis.	Turonis.	Turonis.
Niveris.	Niveris.	Vineris.
Esoldumum.	Esolduni.	Esolduni.
Andegavis.	Andegavis.	Andeganis.
Lochas.	Lothas.	Locas.
Castrum Rodulphi.	Castri Cadulfi.	Castri Radosf.
Salmurum.	Falmuri.	Salmuri.
Custodia Britanic habet.		
Burgum novum.	Burgi novi.	Burginovi.
Novetis.	Navetis.	Navetis.
Redonis.	Rodonis.	Radonis.
Conzopiton.	Guincampi.	Gnycampi.
Ginnnicampum.	Corrizopici.	Corricopoti.
Venetum.	Venetum.	Venetum.
Dimiramum.		
Custodia Pictaviensis habet.		
Pictavis.	De Pictavis.	De Pictanis.
Niortum.	De Morto.	De Morto.
S. Martinum.	S. Maxentii.	S. Maxentii.

Mi-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
Mirabellum.	De Mirabello.	De Mirabello.
Lofdinum.	Jofduni.	Lofduni.
Pontimacum.	Columbæ.	Columbe.
Caftrum craudi.	Caftri.	Caftri.

Cuftodia Aurelianenfis habet.

Aurelianum.	Aureliani.	Aureliani.
Caftri Dunum.	Caftri Duni.	Caftri Duni.
Cenoniam.	De Cenomanis.	De Cenomannis.
Vendocinum.	Vendecini.	Vendeani.
Blefis.	De Allofis.	De Allefis.

PROVINCIA FRANCIÆ

Habet novem Cuftodias.

Cuftodia Parifienfis habet.

Parifien.	De Parifiis.	De Parifieis.
Meduntam.	Medanti.	Medanti.
Carnotum.	Carnoti.	Carnoti.
Pontifaram.	Pontiferæ.	Pontifare.
Meldis.	De Meldis.	De Meldis.
Silvanetum.	Salvaneti.	Vanecti.
Stampis.	Deftanipis.	De Stampis.

Cuftodia Campaniæ habet.

Senonis.	De Senonis.	De Senonis.
Trecas.	De Trechis.	De Trechis.
Altifiodor.	Antifiodori.	Antifiodori.
Privin.	Privini.	Pruinni.
Vifiliacum.	Verfiliaci.	Verfiliaci.
Senzame.	Senzaniæ. *	Sencanice.

* Sezanil.

Cuftodia Attrebatenfis habet.

Atrebaten.	De Attrebato.	De Attrebato.
Tornacum.	Tornaci.	Tornaci.
Valencenas.	De Valencenas.	Ve Valentenis.
Infulas.	De Infulis.	De Infulis.
Montes.	De Montibus.	De Montibus.
Cameracum.	Cameraci.	Comeraci.
Lenduibetinum.	Bettunii.	Betunii.
Duacum.	Duraci.	

Cuftodia Viromandiæ habet.

Royum.	De Rojo.	De Rayo.
Hurdinum.	Irduni.	Yrdum.

Ab-

CODEX MSS. VATICANUS.	CODEX IMPRESSUS.	CODEX MSS. ARACOELITANUS.
Abbatis Villam.	Abbatis Vallis.	Abbatis Vallis.
S. Quintinum.	S. Quini.	S. Quintini.
Belvacum.	Pelvaci.	Belvati.
Arbianis.	De Ambianis.	De Ambranis.
Noviomum.	Noveani.	Neneomi.
Perovam.	Peroni.	Peroni.

Custodia Lotharingiæ habet.

Novum Castrum.	Novi Castri.	Novicastri.
Vidunum.	Viduni.	Ulduni.
Tullum.	Tulli.	Talli.
Metis.	De Methis.	

Custodia Landriæ habet.*

* *Flandria.*

Burgen.	De Brugis.	De Burgis.
S. Odomarum.	S. Donati.	S. Odomari.
Gandavum.	De Gandavo.	De Gandavo.
Ipram.	De Ipra.	De Ypra.
Aldenardum.	Aldendi.	Aldendi.

Custodia Normandiæ habet.

Faletium.	De Falegio.	De Falegio.
Veronam.	Vernonacentensem.	Vernonacensis.
Rotomagum.	Rothomagi.	Rothomagi.
Bojocis.	De Bojocis.	Bayoen.
Hebroicis.	De Eboracis.	Eboracos.
Catoniæ.	Cadoniæ.	Cadonie.
Fagin.	Falsii.	Fasii.
Brinao.	De Bernajo.	De Bernajo.
Vernolim & Getemm.		

Custodia Leodiensis habet.

Leodium.	Leodii.	Leodii.
Nivellum.	Nivelli.	Nyvelli.
Hovum.	Hoji.	Boji.
Dinantum.	Dinacii.	Dinacii.
Namurcum.	Narmaci.	Narmaci.

Custodia Remensis habet.

Remis.	De Remis.	De Reis.
Laudunum.	Lauduni.	Lauduni.
Catalanum.	Cathalani.	Cathalani.
Compendium.	Compendii.	Compendii.
Suetionem.	Suessionis.	Suessionis.

Codex MSS. Vaticanus. | Codex Impressus. | Codex MSS. Aracoelitanus.

PROVINCIA ANGLIÆ

Habet septem Custodias.

Custodia Londoniensis habet.

Londoniam.	Londoniarum.	Londomarum.
Cantuariam.	Cantuariæ.	Cantuarie.
Vinchisexam.	Uberrinchelsiæ.	Veronichelseje.
Sonthartonam.	Sub Cantone.	Sub Canthone.
	Vuare.	Verbare.
Lemisiam.	Levisiæ.	Levisiæ.
Chicheftram.	Micheften.	Michesem.
Salisbriam.	Saliscera.	Saliscem.
Virtonam.	Vintonie.	Mutonie.

*Custodia Choracensis * habet.*

* Eboracensis.

Eboracum.	De Eboraco.	De Eboraco.
Ducastriam.	Duncastriæ.	Divicastrie.
Lincolniam.	Linconiæ.	Linconie.
S. Botulsum.	S. Botulsi.	S. Botulsi.
Benerlacum.	Beverlaci.	Bevelasci.
	Scandebrigiæ.	Scardebrigie.
Grumsoriam.	Germiscentiæ.	Germiscerie.

Custodia Cantabrigiæ habet.

Girimbigran.	Cantabrigiæ.	Cantabrigiæ.
Storvicum.	Norvici.	Novici.
Coleftriam.	Colceftiæ.	Colaftie.
S. Edmundi.	S. Egmundi.	S. Ogmundi.
Diminicum.	Dumusci.	Dimnuci.
	Balsingin.	Balsingni.
Gramenuram.	Gernermicæ.	Gervernuce.
Ceprinium.	Gepnici.	Gepinci.
Leminam.	Lenniæ.	Lemne.

Custodia Bristolensis habet.

Bristolium.	Bristoli.	Bristoli.
Glonceftriam.	Glonceftriæ.	Glonceftrie.
Brugewalterum.	Burgevaletri.	Burgenalteri.
Herfordiam.	Erphordiæ.	Erphordie.
Euxomam.	Exoviæ.	Euxome.
Carmerdunam.	Cannerdiæ.	Carmerdune.
	Oceftæ.	De Ortefte.
Kerdiniam.	Verdiniæ.	Berdune.
Bodiuvinnam.	Hodminiæ.	Bodumne.

Cu-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 191.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Oxoniensis habet .

Oxoniam .	Exoniæ .	Oxome .
Radrigiam .	Radigiæ .	Radigie .
Betfordiam .	Bethfordio .	Bethfordie .
Stanfordiam .	Scanfordiæ .	Stanfordie .
Notragannam .	Notigamiæ .	Montingamie .
Northantonam .	Natatone .	Nartatone .
Lexcestriam .	Leicestriæ .	Leycestrie .
Grahannam .	Graannæ .	Gramaje .

Custodia Novi Castri habet .

Novum Castrum .	Novi Castri .	Novi Castri .
Divide .	Dundæ .	Dunde .
Duo Fratres .	Diunfres .	Dunfres .
Hadinconiam .	Adintoniæ .	Advitonie .
Carliolum .	Carlioli .	Carioli .
Herchpeliam .	Herripeliæ .	Herripellie .
Bervincum .	Beruci .	Herjuci .
Rochisburgiam .	Othisburgiæ .	Loctisburgie .
Richemundiam .	Richemundiæ .	Richemundie .

*Custodia Virgoniæ * habet .*

* Al. Vigorniæ .

Umgormam .	De Virgonia . *	De Virgonia .
Prestonum .	Prescenæ .	Prescene .
Briguorth .	Bigurtæ .	Burgutte .
Salopiam .	Salopiæ .	Salopie .
Comntrejam .	Conjunctoriæ .	Convictorie .
Cestriam .	Cestriæ .	Cestrie .
Lichfeldiam .	Hebfoldiæ .	Elfoldie .
Lamasiam .	Lamasiæ .	Amasie .
Stafordiam .	Strafordiæ .	Stafordie .

* Al. Vigornia .

PROVINCIA HYBERNIÆ

Habet quinque Custodias .

*Custodia Dalbinensis * habet .*

* Dublinensis .

Dubliniam .	Dubinæ .	Dulbini .
Baldariam .	Kildariæ .	Haldariæ .
Clane .	Clanæ . *	Olanæ .
Moytuto .	De Mortoto .	Mortoto .
Desertum .	Deserti .	Deserti .
Vichilo .	Bachilo .	Bachilo .
Veisefordiam .	Vejesercordiæ . *	Veyesefordie .

* Clanæ .

* Wexfordiæ .

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Custodia Caselensis habet.

Casellum.	De Casello.	De Casello.
Kilkenniam.	Bullieniæ.	Bullienie.
Jochil.	Jochil.	Jochil.
Rossæ.	Kossæ.	Rosse.
Vaterfordiam.	Vacripordiæ.	Vacrisordie.
Clonmel.	Clanmel.	Davinel.

* Corcagien.

Custodia Cortigen. habet.*

Corkagiam.	Cortigiæ.	Cortigie.
Ardarth.	De Ardach.	De Ardach.
Botoniam.	Bachoniæ.	De Bachonie.
Limericum.	Luasiæ.	Luasie.
Tagmolagi.	Tagmolagi.	Hogmolai.

* Enachten.

Custodia Venatensis habet.*

	Ilenath.	De Venath.	De Veuach.
	Atlon.	Clararoi.	Claratoy.
	Kalleyth.	Ghilleich.	Rillerth.
	Galvi.	Galvi.	Galvi.
* Clon-ramada.	Cloramada.	Elonramada.*	Doramada.
	Bresunan.	Blessiviæ.	Blesine.
* Almaciæ.	Arthmaciam.	Aramatiæ.*	Aramasie.

Custodia Pontensis habet.

	Pontem.	De Ponte.	De Ponte.
* Trin.	Tra.	Trun.*	Teon.
	Dundalcæ.	Dundavæ.	Dundanæ.
* Multifeatnan.	Molitifaznan.	Malifarnan.*	Malifarnan.
* Dunl.	Daum.	Durni.*	Durni.
* Cnogfergi.	Gragferg.	Occagfregis.*	Canfregis.

PROVINCIA DATIÆ.

Habet octo Custodias.

* Norvegia.

Custodia Novergiæ habet.*

Mastrant.	Mestracis.	Mestraeis.
	Orugellæ.	Orugelle.
	Tusterim.	Thusterim.
	Aflojæ.	Alloye.
	De Bergis.	De Bergis.

Custo-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Octoniensis habet.	
Othomaz.	Octonis.	Octonie.
Nustath.	Mistach.	Mistach.
Sumelburch.	Amerbuch.	Sunerburch.
	Custodia Lindensis habet.	
Lundis.	De Lindis.	De Lyndis.
Treburch.	Tralburch.	Tresburch.
Ustach.	Ustach.	Ustach.
	Custodia Lancopensis habet.	
Uncopiam.	Imicopiæ.	Vincopie.
Scatis.	De Scaris.	Descatis.
Visbi.	Vueriffu.	Verbislu.
Lincopiam.	Limcopiæ.	Lyncopie.
Sarmcopiam.	Senircopiæ.	Servircopie.
	Custodia Ripensis habet.	
Ripis.	De Ripis.	De Ripis.
Selesnith.	Sclerisch.	Scherich.
Flensburch.	Flensburch.	Flensburch.
Calding.	Caldis.	Caldich.
Tundir.	Tanduæ.	Canduc.
	Custodia Verbengensis habet.	
Viberich.	Urbing.	De Urbingis.
Raudrus.	Randet.	Raudei.
Horsius.	Orsuis.	Orsius.
Alaburg.	Alarbuch.	Alarburch.
	Custodia Scotolensis habet.	
Scotoline.	De Scotoene.	De Scotosne.
Arbu.	Crebii.	Trobi.
Obsaliaz.	Psallam.	Psalm.
Enecopiam.	Nincopiæ.	Copie.
Ilicopias.		
	Custodia Rischildensis habet.	
Rochildis.	De Rischildis.	De Rischildis.
Calsiburch.	Caludburch.	Caludburch.
Ilesvesth.	Nestueth.	Nestuerch.
Haums.		

PRO-

CODEX MSS. VATICANUS.	CODEX IMPRESSUS.	CODEX MSS. ARACOELITANUS.

PROVINCIA COLONIÆ.

Habet feptem Cuftodias.

Cuftodia Colonienfis habet.

Coloniam.	Coloniæ.	Coloniæ.
Nuffiam.	De Miffia.	De Miffia.
Dusburgh.	Dulbrich.	Dulburch.
Ruremundam.	Roremundæ.	Rorenmunde.
Bunam.	Bumiæ.	Brunne.
Vallem Felicem.	Vallis Felicis.	Vallis Felicis.
Clivum.	Divi.	Clivi.
Aquifgrani.	De Aquis Grani.	Aquis Grani.

Cuftodia Treverenfis habet.

Treverim.	De Treveris.	De Treveris.
Luxemburgh.	Lucilburch.	Lutisburch.
Merlam.	Merliæ.	Merlie.
Confluentiam.	Confluentiæ.	Confluentie.
Vefaliam.	Vifaliæ.	Nifale.
Limborch.	Leporth.	Leburch.
Andernacum.	Ardenati.	Andernati.
Veftflariam.	De Vefteparma.	De Vefceparma.

Cuftodia Boffaliæ habet.

Tremoraam.	Tremoniæ.	Cremonie.
Fufacum.	Fuffari.	Suffari.
Paderbornæ.	Paderburiæ.	Paderburnie.
Hecuordiam.	Heruordiæ.	Heruordie.
Huxariam.	Uxarie.	Uxarie.
	Hofnæ.	Hofue.
Onabruge.	Brugge.	Brugge.
Monafterium.	Monafterio.	Monafterio.

Cuftodia Ollandiæ habet.

Trajectum inferius.	Trajecti inferioris.	Ttajecti inferioris.
Dordracum.	Dofdaci.	Dofdati.
Cirxæ.	Zirxæ.	Cirixe.
Bufcoducis.	Bufcridis.	Bufcredis.
Middelburgum.	Midilburch.	Middelburch.

Cuftodia Barbatiæ habet.*

* Barbantiæ.

Thenis.	Theniæ.	Thenis.
Machliniam.	Machilnæ.	Machilune.
Bruxellam.	Brufellæ.	Bruxelle.

Be-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
Beristæ.	Derste.	Deiste.
S. Trudo.	Tridonis.	S. Trudonis.
Trajectum super Mozam.	Trajecti super Moxam.	Trajecti super Mosam.
Lovanium.	Lovanuræ.	Lovanni.

*Custodia Baventiæ * habet.*

* *Daventriæ.*

Fuldam.	De Folda.	De Folda.
Frirdariam.	Firclariæ.	Fredarie.
Campis.	Grismariæ.	Grismarie.
Bodelstuerdæ.		
Falernæ.		

*Custodia Assæ * habet.*

* *Hassiæ.*

Groninghæ.	De Quærohing.	De Guerohing.
Groveberg.	De Grovemberg.	De Gravemburch.
Herseliam.	De Ersellia.	De Erselia.
Marpurch.	Marpurch.	Merburch.
Guethtig.	Fisclariæ.	Sisclarie.
	Subdæ.	Subde.
Vismariam.	Gersmariæ.	Gersmarie.

PROVINCIA ARGENTINA,

sive Alemaniæ Superioris.

Habet sex Custodias.

*Custodia Alphatiæ * habet.*

* *Halsatiæ.*

Argentinam.	Argentinæ.	Argentine.
Rubiacum.	Rubiaci.	Rubiaci.
	Præsaci.	Prisaci.
Sarburch.	Sarburch.	Sarburch.
Columbariam.	Columbariæ.	Columbarie.
Offimburch.	Effimburch.	Offendburch.
Agnoniam.	Angnoniæ.	Agnonie.
Misinburgh.	Misinburch.	

Custodia Basiliensis habet.

Basileam.	Basileæ.
Novum Castrum.	Tannis.
Friburgum Inferius.	Friburgi Inferioris.
Arcis Enshusim.	Mishusin.
Solodorum.	Solodri.
Bernium.	Berni.
Friburgum Superius.	Friburgi Superioris.
Burghthost.	Burthorf.

Custo-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Lasti habet.	
Conſtantiam.	Conſtantiæ.	Conſtantie.
Schafuſaniæ.	Trifuſaniæ.	Scafaſanie.
Imdaviam.	Lindaviæ.	Linbanie.
Turetum.	Tareti.	Tareti.
Vorlinguenæ.	Borlingenæ.	Borlingene.
Filingueriæ.	Filinguenæ.	Filiguene.
Luceria.	Luceriæ.	Lucerie.
Caput Regis.	Campiregis.	Campi Regis.
	Custodia Bavariæ habet.	
Panpenberch.	Pambembereſch.	Pampenburch.
Nicolſtadt.	Nigoldath.	Vigoldach.
Ratisbona.	Ratiſponæ.	Ratiſpone.
Lanſocam.	Lani Socæ.	Laſinoce.
Nerlingam.	Merdlingam.	Mordlingam.
Monacum.	Monaci.	Monaci.
Nerimberch.	Verinberch.	Verinberch.
Auguſtam.	Auguſtæ.	Auguſte.
	Custodia Sveviæ habet.	
	Oblingam.	Oblingam.
Herbipolim.	Horbipolis.	Herbipolis.
	Forſinæ.	Forſine.
Rotimburch.	Rothinbeburch.	Rothenburch.
	Runigenſis.	Taygeſis.
	De Hallis.	De Hallis.
	Pamundæ.	Ramunde.
Siſtramundiam.	Cilithpii.	Cilichpii.
Hubna.	Ulmere.	Ulme.
Rutlinguenæ.	Rutrilongnenæ.	Ruſilinguene.
	Custodia Rhenensis habet.	
Tepurch.	Tepurg.	Tepurch.
Spiram.	De Spira.	De Spira.
Franciſordæ.	Francinuordæ.	Francfordie.
Lutrum.	Lutri.	Lucri.
Frideberchæ.	Frideburch.	Frideburch.
Kelrauſin.	Keilinhirſin.	Relinhuſſem.
Opinhemæ.	Opinheue.	Oppenheme.
Heydelberghæ.	Heydelberch.	Heydelberch.
Magunciam.	Maguncia.	Maguntie.

PRO-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

PROVINCIA SAXONIÆ

Habet Custodias duodecim.

Custodia Bremensis habet.

	De Brema.	De Brema.
Hamburgh.	Hamburch.	Hamburch.
Luneburgh.	Vermeburch.	Vermeburch.
Stadium.	De Stadio.	De Studio.
Killonem.	Kilivem.	Deylmen.

Custodia Halberstatensis habet,

Aberstadii.	De Allonstath.	De Halberstad.
Hildesemen.	Heldensem.	Heldensem.
Honover.	Honever.	Honover.
Brvvnsvvich.	De Brunfruch.	De Brusuilr.
Quedelinburgh.	Quedelinburgio.	Quodelingburch.

Custodia Magdeburgensis habet.

Magdenburgh.	Mainduburch.	Magdaburch.
Vilimburch.	De Oster Werlinburch.	Oster Werliburch.
Seruist.	Seruist.	Seruist.
Barebi.	De Barebi.	De Bareby.
	Halus.	Hallis.
Hallascaria.	De Ascaria.	De Ascaria.
Borith.		

Custodia Lubicensis habet.

Lubechæ.	De Lumbech.	Lubech.
Riga.	De Riga.	De Riga.
Griperfuald.	Gerposualdæ.	Gripofualde.
Verinæ.	Verenæ.	Verene.
Fundis.	De Fundis.	De Fundis.
Rostoch.	Rostach.	Rostach.
Parchæ.	Parchem.	Palhem.
Visinar.	Visinæ.	Visine.

Custodia Stentinensis habet.

Stetim.	De Stentin.	De Stetin.
Piræ.	De Piris.	De Piris.
Vrau Kenuorde.	Arustualdere.	Arifcualde.
Nova Brandenbogh.	Novabrendeburch.	Novabrengendenbrurg.
Primisclavæ.	Primisclave.	Prundarie.
Bertin.	Grisonberch.	Griffonberch.
Anguermundæ.	Anguermudæ.	Anguermunde.
Sterndal.	Travenburch.	Travenburch.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Lipsensis habet.	
Lypskæ.	De Lipscæ.	De Lipsec.
Egra.	De Egra.	De Egra.
Ceite.	Cejec.	Deyec.
Scrucavia.	Fuinaniæ.	Syncame.
Curia.	Cutiæ.	Tucie.
Vida.	Uneroida.	Weiroida.
Aldenburch.	Aldembrich.	Aldenburch.
Visenuelke.	Visenulke.	Vissenudke.
	Custodia Misnensis habet.	
Misna.	De Misna.	De Misna.
Codeburch.	Codeber.	Codeber.
Urisburgh.	Utisburch.	Utisburch.
Dresenden.	Prescanden.	Wescanden.
Osses.	Ossem.	Ossem.
Fusel.	De Suselis.	De Siselis.
Corecto.		
	Custodia Aurei Montis habet.	
Geldberch.	De Geldeberith.	De Geldebert.
Levenberit.	Leveberith.	Lenebrich.
Legenis.	Legenis.	Legnis.
Gorlis.	De Gorlis.	De Gorlis.
Lubanum.	Lubani.	Lubani.
Agami.	Agavi.	Agam.
Budesin.	Budesin.	Budissin.
Trasne.	Trasne.	Trasve.
Ycavia.	Itaviæ.	Ytanie.
Sarovia.	Fatoviæ.	Saronie.
	Custodia Prusciæ habet.	
Brusberich.	De Brunsberich.	Brumsberch.
Novem.	Novæ.	Nove.
Eubnen.	De Culmen.	Culmen.
Egor.	Etorii.	Ethorii.
	Custodia Uratislavensis habet.	
Uratislavia.	De Uratislavia.	De Viriftravia.
Suidenes.	Silvenes.	Smenes.
Stralim.	De Stralim.	De Stralim.
Novum forum.	Novifori.	Novifori.
Nisza.	Nisæ.	Visce.
Nansclavia.	Nausclaviæ.	Nansdavie.

Mun-

CODEX MSS. VATICANVS.	CODEX IMPRESSVS.	CODEX MSS. ARACOELITANVS.
Munftibei.	Muntisben.	De Muftiben.
Brega.	De Brega.	De Brega.

Cuftodia Brandeburgenfis habet.

S. Elizabeth.	Sanctæ Helifabeth.	Sancte Heliçabeth.
Granfoi.		De Gronfon.
Bobavia.	Lobaviæ.	Lobanie.
Saltueldil.	Salmodil.	Salmodum.
Antiqua Brandeburgh.	Antiquæ Brandeburch.	Antiqui Brandeburch.
	De Berlez.	De Berlin.
Sterndal.	De Scenidal.	Stendal.
	Werrauleevordæ.	Francofort.
Kiris.	De Karis.	De Triris.

Cuftodia Thuringiæ habet.

Meyneghæ.	De Meinegæ.	De Meinegen.
Helfordiam.	Erfordiæ.	Erfordie.
Aruftudæ.	De Aruftedæ.	Aruftede.
Couburch.	Couburch.	Conburch.
Yfenath.	Ifenach.	Ifenach.
Northufin.	Molhufin.	Mulhufen.
Aluel.	Aluel.	Eneld.

PROVINCIA AVSTRIÆ

Habet fex Cuftodias.

Cuftodia Werienenfis habet.

Viennam.	Werienнæ.	Wennæ.
Novam Civitatem.	Novæ Civitatis.	Novæ Civitatis.
Haynburgum.	Aiibrurgæ.	Aybuige.
Velfperch.	Velfperch.	Velfpech.
	Ciftenfterch.	Siftentorff.

Cuftodia Stiriæ habet.

Gepæ.	De Grezæ.	De Greee.
Perondeburgam.	Indeburge.	Yndeburge.
Volfspech.	Volfperium.	Wolfpur.
Prucam.	De Pruca.	De Bruca.

Cuftodia Anaftenfis habet.

	De Pamia.	De Panna.
Lyrioam.	De Lurizan.	De Laricen.
Anafium.	Anafi.	Anafi.
Belfam.	Belfæ.	Veffa.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Cuſtodia Felicenſis habet.

	Briſneæ.	Briſve.
Filacum.	Fillaci.	Sillaci.
Bozarium.	Bozarii.	Bocarii.

Cuſtodia Danubii habet.

Stayn.	Stain.	Stayn.
Cullam.	De Tulla.	De Tulla.
La.	De La.	Dela.
	Nereuſtan.	Verenſtan.
	De Gerico.	Gerico.

Cuſtodia Marchiæ habet.

Petroviam.	Peroniæ.	Peconie.
Marpurgam.	Marisburge.	Maris Burge.
Ciliam.	De Cilia.	De Cilia.
Laibacum.	Laibaci.	Laybati.

PROVINCIA BOEMIÆ

Habet ſeptem Cuſtodias.

Cuſtodia Opolienſis habet.

Uladislaviam.	Bladis Lajuci.	Bladiſiamci.
Glogaviam.	Glohoviæ.	Glogome.
Boon.	De Boton.	De Bothon.
Epol.		

Cuſtodia Pragenſis habet.

	De Praga.	De Praga.
S. Jacobum.	S. Jacobi.	S. Jacobi.
S. Franciſcum.	S. Franciſci.	S. Franciſci.
Novam domum.	Novæ domus.	Nove domus.
Becchuez.	Bechinam.	Bethchina.
Boleſclaviam.	Boſelaviæ.	Boſolame.
Bnſau.	Beneſſau.	De Naſſan.

Cuſtodia Moraviæ habet.

Olomue.	Olonivæ.	De Olonne.
Brunam.	De Bruna.	De Brunna.
Yglaviam.	Iglaviæ.	Yglanie.
Oparnam.	Opaviæ.	Opanie.
Novam Civitatem.	Novæ Civitatis.	Novæ Civitatis.
Zounam.	De Ceinoma.	De Cenoyma.
Cenoviam.	De Cernojæ.	De Cernoyye.

Cuſto-

ANNO CHRISTI 1400.	BONIFACII IX. ANNO 12.	WENCESLAI IMP. ANNO 22. & 23.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 193.

CODEX MSS. VATICANUS.	CODEX IMPRESSUS.	CODEX MSS. ARACOELITANUS.

Custodia Gestinensis habet.

Guesnam.	Gnesnam.	Gesnam.
Kalir.	Calis.	Halis.
Glegainam.	Ologoviæ.	Ologonie.
Obornalde.	Bernake.	Obernake.
Cruaviam.	Croaviæ.	Cronnie.
Radieyon.	Redivon.	Radienon.
Secretum.	Sereni.	Serem.
Pisdram.	Pisdræ.	Pisdre.

Custodia Gremensis habet.

Mutam.	De Muta.	De Muta.
Grec.	De Grem.	De Gros.
Bidzoviam.	Bidzoniæ.	Bidsonie.
Slaviam.	Diaslaviæ.	Craslaviæ.
Glac.	Glazi.	Glaci.

Custodia Cracovien. habet.

Lehornas.	Lenoniæ.	Lenonie.
Cracoviam.	Gracoviæ.	Cracoviæ.
Zanicost.	Zanicost.	Comcost.
Radomisce.	Radomis.	Radonis.
Cotsin.	Saudech.	Sandoc.
Vandese.		

Custodia Lutomericensis habet.

Lutomoris.	Lutomenis.	Lutomeris.
Pilisnam.	Pilisvam.	Pilisnam.
Pontez.	De Ponte.	De Ponte.
Cadanum.	Cadavi.	Cadam.
Zathese.	Zarem.	Cates.
Tines.	Tinex.	Tmey.
Missam.	De Missa.	De Massa.

PROVINCIA HUNGARIÆ

Habet octo Custodias.

Custodia Laveriensis habet.

Supronium.	Suproni.	Supronii.
Posonium.	Posomi.	Posonii.
Leucam.	De Leuca.	De Leuca.

Custo-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Custodia Zagrabiensis habet.	
Agrabiam.	Zagrabiæ.	Cagabrie.
Vereucam.	Viroviticæ.	Mronitice.
Nerthem.	Neficæ.	Vefice.
	De Pofega.	Pofega.
	Conftannicæ.	Conftannice.
Gurbonich.	Gurbonich.	Gurbonich.
	Custodia Griminensis habet.	
Brachinum.	Bachini.	Bachini.
Vyrlath.	Voilach.	Willach.
Ad Sanctum Demethum.	Ad Sanctum Demetrium.	Ad Sanctum Admetrium.
	De Tadua.	De Taduci.
Francam Villam.	Franchæ Villæ.	Franche Ville.
Ad Sanctum Yrenæum.	Ad Sanctum Iren.	Ad Sanctum Yreneum.
Zemlimum.	Zemlini.	Cemlini.
Monafterium.	Monafterii.	Monafterii.
Banum.	Banni in metis Greciæ.	Boni in methis grecie.
Ench.	Eudi.	Endi.
	Custodia Strigoniensis habet.	
Strigonium.	Strigonii.	Strigonii.
Nitiram.	Nitriæ.	Nitrie.
Ticianam.	Ternaviæ.	Ternanie.
Stircæ.	Seznæ.	Cecue.
Lypfam.	Lipfæ.	Lipfe.
Trinchinium.	Tinchinii.	Trinchinii.
	Custodia quinque Ecclesiarum habet.	
Varafdinum.	Varifdini.	Narifdini.
Quinque Ecclefien.	Quinque Ecclefiarum.	Quinque Ecclefiarum.
Capruncaz.	Capucæ.	Caprunce.
	Lubrigi.	Lubrigi.
	Falcas.	Falcas.
Stememas.	Semeniæ.	Semine.
Cecufdmum.	Segefdini.	Segefdini.
	Custodia Agriensis habet.	
Agiam.	De Agria.	De Agria.
Ceps Superius & Inferius.	Ceps fuperius.	
	Ceps Inferius.	Ceps Inferius.
Zathmar.	Zathmar.	Cathanar.
Potacam.	Potoci.	Potoci.
Varidinum.	Varadini.	Varadani.

Custo-

CODEX MSS. VATICANUS.	CODEX IMPRESSUS.	CODEX MSS. ARACOELITANUS.

Custodia Transilvana habet.

Besterceam.	De Bistriza.	De Brinstiçça.
Cememum.	Tementi.	Tementi.
Varasinum.	Vorasini.	Voracum.
Clicum forum in metis Tartariæ.	Clicunfori in metis Tartariæ.	Dicunfori in Methis Tartarie.

Custodia Albiensis habet.

In Buda tres.	In Civitate Budæ 4. loca Fratrum.	In Civitate Budæ 4. loca Fratrum.
Albam Regalem.	Albæ Regalis.	Albe Regalis.
Cegdmum.	Sigeth.	Sigget.

In Codice Vaticano non habetur Vicaria Bosnæ.

VICARIA BOSNÆ

Habet septem Custodias.

Custodia Dulmnæ habet.

Stagni.	Stagni.
Novi Castri.	Novi Castri.
Jemotæ.	Ymote.
Cetinæ.	Cetine.
De Glamozh.	De Glamoth.

Custodia de Greben. habet.

Corbaviæ.	Carbavie.
Crupæ.	Crupe.
De Greben.	Greben.
De Glas.	De Glas.
De Otoch.	De Otoch.
Sanctæ Catherinæ Podnovi.	Sancte Catharine Podvoni.

Custodia Bosnæ habet.

Curiæ Bani.	Curiæ Bavi.
Sancti Nicolai.	Sancti Nicolai.
Lasciovæ.	Lascione.
Plumbi.	Plumbe.

Custodia Ussoræ habet.

De Diaco.	De Diaco.
S. Elye.	S. Helye.
Verbicæ.	Verbice.
Schachovæ.	Scathone.

In-

Anno Christi 1400.	Bonifacii IX. anno 11.	Wenceslai Imp. anno 22. & 23.	Religionis Minorum anno 193.

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.
	Indnæ.	Lindue.
	Buchovicæ.	Miconice.

Custodia Mazuc habet.

De Alsan.	De Alsan.
De Biblina.	De Bilina.
De Lab.	De Lab.
Mazuæ.	Maçue.
S. Mariæ de Campo.	S. Marie de Campo.
Coscich.	Tosach.
Verhocrup.	Verhocrup.
De Freberniza.	De Screberinga.

Custodia Bulgariæ habet.

De Severino.	De Severino.
Orscianæ circa portam ferream.	Orsiane circa portam ferream.
Sebes.	Sebes.
Srim.	Srim.
Chevesdi.	Genesdi.

Custodia Covini habet.

Armenes.	Armenes.
Covini.	Chomin.
De Chrani.	Tranni.

In Codice Vaticano non habetur Vicaria Russiæ.

VICARIA RUSSIÆ

Habet hæc loca.

Lemburgæ.	Lemburge.
De Grodech.	De Grodec.
De Colomia.	De Colonia.
De Galciff.	Galciff.
De Nostim.	De Nosin.
Nestin.	De Nescun.
Cusminem.	Cusamnem.
Cerech.	Ceret.
Modalviæ.	Modaline.
Caminix.	Caminre.
Senetorix.	Scotorix.
Cotcham.	Totkam.
Licostoni.	Licostomi.
Albi Castri.	Albi Castri.

Vi-

Codex MSS. Vaticanus.	Codex Impressus.	Codex MSS. Aracoelitanus.

Vicariatus Tartariæ Orientalis habet 14. loca.

VICARIA ORIENTIS

Habet Cuſtodias tres.

Cuſtodia Conſtantinopolitana habet.

Theſſalonicam.	De Conſtantinopoli.	De Conſtantinopoli.
Peram.	De Pera.	De Pera.
Symeſſo.		
Arzelonam.	Theſſalonicæ.	Theſalonice.
Caleficium.	De Fogia nova.	De Fogia nova.
Carpi.	In Metalino.	De Metalino.
Piſavith.		

Cuſtodia Trapeſundarum habet.

In Tarviſio duo loca.	De Trapeſunda.	De Trape Sunda.
Cangorlavum.	De Fimiſo.	De Sumſo.
Salamaſtr.	De Sinopi.	De Sinopi.

Cuſtodia Chaurienſis habet.

Caraclefia.	De Chauritio.	De Cauricio.
Exceptis locis Indiæ & Cathay quorum nomina Vicarius ignoravit.	Alzaromi.	Alcaroni.
	Trifuſii.	Triflixi.
	Anchalceke.	Acalcelie.

Vicariatus Tartariæ Aquilonaris habet loca 17.

VICARIA AQUILONIS

Habet duas Cuſtodias.

Cuſtodia Gazariæ habet.

Caſa ubi ſunt duo loca.	S. Franciſci de Capha.	S. Franciſci de Capha.
Majeria ubi alia duo loca.	S. Mariæ de Capha.	S. Mariæ de Capha.
	De Soldaja.	De Soldaya.
Sodaya.	De Cymbalo.	De Cybalo.

Cuſtodia Sarajæ habet.

Slcata.	De Thana.	De Tana.
Baraſou.	Agitarcan.	Agitarcan.
Maurum.	De Sarai.	Saray.
Caſtrum.	De Comuch.	De Comuch.
Vicena.	De Tharchis.	De Tarchis.
Cimbulum.	Mamuvi.	Manviti.
Tana.	De Mager.	De Mager.
Saray.	De Ugueth.	De Ugnech.
Ugelz.	De Aeſarai.	De Aſchathan.
	De Organæ.	De Orgune.

Codex MSS. Vaticanus. Codex Impressus. Codex MSS. Aracoelitanus.

PROVINCIA TARTARIÆ

Habet in Cepton duo loca.

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
Beler, S. Joannes. Item in Regno Vieriæ duo loca.	In Chanbalech in palatio magni Cani habent Fratres locum.	In Cambalech in palatio magni Cani habent Fratres locum.
	In Magna Tartaria juxta Contratam Mille scorscæ Fratres habebant plura loca.	In Magna Tartaria juxta ContratamMille Scorte Fratres habebant plura loca.
Summa locorum 1453.	In Armalech in medio scilicetImperioTartarorum.	In Armalech in medio scilicet Imperio Tartarorum.
	In regno enim Iveriæ erant duo loca Fratrum immobilia & 5. mobilia.	In regno enim Inerniæ erant duo loca Fratrum immobilia & 5. mobilia.
	In Thauricio erant 2. loca Fratrum.	In Cauricio erant duo loca Fratrum.
	In Maxeria erant alia duo loca & pluralia.	In Majeria erant alia duo loca & plura alia.

Vicaria Sardiniæ habet.

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
Algerium.	De Algerio.	De Alguelrcio.
Arestarium.	Arestani.	Arestani.
Xassarz.	Sassarii.	Sassari.
Villam Ecclesiarum.	Villæ Ecclesiarum.	Ville Ecclesiarum.
Castrum Casti.	Castri Callaris.	Castri Callaris.

Vicaria Corsicæ habet.

Codex MSS. Vaticanus	Codex Impressus	Codex MSS. Aracoelitanus
In Codice Vaticano non habetur Vicaria Corsicæ.	Bonifacii.	Bonifacii.
	Calvii.	Calvi.
	Nanciæ.	Mnitiæ.
	Biguliæ.	Viguliæ.
	Avenzolasche.	Ariiencolasche.
	Alisani.	Alisam.
	Ornani.	Orvam.
	In Sardinia Montis.	In Sardinea Montis.
	Rati.	Rati.

XIII. Brevem hic administramus notitiam omnium hujus familiæ Ultramontanæ Cœnobiorum, quæ nostram subterfugerunt indaginem, & quorum fundationis tempus invenire non potuimus. In provincia sancti Jacobi, & Custodia Zamoren. solum occurrit Cœnobium Villarigodense, cujus

jus nulla est apud Gonzagam memoria; vel quia omnino periit, vel in aliam formam mutatum est, aut valde corruptum est nomen. Fratres Conventus Legionensis, huic Custodiæ contermini, habent quamdam auctoritatem, & Guardianus superioritatem in Hospitale Villarinum aliquot Leucis inde distans; ea fortassis de causa quod præexistens illic Cœnobium in Xenodochium, & peregrinorum illac in magna multitudine Compostellam transeuntium receptaculum conversum sit, & reditus distracti in egenorum horum alimentum. Alia similiter sunt duo loca in provincia Castellæ, nobis prorsus incognita; primum Optæ in Custodia Murcien. secundum Beneforati * in Custodia Burgensi.

* *For.* Veloradi *de quo agemus anno* 1441.

XIV. In Provincia Aragoniæ & Custodia Barcinonen. Cœnobium Gerundæ urbis vetustissimæ, a Geripne Chysauri Hispaniæ Regis filio, constructæ. Quis auctor fuerit, quove tempore constructa sit ædes, ignoratur; translatum est ad Observantes anno MDLXVII. deprecante Philippo II. & jubente Pio V. Ecclesiam habet amplissimam ex polito quadratove lapide constructam, pulcherrimis sacellis exornatam. Cœnobium Vici, Hispaniæ Citerioris urbis; quod tamen recens nimis facit Gonzaga, dum sub Pio V. anno MDLXIII. supplicante Jacobo Cassadorio Vicensi, Episcopo Barcinonen. suppressa Præpositura prius Canonicorum Regularium sancti Augustini, mox Sacerdotum secularium, ædificatum ait Minorum domicilium in loco, quo prius extiterat sancti Thomæ Ecclesia, sesquimilliario a civitate. Verum vel hoc Cœnobium vetustius esse, vel aliud præfuisse valde apparet ex hoc Pisani Catalogo. Adde, quod hic in annorum, vel Pontificum numero erratur; non enim prænominato anno Pius V. sed IV. sedebat: Fortassis ad Præposituræ locum translatum est tunc Cœnobium. Ex reditibus datis publico Urbis Xenodochio, lege cautum est, ut Fratrum necessitatibus occurreretur: sed ut omnem a se proprietatis scrupulum removerent, juri omni & actioni, si quam forte ad hujusmodi reditus haberent, per publicum instrumentum renunciarunt.

Conv. Gerunden.
Gonz. in Provin. Catalon. Con. 7.
Conv. Vici. *Indid. Con.* 16.

XV. In Custodia Ilerden. ipsum Ilerdæ Cœnobium, ad quod alias translatum diximus Alphonsi IV. Regis corpus, ipsamque ædem primo ad Minoritas, mox ad Clarissas transiisse. Cœnobium Terragen. (arbitror voluisse dicere Turiasonen. neque enim illius nominis in hoc tractu est ullum Fratrum domicilium) antiquum est, & in ipso Religionis exordio, uti aliqui volunt, erectum. Vetusta est in claustro pictura anno MCCCXCIX. facta; & paruit Patribus Conventualibus, usque ad primam Ordinis reformationem in Hispania factam. In Custodia Valentina Cœnobium Muri-veteris, cujus alibi non reperitur notitia. In Custodia Navarræ Cœnobium Stellæ, urbis Vasconiæ incertæ originis, sed certæ translationis ad Observantes anno MDLXVII. Objerunt hic duo Fratres laici, multa pietate & virtute suo tempore commendabiles, frater Petrus Romerus, & frater Joannes Lazeanus. In Custodia Saraviæ Cœnobium Molinæ, Aragoniæ oppidi; quod tamen recentioris structuræ facit Gonzaga sub Leone X. anno MDXX. fundatrice Blanca, filia Infantis Ferdinandi, Molinæ Domini, & Molsaltæ, Maurique, conjuge vero Alphonsi Infantis, Alphonsi Sapientis Hispaniæ Regis filii. Fortassis destructo primo, illud construxit, vel primum refecit. Sepulta est cum Molsalta filia in sacello majori; ibique jacet insignis pietatis vir frater N. Torruvia, cujus erga fidelium animas, in Purgarorio patientes, incredibilis fuit affectus, & commiseratio.

Conv. Ilerden. *Tom.* 7. *an.* 1136. *n.* 2.
Conv. Turiasonen.
Conv. Stellæ.
Conv. Molinæ. *Gonz. in Provin. Carth. Con.* 19.

XVI. In provincia Aquitaniæ, & Custodia Tholosana Cœnobium Sarani, in quo floruisse ait Pisanus, venerabilem Magistrum Arnaldum de Sa-

Conv. Sarani.

Sarano, longo tempore Aquitaniæ Ministrum, hominem vitæ laudabilis, & doctrinæ, qui omnia quæ potuit sancti Francisci gesta collegit. Cœnobium Rivorum urbis Aquitanicæ, incerto anno a familia Levisiana constructum; quia vero Dominus oppidi sancti Pauli, fundatoris filiam sibi matrimonio copulavit, jus Patronatus Cœnobii dotis nomine obtinuit. Cessit Patribus Observantibus, anno MDXXXIV. habetque beati Ferreoli corpus, ad cujus sepulcrum multa recipiunt fideles beneficia sanitatum. Cœnobium Murelli, Aquitaniæ etiam oppidi, prius incerto tempore fundatum a quodam Comeniarum Comite, deinde reparatum a quodam Domino de Pins; atque demum auctoritate Pauli III. ipsis Pontificatus auspiciis, ad Observantes translatum.

Conv. Rivorum. Conv. in Provin. Aquitan. antiq. Con. 24.

Conv. Murelli. Indid. Con. 27.

XVII. In Custodia Auxitana Cœnobium Tarbiense, a Lavadanensium Vicecomitibus constructum, sub annum MDXXVIII. Francisco I. Galliarum Rege, Clementis VII. auctoritate transivit ad Observantes: sed anno MDLXIX. multa mala ab hæreticis passum, publicis, & privatis civium sumptibus ex parte reædificatum est. Similiter accidit Cœnobio Lectorensi. Fuit ab Armaniaci Comitibus extructum, ad Observantes anno MDXVII. translatum, quod Hugnostici anno MDLX. rebus sanctis conculcatis, destruxerunt; recuperata tamen civitate per Monlucium Franciæ Marescallum, & Torquatorum Equitum præfectum, avocatis Fratribus Tholosa, quo a facie venturæ iræ se receperunt, cœpit reædificari. Sed iterum destructum est, Henrico IV. Bearnensium Principe tunc hæreticis favente; Fratribus tamen dimissis illæsis. Anno MDXCVIII. iterum piorum eleemosynis cœpit resarciri, & nunc a Fratribus inhabitatur.

Conv. Tarbien. Idem in Provin. Aquit. antiqu. Con. 23.

Conv. Lectoren. Indid. Con. 14.

XVIII. In Custodia Ruthenensi Cœnobium Villæ-francæ, urbis Aquitanicæ, a Savigniaca familia affabre intra mœnia fabricatum; ad Observantes translatum anno MDXLI. & ab hæreticis expilatum, & deformatum, Fratribus in carceres conjectis; postea reædificatum est, & studiis Philosophicis destinatum, ex decreto Capituli Provincialis anno MDCXIX. celebrati; constituto Lectore qui adventantibus etiam secularibus legat ex concessione Reverendissimi Patris Benigni Genuensis Generalis Ministri. Religiosissimus Pater Joannes Guilotus a sacra concione e vicino pago regrediens, incidit in hæreticos, qui post plurima ludibria & opprobria, patienter omnia ferentem, & pro illis orantem, globulo tormentario trajecerunt. Cœnobium Amoliaci, alias Miliaci (Gallice *Miliau*) ab oppidanis olim erectum; ab hæreticis anno MDLXVIII. dejectum.

Conv. Villæfrancæ. Indid. Con. 25.

Idem in Provin. Aquit. recent. Con. 26.

XIX. In Custodia Cadurcensi Cœnobium Montis-Albani, munitissimæ olim Aquitaniæ urbis, maxima ex parte a Montis-clari Vicecomitibus extructum. Majus sacellum, & adjunctum sacrarium ædificavit Dominus de Salit, in eodem sacello sepultus. Ad Observantes circa annum MDLX. domus deflexit; & ab hæreticis in primis Franciæ tumultibus in synagogam suæ impiæ sectæ conversum est. Cœnobium Montiscassi, alias Montisculi, Cadurcorum oppidi, a Montisconelii domino ædificatum, ab hæreticis exustum, partim reædificatum est Catholicorum eleemosynis. Ecclesia antequam destrueretur, consecrata fuit anno MDXXIII.

Conven. Montis-Albani. Idem in Provin. Aquitan. Con. 8.

Conven. Montiscassi. Idem in Provin. Aquitan. recent. Conv. 29.

XX. In Custodia Petragoricen. Cœnobia sancti Fidis, & Montiniaci ab hæreticis funditus eversa. In hujus posterioris oppidi captione vir optimus Esmalius Vinacrius Sacerdos a truculentissimis Fidei hostibus diro mucrone, & plumbeis sphærulis occubuit. Cœnobium Albæ-terræ ab oppidi Domino fabricatum circa annum MDLXXII. per eosdem sacrilegos deperiit. Similiter accidit Cœnobio Sarlatensi; quod tamen denuo reædificatum est; & Ixidoliensi

Indid. Conv. 32. 35. & 41.

lienfi a quodam Albetrenfium Domino conftructum; in quo periit venerabilis pater Petrus Blancartus, iteratis gladiorum ictibus interemptus.

XXI. In Cuftodia Lemovicenfi Cœnobium Nontronii Aquitaniæ oppidi, hi fanguinarii prædones Ecclefiæ rebelles, univerfa fuppellectile, & monumentis fpoliarunt, ac venerandos Patres Matthæum Monfajonium Guardianum, Cuftodiæ Lemovicenfis Cuftodem, infignem ecclefiaften. & Fratres Joannem Berferianum, ac Joannem Brofierium dicteriis, opprobriis, flagrifque fupra modum divexantes, ob Catholicæ fidei, & Pontificiæ auctoritatis confeffionem atrociter trucidarunt. *Conv. Nontronii. Indid. Conv. 42.*

XXII. In Cuftodia Baionæ fimiliter evenit Cœnobiis Morlanico, & Oleronico, five Loronico, communibus oppidanorum fumptibus extructis; in publica & fera hac hærefis procella funditus everfis. *Indid. Conv. 20. & 21.*

XXIII. In Cuftodia Burdigalæ Cœnobia Affarii & Linorii, quorum alibi non reperio memoriam.

XXIV. In provincia Provinciæ, five Galliæ Narbonenfis, multa remanferunt penes Patres Conventuales Cœnobia, quorum notitiam quantumvis æ nobis petitam, obtinere non potuimus. Ea de quibus agunt Auctores, defcribemus; in reliquis fi fterilior fuerit narratio, condonandum nobis eft: damus quæ habemus; nulli gloriam invidemus, neque ullius laudem fupprimimus, qui fincere in omnium laboramus obfequium. Ubi dicendi materia defecerit, vel ipfa dabimus nuda Cœnobiorum nomina, ut fciat lector, quæ defcripta funt, vel prætermiffa. Sane vel ipfe Petrus Rodulphus Conventualis fola nomina miniftravit, dum ampliora invenire non potuit monumenta.

XXV. In Cuftodia Maffilienfi Cœnobium oppidi Brincolæ, in quo Pifanus perperam ait, fanctum Ludovicum natum, & denatum: verius fecundum, quam primum; alibi enim diximus ortum in regno Neapolitano. Porro Cœnobii Minoritarum hic extructi, apud alios Auctores non invenio veftigium. Cœnobium Righignani, five potius Draguigniani regii oppidi, quod an diftinctum fit ab illo, quod nunc inhabitant Obfervantes, prorfus nefcierim. Si ratio temporum fuis numeris conftat, plane diverfum eft; etenim hoc fundatum ait Gonzaga, fi non fit error Typographicus anno MD. die XXVI. Januarii, deprecantibus, & cooperantibus Petro Fabro medicinæ Doctore, Jacobo Fabro Priore Montisfaronis, & Raymundo Petro Fabro mercatore, regnante Ludovico XII. quod nos fub illud tempus accuratius examinabimus. Cœnobia Aquenfe, Graffenfe, Arearum, & Nifiæ. *Conv. Draguigniani. Gonza. in Prov. S. Lud. Con. 14.*

XXVI. In Cuftodia Arelatenfi, ipfum Arelatis Cœnobium, in quo diximus, prædicante fancto Antonio, beatum Monaldum vidiffe fanctum Francifcum ad oftium in crucis formam extenfis manibus apparentem. Fundatum erat ultra Rhodanum; tamdemque temporum iniquitati, & bellorum ceffit calamitati. In eo jacebant prædictus Monaldus, beatus Bertrandus Bononienfis, & focius quidam fancti Francifci, cujus corpus translatum eft ad Archiepifcopalem Ecclefiam, quando Cœnobium deftructum eft. Huic fucceffit domus altera Minorum regular. Obfervant. de qua fuo loco agemus. Cœnobia Tarrafconis & Sollonis. In Cuftodia Avenionenfi Cœnobium Auraicæ. *Conv. Arelaten. Tom. 2. an. 1224. n. 18. An. 1519.*

XXVII. In Cuftodia Alefti Cœnobia Marologii, fancti Ægidii, Argentarii, Ufeciæ, Balneolis, Andufiæ.

XXVIII. In Cuftodia Montifpeffulani, Cœnobia de Aquis-mortuis, Agaræ, Guiaci, Florenciaci, urbis maritimæ in Gallia Gothica, diœcefis Agathen. pulchre extructum a Ducibus de Cruffolis, Uticenfis profapiæ de Levis. Cœ-

Cœnobia Landonæ & Agantici. In Custodia Cistaricensi domus Carpentoratensis, Forcalquerii, & Regii. In Custodia Narbonensi Cœnobia Podii, & Fordani.

Idem in Provin. S. Bonavent. Con. 3.

XXIX. In provincia Burgundiæ Cœnobium Matisconis, vulgo *Mascon* a quadam nobili Domina Montpenseria, & generosis DD. de Feurre, vel d'Estours, piisque incolis circa annum MCCLV. ut creditur, extructum; & a Calvinistis postremo hoc seculo combustum: a quibus passus est crudele martyrium die 11. Octobris anno MDLXVII. Venerabilis pater Joannes Gibbosus, Cœnobii præfectus, & Conventus Belnensis alumnus, amputatis naso, auribus, & manuum extremitatibus; deinde projectus ex ponte in Saonæ (olim Araris) profluentem, toto populo inspectante & collacrymante. Cessante persecutionis furore, cœpit domus restitui piorum eleemosynis. Eamdem subiit sortem anno MDLXII. die XVI. Junii Conventus Burgi sancti Andeoli urbis, Vivarien. diœcesis, ad Rhodani ripam, a nobili Heroe de Bayard Gallicarum copiarum Duce, simul cum aliis duobus constructum, propter alia tria, quæ in bello Italico destruxit. Initium dederunt alii, collata materia & fundo Aymarus a Pictavia, Raymundus Nicolai, Leonardus Faye, aliique pii oppidani, circa annum MCCCCLXXIII. In hoc Cœnobio bene nunc instaurato, sunt Fratres strictioris Observantiæ, non absque Catholicorum profectu. Capto oppido, concremarunt hæretici fratrem Martinum laicum in valetudinario decumbentem.

Picquet. in Prov. S. Bonav.
Conv. S. Andeoli.
Indid. Con. 41.

XXX. In Custodia Divionensi, Divionis, Gallice *Dyon*. Lingonen. diœcesis oppidi. Cœnobium ante annum MCCXLV. constructum, aut saltem inchoatum, ut plane constat ex quodam diplomate Innocentii IV. eo anno concesso. Gonzaga putat, a Templariis ad nostros incerto anno translatum. Pulchrum & nobile est domicilium. Ecclesiam consecravit anno MCCCXXI. Guido Episcopus sancti Joannis, Suffraganeus Bisuntinen. Minorita. In eadem jacet frater Joannes Bucchius, olim Minister Generalis, mortuus tamen in Conventu Belnensi anno MCCCCLVIII. Requiescunt ibidem viri præclari Nazarius Joquini, & Bernardinus Baronville. Copiosus hic Fratrum numerus, Collegiumque adolescentum, munificentia regii provinciæ Burgundiæ Senatus Divione erecti, sustentatur.

Conv. Divionis.
Indid. Conv. 8.

XXXI. In Custodia Bisuntina Cœnobium Ledonen. sive Ledonisalnerii, Superioris Burgundiæ oppidi, beatæ Virginis Annuntiationi dicatum, ab inclytis Viennæ Dominis primo constructum, ac postmodum per generosos Chalonensium Heroes, * Auraniæ Principes, adauctum, & tamdem igne, anno MDXXXVI. die XVII. Julii, magna ex parte consumptum: unde factum est, ut primæ originis tempus nos lateat. Floruit hic Reverendissimus & optime de Religione Franciscana meritus frater Joannes Henrici, Damascenorum Episcopus, Suffraganeus Lugdunensis, sepultus in Ecclesia sancti Bonaventuræ Lugduni anno MDLXXIV. Fratrum industria, & diligentia cœpit iterum domus restitui. Præ reliquis solerter laboravit pater Valentinus Saurreau Doctor Theologus. Ibidem asservatur caput D. Cornelii martyris.

Conv. Ledonen.
Indid. Conv. 31.
* *Al.* Atausiæ.

XXXII. In Custodia Lausanen. Cœnobium Gebennen. Gratianopolis, Camberiaci, Nividuni, Grandisoni, & Mojerenci.

XXXIII. In Custodia Viennensi Cœnobium Podii, in quo jacet quidam beatus Antonius miraculis clarus. Cœnobium Annoniaci, in quo jacet beatus Guillelmus, qui inter cetera miracula naviculam absque velis, aut remis ad littus attraxit. Cœnobium Romonense sub annum MCCLVIII. inchoatum, & aliquorum piorum virorum, sed præcipue inclytorum virorum Odoar-

Conven. Romonen.
Indid. Conv. 39.

Odoardi & Guillelmi de Pictaviis uterinorum Fratrum, & nobilis familiæ ab Hostoduno expensis extructum, multisque muneribus locupletatum. Inde pulsis Fratribus anno MDLXII. postea MDLXVII. insano hæreticorum furore domicilium destructum est: sed refici cœpit a Joanne Pictaviensi, suamque operam addunt Fratres, ut perficiatur. Præ aliis solerter manus admoverunt RR. PP. Claudius Picquet, qui de provincia sancti Bonaventuræ scripsit: & Bonaventura de la Clostre, nunc Conventus sancti Bonaventuræ Lugdunen. dignissimus Guardianus. Cœnobia Diense, & Crillæ.

Conven. Brivaten. Indid. Conv. 22. Picquet in descript. hujus Conventus.

XXXIV. In Custodia Arverniæ, Cœnobium Brivatense, diœcesis sancti Flori oppidi, in Annuntiationis Virgineæ honorem erectum a nobilissima familia Borbonica, cujus insignia conspiciuntur per universam domum, & in sepulcro e regione maximi altaris erecto. Temporis decursu nobilis quidam Dominus D'Achonio hujus loci Ecclesiam anno MCCCCXXVII. inchoatam ampliavit, & pulchro sibi erecto mausoleo adornavit, eamque alii postea variis muneribus cumularunt. Cœnobium sancti Portiani oppidi, Clarimonten. diœcesis eosdem cum præcedenti ferunt habuisse fundatores, & munificam benefactricem Agnetem Borboniam. Multas incurrit temporum vicissitudine jacturas, & ruinas. Nihil aliud memorabile comperitur. Cœnobium Riomense, urbis ejusdem diœcesis, aliquantulum ab urbe ad portam Lajaceam, prope tamen Ecclesiam sanctæ Radegundis, quondam Francorum Reginæ, constructum, ingruentibus bellorum turbinibus, ne forte Anglis hostibus præsidio esset, & civitati negotium facesseret, a Riomensibus anno MCCCCIII. destructum est. Innocentius VI. indulsit anno sui Pontificatus VII. ut in urbem transferretur. Civis locupletissimus Michael Bourdonius, cujus ingens erat in Ordinem propensio, quasdam domos, amplissimumque fundum, ut domus altera ædificaretur, concessit; & fabricam, favore & munificentia Principis Caroli Delphini, & fratris ejus Joannis Biturigum Ducis, tum ex propriis, tum ex illustrium Dominorum Geachii, Rupis, Castrinovi, & Casseronii facultatibus construi curavit: Abbate interim, & Monachis Monasterii sancti Amabilis summe, licet frustra, reclamantibus. Magno tamen terræ motu domus tota, & magna pars Ecclesiæ corruit; cui calamitati vir pius Joannes Serierius, refectis damnis occurrit; pulchram turrim campanariam, & refectorium magnum anno MCCCCLXXXV. adjunxit. Jacet hic Joannes Magotius vir venerandus, sacræ Theologiæ Doctor, quondam hujus provinciæ Minister. Transivit domus anno MDII. a Patribus Conventualibus ad Observantes.

Conv. S. Portiani. Indid. Conv. 23.

Conv. Riomensis. Indid. Conv. 21.

Picquet de hoc Conventu.

XXXV. In provincia Franciæ, & Custodia Leodiensi, Cœnobium ipsum Leodii, quod hodie Patres Conventuales possident, aliud ab illo Observantum, de quo Franciscus Gonzaga in provincia Flandriæ. Cœnobia Hoii, & Dinancii, de quibus quidquid memorabile occurrit, suis locis adnotavimus.

Provinc. Angliæ Conventus.

XXXVI. In provincia Angliæ nihil est reliquum, unde hauriri possit plenior rerum Anglicarum notitia, præter paucula hinc inde sparsa apud Auctores, & quæ nos diversis annis ex Vaticano penu ministravimus. Nicolaus Harpsfeeldius in catalogo sacrarum ædium Minoritanas recenset, non tamen omnes, neque fundationis tempus, nisi in perpaucis, designat. Quas ille habet, præter eas de quibus speciatim suis locis dictum est, huc transcribo; ut omnia præ oculis lector aspiciat. Reticentur aliqua Cœnobia catalogi Pisani; & alia refert hic Auctor præter ea, quæ Pisanus enumerat, illo tempore posteriora. Omnia distinguuntur per regni Comitatus, aut diœ-

diœceses, eo modo, quo hic exhibemus. In Comitatu Bedfordiæ, ipsum hujus appellationis Cœnobium a D. Margarita de Patteshal fundatum. In Comitatu Buckingamiæ Cœnobium Ailesburiæ, fundatrix Editha filia Frewaldi. In Comitatu Cantiæ Cœnobium Greeuwichiæ Fratrum Observantum, fundator Henricus VII. Aliud ibidem Conventualium, fundator Eduardus III. anno regni LV. & Joannes Norburii. In Comitatu Cestriæ, in ipsa civitate Cestriæ Cœnobium, fundator Joannes Rex. In Comitatu Cornubiæ Cœnobium Bodmini, fundatores varii. Erat primum Monasterium nigrorum Canonicorum, sancto Petro sacrum, fundatum ab Atheftano Rege, deinde a Guillelmo Warwast, Excestriæ Episcopo, & confirmatum a Joanne Rege. In Comitatu Devoniæ Cœnobium Exoniæ, sub titulo sancti Joannis. In Comitatu Dorsettiæ, ipsius Dorsettiæ Cœnobium, fundatum a majoribus Joannis Chedio Equitis. In Comitatu Eboraci Cœnobium Beverleyæ, fundator Joannes de Higtmed. In Comitatu Hamptoniæ, Cœnobium Hameliæ, tituli sancti Andreæ. In Comitatu & civitate Herefordiæ Cœnobium, tituli sancti Guthlaci, fundator Henricus Penbrigge. In Comitatu & civitate Lincolniæ, fundator Joannes Pickering de Strampoike. In Comitatu Norfolchiæ Cœnobium Norwiciæ, fundator Joannes Hestynford. Ibidem Cœnobium Yarmonthæ, fundator Guillelmus de Gerbrigge. In Comitatu & civitate Northamptoniæ Cœnobium incerto auctore, ubi duplici nomine Minoritarum & Griseorum Fratrum, Franciscanos appellat. In Comitatu Northumbriæ, Cœnobium Nerocastelli, incerto etiam auctore. In Comitatu Nottimghamiæ Cœnobium hujus nominis. In Comitatu Salopiæ Cœnobium Bridgenorthæ, fundator Radulphus Strange: & deinde Joannes Comes Salopiæ, cognatus & hæres Radulphi. Ibidem Cœnobium Salopiæ, fundator Gaufridus Dominus de Porois. In Comitatu Somercetensi, Cœnobium Aquæponte vulgo *Bridgewater*, incerto auctore. In Comitatu Staffordiæ, hujus appellationis Cœnobium, sub titulo sanctæ Mariæ. In Comitatu Suffolciæ Cœnobium Ipswici, fundator Robertus Tilbot. In Comitatu & loco Wirgorniæ Cœnobium incerti auctoris. In Comitatu Wiltonien. Cœnobium Salisburiæ. In diœcesi sancti Davidis Cœnobium Camardeniæ in agro Maridunensi: & in diœcesi Landaffen. Cœnobium Cardiffæ.

Ejusdem provinciæ Ministros hic exhibeo ex MSS. Cod. Bibliothecæ Dom. Roberti Cotton Angli, quos exscripsit D. Jacobus Wareus Hiberniæ Antiquarius.

Agnellus Pisanus jacet Oxoniæ.
Albertus Pisanus, postea Minister Generalis.
Haymo Anglicus, postea Minister Generalis.
Willelmus de Nothingham, jacet Marsiliæ.
Petrus de Tenkesbury, jacet Bedfordiæ.
Joan. de Stamford, jacet Limuæ.
Petrus Swynerfled, jacet Leycestriæ.
Joann. de Bungey, Magister Oxonien. jacet Northamptæ.
Joann. Peecham Magister Parisien. Cantuarien. Archiepiscopus.
Hugo de Bampton.
Robertus de Cruce Magist. Oxonien. jacet apud Bridgewater.
Willielmus de Geinesburgo Sacræ Theol. Doctor, Episcopus Wigornien.
Rogerius de Merscheton S. Theolog. Doctor.
Hugo de Hertpole S. Theol. Doctor jacet Assisii.
Adam de Lincolne S. Theol. Doct.
Ri-

Richardus de Compton S. Theol. Doct.
Willielmus de Nothingam S.Theo. Doct.
Rogerius Donewed. S. Theolog. Doct. jacet Cantabrigiæ.
Joan. de Rodington S. Theo. Doct. Oxonien.
Joan. de Brenth S. Theol. Doct. Oxonien. de Custodia Bristolien. jacet Herfordiæ.
Willielmus Tichmach.
Rogerius Conway, sepultus Londini.
Simon Dunsted.
Robertus Willsteede, jacet Londini.
Joan. Mardiston. jacet Eboraci.
Thomas Burbury.
Joannes Tiffington.
Nicolaus Fakenham.
Joann. Zouch, postea Episcopus Landavensis.
Willelmus Bottiler.
Vincentius Bois.
Petrus Russhell.
Robertus Kellis S. Theol. Doct.
Joan. David S. Theol. Doct. Custodiæ Bristolien.
Rogerus Days S. Theol. Doct.
Richardus Lecke. S. Theol. Doct.
Thomas Radney S. Theol. Doct. Custodiæ Bristol. de Conventu Herefordien.
Petrus Secundus Lector assumptus ad Episcopatum in Scotia.
Roger. de Weseam Episc. Coventren.
Thomas Wallensis, postea Episcopus Menevensis.
Rellqui desunt.

XXXVII. In provincia Daciæ nullus est, qui facem præferat Cœnobiis describendis, aut per suos annos recensendis; densæ sunt ubique tenebræ, in perpaucis rebus lux aliqua refulsit ex sidere Vaticano, cujus ductu aliquot Cœnobia suis locis distribuimus. In reliquis provinciis & Vicariis omnia ferme Cœnobia vel destructa sunt ab hæreticis, Schismaticis, aut Sarracenis, vel penes Patres Conventuales remanserunt, quæ majori ex parte monumentis, ex bellorum tumultibus, & varia illarum partium vicissitudine deperditis, sterilem præbent nostræ narrationi materiam: alia multa ex erutis & conquisitis monumentis, nos reddimus clariora. Sparsim & extra seriem catalogi Pisani hic dabimus notitiam aliquorum Cœnobiorum, quæ vel hoc ipso anno, ant circa hoc tempus credimus constructa.

XXXVIII. Ante hunc annum extructum fuisse Conventum Gallipolis, munitissimæ in Apulia civitatis; & hoc ipso anno ad Observantes translatum, & Vicariæ Bosnen. adjectum, ita deprecante Raymundo Baucio Ursino Tarentinorum Principe, scribit Gonzaga: necnon eodem anno Petiliæ, vulgo *Altamura*: magnæ Græciæ urbis, non procul a Licinio promontorio a Philoctete Pæantis filio, Herculisque comite, ut ferunt, conditæ, intra muros civium sumptibus aliud extructum Cœnobium; & Minerbini alterum sancto Francisco sacrum, expensis prædicti Principis Raymundi.

Gonza. in Provi. S.Nicol. Conv. 2. 3. & 6.

XXXIX. Hoc anno initium accepit Conventus sancti Antonii a Capraria in provincia Castellæ, inter asperos, niveosque montes x. m. p. ab oppido Buitrago, mille dumtaxat ab oppido Caprariæ, vulgo *Cabrera*, ubi prius extiterat ædicula sancto Juliano sacra; qua de causa modo sub sancti Juliani nomine; modo sub sancti Antonii, cui novum domicilium a se constructum Fratres dicatum voluerunt, solet audire. Olim humanioribus litteris imbuebantur hic adolescentes, e quorum numero se fuisse commemorat Illustriss. Gonzaga; sed sub anno MDLXX. ita deprecante Inico Lopetio a Mendoza, Infantatus Duce, alio translato exercitio litterario, pietati, & mentis recollectioni omnino applicatum est. Vivunt hic sanctissime, admirabili omnium exemplo, viginti circiter Fratres, quorum virtus & religiosissima vi-

Conv. S. Antonii de Capraria.

Idem in Provin. Castellæ Conv. 7. Salazar. lib. 4. cap. 7.

vita, multos accivit benefactores, præsertim Franciscum Cardinalem Ximenium, ejusdem Instituti virum, qui Fratribus curandis valetudinarium extruxit, in villa Turris Lacunæ, prope ædiculam sancti Bartholomæi, quod postea translatum est ad Cœnobium Matris Dei Minoritarum ab eodem constructum; prædictum Infantatus Ducem, qui locuplete supellectile ecclesiastica, donis multis, & adjectis ædificiis domum cohonestavit, Reges demum Castellæ Henricum III. qui per quindecim milliarium spatium in terminis Segobiensis civitatis, atque oppidorum Uzeda & Buitrago, venandi, piscandi, & ligna cædendi potestatem concessit, & Joannem II. Ferdinandum & conjugem Elisabetham, Joannam filiam, & Carolum V. nepotem, qui ultra alia beneficia, Henrici diploma voluerunt confirmatum: Philippum III. Hispaniarum Regem, qui domum ipsam invisit, & præsens suis oculis omnia lustravit, & vitæ religiosissimam hanc normam voluit edoceri. Sepultus est in sacello majori Alphonsus Ximenius de Cisneros prædicti Cardinalis Ximenii genitor, & quidam Episcopus Minorita. Hic primum Capitulum Fratrum Observantum celebratum est anno MCCCCXLVII. in quo electus est Vicarius frater Alphonsus Boroxius.

Conv. Angræ. *Idem in Provin. Algarb. Con. 26.*

XL. In maris Oceani Insula Angra, una ex iis, quæ Tertiæ, sive Asturum, vulgo *Terceras*, sive *de Acores* vocantur ab Henrico Joannis primi Portugalliæ Regis filio Lusitaniæ Imperio adjecta; circa hunc annum ex civium eleemosynis intra urbis Angranæ muros ædificatum est domicilium Minorum, sub nuncupatione beatæ Mariæ Ductricis, vulgo *de Guya*. Jacet in sacello majori vir nobilis Joannes Vaz Corte-Real, primus Præfectus sive Capitaneus Generalis prædictarum insularum, Gubernator hæreditarius urbis Angranæ. Subest hoc Cœnobium cum reliquis harum Insularum regimini provinciæ Algarbiorum; & patrocinio Marchionum Castri Roderici, qui a prædicto Heroe per lineam maternam descenderunt. Nunc in Urbe est Philippi IV. apud Pontificem Urbanum VIII. Orator Emanuel de Moura, prædictæ prosapiæ Princeps, Christianæ integritatis vir optimus, hujus nostri Collegii eximius benefactor, cui ex debito, ex animo tomum hunc * volui consecratum.

* *Intellige de quarto Tomo primæ editionis.*

Conv. Lerenæ. *Idem in Prov. S. Michael. Conv. 9. Monum. MSS. hujus Provin.*

XLI. Etiam sub hunc annum Fratres humile obtinuerunt domicilium sub Eremitorii nomine M. D. P. ab oppido Lerenæ, Pacensis diœcesis in Hispania, in loco satis amœno, arboribus consito, & aquis irriguo. Ædificandi facultatem obtinuerunt a Benedicto XIII. Antipapa, cui regio illa tunc obediebat; eamdemque confirmasse Innocentium VII. scribit Gonzaga; quod omnino incertum, & minus probabile puto. Cum enim a Martino V. licentia peteretur a Fratribus, ut Eremitorium in Conventum erigeretur, non alterius quam Benedicti concessione primam fundationem factam refert in suo diplomate, quod nos suo tempore integrum transcribemus. Porro præter illam Martini concessionem, qua Fratrum numerus crevit, ædisque qualitas mutata est, aliam impetrarunt Regum Catholicorum Fernandi & Isabellæ, penes quos supremum erat Magisterium, sive præfectura militiæ sancti Jacobi de Spatha, ad quam hoc oppidum spectat, die XVII. Junii anno MDII. ut se transferre possent ad ædiculam & Hospitale sancti Lazari, oppido viciniorem. Sed cum Clerus secularis & Parochi summo studio contradicerent huic translationi, quibusdam initis conditionibus, post multorum annorum contentionem; tamdem anno MDXXVIII. ex Decreto Caroli V. facta est facultas Guardiano fratri Guttierro de Trejo, qui doctissime scripsit in Epistolas Pauli. Hic substiterunt circa annos duodecim, donec domicilium, quod nunc habent prope, sed extra muros Vil-

læ,

læ, non longe ab ædibus sanctæ Inquisitionis extruxerunt. Ecclesiam suis sumptibus ædificavit Sancius a Pace, Regius Caroli V. Quæstor, patria Lerenensis: qua de causa jurepatronatus per fratrem Antonium Gusmanium, provinciæ sancti Jacobi Ministrum donatus est. Translata sunt huc solemniter, concurrente populo, ossa omnium Fratrum, qui ad sanctæ Helenæ decesserunt; quibus in unum tumulum congestis, hæc appnsita est epigraphe. *Anno* MDLXXII. *Julii die* XI. *translata sunt ossa Fratrum* XXXII. *huc ex æde sanctæ Helenæ post* XLII. *annos. Cum Christo sint; & orent pro nobis*. Circa impediendas sepulturas secularium in hac Ecclesia, & contribuenda a Fratribus aliqua emolumenta missarum ipsis legatarum, laboraverunt Parochi; sed re in judicium deducta, injusta postulasse declaratum est. Guardiani hujus loci coadministratores sunt quorumdam legatorum annuorum pro dotandis puellis, & redimendis captivis. Viget ibi studium Theologicum, & Lectores adhibentur Consiliarii in negotiis sanctæ Inquisitionis; cujus illic erectum est tribunal. Legit hic aliquando frater Thomas de Spinosa, olim Illustriss. D. Gonzagæ Secretarius; quem in libro de origine Seraphicæ Religionis conscribendo sibi solerter, & cum laude, quantum molesta negotiorum occupatio & rerum obscuritas, confusaque ac indigesta, quæ subministrabantur monumenta, patiebantur, cooperatum fuisse, isthic recenset.

XLII. Ex monumentis Vaticanis Bonifacii Pontificis comperio, Cœnobia aliqua sub hoc anno fuisse constructa; largitur enim facultatem fratri Bartholomæo de Alverna Vicario Bosnæ, & Fratribus ibidem commorantibus, quatuor Cœnobia acquirendi; unum in Vetila, alias Velita, in Dalmatiæ, in territorio Ragusinorum; aliud in villa Billich in Hungariæ, provinciis; tertium in Insula, seu territorio Corsulæ; & quartum, eo in loco, quem magis judicarent opportunum: *Sacræ vestræ Religionis*, IV. .... Novembris. Primum puto, non aliud esse quam illud, quod sancti Christophori prope Velicam, milliari quarto a Possegensi Illiricorum civitate constructum asserit Gonzaga; paucorum tamen Fratrum domicilium. Secundum fortassis illud est, quod Chichiense idem auctor appellat in provincia Hungariæ S. Salvatoris, Transilvaniæ vicinum; ob grassantia bella a Fratribus sæpe relictum, totiesque reassumptum. Tertium probabiliter illud est, quod Insulæ mediæ vocatur prope Corsolas sanctæ Mariæ sacrum; cujus idem auctor meminit in provincia Ragusii. Concessit etiam Bonifacius ad preces civitatis Tudertinæ, & patronorum laicorum Ecclesiæ Parochialis sanctæ Mariæ de Plano Portus, Tudertinæ diœcesis, ut prope illud templum Minoritis extrueretur habitaculum: & contradicente Antonio Episcopo, concessionem adhuc ratam voluit Bonifacius: *Sacræ Religionis* V. Idus Februarii. Nicolaus Ruffus de Calabria Comes, sive Marchio Catanzari intra muros urbis Cotronii ædificavit Minoritis domicilium, sub appellatione sanctarum Margaritæ & Birgittæ; voluitque subjectum Fratribus Vicariæ Bosnæ; quorum tanta erat fama virtutis & Observantiæ regularis, ut qui in partibus Apuliæ, aut Calabriæ sub hoc tempore domicilia ædificabant, his cuperent Fratribus repleri. Indulsit quod petiit Bonifacius, scripsitque prædicto Bosnæ Vicario, ut secundum fundatoris votum Fratres ministraret: *Pia mater fidelium*, Kal. Novembr. Licentiam impertiit Ministro & Fratribus provinciæ Romanæ admittendi Ecclesiam sancti Laurentii, extra muros Castri Capranici, Sutrinæ Diœcesis, alias Collegiatam, sed propter bella derelictam, quam offerebant Franciscus & Nicolaus Comites Anguillariæ Ecclesiæ patroni, & Castri Domini, ut prope eam Fratrum construeretur

Gonzag. in Prov. Bosnæ Arg. Conv. 14. *Indid. Conv.* 4.

Indid. Conv. 8.

Conv. Tudertin.

Conv. Cotronii.

Conv. Capranicæ.

tur domicilium. Ita factum sub nomine sanctæ Luciæ scribit Rodulphus: Bulla incipit: *Piis & honestis supplicum votis*, x. Kalendas Novembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Omnibus bonis & piis fidelibus celeber & famosus multiplici de „ causa hic annus evasit; in primis vero plenaria illa Indulgentia „ peccatorum, Jubileum nuncupata, cujus lucrandæ gratia undique Ca- „ tholici confluebant in Urbem, spirituale gaudium cunctis attulit. Wen- „ ceslai Imperatoris ob inertiam depositio, & Ruperti Bavariæ Ducis in „ ejus locum electio, unionis Ecclesiæ spem ingessit. Tamerlanique mors „ terrorem abstulit. Et quidem licet in variis Italiæ locis pestis & bella grassarentur, „ itineraque redderent difficiliora, nihilominus omnes sanctificari cupientes, „ quascumque difficultates superabant, ut locum sanctificationis attingere possent; „ & gratias reddere Deo Ecclesiæ suæ propitiatori, qui pro Wenceslao omnino dissimili Patri, „ & Avo optimis Principibus, „ populo christiano Rupertum dederat; ac Tamerlanum a facie Orbis terrarum deleverat, „ qui a Tanai usque ad Ægyptum nihil intactum relinquens, „ omnem Asiam minorem, cum quatuor centum millibus equitum, „ & sexcentis millibus peditum, devicta Smyrna, Antiochia, Sebaste, „ Tripoli, Damasco, pluribus aliis Civitatibus, cum Sultano Ægypti, & „ Bajazete, suo subjugaverat Imperio, ac universo Orbi terrorem incusserat; „ tamdem & ipse hoc anno occubuit. Hic aliquando interrogatus a „ quodam, cur adeo crudelis & inhumanus esset? *Erras, & falleris* respondit „ *si me hominem credis; sum enim ira Dei & exitium Orbis*. Gratias ergo Deo, „ qui suam iram compescere, illius morte dignatus, Societatis peregrinantium Fratribus „ in obsequium fidei, viam sternit; quando „ etiam Bonifacius de fastigio Apostolicæ Sedis in eumdem finem collimat, „ qui etiam hoc anno Tertiariis nostri Ordinis summorum Pontificum „ litteras benigne confirmat: *Cum a nobis &c.* VIII. Idus Januarii. Et fratri „ Laurentio Lucæ quodam beneficium confert: *Religionis zelus &c.* XII. „ Kalendas Julii. Ac interea frater Petrus Sonarii Chamberiacensis Theologus „ Minorita insignis, electus Episcopus Augustæ Prætoriæ, hoc anno „ die conversionis sancti Pauli Apostoli, a Jacobo Wercellensi, & Bonifacio „ Eporediensi Episcopis consecratur, provisione facta a Benedicto XIII. „ Minorum hic Præsul Cœnobia Chamberiacense & Augustense mirum in „ modum auxit. Suæ Cathedrali Ecclesiæ pastoralem baculum argenteum „ donavit. Synodum celebravit; in qua ne quis intra XL. passus circa Ecclesias „ suæ Diœcesis ludos exerceret, indixit. Solemnitatem sancti Grati „ instituit hoc edicto: *Nos frater Petrus Episcopus Augustensis, inter cetera ordinamus, „ quia meritis beati Grati confessoris, patroni hujus Ecclesiæ Cathedralis, „ cujus corpus in ipsa Ecclesia existit canonice, opinione „ communi fulgura repelluntur a territorio totius nostræ Diœcesis Augustensis, „ ordinamus quod festum ipsius Sancti in qualibet Ecclesia nostræ Diœcesis „ solemniter celebretur die* VII. *Septembris quolibet anno, & ab omni „ opere similiter cessetur anno* MCCCCVII. *die* X. *Maii*. Undecim annis „ Pontificatui præfuit, obiitque anno MCCCCX.

Wenceslaus Imperator deponitur.

Tamerlanus ira Dei. Dogl. cit. fol. 413.

Fr. Petrus Sonarii fit Episcopus Augustæ Prætoriæ.

Solemnitatem S. Grati instituit. Ughell. Ital. Sac. tom. 4. fol. 1538.

„ II. Sed hoc anno in Civitate Castellana venerab. vir Christi servus „ frater Leonardus Umber oratione, humilitate, sanctitate ac miraculis celeber „ migravit ad Dominum, ejusque honorifica mentio fit in catalogo „ Sanctorum & Beatorum Ordinis S. P. Francisci, Innocentio X. Pontifici „ de-

Leonardus Umber floret.

„ dedicato. Cujusdam etiam Anonymi Fratris Itali, viri vere spiritualis &
„ mysticæ doctrinæ memoria occurrit, qui duos pios tractatus lingua Ver-
„ nacula scripsit, & eorum primum prænotavit *Regulam caritatis*, alterum
„ vero *Inquisitionem veritatis*. Sermo impollitus est, sapitque modum
„ loquendi vetustum ac crassum seculi quartidecimi. Quo autem tempore
„ vixerit, incompertum est.

„ III. Ceterum Illustrissimus, ac præpotens D. Henricus de Britan-
„ nia, Caroli Principis Blesensis, olimque Britanniæ Ducis, & fratris D. Ma-
„ riæ Siciliæ Reginæ filius, Fratrum Minorum amantissimus, ex devotio-
„ ne, qua in sanctum Patrem Franciscum ferebatur, cum habitu suæ Reli-
„ gionis, ut mortem obiisset, in Ecclesia nostri Conventus Andegavensis
„ sepeliri mandavit. Circa pariter hunc annum Illustrissimus D. Comes *Mon. MSS. Provin. Turon.*
„ Ludovicus Harcurianus, Vice-Comes Castriheraldi, & Archiepiscopus
„ Rothomagensis, fatis functus, in Ecclesia nostri Conventus Castriheral-
„ densis sepulturam nactus, ædium antiquitatem, licet a longe, demonstrat:
„ Principes vero Harcurianos, & Duces Nemosienses, tunc Vice-Comites
„ Castriheraldi, Fratribus nostris Conventum fundasse, ac sub titulo san-
„ ctæ Catariuæ Virginis & Martyris extruxisse, constans traditio docet;
„ quamquam subsequuta hæreticorum in Catholicos persecutio, quæ diro
„ incendio ædes sacras absumpsit, cum illis etiam antiquitatum omnia fere
„ monumenta voraverit; qua de causa Waddingus hujus Conventus præter
„ nomen nil habet.

„ IV. Fuldam Civitatem Germaniæ Magnæ ad sui nominis amnem,
„ Moguntinæ diœcesis, in finibus Hassiæ, & Franconiæ, cujus Abbas Prin-
„ ceps est Imperii, a sancto Bonifacio Episcopo Moguntino ædificari cœ-
„ ptam, Buchoniæ caput, inter Moguntiam & Erfordiam Thuringiæ pri-
„ mariam, interque Trajectum Svevorum Franconiæ urbem, & Casellam *Conv. Fuldæ.*
„ Hassiæ ad VIII. M. P. sitam; etiam ante hunc annum Conventum Fra-
„ trum Minorum habuisse, ex catalogo Pisani constat, cum in eo sextæ Cu-
„ stodiæ Daventriæ, Provinciæ Coloniensis, legatur adscriptus; quamob-
„ rem hoc anno saltem commemoramus, ne totaliter ejus memoria pereat, *Topogr. Perrer.*
„ qui tamen aliquando gloriosius revivisset.

ARGUMENTUM.

Coronatur Rupertus Imperator. Frater Antonius Salpensis præficitur classi mittendæ in Tartariam. Creantur Episcopi. Sopitur controversia Boemica. Construuntur Cœnobia.

I. DIximus superius, inertem & effœminatum Romanorum Regem Wenceslaum Boemum exauctoratum fuisse, & per potiorem Electorum partem substitutum Rupertum, Comitem Palatinum, Rheni, & Bavariæ Ducem. Hoc ipso anno in festivitate Epiphaniæ Domini, in maximo Procerum, ac populi cœtu, solemni ritu coronatus est in Basilica Coloniensi ab ejusdem Urbis Antistite. Imperio dignissimum omnes proclamant, quod vir fuerit christianissimus, justitiæ cultor, in pace prudens, in bello strenuus, Cleri amator, Sedi Apostolicæ addictissimus, pauperum defensor integerrimus. Wenceslai depositionem, & Ruperti electionem ratam habuit Bonifacius Pontifex, non improbabiliter ratus translationem Imperii a socordi & turpi viro, in pium & prudentem Principem plurimum præsti-

Ann. 1400. n. 1. Dubrav. in histor. Boem. lib. 23. Trithem. in Chronic. Spaheimen. Coronatur Rupertus Imperator.

turam schismati Pontificio extinguendo. Benedictus XIII. Antipapa in dignitate retinenda quotidie durior effectus, hoc jam quarto anno Caroli VI. Gallorum Regis molestias & pressuras in arctissima Custodia palatii Avenionensis nimia pertinacia sustinuit. Ab illius obedientia recesserunt Gallus, & Castellanus Reges, obsequebantur Aragonius, Scotus, & Cyprius, Allobroges, & Duces Andegavensis, atque Aurelianensis. Dum hi partes ejus acriter tuentur, vir elati animi induci non potuit, ut quam avide susceperat supremæ dignitatis æmulam majestatem, facile deponeret, & a tanti honoris fastigio ad pristinam rediret fortunam. Huic summo rerum malo, aliisque Sedis Apostolicæ jacturis, ut mederetur Rupertus, & Romam veniret ad Imperii solemnia capessenda, eum per Nuncios invitavit Bonifacius. Iter aggressus impeditus est, ne ad Urbem accederet, per Joannis Galeatii Reguli Mediolanensis, Bonifacio invisi, & Wenceslao, suæ dignitatis Ducalis auctori, addictissimi, potentiam. „ Porro Gallus, & Hispanus, qui „ a Benedicti obedientia recesserant, quasi pœnitentia ducti, volebant ad „ eamdem redire, etsi Gallus sub arcta Custodia in palatio Avenionensi „ eum coercebat. Et quidem Hispanus, Henricus Rex Castellæ, misit „ Avenionem Legatos duos Alphonsum Ruiz de Salamanca, & fratrem „ Alphonsum de Arguello Minoritam, qui postea creatus est Archiepiscopus Cæsaraugustanus, ut cui antea parere detrectarat Rex, deinceps „ obsequuturum significarent. Varia, & instabilia erant erga eumdem Benedictum Gallorum studia, pars obediebat, pars respuebat, multique „ proceres, ut coleretur urgebant, ita suadente pro rostris fratre Guillelmo Palmerio Minorita, ex regione provinciæ viro erudito, in dicendo „ acerrimo, qui dominica Septuagesimæ in Ecclesia sancti Ginesii Avenione prædicaverat, omnes ab ejus obedientia recedentes diris devotos „ graviter deliquisse.

Vult venire Romam, sed impeditur.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Zurita lib. 10. c. 73.

Fr. Alphonsus Arguello Nuncius Henrici Regis.

II. In montibus Caspiis, & per multas Tartariæ partes profecisse verbum Dei, conversis ad fidem Catholicam opera Fratrum Minorum multis infidelibus, alias enarravimus. Sub hoc vero tempus irruentes Sarraceni, & Tartari infideles in urbes, & castra eorum, qui Christiano censebantur nomine, magnam stragem intulerunt. Occurrit, deducta classe in mare Baclia, Antonius Reccana Januensis, & quamvis feliciter primo pugnaverit, statim lucro, & mercibus evehendis totus intentus, orta etiam inter socios (ut in his fieri consuescit) non modica dissensione, recessit, relictis fidelibus absque ullo præsidio. Deinde contra hos movere, cogitante Thamurlano Asiæ occupatore, consilium inierunt aliquot pii viri classem instituere, & hujus furori semet opponere. Conductorem & directorem hujusmodi societatis instituit Pontifex fratrem Antonium Salpen. Minoritam in prædictis montibus Caspiis ortum, easdemque Indulgentias proficiscentibus concessit, quas alii Pontifices solebant largiri euntibus in Terræ sanctæ subsidium. Omnia constabunt ex ipsius Pontificis diplomate.

Tom. 6. an. 1305. n. 10. Tom. 7. an. 1326. n. 1.

Tartari Christiani opprimuntur.

Succurrunt Itali.

Fr. Anton. Salpen. classis conductor.

Dilecto filio Antonio Salpen. de Montibus Caspiis, Ordinis Fratrum Minorum, Visitatori a latere dilecti filii Ministri Generalis dicti Ordinis per Vicariam Russiæ, & Custodiam Catayen. secundum morem dicti Ordinis, salutem.

Ex lib. 7. regist. Bonif. an. 12. fol. 76.

III. *Animarum salutem & defensionem Catholicæ fidei, & ejus professorum intensis desideriis affectantes, ad ea libenter intendimus, per quæ hostium ejusdem fidei, qui ad ovile Dominicum venire non curant,* pro-

proterviâ conteratur, & exterminium procuretur, & Christifideles indulgentiis videlicet, & aliis spiritualibus præmiis ad hoc salubriter invitamus. Sane desideranter nuper audivimus, quod retroactis temporibus ad partes Orientales quamplurimi devoti viri Ordinis Fratrum Minorum, de societate peregrinantium nuncupati, Tartariam, & mare Bacha pertranseuntes, evangelizando apud præfatas partes in Kagdaken patria, civitates scilicet Chomeeb, Thuma, Tarchu, Daweeb, Michaba, una cum castris & villis, ac multitudine non pauca ad fidem Christianam converterunt, & ibidem in tantum ipsa fides Catholica prævaluit, ut nullus infidelis Crucem Christi, uti prius consueverant, blasphemare præsumebat. Diebus autem non longe præteritis superveniens perfidorum Sarracenorum & Tartarorum copia, civitates nonnullas cum Ecclesiis, ac parte ejusdem patriæ ignis incendio devastavit, multosque interemit, ac fideles in miserabilem servitutem redegit, ita quod potentes, & locupletes mendici plurimum sunt effecti, nec non Evangelica doctrina impedita per ora prædicantium in eisdem partibus possit minime procedere. De præsenti vero, prout a fide dignis asseritur, filius perditionis Thamurlanus, vocatus Themiraehsach, Tyrannus, Asiæ occupator, cum suis sequacibus prædictis Tartaris, & Sarracenis totaliter Christi nomen invocantes persequitur, quod nisi existentibus ibidem remedium & subsidium præbeatur, procul dubio fides, quæ in iisdem partibus per labores & prædicationes fidem zelantium lucebat, gladio impiorum penitus extinguetur, quod in magnum fidei, & Sedis Apostolicæ cederet vituperium & contemptum. Præterea, sicut ad nostrum fide digna relatione pervenit auditum, licet quondam Antonius Reccana civis Januen. hujusmodi fidelium persecutioni obviare cupiens, cum quadam societate manu armata contra præfatos perfidos mare prænotatum, absque tamen licentia Sedis Apostolicæ, intrasset, eique aliquandiu prospere successisset, nihilominus tamen divino cultu, & augmento fidei postpositis, res lucrativas sibi proposuit, ac consilio non sano, ac dissensionibus, Antonius, & societas prælibati dispersi fuerunt, nullumque effectum operis hujusmodi reportarunt. Nunc autem, prout accepimus, nonnulli Christifideles pro eadem causa mare præfatum intrare conantur cum certis galeis, & gentibus ad augmentum, & tuitionem fidelium ibidem existentium, & offensionem, ac exterminium infidelium, mari supradicto circumjacentium: sed quia inceptore & directore indigent, nos pium propositum plurimum in Domino commendantes, & cupientes etiam, quod ad nos singulariter pertinet, ipsum propositum effectuose confovere & adjuvare, ac dignum censentes & congruum, ut te, utpote fidei prælibatæ fervidum zelatorem, qui propriam domum ibidem habes, & quantum tibi possibile fuerit, pro salute fidelium teipsum periculis contingentibus submittere sollicite desideras; quique in conditionibus, & idiomatibus patriæ ejusdem bene expertus existis, oneri & honori hujusmodi præponamus, te in hujusmodi societatis congregatorem, conductorem, & directorem, auctoritate Apostolica, præficimus per præsentes, cum potestate, si necessitas adfuerit, contra ipsos Crucis inimicos arma offensibilia, absque conscientiæ stimulo tecum assumendi. Et nihilominus, ut tu, & hujusmodi Christifideles in prosecutione tam pii operis diligentius excitemini, & tandem causam eo ferventius prosequi valeatis, quo exinde majoris retributionis merita recipere vos speratis; de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, tam de eisdem partibus, videlicet Chomeeb, Thuma, Tarchu, Daweeb, Michaeba, ac castris, & villis, quæ de fidelium partibus sunt, Clericis, & Laicis, præsentibus pariter & futuris

qui

qui in defensionem fidelium hujusmodi, offensionemque infidelium præfatum mare intrantibus dumtaxat in personis propriis eundo, stando, vel prœliando contra infideles ipsos decesserint, illam concedimus indulgentiam & veniam peccatorum, quæ concedi per Sedem Apostolicam in Terræ sanctæ subsidium consuevit: & si qui divinitus inspirati, de sectis Græcorum, Armenorum, Nestorianorum, & aliorum infidelium ibidem existentium, ad lumen Catholicæ fidei reversi, eidem societati adhæserint, eamdem indulgentiam assequantur. Volumus autem, ut societati hujusmodi, & Christifidelibus, quoties fuerit opportunum, prædictam Indulgentiam per te, vel alium, seu alios intimare, & notificare procures. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VII. *Idus Januarii, anno* XII.

Fr. Ludovicus Episc. Accien.

IV. Episcopos creavit Minoritas hoc anno Bonifacius, Acciensem in Corsica, sub Archiepiscopo Januensi, fratrem Ludovicum Narniensem, per obitum Raymundi. Licet enim superius dixerimus institutum fratrem Franciscum Bonaccursium Episcopum Gravinensem, hujus Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus Administratorem, neglexit ille, sive noluit infra tempus constitutum litteras in Curia expedire, & propterea defuncto sub hoc tempus Raymundo, substitutus est Ludovicus. XVII. *Kalendas Aprilis*. Decedente autem isto ante susceptam possessionem, subrogatus est frater Matthæus Bononiensis. VIII. *Kalendas Augusti*. Acciensem etiam in Hispania vulgo *Guadix*, tunc sub Archiepiscopo Toletano, fratrem Nicolaum, per obitum Petri. V. *Idus Julii*. Archiliensem in Africa, vel forte Archialen. in Thracia, fratrem Andream Vannis, per obitum Roberti. V. *Kalendas Martii*. Darensem in Hibernia, sub Archiep. Dublinen. fratrem Henricum Wesenberch, per obitum Georgii. IV. *Idus Decembris*. Eugubinum in Umbria, nunc sub Archiep. Urbinate, fratrem Matthæum Fabrianensem, per translationem Bertrandi, seu Bertrumini ad Ecclesiam Amalfitanam. VII. *Kalendas Februarii*. Guardensem in Lusitania sub Archiep. Braccaren. fratrem Bertholdum, per obitum Alvari. V. *Kalendas Martii*. Petragoricen. in Gallia, sub Archiep. Burdigalen. fratrem Guillelmum Fabri, per obitum Petri. III. *Nonas Januarii*. Hujus non meminit Claudius Roberti in sua Gallia Christiana. Fortassis non adeo facile obtinuit, provisus a Bonifacio, sedente in Gallia Benedicto; & si Galli modis omnibus urgerent, ut Pontificatum deponeret. Difficultatem ipse prævidit, obtinuitque. VIII. *Kalendas Februarii* a Bonifacio litteras ad Guardianum, & Fratres Burdigalenses, ut in solita camera, quam antea inhabitabat, residere permitterent cum socio, quem ipse vellet eligere, donec possessionem Episcopatus assequeretur. Sanctæ Justæ in Sardinia, sub Archiep. Arborensi, fratrem Dominicum, per obitum Geminiani. XII. *Kalendas Junii*. Soltamen. in Media Archiep. fratrem Joannem Grenlav, per obitum Bonifacii. XII. *Kalendas Octobris*.

Et frater Matthæus. Fr. Nicol. Accien. Fr. Andreas Archilien. Fr. Henricus Daren. Fr. Matth. Eugubin. Fr. Berthol. Guarden. Fr. Guillelmus Petragoricen. Fr. Dominicus D. Justæ. Fr. Joan. Arch. Soltamen.

Occurritur molestiis Boemorum

V. In Boemia Plebani, & Rectores Ecclesiarum magnum facessebant negotium Minoritis circa Confessiones excipiendas, quantumvis essent a suis Superioribus electi, & ab Episcopis admissi. Scripsit Bonifacius Archiepiscopo Pragen. & Episcopis Tracomen. & Olomucen. ut injurias averterent: *Exhibita siquidem nobis*. IX. Kalendas Martii. Fratrem Michaelem Bonaccursium de Fighino, sacræ Theologiæ Magistrum creavit in Tuscia Inquisitorem: *Licet ubilibet*. VII. Idus Aprilis, & Ministrum provinciæ sancti Francisci fratrem Nicolaum Ricolum Perusinum: *Tradita tibi a Domino*. Nonis Decembris.

Fr. Michael Inquisitor. Fr. Nicol. Riolus Minister Provin. S. Francis.

VI. An-

VI. Ante hoc tempus constructum fuisse Conventum sanctæ Mariæ de Gratiis oppidi sancti Georgii in Provincia Mediolanensi, auctoribus Comitibus illius loci, scribit Gonzaga. Sed ex probatis monumentis probant Oppidani, hoc opus sibi, suisque facultatibus deberi. Quidquid sit, Comites magno erga Fratres feruntur affectu, & inter eos curant sepeliri. In Ecclesia, a Guillelmo Gattinara Ordinis sancti Augustini Episcopo an. MDXXXI. consecrata, jacent beatus Candidus Rancejus Vercellensis, in sacello sancti Bernardini, addita hac inscriptione: *Frater Candidus Rancejus Vercellensis, qui Majoratus dignitate Ecclesiæ Vercellarum contempta, Seraphicam Minorum Religionem intravit, & hic tumulatus multis fulget miraculis*. In Fratrum cœmeterio requiescit beatus Joseph ab Hipporedia, prope quamdam columnam, in qua illius imago depicta est: in vita, & morte multis claruit miraculis.

Conv. S. Mariæ de S. Georgio. *Gonz. Prov. Mediolanen. Con. 25. Mon. MSS. hujus Provin.*

B. Candidus Rancejus.

VII. Alium hoc anno constructum Conventum *a Deserto* nuncupatum, in Provincia sancti Antonii, & Custodia Venetiarum, a Frangola Justiniana nobili matrona, ante fores Ecclesiæ condita, refert Petrus Rodulphus.

Conv. Deserti. *Rodul. fol. 271.*

VIII. In Civitate, & diœcesi Trajectensi Fratres, & Sorores Tertii Ordinis sancti Francisci religiosas sibi domos statuerunt, & in communi societate vivebant; impetraruntque a Bonifacio Pontifice, ut Superiores eligere, Capitulum Generale celebrare, & solemne votum perpetuæ continentiæ emittere sibi liceret: per quæ amplius confirmatur, quod superius dixi, non accepisse Fulginei exordium Regularis modi vivendi horum Fratrum, aut Sororum Pœnitentium, institutrice Angelina Corbariensi: *His quæ divini cultus augmentum*. Kalendis Februarii.

Tertiarii Trajectenses. *An. 1392.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Exauctorato Wenceslao Boemo, a majori Electorum parte in ejus
„ locum substitutus Rupertus Comes Palatinus Rheni & Bavariæ
„ Dux, hoc anno in festo Epiphaniæ Domini, qui in maximo Procerum,
„ & Populi cœtu, in Coloniensi Basilica ab ejusdem urbis Antistite solemni
„ ritu coronatus est. Wenceslai vero depositionem, & Ruperti electionem
„ ratam habuit Bonifacius. Benedicto XIII. Antipapa in dignitate reti-
„ nenda pertinaciori, jam anno hoc IV. Caroli VI. Franciæ Regis mole-
„ stias & pressuras in arctissima custodia Palatii Avenionensis nimia perti-
„ nacia sustinente, ut scripsit Waddingus: ab ejus obedientia recesserunt
„ Carolus VI. Franciæ & Castellanus Reges; sed ei obsequebantur Arago-
„ nius, Scotus, & Cyprius, Allobroges, & Duces Andegavensis, & Aure-
„ lianensis; quorum patrocinio fretus sui honoris fastigium acriter tuebatur,
„ cui malo & aliis Bonifacius ut mederetur per Nuncios Romam Rupertum
„ invitavit. Pontificis menti visi sunt favere Florentini, qui Joannis Galea-
„ tii Ducis Mediolanensis potentiam nimiam supprimere satagentes, eum-
„ dem Rupertum, ducentorum millia florenorum facta oblatione, in eum
„ concitabant. Per angustias Tridentinas tamdem auro persuasus Rupertus
„ in Italiam erumpens, in campo Brixiano adverso marte cum Galeatio pu-
„ gnans, devincitur, & ut fugitivus Tridentum revertitur; ibique consedit
„ dubius: sed tamdem Francisci Carrariensis, & aliorum Procerum, quos
„ secum habebat, persuasionibus acquiescens, Patavium petiit, inde Vene-
„ tias, sed novis difficultatibus exortis, ut didicit nec Pontificem, nec Ve-
„ netos secum, nec etiam cum Florentinis coire posse, mutato consilio, in-
„ fecta re, in Germaniam reversus est.

Rupertus coronatur Imperator. *Dogl. cit. fol. 214.*

Indic. ex Vatic. „ II. Interea Bonifacius fratri Michaeli indulta Confessarii electione: „ *His, per quæ &c.* x. Kal. Januarii, Monialibus sanctæ Claræ apud Monachium Bojariorum Principum sedem, quasdam indulgentias concessit, expeditis litteris Apostolicis, quas legitime recognitas, & rite publicatas exhibemus.

Ex authent. in archiv. Prov. Bavariæ.

WERNERUS PACHMEIR Ratisbonensis Ecclesiæ Canonicus, ac Reverendissimi in Christo Patris & Domini D. Bertholdi Episcopi Frisingensis Vicarius in spiritualibus Generalis.

Universis & singulis Ecclesiarum Parochialium Plebanis, & Vice-Plebanis per Civitatem & Diœcesim Frisingensem ubilibet constitutis, salutem & sinceram in Domino caritatem.

„ *Litteras sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Bonifacii digna Dei providentia Papæ IX. cum filis sericis, vera bulla plumbea ipsius Domini Papæ bullatas, sanas & integras, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus suspicione carentes, nobis per circumspectum virum Gabrielem Ridler oppidanum de Monaco, Frisingensis Diœcesis præsentatas, nos cum ea, qua decet, reverentia recepisse noveritis, infrascriptum tenorem per omnia continentes.*

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

„ *Licet is de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne & laudabiliter serviatur, de abundantia suæ pietatis, quæ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus sibi multo majora retribuat, quam valeant promereri: nihilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei, quasi quibusdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterii sancti Jacobi oppidi Monacensis, Ordinis sanctæ Claræ Sanctimonialium, Frisingensis Diœcesis congruis honoribus frequentetur, & etiam conservetur; & ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem Ecclesiam, & ad conservationem ipsius manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos: de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in festivitate sancti Petri ad Vincula, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas ejusdem festivitatis, & per tres dies dictam festivitatem immediate sequentes devote visitaverint annuatim, & ad hujusmodi conservationem manus adjutrices porrexerint; ut præfertur, illas Indulgentias & peccatorum remissiones auctoritate Apostolica concedimus, quas visitantes Ecclesiam beatæ Mariæ in Portiuncula, alias dictam de Angelis, extra muros Assisinates, primo & secundo diebus mensis Augusti annuatim quomodolibet consequuntur. Et nihilominus, ut Christifideles eo libentius causa devotionis, ad Ecclesiam dicti Monasterii confluentes, Indulgentiam hujusmodi uberius consequi pos-*

possint, decem Sacerdotibus, tam Religiosis, quam Sæcularibus, per Abbatissam dicti Monasterii pro tempore existentem deputandis, & ad placitum ejusdem Abbatissæ removendis, quod confessionem omnium & singulorum Christifidelium, in eisdem Vesperis & festivitate, ac tribus diebus prædictis, ut præfertur, immediate sequentibus, ad dictam Ecclesiam confluentium causa hujusmodi Indulgentiæ consequendæ, eadem auctoritate audire, & ipsorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis, eis debitam absolutionem impendere, & injungere pœnitentiam salutarem valeant; nisi forte talia fuerint, propter quæ Sedes Apostolica sit merita consulenda, auctoritate prædicta, de uberioris dono gratiæ, tenore præsentium indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. *Idus Martii. Pontificatus nostri anno* XII. MCCCCI.

III. *Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem, extitit nobis per dictum Gabrielem humiliter & devote supplicatum, qualiter ipsas litteras debitæ executioni demandare dignaremur, ac ob devotionem Christifidelium, & bonorum operum exercitia Indulgentias easdem faceremus publicari. Nos vero ipsius precibus inclinati, attendentes, quod pia Mater Ecclesia de animarum salute sollicita devotorum fidelium, per quædam munera spiritualia, remissionem videlicet & Indulgentiam invitare assuefuerit ad debitum famulatus honorem Deo, Sanctisque ejus, & sacris ædibus impendendum, ut quanto crebrius & devotius inibi confluat populus Christianus, assiduis Salvatoris clementiam precibus implorando, tanto delictorum suorum veniam, & gloriam regni cœlestis consequi mereatur æternam. Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterii prædicti in Vesperis, festivitate, & tribus diebus præfatis, congruis honoribus frequentetur, & a Christifidelibus jugiter honoretur. Idcirco vos omnes & singulos præscriptos monemus, requirimus & hortamur, ac in remissionem vestrorum injungimus peccatorum, quatenus Indulgentias memoratas coram fideli populo, & in Ecclesiis vestris publice in ambone exponere & publicare curetis, quando & quoties super eo fueritis requisiti, sinceritati nostræ in eo singulariter placituri. Dat. Frisingæ, sub sigillo nostro præsentibus appenso, die* VI. *mensis Junii, anno Domini* MCCCCI. *Indict.* VIII. Hanc magnam Indulgentiam præfato Monialium sanctæ Claræ Monasterio sollicite procurasse Dominum Gabrielem Rideler Monacensem, in Archivo Provinciæ Bavariæ expresse notatur.

IV. Eximii viri Gottardi de Pollastrellis, nobilissimi civis Placentini pia memoria occurrit. Hic urbem vel quia peste infectam, vel recreationis causa, vel utraque ratione pulsus, relinquens, ruri morabatur, & venationi operam dabat, quando Rochus mirificus pestis profligator, in Nosocomio Placentino cum alios Crucis signo sanitati restitueret, ipse in sinistram coxam eodem morbo pestifero, cum ardentissima febre correptus, patientiæ exemplum in eo ferendo se præbens, nondum perfectæ sanitati restitutus, ad Gottardi Villam se contulit eleemosynam petiturus; quam nihilominus cum haud impetrasset, in proximam silvam secessit divinam clementiam præstolaturus & gratiam, ibique humi decumbebat in tuguriolo: Interea observatum est Gottardi venaticos canes frusta panis decumbenti Rocho solitos adferre, quibus vescebatur: rem novit Gottardus, & vehementer commotus & dolens, quod feræ se humaniores essent; ad Rochi tuguriolum properavit, & eo coram propriam culpam confessus, veniamque expostulans, Rochi eloquio pene cœlesti in alterum virum

S. Rocho eleemosyna denegata, panem ferunt canes.

„ gratia divina operante, mutatus;omnibus relictis,ejus discipulum se præ-
„ buit, cui frustulum panis denegaverat; & sub viri pauperis disciplina
„ apicem Christianæ perfectionis attigisse visus est. Florebat autem hoc
„ anno MCCCCI.

„ V. Alexandriæ Statiellorum Liguriæ ad Tanarum fluvium, sacrarum
„ Monialium sanctæ Claræ Monasterium a D. Corradino de Puteo Cive
„ Alexandrino hoc anno, sub titulo sanctæ Mariæ Angelorum constructum
„ fuit. Hic non minus opibus, quam pietate abundans, propriam habita-
„ tionem in regularem domum proprio ære convertens, sacris Virginibus
„ de sanctæ Claræ Assisiatis castrorum spiritualium choro dedicavit. Flo-
„ ruerunt ibi virtutibus Christianis, vitæque religiosæ præstantia claræ So-
„ rores Agnesina Rappa, & Florina de Lennibus, ambæ ejusdem urbis.

Duæ Virg. florent.

ARGUMENTUM.

Sanctus Bernardinus, suscepto Minorum Instituto, mire proficit, & egregia promit sanctitatis exordia. Celebrantur Comitia generalia. Florent Viri illustres: alii ad infulas assumuntur Pontificias. Multiplicantur Cœnobia.

An. 1380. Capistranus, & Anonym. in vita S. Bernard. Marian. l. 4. c. 5. Process. canonizat.

S. Bernardinus vitam meditatur monasticam.

I. DESCRIPSIMUS superius egregia pietatis & virtutis præludia, quæ in Bernardini Senensis pueritia & adolescentia non obscure emicabant, dum adhuc versaretur in seculo. Hoc anno ad sanctiorem vivendi rationem adspirans, cum necdum deliberasset, quod genus Monasticæ religionis potissimum deligeret, decrevit habitare secum: ut ita privatim commodius, & certius experiretur ea, quæ oporteret non ignorari ab eo, qui Monasticam, Deoque magis gratam vitam esset amplexurus. Elegit autem domum quamdam in hortis, juxta portam de Tufis, & in loco occulto sacellum exiguum sibi constituit & altare, cum imagine Christi e Cruce pendentis. Ibi precibus, vigiliis, jejuniis, flagellis, cilicio, aliisque pietatis exercitiis sese afficiens, idque crebrius & severius quam antea consuevisset, accuratissime vires exploravit suas, etiam usque ad herbarum victum, & aquæ potum sui faciens periculum. Lectiones ejus in sacris libris, aliisque devotione plenis consummabantur: illis lætabatur, & sacra monita jam toto pectore complectebatur. Piorum hominum, quorum esset spiritualis conversatio, plus solito consuetudine delectabatur; illorum imprimis, in quibus virtutum exempla relucebant.

Suas vires prius explorat.

II. Interim sæpe animo pertractans, ad quod vitæ genus se potissimum conferre deberet; non raro toto corpore prostratus crucifixum Dominum rogavit, ut ipsi largiretur gratiam, viam, & vitam potiorem deligendi, quam ejus benigno fretus favore sectaretur. Puto autem, planeque mihi persuadeo, ita ei respondisse Crucifixum: *Fili Bernardine; en tu ipse cernis hic me nudum a cruce suspensum: si ergo amas me, & me imitari vis, affigaris & ipse nudus cruci, meque sequaris, & proculdubio invenies.* Atque hoc ille intelligens, & sæpius expendens, cum adverteret Christi crucifixi hoc longe optimum esse consilium, quo nullum aliud melius, nullum salubrius possit reperiri: illud toto pectore studuit in opus conferre. Cum autem Seraphicum illum Patrem Franciscum, Christi nuditatem, paupertatem, & crucem excellentissime sectatum non ignoraret, sub eodem beatissimo Patre Christo militare constituit.

D. Francisco se statuit addicere.

III. Sub hac autem mentis deliberatione adhuc posito, cum necdum certo

certo perspiceret quam vitam ingredi deberet, piissimus Salvator, qui confugientes ad se non deserit, sed ad salutarem deducit viam; post solitas preces serotinas obdormienti hanc visionem objecit. Videbatur sibi Bernardinus apud * Fontem Falonicum extra urbis muros non longe a Patrum Franciscanorum Cœnobio distantem, videre palatium quoddam elegans & amplum, fenestris luculentum, in ipsoque intus ignem accensum, qui omnia fere palatii viscera inflammaret; perque fenestras omnes flammas erumpentes, una dumtaxat dempta fenestra, quæ sola cum uno dumtaxat cubiculo servata videbatur. Tum præterea per fenestram illam videre sibi visus est intus virum quemdam, sancti Francisci habitu indutum, eumque ut ignis præsens periculum devitaret, ad fenestram accedentem, & ex illa præcipitare se volentem; porro ob ingens præcipitii discrimen, clamantem magna voce, *Francisce*; sicque secundo & tertio intro revertentem, rursusque ad fenestram venientem, & præcipitio dare se volentem, sed præ timore minime ausum, clamantem, *Francisce*. Ad extremum vidit totum illud palatium ignibus absumptum præter cubiculum, & fenestram illam, ad quam vir ille Franciscum inclamitans salvus mansit. Hanc visionem secum pensitans Bernardinus, sic eam interpretatus est; quod Dominus ea id significare voluerit, posse ipsum beatissimi Patris Francisci ope subnixum carnis, mundi, & dæmonis flammas evadere.

Viso admirando ad hoc magis excitatur.

** potius Montem.*

Ab igne visus est Franciscanus præservari.

IV. Per id tempus commorabatur Senis religiosissimus vir frater Joannes Ristorius, eadem urbe oriundus, regressus e peregrinatione Hierosolymitana, & Provincia Bosnæ, in qua per annos triginta contra hæreticos, præsertim Manichæos, strenue decertavit, plurimosque ad fidei veritatem reduxit. Senio, & austeris pœnitentiis confectus, in magna veneratione, & sanctitatis opinione habebatur in civitate, ejusque consiliis se facile duci omnes permittebant; ea pollebat rerum experientia, & sapientia. Ad hunc propere accessit Bernardinus, & desiderium melioris vitæ exponens, rogavit ut optima quæque consuleret. Non temere, & Deo inconsulto in his agendum reputans grandævus Pater, consilium distulit, & repetitis colloquiis voluit experiri an levitate juvenili, vel potius solido virtutis duceretur amore. Post multos congressus, votum de subeundo Instituto Franciscano probavit vir pius, lætabaturque valde; quippe qui optimos explorasset mores, cerneretque adolescentem corpore robustum, facie formosum, non mediocriter omni litteratura instructum, fide integrum, spiritu ferventem. Regebat tunc Provinciam Etruriæ frater Marcovaldus a sancto Miniate, & pro eo commissionem obibat in tractu & urbe Senensi frater Galganus de Massa. Custodis Senensis fungebatur munere frater Bartholomæus Francisci, & Guardiani Senarum frater Evangelista Augustini. Hos rogavit Ristorius, ut adolescentem undequaque commendabilem ad sodalitium admitterent, facileque obtinuit, tum propter suam reverentiam, tum propter juvenis probitatem omnibus compertam. Ea tamen lege ejus petitioni subscriptum, ut ipse curam susciperet tironis educandi. Talem ac tantum discipulum repellere piaculum ducens, observatis Evangelicis consiliis, & Ordinis Institutis, distractis scilicet amplis facultatibus, & latifundis in usus egenorum & puellarum dotes, ad habitum & Instituti rationem admitti curavit, die VIII. Septembris Mariæ Virginis Natalitiis sacro, in sacello templi præcipuo. Hoc anno id factum concordant nostri Scriptores, & ætatis Bernardini supputatio; quippe anno vigesimo secundo suæ ætatis omnes conspirant initiatum fuisse; nos natum ostendimus anno MCCCLXXX. computandus ergo venit hic annus primus monachatus. Atque ita præ ceteris scribit Joannes Ca-

Fr. Joannes Ristorius vir laudabilis.

Bernardinum dirigit.

Facit initiari;

Hoc ipso anno;

Capistranus, optimus Viri sancti discipulus. Nescio proinde unde motus auctor legendæ apud Surium, ut hæc referat in annum MCCCCIV. Cum vero habitu indueretur, grandævus ille Pater Ristorius divinitus edoctus, coram omnibus clara voce ita prophetavit: *Adjunctus est nobis hodie strenuus & gnarus miles, qui multas comportabit fruges in horrea Domini, eritque nostri Ordinis decus, & ornamentum*; *a multis annis alterum non admisit, a quo majus perceperit incrementum*.

Prædicit ejus virtutem.

V. Post duos menses sentiens Bernardinus, se non posse in illo Cœnobio adeo tranquille tirocinium peragere; neque tanta mentis recollectione disciplinam apprehendere regularem, propter adventantium secularium frequentiam, & consanguineorum importunos accessus, ex consilio memorati Patris excessit e patria, & secessit in humile oratorium Columbarii, situm in asperrimo loco agri Senensis, sancti Francisci incolatu, & pictate eorum, qui tunc inhabitabant sub nova congregatione purioris Observantiæ commendatissimum. In hoc devoto loco summo studio carnem suam crucifixit cum vitiis & concupiscentiis, virgisque ac flagellis asperis castigavit. Summopere connitebatur perfecte in se exprimere vitam Evangelicam, & propter Christum alienæ se submisit voluntati. Primo anno probationis nihil prorsus habere voluit præter cucullum, subligaculum,& cingulum nodosum; adeoque magnos habuit in virtutibus progressus, ut quamvis omnium postremus esset, lucernam ardentem, & totius sanctitatis speculum Fratribus sese exhiberet. Erat Monastici canonis observantissimus, moribus optimis, & modestissimis, non mediocriter eo nomine carus Fratribus universis. Mirabantur omnes pœnitentiam & asperitatem vitæ, singularem mansuetudinem, & erga omnes caritatem. Nullum tam molestum, aut vile,& contemptibile fuit opus, quod Bernardinus suis manibus non libenter exequeretur. Inserviebat ægrotis Fratribus, ferebat suis humeris emendicatas panis & vini eleemosynas; nudis interim incedens pedibus, etiam longissimo itinere. In ædibus sacris instar Angeli sese gerebat, laudans, cantans, & obsecrans Deum sine tepore ullo, nocte, ac die.

Bernardinus ad Columbarii transit cœnobiolum.

Paupertatis amantissimus.

Et humilitatis.

VI. Non solum ea servabat jejunia quæ præscribit Regula, sed quasdam iis addebat quadragesimas, interdum solo pane & aqua contentus, corpus suum vigiliis & flagellis in spiritus redigens servitutem. Propter Dominum Jesum vir humilis cuilibet se morigerum & obsequentem præbebat; seipsum peccatorum omnium, qui in terris essent vilissimum, atque teterrimum existimabat. Atque ea de causa cum infinitis suspiriis & gemitibus precabatur veniam coram imagine Crucifixi Salvatoris, magnas illi gratias agens,quod ad hoc vitæ institutum ipsum vocasset, in quo posset ei tranquilla conscientia, firmaque spe, & fiducia servire. Christi passionem tam acerbe deplorabat, ut præ dolore moriturus videretur. Cum multa condolentia commemorabat ejus vitam, peregrinationem, famem, sitim, æstus, frigora, vincula, flagella, contemptum, cruciatus. Valde mirabatur illum præ immenso amore pro nobis ferentem crucem, nudum a cruce manibus, pedibusque confixum, misere pendentem, miserandum in modum vulneribus saucium, & in tantis cruciamentis nostra causa morientem. Doloris gladio conficiebatur, cum secum reputaret tristissimam illius matrem exanime corpus ejus excepisse in sinum suum. Ejusmodi piis & salutaribus cogitationibus, & meditationibus inflammabatur animus ejus ad ardua & corpori molesta ac dura exercitia, & opera amplectenda.

Item pœnitentiæ.

Christo passo se studuit conformare.

VII. Adeo vero studiose in ea incumbebat opera, quæ mundo humilia & despicabilia videntur, seipsum plane contemnens, & generis sui nobilitatem

tem pro nihilo ducens, ut homines plebeii, qui ante eum noverant, non alio quam insani & stulti loco eum haberent; quo ille impensius lætabatur, sciens dictum ab Apostolo: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens: sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum*. Cum adhuc Novitius aliquando cum socio Fratre inviseret Tobiam cognatam, & spiritualem matrem suam, quemdam illic offendit consanguineum suum, molestissime ferentem, quod factus esset Franciscanus, multaque ipsi convitia & probra inferentem, & inter cetera sic dicentem: *Sperabamus nos te benefie in seculo victurum, & fœcundam uxorem quandoque ducturum, prolesque ex ea elegantes procreaturum, nostramque familiam opibus, & honoribus aucturum. Ecquid vero aliud est cucullatus Monachus, quam porcus saginarius, & qui fine cura ulla, otio, & desidiæ deditus, alienis laboribus se saginet?* Audiebat hæc sedatissimo animo Vir sanctus, tamdemque ei respondit comiter, & modeste de seipso vaticinans: *Equidem fallacem hunc contemno mundum, cum omni fastu & pompis ejus: at nihilominus tantum ex me honoris accedet generi nostro, ut in hac urbe nulla unquam familia extiterit, quæ cum nostra possit honore, sublimitate, & famæ celebritate comparari*. Inde vale dicens cognatæ suæ, ad Cœnobium rediit, magis expetens propter Deum ignominia affici, quam populi prædicatione efferri. *Sui contemptum contemnit.* *1. Cor. 3. 18.*

VIII. Eunti illi quandoque cum fratre per plateas urbis Senensis, petulantes pueri a tergo illudebant, & in ejus nudos calcaneos lapillos jactabant: nudis enim ingrediebatur pedibus, & tunica non attingebat tibias, ut plus ex frigore molestiæ caperet. At ille ne semel quidem respiciens, nec quidquam omnino commotus, pergebat itinere suo, perinde ac si surdus, ac insensibilis esset. Socius vero id indigne ferens: *Non advertis*, inquit, *quid isti insolentes pueri faciant?* Respondit Vir sanctus: *Faciant illi quidquid libitum erit eis; materiam nobis exhibent, unde sempiternæ gloriæ coronas nobis texamus. Dum enim affligunt nos, exercendæ patientiæ nobis occasionem suppeditant; qua patientia possidemus animas nostras, & cælorum regna promeremur*. *Ejus patientiæ exemplum.*

IX. Anno probationis exacto, ipsa Nativitatis beatissimæ Virginis Mariæ solemnitate vitæ monasticæ perpetuo sectandæ votum emisit, & biennio post, urgentibus Superioribus, susceptis sacris Ordinibus, primum celebravit sacrum in eisdem Nativitatis solemniis, & paulo post institutus est supradicti Columbarii cœnobioli præfectus. Divino deinceps amore magis magisque æstuans, sitiebat mortalium omnium salutem, & accurate secum pensitabat, nullum se Deo posse gratius obsequium præstare, quam si lucrandis animabus totus invigilaret. Frequenter secum commemorabat, quanta hominum causa fecisset Christus, quantopere in eam incubuisset curam, ut homines a peccatis retraheret per seipsum, per Apostolos, Martyres, Confessores, aliosque ministros, quibus exemplis, & institutionibus laboratum est, ut ad pœnitentiam, & vitæ emendationem incitarentur. In his meditationibus totus immersus, magno spiritu gravi in humeros cruce suscepta, cum aliquot Fratribus ad vicinum castrum Saggiani nudus perrexit, tantoque fervore prædicavit, ut qui fatuum prius eum judicabant, sui amantem, & animarum lucrandarum cupidissimum deinceps venerarentur omnes, qui interant. Etsi vero ita avide hominibus convertendis inhiasset, præ eximia animi humilitate ausus non est absque Superioris licentia concionandi munus publice obire, nec etiam ut ipsi hoc permitteretur expetere. Ultro Provinciam hanc commendavit frater Antonius Angelus Piretus Minister Generalis post paucos annos, uti suo loco dicemus. *Die Natali beatæ Mariæ profitetur regulam.* *Fit sui cœnobii præfectus.* *Sitit animarum salutem.* *Insigni exemplo ad tollendã crucem invitat.* *Anno 1405.*

X. Hoc

Capitulum generale 69. Assisii.

X. Hoc anno Henricus Alferus Generalis Minister indixit comitia generalia Assisii, quorum acta perierunt, neque ipsa comitia in catalogo Capitulorum generalium recensuit Petrus Rodulphus, adeo turbati hujus seculi res notitiam scriptorum subterfugerunt.

Missioni Bosnensi favet Pontifex.

XI. Frater Bartholomæus Vicarius Bosnæ significavit Pontifici, excrevisse nimis messem, diminutis operariis in illa Provincia, atque ultra quinquaginta millia hominum ad fidem orthodoxam a Fratribus reducta, aliquos vero hujus conversionis ministros, vel tædio affectos, vel labore fractos aliquando ab opere cessare, & ad suas patrias ipso inconsulto redire. Jussit itaque Pontifex ut nullus ipso insalutato, minus dissentiente, illinc abiret; aliaque statuit, quæ ad illius gentis conversionem videbantur expedire: *Ex injuncto nobis*, Nonis Martii. In Provincia & Ducatu Aquitaniæ cœpit sub hoc tempus pullulare novæ reformationis desiderium, & frater Petrus de Villa-nova petiit a Pontifice, ut sibi, aliisque hujus studii Fratribus liceret unam, vel alteram domum ex licentia Generalis Ministri construere, aut ab eodem Ministro recipere, in qua secundum veram regulæ observantiam possent Altissimo famulari. Libenter piis votis annuit Pontifex, datis ad hæc amplis facultatibus: *Sacræ religionis sub qua*, XIII. Kal. Maii. Molestam controversiam circa confessiones excipiendas, & exercitium privilegiorum a Sede Apostolica Religioni concessorum, similem ei, quam supra diximus excitatam a Rectoribus Ecclesiarum in Boemia, sopitam voluit, dato diplomate, in quo confirmavit, quæ alii Pontifices indulserunt: *Ad fructus uberes*, Kal. Julii. Designatum hoc anno hæreticæ pravitatis Inquisitorem in Marchia Anconitana ab ipso Pontifice fratrem Bartholutium Fanensem, virtutibus, litteris, & disciplina regulari insignem, referunt monumenta Conventus illius urbis ad me transmissa. Alium sub hoc tempus fuisse in Urbe fratrem Jacobum Sei de Florentia Inquisitorem, habeo ex diplomate Bonifacii, quo varia ei indulget privilegia, & ex aliis ejusdem Pontificis litteris, hoc anno datis, Ministrum fuisse Aquitaniæ fratrem Joannem Bigerii, cui facultatem concessit Bonifacius, ut in aliqua universitate Benedicto Antipapæ non adhærenti, gradum suscipiat magisterii: & depositum ab officio fuisse hoc anno fratrem Nicolaum Jaderensem, Ministrum Provinciæ Dalmatiæ, eique substitutum ab ipso Pontifice fratrem Petrum de Pago, virum eruditum & prudentem.

In Aquitania & Provincia studium reformationis.

Confirmantur Ordinis privilegia.

Fr. Bartholutius Inquisitor in Marchia Anconitana.

Fr. Jacob Inquisitor Urbis.

Beat. Sabinus de Capello.

XII. Obiit hoc anno beatus Sabinus de Capello Minorita, Comitatus Spoletani, signis, & virtutibus admirandus, sepultusque est ad sanctum Damianum Assisii. Alius ejusdem Instituti, & urbis Spoletanæ frater Pacificus nuncupatus, sub hunc annum sacrum subiit martyrium inter Sarracenos, loco tamen incerto. Ejus memoria conservatur in prædicta urbe, præsertim in Conventu sancti Pauli extra muros.

Fr. Pacific. martyr.

Fr. Francisc. Episcop. Gallipolitan.

XIII. Creati sunt Episcopi Gallipolitanus, vulgo *Gallipoli*, nescio an in Thracia, sub Archiep. Heraekensi, an vero in regno Nrapolitano, sub Archiep. Hydruntino, frater Franciscus de Vussen, per obitum Marchionis, VII. Kal. Octobris. Enachdunensis, in Hibernia, sub Archiep. Tuamen. frater Joannes Britte, per obitum fratris Henrici Tuillowe, quem superius diximus ad hanc sedem evectum, VIII. Kalend. Februarii. Samastensis in partibus infidelium, frater Willelmus de Wildenholtoz, per translationem Thomæ ad Ecclesiam. N. VIII. Idus Novembris. Scutarenus in littore Asiatico, sub Patriarcha Hierosolymitano, frater Vigliarinus Manfredi de Fontana, per translationem Christophori ad Ecclesiam Polignonen. XIX. Kal. Januarii. Termulanus in regno Neapolitano, & Ducatu gentis Capuæ, sub

Fr. Joann. Enachdunen. Ann. 1394.

Fr. Willelm. Samasten.

Fr. Vigliarin. Scutaren.

Fr. Steph. Termulan.

ſub Archiepiſcopo Beneventano, frater Stephanus de civitate Caſtellana, per obitum Antonii, VI. Idus Auguſti. Hiſtoria etiam Pontificalis urbis Mediolanenſis a Franciſco Beſozzo conſcripta, & Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium apud Claudium Robertum, hoc anno illius urbis Archiepiſcopum creatum, referunt Petrum Philargum Minoritam, poſtea ad Cardinalatum, & ſummum Pontificatum evectum.

Fr. Petrus Arch. Mediolanen.

XIV. Hoc anno Pontifex facultatem conceſſit Miniſtro, & Fratribus Provinciæ ſancti Franciſci recipiendi ab illuſtri, & pio viro Chriſtiano de Guelſutiis domicello Tifernate, ſilvam Bonæ quietis, vulgo *del buon riposo* juxta villam ſancti Martini de Eugniano II. M. P. a civitate Caſtellana, ac duas domunculas, hortum, & oratorium dirutum, ut ſibi Cœnobium ædificarent. Habitaculum ſuum Fratres conſtruxerunt, Eccleſiam Chriſtianus, ſub titulo ſanctæ Crucis. Totum Cœnobium Fratrum incolatui, & contemplationi ſatis opportunum eſt, in eoque multi pii, & virtute commendatiſsimi patres floruerunt. Jacet ibidem frater Paulus Aſsiſias laicus, vir ſimplex & timens Deum, ſui ſtatus zelantiſſimus, de quo alias ſermonem inſtituemus: *Sacræ religionis, ſub qua* VI. Kal. Martii. Similiter indulſit Miniſtro, & Fratribus provinciæ Calabriæ, ut admitterent domum ſibi ædificandam in urbe Militenſi, a nobili muliere Guilla de Marolis Comitiſſa, eo in loco, ubi antea præparavit peregrinis receptaculum, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Miſericordia: *Sacræ religionis*: Kal. Januarii. Ad tertium lapidem ab antiquiſsima, & bellis memorabili urbe Saguntina, in valle Jeſu ædificavit circa hunc annum Maria a Luna, Martini Aragonum Regis conjux, Conventum, ſub titulo ſancti Spiritus, quem etſi a populo ſemotum, vicina oppida magna proſequuntur beneficentia.

Conv. S. Martini de Eugniano.

Ann. 1499.

Conv. Militen.

Gonza. in Prov. Valen. Conv. 7.
Conv. Saguntin.

XV. Invenio hoc anno mentionem Monaſterii ſanctæ Mariæ Clariſſarum urbis Nonen. in Iſtria, in uno atque altero Pontificis diplomate, quibus concedit facultatem ædificandi Minoritis, a quibus ſacramenta percipere poſſent, domum conventualem: *Sacræ religionis*, V. Idus Decembris: *Etſi forſan*, Idibus Decembris. Aliud in Inſula Cretenſi, in burgo Caneæ, ædificare permiſit nobilibus domicellis, Caſtellanæ diœceſis Conſtantiæ relictæ quondam Petri Zaneii, & Mariæ ejus filiæ, de quo litteras dedit ad Andræam Epiſcopum Agien. *Sinceræ devotionis*, III. Kal. Septembris. Monaſterio Clariſſarum de Deneya, Elien. diœceſis in Anglia, univit tres Eccleſias parochiales: *Sacræ religionis, ſub qua* VI. Idus Novembris. Epiſcopis Segnino, & Corbaurien. ſcripſit ne Fratres Conventuum Segnini, & de Moduſtria impedirent, quin libere pro more mendicarent: *Dignum eſt, ut qui*, XVI. Kal. Januarii.

Monaſt. Nonen.

Monaſt. Caneæ.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ SUmmus Pontifex Bonifacius, præter alia ab Annaliſta recenſita, pro
„ magiſterio fratris Joannis Viguerii litteras expedivit: *Viri Sacræ &c.*
„ XVII. Kal. Julii. Regreſſo in Germaniam Ruperto, Galeatius Vice-Co-
„ mes Mediolani, devicto & occiſo Joanne Bentivoglio Bononiam recupe-
„ ravit; at dum in Florentinos præperabat arma, divinum ad judicium ci-
„ tatus, facto teſtamento, Joanni Mariæ ſuo Primogenito, præter Ducatum
„ Mediolanenſem, Bononiam, Senas, Peruſium, & Aſſiſium reliquit;
„ Philippo vero Mariæ ſuo ſecundogenito Papiam, Veronam, atque Vin-
„ centiam: & dum Eccleſia ſchiſmate in partes dividitur, & pene Italia
„ univerſa armis laborat, ſocietas peregrinantium Fratrum in obſequium
„ fidei in terra Lamburgæ & Ruſſiæ partibus mire fructificat.

ARGUMENTUM.

Referuntur aliquot Pontificis indulta. In regno Daciæ instituitur Minorita Inquisitor. Florent viri docti. Promoventur alii ad Episcopatus. Clarissi, & Tertii Ordinis Professoribus conceduntur privilegia.

I. SOCIETATEM peregrinantium Fratrum propter Christum, de qua non semel locuti sumus, mire fructificantem in terra Lamburgæ, & partibus Russiæ, digne hoc anno Pontifex commendavit, & minime comprehensam declaravit in suis litteris pridem emanatis, quibus revocavit prima privilegia Regularibus concessa: *Decens reputamus*, VIII. Idus Februarii. Fratrem Joannem Stronconium, beati Paulutii Fulginatis discipulum, & in Vicariatu super cœnobiola paupercula & humilia inchoatæ novæ congregationis de Observantia successorem, primum a Nicolao Pagorino Ministro provinciæ sancti Francisci, deinde ab Henrico Generali Ministro deputatum, gratiis affecit, & facultate donavit, duo, vel plura loca suæ familiæ aggregandi: *Sacræ vestræ religionis*, X. Kal. Aprilis. Indulsit ut festum sancti Antonii cum octava eadem celebritate, & ritu in universo Ordine tam per Fratres, quam per Sanctimoniales coleretur, quo solemnitas Assumptionis beatæ Mariæ Virginis cum septem diebus sequentibus in sancta Dei Ecclesia celebratur: *Pium & honestum esse censemus*. Idibus Decembris. Paulatim crevit hæc festivitas Assumptionis ad tantam excellentiam, quæ sub illud tempus celebrabatur, sub ritu duplicis majoris; crescente autem ad majorem ritus dignitatem, religiose & reverenter judicarunt Ordinis Patres non æmulari tantam Virginis majestatem, sed servum debere cedere Dominæ honori. Pœnitentiarium Basilicæ sancti Petri fratrem Joannem Juliani Bononiensem; & Inquisitorem instituit hæreticæ pravitatis in regno Daciæ fratrem Clementem Ranwaldum Minoritam; ante quem alium non comperio ibidem designatum Inquisitorem. Institutionis bullam hic exhibeo.

Vide ann. 1399. n. 1.

Solemnitas festi S. Antonii.

Vide Gavant. in rubric. Breviar. sect. 7. cap. 10. & Durand. lib. 7. cap. 24.

Dilecto filio Clementi Ranwaldi Ordinis Fratrum Minorum professori in provincia Daciæ, secundum morem dictorum Fratrum, Inquisitori hæreticæ pravitatis.

II. *Licet ubilibet Apostolicæ Sedis diligentia circumspecta contra hæreticæ pravitatis labe respersos, quorum nequitia serpit ut cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundat, remedium libenter adhibeat opportunum; tamen in provincia Daciæ, secundum morem Ordinis Fratrum Minorum, ad quam, & utriusque sexus homines in eadem provincia commorantes, affectum gerimus specialem, præcipue cupimus, ut negotia fidei jugi profectu, elisis omnino, & eradicatis exinde erroribus, prosperentur; fidesque Catholica fortius invalescat in eadem. Affectantes itaque ad promovendum hujusmodi negotium fidei in eadem provincia, in qua nonnulli errores hæreticales, & suspecti pullulare dicuntur, aliquem probum & discretum virum, Deum timentem, & in lege Domini eruditum, ac alias ad hoc idoneum deputare, cujus honesta conversatio exemplar tribuat salutare: de tua persona, quam religionis, & fidei sinceritate, & maturitate morum, necnon litterarum scientia, multarumque aliarum virtutum donis earum largitor Dominus insignivit, plurimum confidentes in Domino, & ad eum dirigentes intuitum*

Ex lib. 1. an. 14. reg. Bonif. f. 45.

Fr. Clemens Ranwaldus Inquisitor Daciæ.

tum nostræ mentis, te ad hujusmodi exercendum officium sufficientem, & idoneum reputantes, in eadem provincia Inquisitorem pravitatis ejusdem, auctoritate Apostolica, usque ad beneplacitum nostrum, tenore præsentium, constituimus, & etiam deputamus. Quocirca &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum Idibus Maii anno XIV.

III. Claruit hoc tempore in Anglia in Cœnobio Conventriensi frater Guillelmus Nortonus, sive Mortonus, vir in scientiis tum Philosophicis, tum Theologicis eruditus. In Hispania frater Didacus de Majorica, quem propter singulare ingenii acumen Benedictus XIII. in cathedra Vesperaria universitatis Salamanticensis hoc anno Kalend. Septembris substituit Alphonso electo Episcopo Legionensi. Et in regno Valentino frater Franciscus Eximinus, alias Ximenez, cui simul cum Joanne Episcopo Doliensi idem Benedictus commisit, ut promoveret expeditionem in Turcas, prædictum regnum infestantes; & post aliquot annos contulit Patriarchatum Hierosolymitanum, uti suo loco dicemus. Fra. Guillelmus Nortonus. Fra. Didacus de Majorica. Frat. Franciscus Ximenez.

IV. Archiepiscopum Messanen. per obitum fratris Philippi Crispi, elegerunt capitulares fratrem Thomam Chrysafium, genere nobilem, sacræ Theologiæ Magistrum, & provinciæ Siculæ Ministrum, suæque electionis litteras has ad Pontificem miserunt. Fr. Thomas Archiep. Messanen.

Beatissimo Patri Domino Bonifacio IX. Decanus, & Capitulum Messanensis Ecclesiæ. Cum pater noster Philippus Crispus Archiepiscopus dictæ Ecclesiæ anno MCCCCII. I. *die Decembris Indictione* II. *obierit, & ejus corpus sequenti die Ecclesiasticæ sepulturæ traditum sit, ad electionem novi Præsulis convenientes.* XXII. *die præsentis mensis Januarii in loco consueto, Spiritus Sancti gratia spirante, Rever. P. Fr. Thomam Chrysafi Ordinis Minorum, in regno Siciliæ Ministrum, elegimus anno* MCCCCIII. XII. *Januarii* ✝ *Ego Angelus de Amodæo Decanus & Can.* ✝ *Ego Matthæus Abrognal Cantor & Canon.* ✝ *Ego Simon. Chrysafi Archidiac. & Can.* &c

V. Sed licet Martinus Rex dato diplomate Catanæ, statim post electionem decreverit, ut Ecclesiæ proventus illi subministrarentur, electionis tamen confirmationem non obtinuit, nisi post aliquot annos, a Gregorio XII. cujus partes sequebantur Martinus Rex, & Blanca Regina; qui pro Thoma exorarunt. Interim ab eodem Rege cohonestatus erat nobili Archimandritatu Messanensi; aliosque obtinuit favores in gratiam sui genitoris Nicolosii Chrysafi, qui Martinum juvit contra Claromontanos, ut Messana potiretur. Deinde anno MCCCCXI. ab eodem Gregorio institutus est Cameræ Apostolicæ collector in regno Siciliæ. Anno sequenti Joannes XXIII. facultatem dedit testamentum condendi. Anno MCCCCXVI. ab Infante Joanne, Siciliæ Prorege Majoris Capellanatus honore decoratus est. Anno MCCCCXVIII. tenues sui Capituli reditus novis proventibus auxit. Anno MCCCCXXI. aliquot calumnias passus defensorem habuit Alphonsum Regem. Anno MCCCCXXV. Vicarius Generalis, & reformator institutus est Ordinis Cistercienfis in Sicilia. Vicarium habuit præ aliis fratrem Bartholomæum Pactensem, sui Instituti virum prudentem, & in Concilio Constantiensi procuratorem Basilium Lusinum, uti legitur in sessione vigesima. Demum anno MCCCCXXVI. mense Julio in bona senectute decessit, sepultusque est in delubro, ubi Christi e cruce pendentis imago est, & ejus stemmata visuntur.

VI. Archiepiscopus Cymbaliensis in Tartaria institutus est a Pontifice frater Dominicus, per obitum Josephi, V. Idus Augusti. Spalatensis in Dal- Fr. Dom. Archiep. Cymbalien.

Fr. Peregrin. Spalaten.

Fraterbonifacius Episcop. Aquen.

Fr. Alphonsus Chalcedon.

Fr. Leonar. Rapolan.

Fr. Franc. Bergomen.

Ann. 1400. n.3.

Dalmatia ad mare Adriaticum frater Peregrinus de Aragonia, per translationem Andreæ ad Ecclesiam Samaritanam, XIV. Kalendas Maii. Episcopus Aquensis, seu Aquarum statiellarum, sub Archiepiscopo Mediolanensi, frater Bonifacius de Corguato, per translationem Henrici ad Bellunen. & Feltren. Ecclesias, III.Nonas Martii. Chalcedonensis in littore Asiatico, sub Patriarcha Hierosolymitano, frater Alphonsus a sancta Cruce, per translationem Pauli ad Ecclesiam Arboren. in Sardinia, VII. Idus Aprilis. Rapolanus in regno Neapolitano, sub Archiep. Manfredoniæ, frater Leonardus Roberti Anconitanus, per obitum Francisci XVIII. Kalendas Jannarii. Bergomensis, sub ditione Veneta, & Archiepiscop. Mediolanen. frater Franciscus de Aregaciis civis Cremonensis, sacræ Theologiæ Magister, U. J. Doctor, provinciæ Bononiæ, & Custodiæ Parmensis, vir prudentissimus, per reditum fratris Francisci de Pisis, etiam Minoritæ ad Ecclesiam Cremonensem, de quo superius locuti sumus. Anno MCCCCVII. univit Monasterio sui Ordinis Ecclesiam parochialem sanctæ Eufemiæ. Anno MCCCCXVII. dedicavit ædiculam in Monte-aureo in honorem beatæ Mariæ Virginis, quæ eodem anno die IV. Januarii mirabiliter apparuit vernantibus rosis circumdata, ubi etiam sacrarum Virginum erectum est Monasterium. Anno MCCCCXXV. postulante S. Bernardino Senensi, Ecclesiam Minorum de Observantia titulo nuncupavit *sanctæ Mariæ gratiarum*, & anno MCCCCXXVII. consecravit ritu solemni. Insigni doctrina, & exemplo Ecclesiam rexit Bergomensem annis XXIV. mensibus V. diebus XXVII. obiitque anno salutis MCCCCXXVII. X. Augusti, tumulatus ad ædem sancti Francisci.

Monast. Montis Turris.

Moc. Saonen.

Mon. Januen.

VII. Invenio hoc anno mentionem Monasterii Clarissarum in Anglia, prope Montem-Turris, Londoniensis diœcesis, in quodam Pontificis diplomate, circa præcludendum aditum aliis per ostium, quod Thomas olim Comes Blanteseriæ aperuit, per quem e sua domo ad Ecclesiam introibat: *Justis, & honestis supplicum votis* XV. Kalendas Decembris. Propter quasdam querelas & turbas inter Fratres provinciæ Januen. & Moniales sanctæ Claræ Saonensis exortas, Monasterium exemit Bonifacius ante aliquot annos a potestate & jurisdictione Fratrum. Cum vero ei postea constitisset de variis incommodis inde secutis, revocavit priores litteras, iterumque Ordinis subjecit regimini: *Licet Apostolicæ Sedis*. Idibus Decembris. Aliqua indulsit Sororibus Monasterii sancti Pauli Januen. circa Novitiarum receptionem, & numerum Sanctimonialium: *Exigit honestas sacræ Religionis*. Idibus Decembris.

Varia privilegia Fratrum Tertii Ordinis in Hispania.

Domus Astoricen.

S. Mariæ de Valle.

Domus S. Mariæ del Soto.

S. Juliani de Monte.

S. Spiritus Astoricen.

S. Catarinæ de Monte Faro.

VIII. Benedictus Antipapa multa concessit hoc anno privilegia Fratribus Tertii Ordinis: incolas domorum sanctæ Catarinæ de Monte Faro, & sanctæ Mariæ de Canthero, Compostellanæ diœcesis, a decimis, collectis, aliisque exactionibus absolvit, XVII. Kalendas Octobris. Donaverat Episcopus Astoricen. Fratribus ejusdem Instituti Ecclesiam sanctæ Mariæ de Valle, & possessiones aliquas in villa de Lazaro, & alias nuncupatas *sanctæ Mariæ Magdalenæ*, quæ spectabant ad mensam Episcopalem. Id ratum, & firmum voluit Benedictus, VI. Idus Septembris. Eodem die indulsit, ut omnes illius Instituti professores legerent horas Canonicas more Romanæ Ecclesiæ. Ruralem Ecclesiam sanctæ Mariæ del Soto, Zamoren diœc. eisdem a patrono collatam confirmavit. Fabricam Ecclesiæ domus sancti Juliani de Monte, Legionen. diœc. fidelium caritati commendavit, eamdemque domum cum prædiis, & vineis donatam a Capitulo Legionensi enarrat. Donationem alteram Ecclesiæ sancti Spiritus factam ab Episcopo Astoricen. voluit irrevocabilem. Concessit ne solverent Fratres sanctæ Catarinæ de Mon-

Monte Faro Compostellanæ diœcesis, decimas ex fructibus Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Minio dictæ domui annexæ, XVII. Kal. Octobr. In his monumentis aliquando fit mentio Generalis Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitentia.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. DUm humili Familiæ Fratrum de Observantia favet Pontifex, „ etiam Abbatissæ de Mariete Civitatis Saonensis benigne prospi- „ cit expeditis litteris: *Religionis zelus &c.* Idibus Decembris. Sed in- „ terea beatus Angelus primus Guardianus Vilnæ in Lithuania, cum pluri- „ bus sociis sui Ordinis, ob sanctæ fidei prædicationem, post gravissima tor- „ menta gladio jugulatus cum iisdem ibidem sepultus est, ut ex pluribus „ novissime refert Casimirus Biernaski. Etiam hoc anno alius Minorita „ beatus Franciscus cum sociis Petro, Paulo, & Leonardo in persecutione „ infidelium, Duce Kioviensi Daniele, ob fidem martyrium subierunt; „ Vilnæque in æde beatæ Mariæ Virginis apud suos Fratres, non sine mi- „ raculis die VII. Augusti, tumulati fuere, ut aliorum testimonio præcita- „ tus habet. Hi sunt ergo qui testimonium perhibentes verbo Dei, san- „ guinem suum fuderunt pro Domino, cujus Ecclesiam ampliare stude- „ bant. Prope Fulgineum in Umbria, & Cœnobio sancti Bartholomæi, „ veluti lilium in Paradiso Domini frater Dominicus Surianus, religione & „ pietate insignis mirifice floruit; & ibidem, anno MCCCCIII. VIII. Kal. „ Augusti obdormivit in Domino. Quo etiam tempore in Gallia Illustrissi- „ mus Princeps Joannes Britanniæ, Penthueriæ Comes, dignissimus filius „ major natu Comitis Caroli Blesensis, de Religione Seraphica optime „ meritus, supremum diem clausit, ac in Ecclesia nostri Conventus Guim- „ gampensis honorifice tumulatus fuit.

Fr. Angelus martyr. cum sociis in Lithuania.

Casimirus Biern. in specul. min. ar. 22. n. 11.

Plures alii martyres.

Mon. MSS. Prov. Turon. min.

ARGUMENTUM.

Benedictus agit cum Bonifacio de abdicando utrinque Pontificatu, misso cum aliis Ministro Minorum Aquitano. Moritur Bonifacius. Succedit Innocentius VII. Creantur Episcopi. Florent Viri docti. Moritur beatus Jacobus Oldus Laudensis, cujus vita sub compendium refertur. Propagatur Institutum.

I. HOc anno mense Julio Benedictus XIII. tot Principum, & Prælatorum precibus agitatus, & minis adactus, cogitavit de abrogando Pontificatu, quem præferebat, modo id etiam fecisset Bonifacius. Misit itaque ex sententia suorum Cardinalium fratrem Bertrandum Rudolphum Ordinis Minorum, in provincia Aquitaniæ Ministrum, simul cum Petro Episcopo sancti Pontii, & Francisco Electo Ilerdensi, Abbate sancti Facundi, qui varias rationes extirpandi schismatis, & uniendæ Ecclesiæ proponerent, Florentiæ hærentes, una cum Senatu Urbis securos venire jussit; sed dum semel ac iterum in pleno Cardinalium consistorio, quæ in mandatis haberent, renuntiarent Benedictum cupere congressum Bonifacii in loco aliquo neutrius ditionis, in quo convenientes ambo de Republica Christiana deliberarent; & providerent ne quid amplius detrimenti Ecclesia pateretur; Bonifacius id solum respondit, se verum Pontificem esse, Petrum vero de Lu-

Benedict. agit de abrogando Pontificatu.

Sed frustra.

Luna intrusum, neque esse ex dignitate sua, & Sedis Apostolicæ, vel in dubium vocare legitimam sui assumptinnem, vel extra Urbem vagari, aut in discrimen sese conjicere. Si Petrus Ecclesiasticam unitatem amaret, non Pontificatum sine legitimis suffragiis usurpatum sibi amplius arrogaret; quin potius ad gremium sacrnsanctæ Sedis recurreret, schisma, & hæresim ejuraret. Acrius cum aliquid Nuntii Bonifacio dixissent, in eos invectus, Urbe excedere jussit: sed dum paulo post morbis variis affligtatur Bonifacius, illi suo malo subsistunt, exitum visuri. Etenim paulo post defuncto Bonifacio, inhumane, & contra jus gentium Præfectus molis Adrianæ vi captos in arcem detrusit, neque prius dimisit, quam V. M. nummum aureorum numerassent.

Bonifacius moritur.

II. Porro Kalendis Octobris Bonifacius gravissimis morbis, tussi, vocis raucedine, cholica, & calculo vexatus, decessit, sepultusque est in Vaticano; postquam prudentissime Ecclesiam rexit annis ferme quindecim. Adolescentiori quam soleat, aut expediat ætate ad Pontificatum evectus, nihil non sene dignum, nihil non maturo probatum consilio; nihil voluptuosius, aut leviuscule peregit. Primus summum Urbis Imperium obtinuit; primus Pontificum auctoritatem eo usque nutantem confirmavit, & Ecclesiasticam ditinnem inter multos Regulos discissam recuperavit, stabilivit; munita Adrianæ molis arce, communitis pontibus, in suam potestatem redactis Capitolio, & Vaticano, creatisque suo arbitrio Magistratibus, populi Romani vim, & licentiam repressit. In florida ætate, tantaque illius ævi peccandi licentia, tantæ fuit continentiæ, ut nihil minus honestum, aut indecorum ei potuerit impingi, imo virtutem hanc ipsi vitæ voluerit præferre. Cum enim sub mortem, calculi, renumque dolorem non alio remedio, quam fœmineo coitu mitigatum iri, nec mortem aliter evadi posse, minus Christiane medici suggererent, indignabundus respondit, se velle potius mori, quam fœdari, & perire corpus, quam animam maculari. Plurimum ei debet nostrum Institutum, ob plurima collata beneficia, & singularem affectum, quem manifestis ostendit indiciis erga sanctum Institutorem.

III. Successit in Pontificatu Cosmatus Melioratus Sulmone, Pelignorum oppido, Publii Ovidii poetæ natalitiis insigni, honestis parentibus ortus. Per varios gradus, & officia pervenit ad Cardinalatum: sub Bonifacio S. R. E. Camerarius, & Sedis Apostolicæ designatus Legatus, ut Venetos, & Joannem Galeatium Insubrum Ducem, bello certantes, ad pacem reduceret. Decimo quinto vacantis Sedis die, XVI. Kalendas Novembris Pontifex Maximus communibus omnium, qui aderant, Cardinalium, suffragiis, renuntiatur, sub nomine Innocentii VII. Jurejurando tamen prius quam e conclavi recederet, adactus est, ut pro abolendo schismate, & reducenda Ecclesiæ unitate quotiescumque oporteret, Pontificatum deponeret. Coronatus est solemni ritu, IV. Nonas Novembris in Basilica Vaticana.

Succedit Innocent. VII.

IV. Institutus est hoc anno a Bonifacio Episcopus Nucerinus in Umbria sub Pontifice Romano, frater Andreas de Monte Falco, per obitum Senfii, II. Nonas Januarii. Innocentius vero sub auspiciis Pontificatus creavit Franciscum de Scutaro Episcopum Drivasten. sub Archiep. Antibaren. in Dalmatia, propter amotionem Bartholomæi, II. Nonas Novembris. Potentin. in regno Neapolitano, & provincia Lucaniæ, sub Archiepisc. Materano, Benedictum per translationem Andreæ ad Ecclesiam Cajacen. XVII. Kalendas Decembris. Hoc tempore in urbe Mantuana, sua patria, commoratum fratrem Joannem Theologum Minoritam, Patriarcham Gradensem, Dalmatiæ Primatem, scribit Hippolytus Donesmundus, eumque præcla-

Fr. Andr. Episc. Nucerin. Fr. Franc. Drivasten. Fr. Benedict. Potentin. Fr. Joann. Patriarc. Graden. *Donesm. lib. 5. histor. Mantuana.*

claris muneribus in Sedis Apostolicæ obsequium perfunctum. Ab utro illorum duorum, qui de summo Pontificatu contendebant, ad hanc dignitatem evectus sit, & an obtinuerit? non comperio.

Catarina Princeps Mediolanen. perit. *Vide Corium 4. par. histor. Mediolan. Chron. Bossiana hoc anno. Ripamon. lib. 11.*

V. Illustrissima Heroina Catarina Mediolanensis Princeps, Bernabovis Vicecomitis filia, Joannis Galeatii primi Mediolanensium Ducis conjux, & Joannis Mariæ secundi Ducis genitrix, turbarum, & seditionum in filium adolescentulum, fidosque consiliarios, & malorum ac cædium, quæ quotidie in urbe grassabantur, pertæsa, locumque cessura, sui, suorumque potentibus, & molestis inimicis, urbe excessit, & in Monzæ, aliis Modoetiæ, castrum se recepit. Supervenere hostes, & ejecto Pandulpho Malatesta, qui castrum occupaverat, deprædati sunt Principis domum & familiam. Deinde conjectam in vincula noctu sudario suffocarunt, seu veneno extinxerunt hoc anno mense Octobris. Hanc a summa pietate, a prudentia, & fortitudine animi laudat Marianus noster, & Tertio adscribit Ordini a sancto Francisco instituto, quippe quæ summo in sanctum Patriarcham ferebatur affectu, & ejus habitum publice præferebat.

Marian. lib. 4. cap. 6.

Moritur Fr. Guillelmus Angerus.

VI. Obiit hoc anno, & sepultus est in Conventu Pontis-Walteri in Anglia, frater Guillelmus Angerus, in Oxoniensi Academia longo tempore versatus, ubi multum in studiis, plus in pietate profecit. Institutus præses supradicti Cœnobii, docta scripsit, & posteris reliquit sui ingenii monumenta. Biennio post Herefordiæ obiit frater Joannes Edæus ex genere Britannico, in Walia natus, vir eruditione & religione illustris, qui Oxoniæ in ætatis flore magna ex parte Aristotelis opera commentariis illustravit, & similes deinde progressus in Theologia pari cum felicitate fecit, doctissimis scriptis operibus. His adjungo Joannem Lathberium Cœnobii Readingensis sacræ Theologiæ Doctorem Oxoniensem, multiplici clarum scientia, tum sacra, tum prophana, qui hoc tempore in eadem Anglicana florebat provincia.

Et Fr. Joan. Edæus. Floret Joan. Lathbertus.

B. Jacobi Oldi adolescentia.

VII. Hoc anno mense Aprili obiit magna pietatis & virtutis opinione, beatus Jacobus Oldus Laudensis, Presbyter Tertii Ordinis sancti Francisci, Marchisio patre, & Flordimina matre progenitus, traducta vanis mundi illecebris adolescentia, uxorem duxit, genitisque tribus liberis, cogitare cœpit quam vana & caduca sint omnia terrena. In urbe veteris Laudæ in quodam templo super amici sepulturam jacens, emensus est, quam arcta condamur humo, quorum superbiæ amplissima terrarum spatia non sufficiunt, & deinceps tædere cœpit vitæ anteactæ, melioremque cogitare. Jactis humilitatis, optimis probæ vitæ fundamentis, Tertium sancti Francisci Institutum pœnitentiæ obeundæ delegit, allectis genitrice, & conjuge, ut idem vitæ genus subirent. Deinde Sacerdotio initiatus, accuratius animam virtutibus, præsertim pietatis erga proximos, orationis, abstinentiæ, & corporis edomandi statuit excolere. Perpetuum gestabat cilicium, vel ferreum, vel asperis setis nodosisque nexibus intextum. A carnibus & vino abstinuit, & ne vel ipsa aqua nimis placeret, myrrha, vel absinthio admiscebat. Assuetis Ecclesiæ jejuniis alias addebat Quadragesimas, in quibus per octiduum nihil manducabat. Socius Franciscinus, & genitrix extenuato viribusque destituto persuadebant, ut aliquid sumeret vitæ retinendæ, vix tamen quidpiam admittebat, idque myrrha, vel cinere permixtum, donec Episcopus Laudensis præcepit ut saltem ter in hebdomada reficeretur. Lectus nuda humus, cervical lapis, vestis despecta.

Ejus conversio. Pœnitentia.

Proximorum amor.

VIII. Continuis sermonibus populum ad meliora provocabat charismata, & oppida ruralia percurrens, egentibus universa exhibebat pietatis ob-

obsequia. Ejus hortatu multi ad frugem vitam conversi mundo valedixerunt, præsertim nobilis Domicella Mirandulana, quæ cum ancillis & pedisequis in Monasterio sanctæ Ursulæ Mediolanensi sanctæ Claræ habitum susceperunt. Futuros eventus, & imminentia bella prophetavit, præmonuitque, ut qui rus colebant, in urbem se reciperent; negligentes ab hostibus capti, & in carceres ducti seram adhibuerunt fidem salutaria monenti. Ut captivis opitularetur, ad urbes transiit inimicorum, cunctisque ubi licuit, caritatis ministrabat officiis. Tamdem infirmis per Xenodochia serviens, prædixit socio, utrumque brevi e vita discessurum. Ille quatriduo languens

Pie moritur. pie obiit, sepultus in claustro Minorum; hic levi & brevissimo morbo correptus, hilaris, & jucundus illa sæpe repetens verba: *Dirupisti Domine vincula mea*, multis adstantibus, & collacrymantibus, devote exspiravit.

Ejus funus. Cadaver habitu obtectum Franciscano, universa plebe comitante, delatum est in aulam civicam, ubi omnes conspexerunt faciem decoram, membra mollia, odorem spirantia suavissimum. Hinc in Ecclesiam sancti Juliani, a se in propriis ædibus constructam, & duplici Sacerdotio, aliisque reditibus condecoratam, longo funere deportatum, sepultum est prope altare. Post annos septem exhumatum, visum est integrum, pelle ossibus coherente, optimum spirans odorem; & honesto conditum est monumento, a genitrice ad dextrum prædicti altaris erecto.

Miracula. IX. Quæ sequuntur, patravit miracula. Jacens in feretro piam fœminam Antoniolam a gravi stomachi dolore, quo per annos duodecim torquebatur, liberavit. Quemdam biennio laborantem molesto totius corporis dolore, in Ecclesia prædicta sancti Juliani orantem, & sacrificia Missæ pro sua salute offerentem, domum remisit incolumem. Sebastianum de Gorgonzola civem Laudensem, commorantem in Burgo portæ Cremonensis, lethaliter decumbentem, amissis viribus & loquela, a medicis derelictum, jam animam prope agentem in visione confortavit. Invocaverat ille prius Dei Servum, emissoque voto de cavendis peccatis mortalibus, & visitanda Ecclesia sancti Juliani, ubi Vir Dei jacebat, rogaverat, ut pristinæ restitueret valetudini. Monuit ille, ut redderet quæ promisit, & tales addidit vires, ut post triduum ad Ecclesiam die festivo perrexerit, atque sub Missæ sacrificium apparitionem sibi factam recitarit, & miraculum. Mariam Aloysiam, nobilis viri Aloysii de vinea Laudensis uxorem, annis multis sterilem, & prolem deprecantem, voti compotem effecit. Danieli juvenculo Joannæ Paderni filio, graviter ægrotanti apparens, monuit ut genitrici diceret eum liberatum iri, si ad sepulcrum ejus ceream appenderet imagunculam. Ita factum, convaluit.

X. Joanna fratris Ottonis Laudensis, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magistri soror, magnis tenebatur febribus, nec per multos dies poterat dormire. Accedenti semel Fratri dixit, tunc a se recessisse beatum Jacobum, & monuisse, si liberari vellet ab ægritudine, habitum assumeret Tertii Ordinis sancti Francisci, eaque apparitionis exhibuit monumenta, ut vir religiosus consilium probaret; & paulo post integram obtinuit sanitatem. Bartholomæum adolescentulum a periculoso pestilentiæ tumore, matre rogante: & Faxinam, Joannis Galli conjugem, a fœdis ulceribus incurabilibus: Bartholinam Somarippam monstruoso capitis tumore, & obstricta vesica vehementer dolentem, post promissas aliquot facultates pro cultu Ecclesiæ sancti Juliani; anno MCCCCXXXVIII. Martinum Gallum annis XVIII. infirmum, annis decem nihil præter bellariola manducantem, emisso voto de ferendo ad ejus sepulcrum cereo capite; Thomasiam Bocchini suam affinem,

nem, mente captam, anno MCCCCXLIX. Dariam nobilis viri Jacobi de Fixiraga uxorem, a cancro dextram mamillam depaſcente, Aloyſium de Populo, nobilem Magiſtrum, & civem Laudenſem ſpecie cancri intra fauces, & genas exorta mirabiliter liberavit.

XI. Alia pleraque operatum prodigia referunt Laudenſes, & magna habent in veneratione, *Beatum* proclamant, & radiis coronatum caput cernitur in picturis antiquis. In catalogo Sanctorum, & beatorum Laudenſium compacto in tertia Synodo, ſub Reverendiſſimo Domino Michaele Seghiſio, inter reliquos connumeratur his verbis: *Beatus Jacobus Oidus, Tertii Ordinis ſancti Franciſci*. Et in viſitatione Eccleſiarum Laudenſium, quam habuit idem Epiſcopus anno MDCXXI. juſſit in Eccleſia ſancti Juliani corpus beati Jacobi decentius reponi, concepto his verbis decreto. *Ejus apud Laudam veneratio.*

Oſſa Jacobi de Oldo, Fundatoris Eccleſiæ ſancti Juliani, quem publicis documentis, & antiquis imaginibus capite radiatis, Beati *nomine hactenus inſignitum fuiſſe compertum eſt, leventur e depreſſo pavimenti ſitu, quo ex antiqua æde translata leguntur, & decentiori loco ſecus altare conſtituantur intra ſex menſes, ſumptibus obtinentiam titulares hujus Eccleſiæ portiones, ſervato ritu Provincialium Conciliorum, circa reliquiarum ſacrarum compoſitionem præſcripto.*

Omnia hæc publicis inſtrumentis authentica Lauda recepi, & vitam ab ejus Confeſſario Sebaſtiano Dardadone Minorita, anno MCCCCXXIII. deſcriptam, ex qua ſupra dicta ſub compendio deſumpſi. *Quis ejus vitam ſcripſit.*

XII. Non longe a civitate Tudertina, in jugulo cujuſdam montis Tyberi fluvio imminentis, extructum eſt hoc anno a Nicolao de Uffreduciis, cive Tudertino, Cœnobium Divo Jacobo Apoſtolo ſacrum. Circumvicini populi locum hunc in magna habent veneratione, tum propter probos & pios viros, qui ibidem ſemper vixerunt; tum propter imaginem glorioſæ Virginis Mariæ multis miraculis celebrem, quæ in ſummo colitur altari, & plurimis tabellis circumcirca appenſis, gratias acceptas teſtantibus, commendatur. *Conv. Tudertinus. Gonz. in Provin. S. Franc. Con. 17.*

XIII. Alius item ædificatus eſt Conventus in oppido Bercorii, in Epiſcopatu Maleacenſi in Pictavia, a quodam pio viro Cicho nuncupato, & ab ejuſdem ſorore Coleta Tertium Ordinem ſancti Franciſci profeſſa, habita prius facultate a Benedicto XIII. cui plurimi adhuc obſequebatur in Gallia. Poſtea vir illuſtris Joannes de Bello-monte, ac Mathurina conjux, ejuſdem oppidi Domini, domum amœno quodam viridario decorarunt. Bis tota ferme periit incendio, qua de cauſa pauca rerum in ea geſtarum ſupereſt notitia. *Conv. Bercorii. Idem in Provin. Turon. Pictav. Con. 3.*

XIV. Sub hunc annum beati viri, Petrus Villacretius, ac alter Sanctojanus inſignem & devotum ſub titulo Domus Dei extruxerunt Conventum in Hiſpania, prope pagum Aquilariam, vulgo *Aquilera*, diœceſis Oxomenſis, ad ſextum lapidem ab oppido Arandæ Durianæ. Domum inhabitant Fratres ſtrictioris Obſervantiæ, provinciæ Conceptionis, quos Recollectos nuncupant, eo ipſo virtutis fervore, & diſciplinæ regularis integritate, qua optimi Magiſtri primos inſtruxerunt diſcipulos. Unde fit, ut per univerſam Hiſpaniam domus iſta valde commendetur. Jacet hic pulchro alabaſtri ſepulcro Petrus a Regalada, de quo inter Sanctos connumerando agebatur in Urbe, ita deprecantibus Rege Catholico, & Hiſpaniæ Dynaſtis. Ejus vitam nos alias dabimus opportunius. Sacellum elegantiſſimo opere ad Templi latus dextrum anno MDCX. conſtruxit Comes Mirandæ, Ducis etiam Pennarandæ titulo nunc inſignitus, & pretioſis, multiſque reliquiis, *Conv. Aquileræ. Idem in Provin. Concep. Con. 17. Mon. MSS. ejuſdem Provin. Anno 1448. & 1456.*

nobilibus thecis aureis & argenteis inclusis, pulcherrimo ordine dispositis instruxit. Multis gradibus ab imo pavimento usque ad summum fornicem ab ingressu sacrarii, usque ad parietem oppositum, & a dextro usque ad sinistrum parietem mira varietate ita lipsana disposuit, ut omnes simul uno intuitu videri possint. Cortinis tribus nobilis texturæ sacra hæc pignora operiuntur, & non nisi raro, magnoque pietatis apparatu, & digna veneratione ostenduntur. Humili loco in eodem sacello sepulcrum sibi posuit pius Princeps, ut eisdem Sanctis, quibus honorarium extruxit, tamquam patronis *apud Dominum se protegendum commendaret, siquidem credidit animam suam tot Sanctorum meritis adjuvari*; & prope sacellum nobiles ædes construxit, in quibus pietati & mentis recollectioni viri Principes, & consanguinei possent vacare. Multam, & locupletem adjunxit sacelli supellectilem, & ornamenta Sacerdotalia ingentis valoris. In aula Capitulari sepulturam sibi posuerunt Comes Castrensis, & Dux Lermensis, ibique horum majores venerabili loco requiescunt. In claustro jacere multa piorum virorum corpora incorrupta, referunt monumenta illinc transmissa.

Aug. lib. de cura pro mort. agenda. c. 4. & 5.

Conv. Cuman.

Bellar n. in Episcop. Luchino.

XV. Hoc anno consecratam fuisse a Luchino Episcopo Ecclesiam Minorum Observantum, a sancto Bernardino Senensi in civitate Cumana ædificatam, scribit Franciscus Bellarinus ejusdem urbis historicus. Sed vel hoc anno non potuit consecrari, vel a sancto Bernardino non fuit ædificata, qui non nisi ante biennium initiatus est: neque adhuc hoc anno Tusciæ fines transilivit.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Indic. ex Vatic.

" I. SUpremo hoc anno sui Pontificatus Bonifacius, præter ea, quæ ab " Annalista referuntur, Fratribus nostri Conventus Narniensis quas" dam litteras Apostolicas: *Sacræ Religionis &c.* XI. Kalendas Decem" bris expedivit.

Carolus Feltrinus Tertii Ordinis floret.

Bajard. ex tabula SS. Tertiar.

Chron. Provin. Bavariæ.

" II. Interea vero Carolus Feltrinus Tertii Ordinis sancti Patris Fran" cisci alumnus in Marchia Tarvisina, omnibus Christianæ Religionis vir" tutibus, præsertim humilitate, caritate, oratione, & contemplatione " mirifice splendens hoc anno properavit ad Dominum, die XIX. Januarii, " ut in Sanctorum Tertiariorum tabula describitur. Etiam hoc anno vivere " desiit mundo Serenissima D. Maria Siciliæ Regina, & soror Illustrissimi " Principis Caroli Blesensis, olim Britanniæ Ducis, quæ pietatem & devo" tionem tanti Fratris æmulata, sanctum Patrem Franciscum singulari de" votione prosequebatur: apud Fratres Minores electa sepultura in nostra " Ecclesia Conventus Andegavensis tumulata quiescit. Monasterii vero " nostrarum Clarissarum in Anger Monachii in Bavaria Ecclesia antiquissi" ma D. Jacobo nuncupata, hoc anno in Octava sancti Patris Francisci, ho" ra secunda post meridiem, maximo fragore tota simul corruit; ad inex" pectatum casum concussæ obriguere Sorores, quæ nihilominus reassum" ptis viribus, novam statim reædificare facientes, quadrienni labore, " duodecies mille signatæ pecuniæ expensis libris, e ruderibus excitatam, " & consummatam, ut nunc videtur, habuere.

AR-

ARGUMENTUM.

Moritur Henricus Alferus Minister, & in Comitiis generalibus substituitur Antonius Angelus a Pireto. Bernardinus Senensis, admisso concionandi munere, miro animarum profectu per Italiam discurrit. Petrus Philargus ad Cardinalatum assumitur, cujas fuerit, serio tractatur. Jordano Ursino Cardinali commendatur Ordinis protectio. Ad Episcopatum aliquot promoventur. Tertii Ordinis professores Religionem instituunt Eremitarum sancti Hieronymi. Multiplicantur domicilia.

I. HENRICUS Alferus Astensis Minister Generalis, hoc anno, postquam Sodalitium annis ferme octodecim rexisset, Ravennæ pie decessit; & in templo sancti Francisci pulchro marmoreo sepulcro in Ecclesiæ pavimento conditus est, insculptis lapidi his carminibus. *Moritur Henricus Generalis Minister.*

Qui sequeris Sancti pedibus vestigia nudis
Francisci, si pulchra juvant exempla tuorum,
Hunc quoque qui jacet hic, supplex venerare parentem:
Quem tulit Astensi proles insignis in urbe
Alfera, vir sancta gravitate colendus, & omni
Eximia virtute nitens, censorque severus,
Propter honestatis, & Religionis amorem:
Sic tamen ut pietas in cordis pectore semper
Firma foret, fideique pugil, contemptor honorum,
Ambitiosa quibus mortalia corda tumescunt,
Jam bis novenos Generalis rexerat annos,
Vixerat & noviesdenos Henricus in orbe,
Clarus in astriferi cum sede receptus Olympi
Liquit humi longa confectum ætate cadaver.

II. Indictis Comitiis Argentinæ, uti placet Mariano & Marco, sive Monacii in Bavaria, quod alii scribunt, electus est Henrici successor frater Antonius Angelus a Pireto, seu de Perrecto, item de Birretis, quem Græcum & provinciæ Romaniæ facit Rodulphus, Latinum vero, & provinciæ Romanæ Marianus, & sacræ Theologiæ Magistrum vocat doctissimum. Hic non minori prosecutus est affectu novellam Congregationem regularis Observantiæ, quam prædecessor fecerat Henricus. „ Natale solum fratris *Capitulum Generale 70. Argentinæ. Antonius Angelus de Pireto Minister Generalis. Favet Observantiæ.*

ADDITIO ALIORUM.

„ Antonii Angeli Marianus quidem narrando est assequutus: sed ejus ori-
„ ginem quia præteriit, eam nobis hoc loco visum est commemorare, ut
„ obsequii videlicet nostri argumentum demus illustribus viris, hodieque
„ viventibus ex eadem familia, unde idem Antonius Angelus ortum duxit.
„ Itaque illum & Marsum fuisse, & in oppido Pireto natum, parentesque
„ habuisse Angelum de Vinnitto clarum jurisconsultum, ac Juliam de Ma-
„ caphano, liquido apparet ex monumento sepulcrali, quod eo in oppido
„ inter rudera Ecclesiæ sancti Petri antiquitus dirutæ inventum est. Fa-
„ milia de Vinnitto, quæ etiam Vendetta appellatur, cum in Marsis est
„ pervetusta, tum multos protulit omni ætate præstantes viros, non modo
„ scientia bonarum artium, sed etiam bellica virtute, & gloria. Eumdem
„ vero fratrem Antonium Angelum gentilem suum agnoscit, ab ejusque
„ parentibus, recto cursu ad hunc annum MDCCXXXIV. perductam san-
„ guinis communionem sese hausisse gloriatur. Id quod legitimis docu-
„ mentis luculenter ostendit. Quocirca prædicti sepulcralis monumenti, *Extat hujus rei monumentum in familia de Vendetta.*

„ quod in Ecclesia sancti Georgii Pireti conspicitur prope sacellum sancti Cajetani, exemplum describam, non iis quidem rudibus characteribus, quibus illa ætas utebatur, sed nostris elegantioribus:

„ *Hic sunt Angeli de Vinnitto clari jureconsulti*
„ *Et Juliæ de Macaphano Conjugis ossa sita.*
„ *Frater Antonius Angelus Ordinis sancti Francisci.*
„ *Sacræ Theologiæ Doctor, & Hercules Heres,*
„ *Filii Monumentum PP.*
„ *Anno* MCCCLXXXIX.

„ Pertinet autem sacellum illud sancti Cajetani ad eamdem Familiam de „ Vendetta, quæ in ipsum jus obtinet ejus generis, quod Patronatus ap„ pellant. „ Fratrem Joannem de Stronconio hujus tenellæ familiæ Commissarium in officio confirmavit, & suum nuncupavit Vicarium. Paulo post multiplicatis domiciliis, præfecit eis, quæ accreverant in provincia sancti Angeli, fratrem Nicolaum Auximanum: & in provincia Tusciæ, fratrem Nicolaum de Uzano.

III. Hic cognita fratris Bernardini Senensis virtute, excellenti sanctitate, insigni devotione, præclara in divinis litteris eruditione, concionandi provinciam demandavit: quam ille humiliter suscepit, non ignorans Deo pergratum esse salutiferis sermonibus ad eum miseros mortales reducere, quos hostis Tartareus ad omne genus flagitiorum, mundique voluptates abstraxerat. Primam concionem, seu concionandi præludium, habuit in ipsis feriis Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, sub primo suo sacrificio, sed primum solemnem sermonem dixit ex suggesto eodem die anni sequentis.

Surius, Capistr. Anonym. in vita S. Bernard. S. Bernardin. incipit concionari.

IV. Cum vero experientia didicisset, execrabilem Satanam multos sibi tendere laqueos, quibus in sagenam suam adduceret, nisi multa uteretur vigilantia & circumspectione; egregie adversus ejus insidias sese communivit cum Apostolo *castigans corpus suum*; nec aliquid de vitæ suæ asperitate remittens, ne aliis prædicans ipse reprobus efficeretur. Non deerant tum qui a suscepto hoc concionandi salutari studio & opere illum revocare niterentur, propter corporis teneritudinem, quæ non sineret ad loca diversa proficisci, item vocis raucedinem, quæ procul audiri non posset. Et ille quidem propemodum iis assensurus videbatur, nisi conscientia reclamasset, cui obluctari non debuit. Valde enim absurdum, & ab omni ratione alienum fuisset, si pereunti mundo Dei verbum subtrahere voluisset. Interim animi dubius quid potissimum sequeretur, ad Deum confugit, sublatisque in cœlum oculis, obnixe rogavit, si quidem gratum sibi foret, ut in concionandi functione permaneret, ut propter sanctissimæ Matris suæ merita sanaret vitium gutturis, quod voci magnum afferebat impedimentum. Facile autem a Deo obtineri potest; quod ab illo præordinatum est, & divina providentia sic constituit, ut *electi Dei amici precibus impetrent, quod ille ab initio dare eis decrevit*. Deus ob intercessionem Matris suæ insigni miraculo e gutture ejus depulit vitium illud, immisso ignito globulo, quo linguæ raucedo excocta, & curata fuit. Inde vero tanto animi studio novum ille concionandi munus executus est, ut nulla ratione satis id explicari queat.

1. Cor. 9. 27. Corpus suum domat.

D. Virginis interventu vox ejus concionibus adaptatur.

Gregor. 1. Dialog. cap. 8.

V. Amabat ille summopere corporis castimoniam & integritatem, id quod sine insano livore serpens tortuosus ferre non potuit. Erant tum Senis duo honesti conjuges, qui illum mire diligebant; sensit hoc Tartareus impostor, & fœminæ amorem corrupit, ut sanctum Virum libidinose adamaret. Rarum est quempiam in hac vita reperiri, etiamsi eximia sit sanctitate præ-

Tentatur a muliere.

præditus, cui non impuræ quædam cogitationes incidant: sed illud in virtute, vel vitio est prompte respuere, vel morose assentiri. Cum ergo Bernardinus quandoque panis emendicandi causa exiisset, hæc fœmina illum ad se accersivit, eoque ingresso, fores clausit. Deinde: *nisi*, inquit, *te accommodes voluntati meæ, equidem insigni te ignominia afficiam, dicamque te mihi vim afferre voluisse*. Tum Bernardinus in eas se angustias conjectum cernens, tota animi devotione intra se rogabat Dominum, ut in tam præsenti periculo ipsi non deesset; facinus enim illud valde execrabatur. Non neglexit Deus preces servi sui, suggessit mox consilium, ut diceret mulieri; si vellet ita fieri, ut se vestibus nudaret. Dixit hoc ille, nec mulier distulit. Interim profert ille flagellum, quod apud se habebat, apprehensamque fortiter fœminam egregie cedere cœpit, nec destitit, donec ardor libidinis in ea extinctus est. Ea causa impensius deinceps mulier amavit sanctum Virum, itemque maritus ejus, ubi is comperit rem ab eo gestam. *Tentantem flagellat.*

VI. Susceptum autem concionandi munus prosecutus, tanto animi fervore, & studio conciones habuit, ut nomen ejus non solum in Italia, sed toto etiam orbe celebraretur, tam ille efficacibus, & gravibus utebatur verbis, ut facile posset animadverti Spiritum Dei loqui per os ejus. Conciones suas solebat in tres, aut quatuor distribuere partes. Peroptabant autem singuli eas habere, vel ut eis daretur copia illas describendi. Libelli ejus per regiones omnes spargebantur; per Hispaniam, Galliam, Angliam, Hiberniam, Scotiam, Germaniam, Hungariam, Cyprum, Asiam, Græciam, per Orientem quoque, & exteros populos; qui acumen ingenii, intellectus perspicacitatem, sensus sublimes, & vitæ ejus sanctitatem non mediocriter admirabantur. Ubivis locorum ejus fiebat mentio, & quæ se longe, lateque diffuderat fama, quam Dominus præclaris miraculis confirmabat. *Fervidus in concionibus. Quæ a cunctis desiderabantur.*

VII. Ita ille sancti Spiritus perfusus rore, ferventissimus Dei præco factus est, in Italia, & Gallia Cisalpina, in novæ lucis evectus montem. Cernens autem multam esse messem, sed proh dolor! operarios paucos, urbes, castella, & pagos omnes peragravit, annuntians pigris, & desidiosis mortalibus sanctissimum nomen Jesu: quod vas electionis Paulus *Portavit coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel*, ut per hoc salutiferum nomen a Deo gratiam impetrarent, & misericordiam, quo per veram pœnitentiam malam corrigerent vitam. Ea tempestate tota Italia jam plane jacebat obruta vitiis & flagitiis, oblita piarum exhortationum, quas olim acceperat. Omnes in id solum incumbebant, ut possent multas sibi coacervare opes. Nulla cernebatur devotio in Religiosis & Ecclesiasticis, nulla fides in plebejis, nulla misericordia, modestia nulla, disciplina morum nulla. Jactabant alii in alios maledicta, obstinatis animis odio, & livore se invicem prosequebantur in duas factiones distracti. Interclusa erant itinera a latronibus; mare infestabant piratæ: Guelphorum, & Gibellinorum immodica insolentia passim adeo sæviebat & grassabatur, ut fraterno sanguine plateæ madcrent. Ecquid vero possit atrocius commemorari? Parentes suas jugulabant proles, lætabanturque se illos, qui diversæ essent factionis, laqueo præfocasse. Tanta existebat infidelitas, & impietas, ut instar Ethnicorum plus deferrent tempori, quo essent structuri domos, quam Dei præceptis observandis. Mundus plenus erat veneficiis & incantationibus, damnataque curiositate futura cognoscendi, & sanandi morbos. Quæ si quis reprehendere voluisset, misere conspuebatur, & irridebatur. Raro festis diebus ibatur in Templum, ut Missa audiretur. Nemo verebatur leges, quibus alearum ludus interdicitur, properabant omnes ad loca illa ludorum. Inter- *Matth. 9. 37. Act. 9. 15. Italia quibus malis tunc subjecta.*

ternosci non poterant dies profesti, vel operarii, a festis: festis enim diebus ferme omnes ibant per plateas oscitabundi & vagabundi. Omnibus his malis magnam ansam, multaque fomenta præbebat schisma, quod tum in Ecclesia ultra annos quadraginta duraverat.

Ubique concionatur Bernardinus.

VIII. Hæc conspiciens Bernardinus valde miserabatur pereuntis mundi pericula. Itaque fiducia in Deo collocata, ibat per regiones & civitates, annuntiabat hominibus virtutes & vitia, gloriam & pœnas sempiternas. Tanta autem divinæ gratiæ largitate perfundebatur, ut diligeretur ab omnibus & honoraretur, & cum multa reverentia exciperetur & auscultaretur, haud secus atque quidam Christi Apostolus. Tantus hominum cœtus ad eum audiendum confluere solebat, ut summo mane ad concionis locum properarent, quo commodum sibi possent locum vendicare: quodque majus est, nonnunquam adventabant complures a triginta milliaribus, incredibili desiderio incensi audiendi conciones ejus. Quotidie vero ante concionem cum multa devotione Missam celebrabat, animo in Deum sublevato. Properabant omnes, & sacris initiati & laici, ex pagis & oppidis, ut eum audirent concionantem, sperabantque Sancti Spiritus gratiam in ipsos descensuram, ut olim in Apostolos & credentes. Neque id sane mirum, quando ille preco Dei admirabilis Sancti Spiritus unctus gratia adhortabatur suspirabundos auditores ingenti voce, ut agerent pœnitentiam, Deumque iratum jejuniis & lacrymis sibi conciliarent. Verba ejus & suavia erant, & efficacia, instar radiorum igneorum penetrabilia, corda omnium ipsum audientium emollientia, omnemque animorum duritiem conterentia. Vox ejus admodum sonora & clara fuit, ita ut & prope & procul posset distincte percipi. Sermones illius haud quaquam inanes erant, aut mundani, vel mendaces & ridiculi; sed divina pleni fœcunditate, quibus lapidea quævis pectora colliquescerent, atque emollirentur cum acerba animi contritione ad veram pœnitentiam: pii vero omnes divino amore inflammarentur. Penetrabat enim spiritus ejus mortalium omnium intimos pectorum recessus.

Frequentissimi ad ejus cóciones accurrunt.

Act. 2. 3.

Ejus sermo suavis & flexanimis.

Multi vere pœnitent.

IX. Hinc fiebat, ut sua peccata cum multa contritione confiterentur, digneque & reverenter perciperent sacrosanctam Eucharistiam, qui multo tempore numquam ad sacram communionem accesserant. Nemo facile consequi posset, qui fructus ex beati Viri concionibus enati sunt apud homines Christianos: nec scripto comprehendi potest quot urbes, respublicas, & homines, livore & odio prorsus obduratos ad pacem, tranquillitatem & concordiam reduxerit; quot petulantes adolescentes, & lascivas fœminas e fœdissimis carnis voluptatibus, quibus computruerant, ad honestam & castam vivendi rationem revocarit. Jubebat ut festos dies, quibus solebant vacare manuum laboribus, ad Canonum præscriptionem observarent. Docebat populum ut sacras ædes, & Sacerdotes in his ministrantes venerarentur. Multas honestas, sed inopes puellas curavit matrimonio tradendas; apud locupletes a se conversos id efficiens, ut bona dote afficerentur. Videre licebat inveteratas inimicitias ad mutuam consensionem & benevolentiam redigi, quod alioquin incredibile videbatur, præsertim Vincentiæ, Bononiæ, Mediolani, Romæ, Perusii, ubi pecudum more præ nimia feritate odii corpora cæsorum dilaniabant, & publice appensa vendebant. Senis mortalibus odiis dissidebant, præcipuæ familiæ Thomas de Regazani, cum domo Thomasina, Joannes Guidonis cum familiis Benincasæ & Picolominea, homines de Monte Ursali cum Brachinis, neque per annos multos potuerunt alterna cæde satiari: omnes tamen Bernardinus ad summam unitatem reduxit.

Præparantur ad pacem.

Et meliorê frugem.

X. Cer-

X. Cernere erat fœminas pias, & Deo devotas, mundi pompis, & vanitatibus hactenus deditas, ponere torques & catenas aureas, abiicere specula & unguenta, negligere capillorum compositionem, respuere ornamenta, quibus antea, ceu lascivæ & impudicæ mulieres, perniciosissime in sui damnationem abusæ fuerant. Instrumenta omnium ludorum vetitorum, tabulas lusorias, taxillos, larvas, & id genus alias vanitates maximo numero ad sanctum Virum adducebant, ut faceret pro suo arbitratu. Ille vero in foro igne extructo, omnia combussit. Fœminas in lupanaribus flagitiose viventes ad pœnitentiam suis sermonibus permovit, quibus ad contrahenda matrimonia e communi ærario dotes liberaliter tribuebantur. Usurarii, piratæ & latrones ad meliorem frugem se recipientes, agebant pœnitentiam, restituebantque male parta, quorum summa nonnumquam mille aureos ducatos excedebat. Adeo tum princeps mundi hujus extrudebatur e regno suo, & Christiana religio exaltabatur. Condebantur Xenodochia, defendebantur viduæ & pupilli; res omnes præter jus, fasque conquisitæ restituebantur. Multi viri & fœminæ, contempto mundo & fallaciis ejus, abjectisque non parvis facultatibus, crucem pœnitentiæ complectebantur, in paupertate & diversis Monasticis Institutis Domino servientes.

Mulieres ad pudicitiam.

Mundi vana ludicra publice cõburit.

Multi monastices vitã amplexantur.

XI. Multa quoque nova extruebantur Monasteria, & collapsa instaurabantur. Quis vero certum possit inire numerum, partim nobilium, & præclarorum adolescentum, partim matura ætate & provectorum virorum, qui se in Cœnobia receperunt, vitam sectaturi religiosam, ut Deo fideliorem possent exhibere famulatum? Franciscanorum sane ab ipsis fundamentis non pauca, eaque elegantia condebantur Cœnobia, in quibus Regula sancti Francisci, sub ejus regimine observaretur. Quæ quidem Observantia ex ejus odorifera sanctitate, usque adeo magna, illo vivente, accepit incrementa, ut viginti parva Monasteria, in quibus per totam Italiam plus minus centum viginti Fratres morabantur; cum hæc Observautia sub Bernardini primis monasticæ vitæ initiis instaurata est, sub finem vitæ ejus in tantum aucta fuerint, ut trecenta numerarentur Cœnobia, & in iis Fratres amplius quinquies mille, præter eos, qui illo superstite, decesserant e vita, quorum non erat minor numerus. Quod si vero ea quoque connumerarentur Monasteria, quæ Reges, Principes, & alii potentes viri toto orbe pro Fratribus Observantibus exædificanda curarunt, in quibus erat copiosissimus Fratrum numerus, in immensum numerum abirent. Habitant enim Observantes Fratres non solum inter Christianos, sed etiam inter barbaros & infideles, orbem universum lucidis exemplis suis illustrantes. Atque hinc perspicuum fit completum esse vaticinium Reverendi Patris illius, qui Bernardinum monastico habitu induit, quando ait, * ingentes eum fructus Ecclesiæ sanctæ allaturum. Surrexit enim tamquam alter Elias, *quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, torpentia corda divino inflammans amore, ut peccatorum omnium remissionem consequerentur, & Christi vitam. & doctrinam imitarentur. Elegit eum Dominus, populoque exemplum proposuit, & signum conspicuum, in quod intenderent, cuique se imitando conformarent.

Cœnobia multa Minorum ædificata.

** Vid. an. 1402. n. 4.*

Eccl. 48. 1.

XII. Hoc anno pridie Idus Junii Innocentius Pontifex creavit Cardinales duodecim, atque inter hos fratrem Petrum Philargum Minoritam Archiepiscopum Mediolanensem. Hic juxta datam superius fidem, libet hujus Viri patriam, res gestas, & infulas, quibus insignitus est ante Cardinalatum, enarrare, & pro auctorum discordia veritatem serio examinare. Græcum fuisse, in insula Cretensi natum, scribunt Franciscus Besozzus in hi-

Petrus Philargus fit Cardinalis.

Ann. 1386. & 1390.

Cujas erat.

historia Pontificali Mediolanensi, Marianus Florentinus, Marcus Ulyssipponensis, Petrus Rodulphus, Franciscus Gonzaga, Panvinus, Ciaconus, & alii quamplurimi auctores. Novariensem volunt alii, præsertim Carolus a Basilica Petri Novariensis Episcopus, & catalogus successorum sancti Barnabæ in Ecclesia Mediolanensi, qui Cardinali Syrleto immerito attribuitur. In Churfinallo vico, in montibus sito, sub plebe Eumeniæ, Novarien. diœcesis natum contendunt quædamque carmina rudia ante ducentos annos, ut credunt, in sacrario Ecclesiæ sancti Juliani, insulæ non longe a Churfinallo incisa. Carolus ita transcripsit.

Quintus Alexander de religione Minorum,
Ex Churfinalli Dominis fuit iste Monarcha
Sacræ scripturæ vir in artibus, atque supremus:
Sicut testantur libri, quos scripsit in istis.
Integer ut vivens virgo fuit, integer est nunc
Corpore Bononiæ, qui languida corpora sanat.

Inferius hæc leguntur.

Epitaphium fratris Petri Novariensis Episcopi, Alexandri Papæ V. postea nominati.

Vide Sigon. lib. 3. de Episc. Bononiens. XIII. Et ne negotium facesseret cognomen *Cretensis*, dicit Carolus propterea ita nuncupatum, quia longo tempore ea hæsit in Insula, & religiosum subiit Institutum. Consuetum autem esse monet in illa gente montana, ut in longinquas abeat regiones, quia domi res est angusta. Bononienses eum sibi vendicant, allegantes testimonium cujusdam Canonici sancti Joannis, qui eas res, quibus ipse interfuit, in Chronicis a se compactis enarrat, atque inter hæc ista tamquam a se audita recenset: *Alexander*, inquit, *tempore mortis suæ publicavit quod erat civis Bononiensis, licet de vili progenie, & in Saragasia natus, & quod in sua juventute dilectus a quodam Magistro de Ordine Minorum Veneto, conduxit eum Venetias, deinde Parisios, ubi fuerat magistratus, & deinde in Candia, ubi diu stetit, & ideo de Candia dicebatur.*

XIV. Ego vero, si in hac re liceat judicium proferre, dixerim vere ortu Cretensem fuisse, tum quod potior auctorum pars in hanc abeant sententiam, tum quod *Cretensis* perpetuo cognomine, cujas fuerit, pro Franciscanorum more significare voluerit; neque id aliquando in usu fuerit, ut a loco incolatus, aut suscepti Monachatus nomen sibi Fratres adsciverint; tum denique quod in vetustis Chronicis MSS. & apud Franciscum Gonzagam ultra Candiæ insulæ nomen, etiam oppidi, in quo natus sit, nomen adhibeatur: *Non procul*, inquiunt, *ab urbe Cyteo, vulgo* Candia, *in territorio Charesarum, prope oppidum Sumetum, pago Platipochio, ortus est Petrus Philargus de Candia*. Et in Commentariis, quos in Magistrum edidit Sententiarium, aliisque ejusdem operibus, Petri de Candia nomen præfigatur. Unde Chronicon magnum Belgicum natione Græcum affirmat. Ut vero in alias terras trahatur, recens & violentus videtur conatus, quantumvis vetusti obtrudantur versus & chronica. *Chron. Belgi. an. 1409.*

XV. Genere ignobilem fuisse omnes conspirant, & ea ætate paternis laribus valedixisse, qua neque parentes, neque consanguineos ullos potuit cognovisse. Mendicantem ajunt a quodam Minorita susceptum, & optima explorata indole, religiosa veste donatum in primario Cretarum Monasterio. Græcis & Latinis optime instructum in Italiam duxit, Oxonium misit, Pa- *Ejus exordia, & profectus.*

Parisios revocavit, neque juvare destitit, donec artes liberales, & sacras litteras perfecte apprehendit, & Doctoratus insignia suscepit. Mediolanum missus, ut quas didicit sacras litteras, alios doceret, brevi tempore celebris evasit Theologiæ professor, & divini verbi declamator. Per id tempus Joannes Galeatius Vicecomes inter Insubres Regulum agebat, idque præcipuum ornamentum, & fulcimentum sui posuit status, ut selectos viros prudentia & doctrina spectabiles consiliarios adhiberet. Inter hos primum locum Petro detulit, & rerum summam penes eumdem reposuit. Ut vero bene merenti dignum proemium, & justus honor non deesset, infula Pontificia non in una, aut infima Ecclesia, sed in pluribus, eisque nobilibus condecorari curavit.

XVI. Tot rexisse Episcopatus scribunt auctores, ut difficile valde sit regiminis ordinem observare, aut tempus præfecturæ metiri. *Novariensis* Ecclesiæ Antistitem fuisse scribunt Carolus a Basilica Petri, Umbertus Locatus: *Vincentinæ*, Ciaconus, Ripamontius, catalogus Syrleti, Claudius Roberti: *Brixiensis* idem Carolus: *Placentinæ* Locatus: *Patriarchatus Gradensis*, Besozzus, Syrletus, Ciaconus, Bartholomæus Pisanus, Franciscus Gonzaga: *Mediolanensis*, omnes quotquot de hac Ecclesia scribunt. Ego sane de Brixiensi & Gradensi Ecclesiis valde subdubito, de reliquis probatissima suppetunt monumenta, atque eo ordine omnes fuisse adeptum, ut a Placentina ad Vincentinam, ad Novariensem, ad Mediolanensem ascenderit. Quot rexerit Ecclesias.

XVII. Quid pro his honoribus Galeatio Vicecomiti rependerit, & quæ præstiterit obsequia, superius monuimus, dum in Boemiam missum diximus ad Cæsarem Wenceslaum, pro adipiscendo titulo Ducatus Mediolanensis, apud quem omnia ex sui Principis voto dextere peregit. Talis ac tantus erat in Galeatii oculis, ut vivens primum regni administrum voluerit, & moriens filiorum scripserit tutorem. Dum huic curæ incumbit, & Ducatum, ac Archiepiscopatum Mediolanensem inter seditiosorum turbas, & fluctuantis populi vicissitudines magna regit prudentia, ab Innocentio Pontifice, qui viri virtutem, scientiam, ac prudentiam olfecerat, Romam evocatur, & memorabili hac creatione, ex qua tres Pontifices Romani, Gregorius XII. Alexander V. & Martinus V. prodierunt, Presbyter Cardinalis tituli sanctorum duodecim Apostolorum renuntiatur. Anno sequenti XV. Kalend. Junii Legatus a latere in Patriarchatus Aquilejensem, & Gradensem, atque ad Insubres & Liguriam mittitur, pro salute (ut in suo diplomate Pontifex scribit) Principum, nobilium, civitatum, & provinciarum. Deinde ad civiles motus, seditiones, & dissentiones Mediolanensium sedandas Viterbio ab Innocentio amandatus, legationem hanc etiam sub Gregorio XII. Innocentii successore sustinuit. Annis sex Ecclesiam Mediolanensem gubernasse scribit Besozzus: sed anno MCCCCII. destinatum hujus Ecclesiæ Antistitem ex ipso Besozzo, & catalogo Præsulum Mediolanen. apud Claudium Robertum supra asseruimus, & non nisi anno MCCCCIX. datum successorem in eadem Ecclesia Joannem Vicecomitem, præter hos auctores referunt Chronica Bossiana. Probabile valde est, eum Ecclesiam retinuisse usque ad assumptionem ad summum Pontificatum. Ejus intuitu Galeatius Dux multa prædia eidem Ecclesiæ assignavit, ipsique Petro Wenceslaus Cæsar Principis titulum & dignitatem concessit. Reliqua ejus gesta sub summo Pontificatu referemus.

Ann. 1390.

Bis legationem obiit Apostolicam.

XVIII. Alium etiam creavit Cardinalem Jordanum Ursinum Romanum, Archiepiscopum Neapolitanum, quem Ordinis nostri voluit Protectorem, mor- Jord. Ursinus Ordinis Protector.

Ann.1390. — Fr.Nicol. Episc. Assisi. — Fr. Alexius Bobien. — Fr. Didac. Marrochitan.

mortuo etiam hoc anno Francisco Cardinale Carbono, quem Protectoris munus superius diximus obiisse. Assumpsit ad insulas Pontificias hoc anno Innocentius, qui sequuntur, Minoritas; fratrem Nicolaum Vannium Papæ Pœnitentiarium, ad Ecclesiam Assisiatem in Umbria, Pontifici immediate subjectam, in locum Jacobi, II. Nonas Februar. Fratrem Alexium de Seregnio ad Bobiensem in Lombardia, & Ducatu Mediolanensi, per obitum Uberti de Torrano Placentini, VI. Kalendas Octobris. Fratrem Didacum de Xericio ad Marrochitanam in Africa, per translationem Angeli ad Auriensem IX. Kalendas Augusti.

Fr. Nicolaus Inquisitor.

XIX. Hoc tempore Magister Joannes de Saravalle Provincialis Marchiæ, Ministri Generalis auctoritate deputavit Inquisitorem in Piceno, ab Urbini civitate, usque ad Asculanam, fratrem Nicolaum de Sarnano Theologum insignem, & rerum agendarum peritum. Eumdem sub Gregorio XII. in Romandiolam transtulit Magister Angelus Senensis Vicarius Apostolicus Ordinis a Gregorio in schismate constitutus.

Ordinis S. Hieronymi fundatores Tertii Ord. S. Francisci. — *Sabell. ænead. 7. lib.9.* — *Marian. lib. 4. c.6.* — *Morig. de orig. relig. lib. 1. cap. 42.* — *Vergil. de inventor. rerum lib. 7. c.3.* — *Ann.1377.n.4.*

XX. Hoc tempore initium habuit Ordo eremiticus sancti Hieronymi in Fesulanis montibus II. M. P. ab urbe Florentina. Auctor fuit Carolus Montis Granelli prope Montem Alvernæ Comes, & cooperarius Gualterus Marsus Tertium Ordinem sancti Francisci professi. Tertium addunt alii quemdam Redonem, etiam Montis Granelli Comitem: sed non immerito suspicatur Polydorus Vergilius, unum atque eumdem Carolum, & Redonem fuisse, quando utrique æque dignitatis titulus competit, & *Redonis* vocabulum cognomenti loco possit haberi. Ædiculam in montibus sitam, beatæ Mariæ de sancto Sepulcro sacram ab Antistite Fesulano impetrarunt, & refectam ea pietatis fama sub tertio sancti Francisci Instituto coluerunt, ut multi adhæserint discipuli, atque hi sub disciplina beati Thomasucii enutriti, ex quibus unum patria Lusitanum in Hispaniam religionem hanc antea invexisse superius præmonuimus. Circa fundationis Hispaniæ tempus, & Instituti approbationem Pontificiam vide Josephum Siguntinum illius Ordinis Historicum. Post paucos annos Institutum approbavit Gregorius XII. deinde, assumpta regula sancti Augustini, confirmavit Eugenius IV. & multis munivit privilegiis. Professores nativo leucophæi coloris vellere, in memoriam prioris habitus, inquit Marianus, amiciuntur, pallio rugato a summo ad imum scisso, scortea zona tunicam cingunt, & calepodiis pedes Franciscano more ad nostram usque ætatem muniebant. Congregationem hanc Fesulanam ab Hispana diversam facit Siguntinus. Obiit Carolus fundator Venetiis, anno MCCCCXIX. caput in domum Fesulanam, ubi Ordo sumpsit initium, translatum est. Claruit etiam hoc tempore sub eodem Instituto Pœnitentium sancti Francisci frater Stupa Fulginas, socius beati Thomasucii, de quo satis egimus alias. Spiritu prophetiæ illustris multa protulit, & scripsit vaticinia.

Siguntin. tom. 2. lib.1.c.2.& 7. & lib.3. c.7. — Fr. Stupa Fulginas. — *Tom.7.an.1313. n.21.* — *Ann.1377.n.4.*

Gonz. in Prov. Tuscia Conv.4. — *Ann.1216. n.20. & in addition.ad tom.1. n.7.* — Conv.Capriolæ.

XXI. Sub annum hunc sanctus Bernardinus Senensis habita una atque altera concione in urbe nativa, prope arborem a sancto Francisco plantatam, de qua superius diximus, obtinuit a Joanne de Jandarone Rectore Xenodochii Senarum, Eremitorium D. Onofrio de Capriola sacrum, M. P. ab urbe semotum; ea tamen lege, ut quotannis Fratres in beneficii recognitionem libram unam ceræ penderent in festo Virginis Annuntiatæ. Nullo negotio Hospitalarios in suam sententiam traxit, recenti adhuc memoria eorum, quæ sæviente magna pestis contagione, in Xenodochii præstitit obsequium. Domumculam rudi materia adjunxit pius adolescens, & Fratres induxit, quibus ipse præfectus in laboribus, oratione, jejuniis, & vigiliis exemplo prælu-

luxit. Pauperculam hanc ædem Petrus Paulus Senensis, provinciæ Tusciæ Minister, reluctantibus Consodalibus dejecit, & aliam longe nobiliorem ipsi primo structori Bernardino sacram, anno MCCCCLXXIII. superextruxit: sed & hanc post temporum intervalla cives demoliti, aliam pulchriorem, & ampliorem erexerunt. In templo & Sacello divi Antonii quiescunt multorum piorum Patrum corpora, quorum nomina & virtutes dabimus annis, quibus obierunt. Servantur in loci sacrario aliquot ipsius Sancti fundatoris exuviæ, vestes, libri, sigillum, plurimæ schedæ ejus manu scriptæ, & libellus membraneus miraculorum viginti, quæ post mortem patravit.

Indid. Conv. 5. Conv. Sergiani.

XXII. Paulo post domum alteram, sancti Joanni sacram, suis Consodalibus Bernardinus acquisivit in loco Sergiani II. M. P. a civitate Aretina in Etruria. Cum enim multa bona opera in urbe patrasset, & populum ab erroribus & peccatis ignito eloquio retraxisset, rogarunt ut apud se maneret, vel ex sociis aliquem traderet. Ingens inter cetera præstiterat eis Vir sanctus beneficium. Extra urbis mœnia fons antiquus erat in quodam nemore, ab idololatris olim Apollini consecratus; & adhuc sub illud tempus quodam superstitionis retinaculo civibus mysteriosus. Solebant eo Aretini, & alii circumquaque vicini, tamquam ad oraculum confluere, responsa petentes ad occultas quæstiones, & remedia morbis, præsertim puerorum, curandis. Adversus occultum hunc Dœmonum cultum, & ignari populi superstitionem, agendum viriliter duxit Bernardinus, & primo quidem concione in foro universæ urbis multitudini habita, omnium animos confirmavit, ut hanc suam ignorantiam, & Dœmonum fallacias procul facerent, secumque irent ad impurissimorum spirituum habitationem prorsus abolendam. Assumpta cruce, ipse præivit, universus Clerus sequebatur, ac populus erecto vexillo cathedralis Ecclesiæ. Sed cum ad nemus accessissent, tanta orta est ventorum, & pluviæ tempestas, ut terra ipsa videretur e suis sedibus dimoveri, arbores radicitus evelli, & Crucis vexillum in partes discindi. At intrepidus Bernardinus populi animos erexit, & dœmonum artes propalavit, mox arrepta securi, arbores fontem obumbrantes dejecere, & malleo fanum dœmonis ipse cœpit contundere, aramque evertit, fontem lapidibus obturavit, populo & Clero certante ad obsequium. Super lapideum acervum, crucem, quam tulerat, reposuit, & paulo post lapidem magnum erexit in titulum, adpicta beatæ Virginis effigie. Atque hæc ita cœpit miraculis clarescere, ut turmatim populi confluerent; & ubi prius tot superstitiones exercebant, vota persolverent, & oblationes exhiberent. Unde factum est, ut plebs insignem condiderit ædem in sanctissimæ Virginis honorem, quam ob crebra subsecuta miracula appellavit *sanctæ Mariæ gratiarum*. Demum, rogante Bernardino, Eugenius IV. quotannis in nativitate ejusdem Virginis Templum hoc multis, iisque magnis Indulgentiis commendavit. Habitant illic Patres Jesuati * & crucem a Bernardino lapidum acervo impositam, reverenter custodiunt in sacello ejusdem nomini consecrato.

Surius in vita S. Bernard. c. 11. Marian. cit. c. 5. legenda MSS. Fontem Dœmonibus dicatum, aram & lucum S. Bernardinus destruxit.

* *Nota Jesuatorum Congregationem jamfuisse suppressam.*

XXIII. In Conventu autem Sergiani, quem suis Consodalibus propter hæc acquisivisse diximus Bernardinum, multi floruerunt Viri pietate insignes, & diem illic obierunt Angelus de Civitella, & Joannes Riccius, qui in humili statu Laicorum, seu Conversorum, tantam prætulerunt prudentiam, & vitæ sanctimoniam, ut Vicarii provinciæ Tusciæ instituti sint; & posterior missus sit disciplinæ Monasticæ reformator ad Monachos sancti Salvii prope Florentiam, & Vallis Umbrosæ, necnon ad Fratres Ordinis Servorum beatæ Mariæ Montis Asinarii, sive Sanarii, uti scribit Archangelus Gia-

Gianius, Servitarum historicus, qui de prædicto Riccio, quem Franciscum appellat, ita scribit: *Grassante eo tempore* (circa annum MCCCCLXXX.) *pestilentia, Novitii Annuntiatæ de Florentia, ne eo morbo conficerentur, in Sanario quamplures menses diversari coguntur, quem locum tunc sæpe visitabat, & quodammodo regebat (si vera sint, quæ ex historia Franciscanorum* * *circumferuntur) frater Franciscus Riccius Florentinus Fesulanæ Observantiæ Minorum Laicus, vir alioquin admirandi exempli, summæ prudentiæ, & incredibilis humilitatis. Quare autem id acciderit, ut qui paulo ante jugum a regulari congregatione Servorum excusserant, nunc alieno Pastori sese mancipassent, non est ita facile discernere; nisi quis arbitretur pessimum illud morbi contagium hujuscemodi novitati occasionem præbuisse, ut a venerabili & simplici illo religioso spirituales consolationes, & totam sui administrationem recipere PP. nostri, quam penitus destitui, maluissent.* Jacet etiam in eodem Conventu Antonius Nerus Aretinus, qui postquam inter Patres Conventuales Magistrum Sententiarum Parisiis exposuerat, & multas ediderat elucubrationes, transivit ad Observantes.

Gian. in Annal. Serv. centur. 3. lib. 3. c. 7.

* Citat Gonzagam ubi agit de hoc Conventu.

Conv. Majoris. Gonz. in Prov. Princ. Conv. 6.

XXIV. In regno Neapolitano, & Diœcesi Amalfitana ad oppidum *Majoris*, vulgo *Terra di Majori*, in ipso littore maris Tyrrheni, circa hunc annum constructum creditur Cœnobium Minoritarum, addito templo satis augusto & magnifico, convicinis populis commendatissimo sub sancti Francisci invocatione. Irruentibus in has oras Turcis Africanis, domus tota periit incendio, & monumenta abierunt in cineres, quorum jactura non potuit reparari, restauratis ædibus per oppidanos.

Chiavellus de Chiavellis.

XXV. Hoc anno die XXIII. Decembris Chiavellus de Chiavellis nobilis miles Fabrianensis, qui cum laude meruit sub Philippo Maria Vicecomite Duce Mediolanensi, & Republica Veneta, publico desuper confecto instrumento, quod asservatur penes Moniales sancti Romualdi, emit ab Abbatissa, & Sororibus Monasterii sanctæ Mariæ Vallis-Saxeæ (ita cognominati a primo incolatu, sed tunc siti intra oppidum in platea, seu districtu sancti Joannis, quod postea unitum est prædicto Monasterio sancti Romualdi) eremitorium Vallis-Saxeæ, ob Fratrum recessum ad ipsas, propter pristinam possessionem devolutum, soluto pretio centum sexaginta duorum aureorum; & tradidit Fratribus Regularis Observantiæ. Ita erga novæ Congregationis professores afficiebatur, ut omnia necessaria subministraret, & quotiescumque liceret, cohabitaret, divinisque interesset officiis. Venetiis decedens ultimis tabulis curavit in templum istud corpus transferri, & contumulari præclaræ fœminæ Luciæ consorti. De Cœnobio & viro hoc alias egimus diffusius, & perpetuum diximus habitaculum fuisse Virorum illustrium, quorum aliquos indicavimus, aliorum dabimus opportunius ampliorem notitiam.

Tom. 1. an. 1215. n. 21.

XXVI. Innocentius Pontifex concessit hoc anno facultatem Vicario, & Fratribus provinciæ Bosnæ, ut admittant domum sibi ædificandam in oppido Athya, quinque Ecclesien. diœcesis, a nobili viro Joanne de Maroth Bano Machoviensi: *Sacræ Religionis*, X. Kalendas Novembris. An ædificaverit, ignoro; non enim invenio recensitum, inter alios Conventum istum a nostris auctoribus. Hoc anno dedit etiam facultatem, quam alias diximus, transferendi Monasterium Portuense Clarissarum, ad preces Philippæ Reginæ Portugalliæ: *Sacræ Religionis*, IV. Idus Martii: quam denuo confirmavit Martinus V. anno secundo sui Pontificatus, cujus diploma dabimus in Regesto. Deinde alteram Monialibus sancti Laurentii Panis-pernæ vendendi quasdam possessiones pro solutione debitorum: *Personas, quæ mundi*, Kalendis Septembris.

Conv. Athyæ.

Tom. 4. an. 1358. n. 25.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. ELectionem, Coronationem, & Jusiurandum, cui se obstrinxerat „ novus Pontifex Innocentius VII. breviter supra expendimus. „ Expectabant optimi quique sub isto Pontifice, maxime quod Benedictus „ sciretur non dissentire, sublato schismate, unionem Ecclesiæ videre. Et „ quis aliter suspicari poterat, si Innocentius antequam promoveretur pa„ lam suos prædecessores, quod vel non curassent, vel neglexissent pacem, „ & Ecclesiæ unitatem, damnabat; & promotus coram Cardinalibus jurave„ rat se renuntiaturum semper fore Papatui, si tollendi schismatis occasio „ fieret? Attamen ut se Petri pallio indutum, ac Pontificia Thiara redi„ mitum conspexit, sui ipsius oblitus, nihil magis abhorrebat, quam de „ schismate tollendo loquentes, quos ad mortem persequebatur. Et qui„ dem ob eam causam Romanorum plures per Ludovicum suum ex fratre „ nepotem insontes periere; quam rem ut novit populus, cucurrit ad ar„ ma, & Pontifex aufugiens cum Ludovico, prope Viterbium tenuit; „ unde paulo post misso Paulo Ursino cum militibus, armis populum fregit, „ & plurimis damnis illatis, tamdem ab eodem populo in Urbem revocatus „ fuit; quo perventus pridie Idus Junii duodecim Cardinales creavit, in„ ter quos fratrem Petrum Philargum Minoritam Archiepiscopum Medio„ lanensem. Firmi etiam in Piceno Principem præfatum suum nepotem fe„ cit, ac illius totius Marchiæ Gubernatorem. *Dogl. cit. fol. 420.*

„ II. Interea Leonardus Giffo, qui ex Ministro Generali, a Clemente VII. „ creatus Cardinalis, & Neapoli captus a Gentile Cardinale Legato Urba„ ni VI. tamdem liber dimissus fuerat, ut supra dicebamus, tamdem a Be„ nedicto XIII. Antipapa Episcopus Ostiensis, & Velitranus renuntiatus, „ Avenione obiit hoc anno, sepultus apud Minores. Henricus pariter Al„ ferus Astensis Minister Generalis, cum annis fere XVIII. Ordinem rexis„ set, Ravennæ pie decessit, & in Templo sancti Francisci pulchro marmo„ reo sepulcro in Ecclesiæ pavimento conditus est. Cui in Comitiis indictis „ Argentinæ, sive ut aliis placet Monachii, frater Antonius Angelus a Pi„ reto suffectus est. Russiæ Vicariatum inter hæc tenente fratre Georgio „ de Sanok.

ARGUMENTUM.

Decedenti Innocentio Pontifici succedit Gregorius XII. Beata Coleta virgo Dei monitu reformationem aggreditur Ordinis sanctæ Claræ, quam summa constantia, & miraculorum gloria prosequitur. Construuntur aliquot Cœnobia.

I. PAUCA hoc anno occurrunt Pontificia monumenta, ob turbas Romanorum, a Ladislao Rege Neapolitano Imperium Urbis, & status Ecclesiastici ambiente, in Pontificem concitatorum. Vicit sua prudentia & æquanimitate Innocentius adversariorum studia, & Ladislaum diris devotum tamdem edomuit; atque Viterbio, quo populi furorem declinaturus, recesserat; in Urbem regressus, Capitolium, quod cum Senatu ab ipso defecerat, die XXIII. mensis Augusti in suam potestatem recepit. Rebus compositis, dum majora molitur, hoc anno VIII. Idus Novembris gran-

dæ-

Moritur Innocentius.

dævus decessit Romæ, anno II. & die XXI. sui Pontificatus, sepultusque est in Vaticano in sacello sancti Thomæ, quod Pœnitentiariorum usibus præcipue deserviebat.

Succedit Gregorius XII.

II. Vacavit Sedes Apostolica dies XXIII. Etenim post novemdiales exequias Innocentii, & frequentia colloquia Cardinalium, Principumque officia, ut diuturno obviaretur schismati, Angelus Corarius nobilis Venetus, ex Episcopo Castellano Patriarcha Constantinopolitanus, Piceni Præfectus, & Cardinalis sancti Marci, *pridie Kalendas Decembris* ad summum Pontificatum octogenario major evehitur, eo potissimum consilio, ut brevi deponeret, quod diu retinere per ætatem non liceret. Juraverat enim Benedictus pseudo-Pontifex se quem prætendebat Pontificatum relicturum, modo id etiam faceret qui Romæ sedebat, atque ita consuleretur unitati, & paci Ecclesiasticæ, alterius assumptione: qua de causa venit Genuam usque, sed grassante ubique peste, rediit hoc anno Niceam. Promisit Angelus se primo quoque tempore loco cessurum, ut dignitatis æmulum ad abdicandum induceret, quod electores movit ut Pontificem renuntiarent, ita ut magis procurator ad alternam depositionem, quam Pontifex factus existimaretur. Sed vel tunc suæ majestatis auctores fefellit, vel post dominandi libido, & supremæ dignitatis amor ita hominem possedit, ut etiam nolentem opus fuerit semel atque iterum e solio deturbare. Nomen suscepit Gregorii XII. & & coronationis insignia Nonis Novembris in Basilica Vaticana per manus Ludovici de Flisco sancti Adriani Diaconi Cardinalis, S.R.E. Archidiaconi.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Card. de Salva Minoribus addictissimus. Apud eos sepultus.

„ Mortuus est itidem hoc anno IX. Kalendas Septembris, ad Monaci arcem in finibus Liguriæ, Michael de Salva Navarrus Hispanus Civis, & electus Episcopus Pampilonensis, Diaconus Cardinalis sancti Georgii in Velabro, Martini Cardinalis Pampilonensis fratris filius, Instituto Minorum addictissimus. Sepultus est in Templo eorumdem urbis Niceæ, haud procul a Monaco ad mare constitutæ. Ciacconus XVII. Kalend. Septembris, decessisse, & Avenione in Ecclesia Carthusianorum sanctæ Mariæ de Bono-passu asserit fuisse sepultum; sed contradicunt Joannes Mariana, & Hieronymus Zurita, ille in suis de rebus Hispaniæ Commentariis, hic in historia Aragonensi, & in Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum. Quid si fortasse Nicea translatus sit Avenionem, ut in eodem sacello cum Cardinale patruo conderetur? Ita indicare videtur epitaphium quod Cardinalium Nomenclator exscripsit.

Mariana lib. 19. c. 13. Zurita lib. 10. c. 83. & in Indic. lib. 3. anno 1406.

Pœnitentiarii Vaticani.

III. Porro Innocentius etiam in mediis tumultibus aliquot concessit Minoribus privilegia; & Pœnitentiarios instituit in Basilica sancti Petri fratrem Laurentium de Sabina Romanum, qui prius officium hoc exercuit in Ecclesia Lateranensi, & fratrem Onofrium Angeluccium Tudertinum, computari voluit in numero senario Pœnitentiariorum ejusdem Basilicæ. Diplomata hujus institutionis dabo in Regesto; plura enim continent, quæ conducant ad notitiam hujus officii, & personarum in eisdem expressarum. Fratrem Joannem Zouth Angliæ Ministrum per Commissarios, auctoritate Francisci Cardinalis Sabinen. Ordinis Protectoris injuste traductum, & ab officio depositum, restitui curavit: *Regis pacifici*. VIII. Idus Martii. Concessit etiam Indulgentiam pro sacro Monte Alvernæ: *Splendor paternæ gloriæ*. VIII. Idus Februarii. Occurrit hoc anno in historia Mantuana memoria fratris Nicolai Tinti Minoritæ, Episcopi Solani, uti nuncupat Donesmundus, & consecrasse refert Ecclesiam Cœnobii sanctæ Mariæ Gratiarum.

Fr. Nicol. Episc. Solanus. *Donesm. lib. 5. hist. Mantuana.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ Hoc anno Innocentius transtulit ab Ecclesia Termularum ad Tifernatem in ditione Pontificia, fratrem Stephanum ejusdem urbis virum doctum.

No-

„ Nonis Julii testamentum condidit die XVII. Aprilis anno MCCCCXIV.
„ quo decessit.

Frater Stephanus Episc. Termulanus, & Tifernas.

Sur. ad 6. Mart. Steph. a Juliano in ejus legenda. Man. 3. p. 3. l. 3. c. 7. Ann. 1380. n. 12. & seqq.

Coleta Virgo iter intenat ad Benedictum XIII.

IV. Hoc anno beata Coleta virgo Tertii Instituti sancti Francisci destinata a Deo reformatrix Clarissarum, & Ordinis sancti Francisci, sicuti superius scripsimus, decrevit simul cum venerabili viro Henrico de Balma suo Confessario, conferre se ad illarum partium summum Pontificem, ut ei rem omnem exponeret. Quædam autem illustris matrona, vidua olim conjux Domini de Forisco, & filia Domini de Roccaquarta, divinitus permota venit ad Coletam Corbejæ in suo reclusorio degentem; ejusque sermonibus adeo incensa & animata est, ut promptissimam offerret operam suam ad impetranda ea, quæ Coleta petebat. Itaque brevi id effecit, ut liceret ei ex inclusorio egredi, quod tam multis modis diabolus conatus erat impedire. Deinde obtulit se ad deducendam eam ad Benedictum, atque inde reducendam. Quam ejus insignem liberalitatem, & benevolentiam Coleta gratissimam habuit, mirifice lætante illa nobili matrona, quod speraret se proinde singularem a Domino gratiam consecuturam.

Abit cum honesto comitatu.

Qualis in itinere

V. Duxit ergo eam ad Pontificem, non sine multis eximiæ humanitatis officiis. Qui autem ex familia illius Comites se itineri adjunxerant, multum delectabantur præsentia Coletæ Virginis, sentiebantque, se divinitus & vires & consolationes accipere. Erat enim inter illos Coleta tamquam totius sanctitatis exemplar; sacris institutionibus animos inflammabat, incitabatque ad ferventer amandum & pie timendum Deum, ut illi humiliter servirent, ut peccata vitarent, & observarent divina præcepta. Verbis magnam vim addebant gestus honestissimi, & conversatio cœlestis, qua fiebat ut non tam hominis, quam Angeli speciem referre videretur. Cogebant illam interdum Comites, miserati ejus teneram juventutem, equo insidere; sed illa simul atque insidebat jumento, adeo se dabat sanctis meditationibus, ut mentis & extasim pateretur, nec quidquam adverteret ex his, quæ vel dicerentur, vel fierent ab aliis. Nec tamen corpore vacillabat, sed ita sedebat erecta & immota, ac si ab Angelis, quod probabile est, sustentaretur. Porro nonnumquam pedibus iter agens, si via esset aspera, videbatur aliis non attingere terram, sed tamquam in aere volitans, brevi magna transmittere spatia, ut facile alii, etiam fortiter gradientes, eam assequi non valerent.

Dæmonis adversæ artes.

VI. Voluit autem egregiam quamdam fœminam sese antecedere diebus aliquot, & Pontifici indicare adventum suum. Ibi tum videre licuit crudelissimorum Dæmonum insanum furorem atque livorem: adeo enim illam infestarunt fœminam, ut mente capta, prorsus nuda incederet, tamque inhoneste, & ferociter se gereret, ut nemo ausus esset ad eam propius accedere. Postquam autem Niceam venit, ubi tum Pontifex morabatur, celeriter ejus adventus Pontifici innotuit: ille vero jussit eam bene vestitam ad se introduci. Venit igitur ad Pontificem, & ecce repente sibi restituitur, datumque sibi negotium tam prudenter, & disserte exequitur, ut Pontifex ad omnia annueret; adverteretque, Coletæ Institutum divinitus agi, quando ea fœmina a tanta insania, tam cito ad sanam revertisset mentem. Ita tum elusa est maligni Dæmonis machinatio.

Eliduntur.

Benigne exauditur a Pontifice Coleta.

VII. Non multo post venit eo etiam Coleta; quam ut vidit Pontifex, clementer intuitus, accessit propius, & crumenulam ab ejus zona pendentem sua manu abstulit, in qua erat chartula, cui inscripserat Pontifici proponenda. Eam ille legit, cognovitque totum ejus negotium. At nihilominus illa quoque verbo exposuit caussam sui itineris, & quid expeteret. Duo po-

potissimum petebat, ut liceret sanctæ Claræ amplecti Institutum, & ut reformaretur Ordo sancti Francisci. Visa sunt ea Pontifici rationi consentanea, sed quod non deessent qui contradicerent, distulit assensum in aliud tempus. Et ecce pestis sævissima invadit eam urbem, & brevi moriuntur inter alios quidam ex iis, qui vel maxime illud negotium differendum censuerant. Fuerunt qui existimarent id accidisse propter injectas ancillæ Dei moras, ejusque preces in longum tempus rejectas. Et Pontifex sane iis, quæ quotidie fiebant, permotus, noluit eam protrahere diutius; sed ad se accitam coram multis, & Ecclesiasticis, & laicis, cum prius prolixe commendasset vitam Evangelicam, quam illa profiteri volebat, eam recepit ad professionem Instituti sanctæ Claræ, ejusque capiti suis manibus velum imposuit, eam fune cingens & consecrans, Abbatissamque constituens earum omnium Sanctimonialium, quas ipsa reformatura esset, vel quæ sub ea se darent vitæ Monasticæ, quam Clarissarum vocant. Ad extremum hortatus est, ut prudenter ageret, vota Deo nuncupata fideliter præstaret, atque semper se ipsa melior fieri conaretur. Obtulit deinde liberaliter ad omnia opem suam, & Confessario eam commendans, jussit ne unquam illam desereret; demum suam ei, & omnibus itineris sociis benedictionem impertiit. Major deinceps a plerisque ei reverentia præstita est maxime quod a multis *mater* appellaretur. Illa vero scire volens quid hoc sibi vellet; ut audivit Pontificem eam Abbatissam creasse, mire doluit, & humiliter instanterque petiit a Pontifice, ut ab illo officio absolveret; ille vero propositi constans factum esse respondit.

Clarissam instituit, & Abbatissam.

Dignitatem recipit invita.

VIII. Postquam autem a Pontifice recessit, cœpit diligenter in eam curam & cogitationem incumbere, ut quæ jussa erant exequtioni mandaret. Sed teterrimus Dæmon tam præclaros conatus ferre non sustinens, unde colligebat copiosissimos animarum prodituros fructus, molestissimas, & prope intolerabiles tum per se, tum per administros persecutiones intulit, ita ut omnis generis mortales, etiam illi, qui prius ei favebant, eam totis viribus oppugnarent, vocarentque veneficam, & Dæmonum cultricem. Eo res teterrimis obtrectationibus devenit, ut nemo eam auderet hospitio suscipere, & cogeretur, relicto natali solo, alio commigrare. Sed non deerat ancillæ suæ Christus: humanissime enim excepta est a Blancha Comitissa Gebennensi, quæ ut ejus adventu impense lætabatur, ita exhortationibus illius multum profecit in cognitione Dei, & propriæ conscientiæ expurgatione, nec facile deinceps ab ea voluit separari. Ut sibi conjunctiorem posset habere, permisit ei & comitibus dimidiam partem castri sui Balmensis, in quo ipsa morabatur. Ibi humilis ancilla Christi primum cœpit exercere munus suum, diligenter observans, & ab aliis curans observandum sanctæ Claræ Institutum. Mansit illic donec Monasterium Bisuntinum collatum est ei a Pontifice. Illuc honorifice eam deduxit Blancha cum nepte sua, quæ postea nupsit Comiti Palatino, & Bavariæ Duci. Erat tum ibi vir quidam nobilis, timens & amans Deum, qui constanter affirmabat, se circa Coletam vidisse mirificum quemdam splendorem, quoties eam conspiciebat. Porro Comitissa etsi corpore tum recessit a Coleta, ut tamen ostenderet suum erga eam studium & amorem, voluit ut postquam e vivis excessisset, in aliquo Coletano Monasterio corpus suum humaretur, quod etiam factum est: condita enim est in sacello a fundamentis extructo ab ejus supra dicta nepte, Bavariæ Ducissa, in Monasterio sanctæ Claræ Poliniacensi.

Dæmon infesta adversatur.

Propitiam habet Comitissam Gebennensem.

Monasterium recipit Bisuntinum.

IX. Coleta vero strenue perrexit in Evangelica observanda regula, uti jam inchoaverat. Erant tum paucæ Sorores cum ea, sed Deo agente, brevi

Et discipulas.

brevi permultæ nobiles, perfectæ, & Deo devotæ fœminæ undique ad eam confluebant, sanctæ Religionis habitum petentes: quas illa examinans, admisit idoneas. Ita parvo temporis spatio coacta est propter ingentem multitudinem, tam virorum, quam fœminarum sancti Francisci canonem sectari cupientium, augere Cœnobia, tum Fratrum, tum Sororum. Ut enim in memorata superius visione terribili ostensum ei erat, ex omni fere hominum genere, a quibus gravissime offensus erat Deus, ad sancti Francisci Ordines tres, se multi contulerunt, acturi pœnitentiam, & Deum sibi conciliaturi. Quod utique fiebat opera Coletæ Virginis, quemadmodum satis testantur Monasteria in diversis regionibus, Germaniæ, Franciæ, Burgundiæ, Sabaudiæ, & aliis, ea agente, extructa vel reformata, non modo fœminarum, sed etiam virorum. Si qui vero essent, qui justis rationibus impediti, tale vivendi genus suscipere non possent, animo tamen valde conjuncti fuere Coletæ, atque ejus reformationi non solum egregium favorem, sed etiam non mediocre studium & opem attulerunt, hodieque afferunt, quales sunt non pauci Reges, Reginæ, Duces, Comites, Barones, nobiles, cives, mercatores, aliique plurimi sexus utriusque, e quibus nonnulli e fundamentis excitarunt Monasteria, sive ex parte, sive ex toto, in quibus quædam insignia fuere: alii multis modis Coletam ad hujusmodi perficienda adjuverunt, ut Deum sibi redderent propitium. Complures spectata nobilitate fœminæ, divitiis, honoribus, & stemmatibus contemptis, sanctæ Claræ Institutum ultro amplexæ sunt. Et quod his majus est, multi sexus utriusque ex omnibus Monasticis Ordinibus, puta Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, Cœlestini, Canonici regulares, permissu Superiorum suorum ad Coletana Monasteria, sub perfectioris vitæ prætextu se transtulerunt.

An. 1380.

Multa extruit, vel reformat Monasteria.

X. Quam vero grata fuerit Deo Coletana reformatio, quamque ejus sectatoribus salutaris, quodam ille signo ostendit ancillæ suæ. Cum enim aliquando conferret cum quodam e Confessariis suis de iis rebus, quæ huic reformationi accommodæ, opportunæ, & necessariæ videbantur, cernente Patre illo, cœlitus in ejus brachia delapsus est funiculus quidam, miro confectus artificio, instar nivis candidus. Quem illa reverenter excipiens explicavit, nihil tamen neque verbo, neque signo cuiquam indicans. Potest autem per illum funiculum accipi status ille reformatorum, funiculis se cingentium; per candorem munditia corporis & animæ, atque conscientiæ, qua debent esse præditi: per id quod cœlitus lapsum est, gratum esse Deo hunc statum, ejusque professores, in primis vero ipsius reformatricem. Estque sane notatu dignum, eos omnes qui in illo statu ex hac vita migrarunt, quoad vixit Coleta, sive in propinquis, sive in longinquis degerent regionibus, illi in obitu suo apparuisse, non pauca, nec mediocria ab ea si indigerent, salutis subsidia accipientes. Neque minus memorabile est, si in construendis Monasteriis necessarii sumptus deessent, qui ab hominibus sperari vix possent, divinitus eam fuisse non semel adjutam; ita ut crebro ad quingentos aureos ex auro purissimo, singulari pondere, magnitudine & elegantia, ei suus mitteret sponsus Christus Jesus, quibus plus efficiebat, quam si duplo plures ab hominibus aurei ei oblati fuissent. Et ii quidem aurei quamdiu mansere ab aliis separati, servabant elegantiam & præstantiam suam; si autem essent admixti aliis, illis plane similes visebantur.

Deo placere Institutum cœlitus indicatur.

Apparebant ei Fratres & Sorores morientes.

Subsidia cœlitus emissa.

XI. Sanctæ paupertatis virtus, quam cara fuerit filio Dei propter nos incarnato, ex Evangelio potest animadverti. Eam etiam sui Instituti fundamentum esse voluit beatissimus Pater Franciscus, Christi & Apostolorum sectator ardentissimus. Coleta quoque virgo prudentissima ab initio usque

Ardens paupertatis sectatrix. ad finem eam impense amavit, ejus studio facultates omnes elargita est, tantoque zelo hanc semper coluit, ut ab eo tempore quo ad Evangelica consilia sectanda vocata fuit, numquam deinceps, quamtumvis magnum urgeret gelu, alias habere vestes voluerit, præter habitum vilem, eumque simplicem, & pallium: atque hoc habitu uti voluit non prorsus novo, sed vel parum, vel ex toto e panno veteri consuto, & crebro ab aliis usurpato, partim consumpto, vel lacero. Accidit quandoque ut propter frigoris nimiam acerbitatem, Sorores, præ commiseratione, tunicæ ejus manicas, ipsa ignorante, duplicarent. Id sentiens abhorruit, nec ea tunica prorsus uti voluit, donec esset ablatum id quo suffulta erat. Calceis neque sana, neque ægra, neque vel domi, vel foris unquam usa est, semper & ubique nudis ingrediens pedibus; imo nec igni eos admovit unquam, quantumvis sæviret hiemis asperitas, nec ignem ferre potuit, vel aspicere. Vela, & capitis tegumenta erant humilia, simplicia, & abjecta, plusque delectabatur his quæ essent pluribus locis resarta. Modico stramine pro lecto utebatur simplici operimento, ad caput posito sacculo paleis pleno. Et tamen in his ipsis aut parum, aut nihil quiescere videbatur. Quantumvis autem vel necessitas, vel adversa valetudo urgeret, numquam in lecto cubare potuit, vel uti pulvinari: imo vero cum in extrema decumbenti ægritudine, qua Domino spiritum reddidit, pro aliquo laboris intolerabilis levamento, appositum fuisset ad caput pulvinar exiguum, & illa id sensisset, innuit, ut amoverent.

Habitu vili. — *Nudis incedit pedibus.* — *Lectus stramineus.*

XII. Oratoria, quibus uti solebat Missas auditura, & Eucharistiam sumptura, volebat esse angusta, humilia, & exigua, atque in iis illa libentius morabatur, & majoribus fruebatur consolationibus. Structuræ grandes & amplæ multum ei displicebant; parvæ & exiles usque adeo non fuere molestæ, ut potius existimaret nimium esse insignes. Hortabatur autem Sorores, ut instar Domini Jesu, qui non habuit ubi caput reclinaret, simplicibus essent contentæ habitationibus, quæ necessitati sufficerent, curiositatem nullam præ se ferrent. Et ipsa quoque libentius manebat in parvis Monasteriis, & in pagis, quam in amplis Cœnobiis & urbibus. In itinere molestum erat ei recipi in cubiculo sublimi & lato; imo præ terrore vix ausa erat sustollere oculos. Ad novum veniens Monasterium, si quid vidisset paupertati contrarium, ferre non potuit, donec destrueretur.

Odit structuras sumptuosas.

XIII. Ab ipsa infantia misericors, & benigna fuit erga pauperes, & ea crevit cum illa, donec abiret e vita. In pueritia scholas visitans, jentaculum à parentibus ipsi datum ceteris parvulis distribuebat. In paterna domo si qua esculenta clam reperisset, quoad licuit, pauperibus erogabat. Postquam patrimonium amplum & dotem distribuit, nihil unquam inde sibi usurpare voluit, nisi quantum plane necessarium esset, vel tegendo simpliter corpori, vel divino officio devote persolvendo. Si vidisset Fratres aut Sorores re necessaria indigere, ex iis, quæ ei donata erant, libentissime eis impertiebat, puta, vestes, libros, & id genus alia; ita ut crebro etiam manicas a suis vestimentis resectas aliis daret; reponens illarum loco alias alterius coloris.

Erga pauperes misericors.

XIV. Adeo autem solis necessariis volebat contentos esse & Fratres & Sorores, ut quoad fieri posset, ipsa interesse vellet, cum scinderentur panni, e quibus vestes illorum conficiendæ erant, ne vel longitudine, vel latitudine a paupertate discreparent. Et exiguas etiam panni particulas quæ superant, diligenter colligebat, & ab aliis colligi volebat, ut ubi necessitas posceret, adhiberi possent. Videre sane licuit in ejus vestibus interdum vel centum hujusmodi particulas insutas. Et si autem vel maxime cuperet ha-

Arctum rerum usum docet suos

habere libros cultui divino necessarios, eosque etiam ex diversis regionibus conquireret, ut divina officia perfectius persolverentur: attamen cum ei crebro a potentibus, & opulentis hominibus pro ipsius usu dati essent, quamvis necessarii ei essent, libenter eos & liberaliter aliis impertiebat, atque etiam donabat; ita ut ipsa cogeretur ab aliis libros accommodato accipere, unde preces Canonicas persolveret. Compertum est id in extremo vitæ ejus tempore.

XV. Permulti spectabiles homines diversorum ordinum, vel statuum, cum viderent quam ardua illa moliretur pro Dei honore & salute animarum, ad extruenda Monasteria ei largiebantur multa, quisque pro facultatibus suis, e quibus illa in suos usus nihil penitus retinebat: & certe mortem oppetiisset potius, quam eleemosynas ultro oblatas a destinato usu convertere. Si quæ vero propter eam specialiter præstitæ essent eleemosynæ, eas ut perfecta sanctissimæ paupertatis amatrix, in communes conferebat usus, idest ad ornatum & instaurationem Ecclesiæ, nihil sibi retinens. Hujus enim pretiosissimæ Margaritæ, nempe sanctæ paupertatis, longe illa fuit appetentior, quam quivis avarus opum terrenarum: quod etiam de beatissimo Francisco legitur. Cum autem expendisset omnia, præpotens Deus ejus misertus mittebat ei subsidia, interdum quingentos, ut diximus, ducatos, quos juxta se reperire solebat, revertens ab oratione, eosque diligentissime servabat, ut non nisi sancte & juste expenderentur. Nihil autem prorsus ex iis, vel aliis sibi vendicabat; nec quidquam inde in suos usus convertebat, sed tamquam nihil habens hoc ipsum nihil habere pro magno putabat dominio, nihil sibi tribuens, præter fatigationem, dispensationem, sollicitudinem, pœnam conservandi, vel administrandi pro sancti Spiritus instinctu, ac voluntate. Nec vero unquam vel extrema paupertate potuit adigi, ut vel tantillum divinæ benignitati diffideret. Nihil enim hæsitabat illam abunde tum sibi, tum suis res necessarias superaddituram, si fideliter starent promissis Monasticis; id quod etiam mira sæpe experientia probatum est. Accidit quandoque ut quibusdam locis ingens hominum armatorum copia sic omnia terrore compleret, ut nullus e castris, vel ex urbibus, vel e pagis, aut posset, aut auderet egredi. Itaque Fratres, qui curam gerebant pauperum Clarissarum in iis locis degentium, tametsi summe indigebant rebus necessariis, non tamen propter illos milites ausi erant egredi ad petendas eleemosynas. At nihilominus confidebant tum Fratres, tum Sorores, quemadmodum Coleta docebat, non defutura necessaria iis, qui pro viribus solverent vota sua. Et ecce adest confestim vir albis indutus, ignotus omnibus, afferens saccum panibus candidissimis & optimis refertum, quorum erat sapor gratissimus, quique toti sufficerent Monasterio, donec aliter Dominus providit. Vir autem, qui eos attulit, mox ab eorum oculis evanuit.

Fidelis oblationum dispensatrix.

Divinæ benignitati plurimum fidebat.

Non est inopia timentibus Deum

XVI. Fuit aliquando Coleta in Territorio Murinensi, ubi tum magna erat annonæ penuria: habebat autem secum Moniales, quæ duobus Monasteriis incolendis sufficerent. Itaque propter nimiam intus & extra Monasterium illud manentium multitudinem, ad tantam inopiam redactæ sunt, ut e furfure sibi panes conficere cogerentur. Et si autem ejusmodi cibum prorsus respuat humana natura, at fuit illis dulcis & gratus, senseruntque se melius illo, quam pane triticeo refectas. Porro quædam ex eis colligebat sub arcis grana frumenti sparsa illic jam pridem, cum mundarentur legumina, aut alia quavis occasione: ex eis vero aqua mistis, & sale exiguo coquebant sibi panes, quarum tanta erat suavitas, ut se putarent numquam tam delicate comedisse, etiam lautissimis appositis epulis: imo quædam ex eis in seculo val-

Hilaris pauperū egestas.

de delicate enutritæ pro certo affirmabant, se numquam tam lautos sumpsisse cibos.

Miraculose dolium vino repletur.

XVII. Contigit quandoque, dispensatricem Monasterii sororem Joannam Rebardellam, quibusdam indigentibus vinum haurire. Interim vocatur signo tintinnabuli a Coleta matre, currit celeriter, non clauso epistomio: interim vinum omne e vase effluit. Illa sentiens se non clausisse epistomium, postquam locuta est Coletæ, redit propere ad dolium, illudque plane vacuum comperit. Magno igitur mœrore affecta, cum nihil jam superesset vini, adit Coletam, edicitque culpam suam. Coleta cernens eam summe afflictam; *Vade*, inquit, *filia, & nihil hæsitans hauri mihi vinum*: illa dicente nihil relictum vini in vase, rursus ait: *Abi in nomine Jesu Christi, abi fidenter*. Paret illa, & ecce vas reperit vini præstantissimi saporis redundans.

Arctus panis crescit.

XVIII. Jubere aliquando Coleta voluit pro Fratre quodam satis indigo scindi pannum, unde ei vestis pararetur; sed cum ea causa accersisset fratrem Andream, bonum sartorem, ostendissetque illi pannum, respondit ille pannum non posse sufficere vesti conficiendæ, etiamsi ei integra ulna addatur: at illa subridens, fidenter ait; *Abi Frater, & ora Deum: inde redibis ad me, & utrinque extrahemus pannum, si forte possit fieri longior*. Orat Frater, redit ad Coletam, ea præsente scinditur pannus, & nedum satis multus est, sed & in tantum excedit, ut oportuerit de veste inde confecta aliquid auferre, quod & longior & latior esset, quam ferret sancta paupertas.

Studiose servat castitatem.

XIX. Castitas virtus gratissima, est mire animum exhilarans, eumque Deo proximum efficiens. Ea non mediocriter ornata fuit Christi ancilla Coleta toto vitæ suæ tempore. Nam etsi valde oderat omne vitiorum genus, speciatim tamen abominabatur peccata carnalia, utque ea facilius vitaret, arctissime servabat sensus corporis, tamquam januas vel fenestras, per quas facile irrepit mors; nec unquam tota vita sua, vel vanæ delectationi, vel carnali concupiscentiæ assensum præbuit, sed ab ipsa infantia cor suum omnino castitatis studio addixit & dedicavit, adeo ut numquam quisquam in ea percipere potuerit signum aliquod impuræ cogitationis; nec unquam verbum aliquod leve, aut inhonestum protulit ore suo, sed semper verba plane honesta & sancta, quæ cœlestem ejus declararent conversationem, & proximis salubrem afferrent ædificationem. Potest sane illa numerari inter purissimas Virgines: nam & corpus ejus tam erat formosum, & omnis maculæ expers, quoad supervixit, ut integerrima virginitas cum puerili innocentia & simplicitate ex illo mirifice reluceret. Etsi enim in iis, quæ ad Dei honorem, & animarum salutem pertinebant, esset prudentissima, attamen in carnalibus, & mundanis rebus, instar parvuli simplex & innocens fuit. Quo fiebat, ut libenter adesset parvulis, eisque se blandam & affabilem exhiberet: e contra abhorrebat plurimum a conspectu immundorum animantium, ut sunt muscæ, limaces, formicæ &c. quæ sine terrore, & multa abominatione videre non potuit. Delectabatur autem mirum in modum agnellis, turturibus, & id genus aliis castis animalibus. Solebant etiam crebro ad eam advolare castæ aviculæ, suaviter cantilare, coram illa comedere & bibere absque ulla formidine. Mittebantur illæ aviculæ a Domino pro illius consolatione, erant enim ei gratissimæ propter castitatem & puritatem, qua ipsa præclare pollebat. Oblatus ei quandoque ex devotione fuit agnellus, quem illa tam ob munditiam, quam ob agnum illum sine macula libenter accepit. Erat vero is illi multis modis non parvo solatio,

Delectatur castis animalibus.

Agnus Eucharistiam adorat.

ma-

maxime quod soleret a nullo prorsus vel edoctus, vel compulsus cum Christi corpus in Missa elevabatur se submittere in genua, nec surgere, donec elevatio illa peracta esset.

XX. Alio tempore venit ad eam bestiola quædam, miri candoris & elegantiæ; incertum erat unde venisset, nec erat aliis similis, nec unquam ab ullo conspecta fuit, nec semper ei aderat ut agnellus, sed per vices modo apparebat ei conspicua, modo evanescebat. Erat aspectu gratissima, & valde delectabilis. Itaque multæ Sorores eam summopere cupiebant apprehensam manu contrectare, sed frustra nitebantur, illa vel disparente, vel alicubi latitante. Coleta ipsa quandoque cum filiabus suis eam cursu insectabatur; sed præcedens una cum bestiola ab aliarum oculis evanuit, nescientibus illis quo translatæ essent. Nulli vero dubium esse debet, bestiolam illam significasse arcani quiddam, ejusque & internam, & externam repræsentasse puritatem eximiam. Quam sane etiam illud egregie declarabat, quod ab ejus corpore fundebatur odor longe suavissimus, cibusque ab ea sumptus non raro absque malo odore egerebatur: & (quod summam habet admirationem) ab illa naturali infirmitate fœminis omnibus communi semper omnino libera fuit, atque a multis immunditiis prorsus aliena. Quamvis autem aliorum fœtores & immunditiæ ei essent molestissimæ, attamen comiter ferebat eas propter illum, qui libenter tulit fœtores scelerum nostrorum.

Ejus puritatis symbolum.

Ab ejus corpore suavissimus odor emanat.

XXI. Duo vero specialia Dei dona, quibus ejus puritas astruebatur, in ea extitere. Primum est, quod numquam ullus fœtor ab ejus corpore sentiri potuit; sed nec ex loco, in quo erat: sentiebatur vero jugiter odor gratissimus confortans omnes, qui se illi adjunxissent. Lavit aliquando manus suas, ministrante illi sorore Margareta Bolhonensi; aquam, qua se laverat, servavit illa Soror annis septem in vasculo quodam, mansitque purissima, atque etiam crebro illam bibens eadem Soror, multa inde remedia accepit adversus corporis & animæ infirmitates. Quædam Novitia Monialis misere e stomacho laborans, cum timeret se ea causa a professione optata impeditum iri, bibit clam ex aqua, qua suas manus ipsa ministrante, Coleta abluerat, perfecteque curata est. Alterum donum est, quod, ut fertur, licet a permultis visitaretur bonis & malis, essetque formosa valde, sicut ipsa nullum inhoneste concupivit, ita nec sciri potuit quemquam illam inhoneste concupivisse, imo si qui libidine inflammati ad eam accessissent, illa conspecta castos abiisse.

Aqua, qua se lavat, salutaris.

Castus ejus aspectus.

XXII. Sentiebat autem illa virginitatem, & ea tempora, quibus illa culta esset, speciali reverentia prosequenda, eosque, qui virginitatem voverent & conservarent, non vulgari amore complectendos, honoreque afficiendos. Itaque tempora novi Testamenti hoc nomine prætulit illis, quæ sub veteri fuere, quod in iis viguisset castitatis studium, eamque Christus ipse, & ejus sanctissima Mater, permultique præcipui amici ejus complexi essent, & extulissent: in quibus beatissimum Joannem Evangelistam impensius amabat præ multis, eumque sibi singularem adhibuit intercessorem apud Deum, ut posset tutius pretiosum virginitatis conservare thesaurum. Cujus etiam servandi causa, cum adhuc juvencula esset, statuit vitam degere apud virgines puras & innocentes, ut solatia omnia nedum turpia & inhonesta, sed etiam quæ a matrimonio offeruntur, evitaret. Obtinuit vero etiam a Pontifice diploma plumbeum, quo prohibitum fuit, ne qua fœmina, quæ virgo non esset, admitteretur in Cœnobia ab ipsa Coleta reformanda. Et id sane etiam executioni mandatum est, rejectis omnibus viduis, aut sinistra fama

Non admisit nisi Virgines in sua Monasteria.

ſama laborantibus. Etſi vero diſpenſatum fuit cum quibuſdam nobilibus, & virtutum ſtudioſis viduis, ut poſſent admitti, numquam tamen illas Coleta tam familiares habere voluit, atque virgines: nec tam propenſo eas ad profeſſionem Monaſticam recipiebat animo ut virgines.

Annulus ei cœlitus miſſus.

XXIII. Et ut Deus puriſſimæ virginitati ejus ſingulare perhiberet teſtimonium, miſit beatum Joannem Evangeliſtam, qui ei annulum aureum attulit nomine ſummi Regis, quo digito illius infixo, eam ſibi deſpondit ſponſam cariſſimam. Quem annulum cum multo timore & humilitate illa accepit, accurateque cuſtodivit, & venerata eſt; utque eum melius conſervaret, voluit eum auro alio, vel argento veſtiri; ſed nullus aurifex id efficere potuit. Multi ſane Patres, & Fratres Confeſſarii, aliique plurimi hunc annulum viderunt, manibuſque ſuis contrectaverunt, non mediocri inde conſolatione affecti. Cum autem Fratres illos ad expedienda celeriter negotia procul ablegare voluit, ut itinerum vitarent pericula, fidenter, clam tamen, dabat illis ſecum ferendum hunc annulum, ſicque citra periculum totum illud conficiebant iter. Porro novi Teſtamenti Sanctos illos cariores habebat, qui virgines permanſiſſent: in matrimonio junctis illi magis placebant, qui unico conjugio contenti fuiſſent. Ipſi quoque matri ſuæ, quæ ad ſecundas nuptias acceſſerat, quandoque ſic fertur dixiſſe: *Mallem te ſemel tantum, mea mater, nupſiſſe*; illa blanditer reſpondente: *Si ego ad alteras me nuptias non tranſtuliſſem, tu hodie in mundo non eſſes*; iſthæc ſubjunxiſſe: *Tum vero Deus ex aliquo a propinquis noſtris me feciſſet naſci*.

Apparet ei ſancta Anna.

XXIV. Iu reformationis ſupradictæ exordio ſæpe invocabat Sanctos, cum ardua negotia inciderent: eos autem præcipue implorabat, qui virgines fuiſſeot. Ad ſanctiſſimam matrem Annam eo nomine vix unquam confugiebat, quod tres ſubinde habuiſſe maritos legatur, Sed ea ſanctiſſima matrona ei quandoque ferventer oranti apparuit, inſigni ornatu prædita, ducens ſecum honorifice totam ſobolem ſuam, puta tres eximias filias ſuas, & earum filios cum primis generoſos: e quibus prima fuit beatiſſima Chriſti parens Regina cœlorum, & Domina Angelorum, creaturarumque omnium, manu-tenens dulciſſimum filium ſuum mundi Redemptorem Chriſtum Jeſum; Altera fuit Maria Jacobi, ſecum ducens quatuor illos filios, Jacobum minorem, Simonem, Judam, & Joſeph juſtum: Tertia Maria Salome habens apud ſe duos clariſſimos filios Jacobum majorem, & Joannem Evangeliſtam: Ait autem ad Coletam beatiſſima Anna: *Etſi ego tribus nupſi viris * attamen & triumphans, & militans Eccleſia ex mea progenie maximis eſt aucta ornamentis*. Poſt hanc apparitionem Coleta ſingularem concepit animi devotionem erga ſanctam Annam, rogabatque eam, ut pro excellenti gratia ſua pro ipſa intercederet cum Sanctis omnibus, adeſſetque ipſi in inchoata reformatione, quo ad optatum poſſet eam exitum perducere. Atque ut huic ejus apparitiooi gratam ſe declararet, in quibuſdam Monaſteriis ſuis ex ingenti devotione Templa in ejus honorem extruxit; maxime vero in Cœnobio Biſuntinenſi, quod ei Pontifex contulerat, præclarum ſacellum ei condidit, in quo multi tumulati ſunt ſpeciales amici ejus,

** Alii contendunt fuiſſe univiram. in appar. ad Annal. Eccleſ.*

Præcipua ejus ſtudia & exercitia.

XXV. Præcipua ejus occupatio per omnem vitam maxime verſabatur in fervente landando, honorando, & obſecrando Deo. Semper enim ubicumque eſſet, aut mente, aut opere precabatur, animum ſuum ad Deum erigens, aut certe quidpiam boni operis efficiens. Inter alia Dei chariſmata

Zelus erga Dei cultum.

etiam illud animo ejus impreſſum fuit, ut ferventi deſiderio cuperet accurate perſolvi ea, quæ ad Dei cultum pertinent, divinaque officia puro corde, & cum tremore & reverentia peragi. Nec ſinebat ullam Sanctimonialem a divi-

divinis abesse officiis; imo etiam priusquam illa inchoarentur, adesse volebat omnes, ut suas præpararent animas, quo possent Deo gratum exhibere ministerium. Quod si aliqua ex illis animo in aliam infenso, aut commoto esset, volebat eam prius illi reconciliari, humiliter petendo veniam. Quamvis autem ipsa supra modum gravata esset doloribus perpetuis, qui eam facile excusarent, si nollet divinis interesse laudibus, at nihilominus voluit die ac nocte semper, & prima adesse, & postrema recedere, donec coacta est divinitus aliter se comparare, propter dolores pene intolerabiles, qui tamen si remissiores fierent, rursus hilariter, & alacriter properabat ad communem Dei cultum, ac si numquam eos sensisset cruciatus. Visus est crebro a Sororibus agnellus quidam elegans expectare eam ad nocturnas preces ituram in sede illa, in qua ipsa residere solebat. In ipsis autem divinis officiis studebat corde, corpore, totisque viribus gratum Deo offerre servitium, vocem cum cordis jubilo exaltans, ita ut præ aliis suaviter & mirabiliter concinens audiretur.

XXVI. In reformationis initio non parum perplexa fuit, quemadmodum persolvendum esset officium: continebat enim regula, a Sororibus non cantando, sed legendo id persolvi debere: Consuluit igitur ea de re Confessarium suum Henricum de Balma, & cum multum inter se contulissent, ambo statuerunt ad preces recurrere. Illis igitur orantibus, subito audita est in medio illorum vox quædam valde grata, modulata & musica, & quasi prorsus Angelica. Ex ea igitur modulatione, quæ suaviter & tractim fiebat, constituerunt modum, quo Sorores Dei cultum peragerent. Accidit quandoque, manente illa in quodam Monasterio, grassari illic pestem, & multas auferre Sorores, pleraque diu manere male affecta valetudine. Cum autem etiam ipsa non mediocriter laboraret ex morbo, non tamen a divinis se voluit laudibus subducere, nec propter Sororum paucitatem aliquid de illis diminui, sed cum duabus, aut tribus Sororibus preces omnes Canonicas ipsa persolvebat integre, solemniter & devote. Ubi sane verisimilis non deerat conjectura Angelicos spiritus ei venisse subsidio, ut audientium devotio & admiratio augeretur. Numquam illa, quod sane admirabile est, in divinis persolvendis officiis ullum vel tædium, vel laborem sensit, imo quanto ea prolixiora essent, tanto gratiora quoque erant. Quod si aliquando aliquam sentiret desolationem, mox inchoato officio confortabatur, & tranquillabatur, psallens suaviter in fervore spiritus, perinde ac si faciem summi Regis coram intueretur. Visa est tum plerumque facies ejus luculenta & splendida, ita ut non raro Sororum oculi sic perstringerentur eo splendore, ut in eam intendere non possent. Cum autem immodicis doloribus adeo occuparetur, ut divinis non posset adesse ministeriis, suspirans suaviter exclamabat: O *beatas illas, quæ possunt jugiter divinis interesse laudibus*! plusque dolebat quod ab illis cogeretur abesse, quam quod gravissimos sentiret dolores.

Monetur divinitus officium cantare.

XXVII. Cum aliquando visitaret Monasterium quoddam, offendit illic Sanctimonialem, quæ propter gravem morbum annis octo a divinis officiis abfuerat, non absque multo animi dolore: ei ad se accitæ comiter ait: *Quid est dulcissima filia, quod tam longo tempore abes a laudibus Dei?* Respondit illa, *nihil, mea mater, illic vel dicere, vel facere possum, morbo impedita*. Tum Coleta, *abi*, inquit, *hac nocte in Christi nomine ad preces nocturnas, & fac ibi pro viribus*. Fecit ea sic, & ecce vocem sensit sibi restitutam longe meliorem, quam unquam habuisset antea, cecinitque non minus bene, vel etiam melius, quam aliæ incolumes. Porro præter preces Canonicas quo-

Infirmæ restituit in choro vires, & vocem.

Preces ejus quotidianæ. quotidie legebat omnes orationes Dominicas, quibus laicæ Sorores divinum persolvunt officium, tum quoque preces horarias sanctæ Crucis, & duplices defunctorum, ut vocant vigilias, ut plurimum novem lectionum, interdum trium. Signa illa Dominicæ orationis habebat carissima, eaque nocte ac die circumferens, absque numero preces ad illa recitabat. Inter eas autem preces, quæ tum ore, tum mente funduntur, singulariter eam afficiebant Psalterium, & septem Psalmi cum Litaniis, quæ a juventute usque in senectam numquam ob quascumque etiam occupationes, dicere prætermisit. Absoluto autem Psalterio, flexis genibus, humiliter & reverenter munus illud exiguum Deo offerebat, orans instanter, ut gratum illud haberet.

Ei satan perturbat. XXVIII. Valde autem infestus erat ei Dæmon dicenti Psalterium: nam sæpe noctibus extinguebat candelam, effundebat oleum. Accidit quodam tempore ut identidem Dæmon extingueret lampadem, & illa rursus eam accenderet: tamdem igitur ut eam perturbaret importunissimus Satan, effudit oleum in codicem unde legebat Psalterium, quæ res non parum eam afflixit, tum quod codex esset perditus, tum quod necdum complesset preces. Altera luce tradidit codicem Confessario suo, conquesta ei quid accidisset, sciscitansque num qua ratione posset reparari. At Confessarius acceptum librum comperit ex Dei munere penitus illæsum: quæ res maximam Coletæ consolationem attulit. Alio tempore cum absolutum Psalterium vellet suo more offerre Deo, duo teterrimi & immanissimi dœmones horrenda specie apparuerunt ei, suis terriculamentis impedire volentes, ne offerret munus suum Domino. Illa vero fidenter se communiens Crucis signo, obtulit Deo psalterium; & vilissimi dœmones confestim evanuerunt.

Litanias recitat frequenter. XXIX. In omnibus rebus duris & adversis, in negotiis arduis, semper confugiendum censebat ad preces humiles, dicebatque tum per seipsam, tum per Sorores Litanias, quibus fidebat plurimum, & singulari devotione afficiebatur. Ea enim tempestate, qua in Franciæ regno tot sæviebant bellorum tumultus, ut vix quisquam auderet extra loca munita progredi, tametsi illa pro conditione sexus multum meticulosa fuit; attamen constituit pro Dei amore,& animarum salute per longinquas proficisci regiones; utque id tutius posset, quotidie audire Missam & Litanias recitare solebat. Itaque simul atque ingressa est iter, Litanias dicere cœpit, & Dei benignitate, Sanctorumque, qui illic invocantur meritis, evasit pericula omnia, in quibus multa fuerunt sane horrenda. Proficiscens enim aliquando cum multis Sororibus per regionem, cujus idioma ignorabat, ubi pervenit ad nemus quoddam latrociniis infestissimum, obviam venerunt homines truculenti, arcubus, & sagittis instructi, rebusque omnibus spoliare volebant. Curribus enim propter itineris prolixitatem, & viarum asperitatem vehebantur; quæ res quidem non vulgarem apparatum præ se ferre videbatur. Illi ergo viri crudeles in verba prorsus barbara & inhonesta cœpere prorumpere, ad mala omnia parati. Coleta tum compleverat Litanias, & ex Dei gratia intellexit quid dicerent (poterat enim cum Apostolis quævis capere idiomata) respondítque placide ac prudenter. Illi mox ejus audita voce mutati mirabiliter, non solum ei, & comitibus pepercerunt, sed etiam promptos se obtulerunt ad secure deducendas quocumque vellent iter intendere. Coleta gratias egit, & illi sine ullo maleficio recesserunt.

Nec sine lucro.

Paratum evadit periculum. XXX. Alio tempore cum duceret Moniales aliquot ad novum Monasterium, & ad locum quemdam periculosum venisset, sentiens in spiritu se in discrimine versari, monuit Sorores, ut Litanias promerent. Quidam

vero

vero nobilis, sævus, & immanis, sancta Coletæ opera, & conatus magnis viribus impedire cupiens, per ministros suos iter diu explorari jussit. Illi vero Coletam & comites curaverunt illic detinendas, donec nobilis ille cum suis adveniret. Is ubi venit, evomuit confestim e cœnoso pectore lutulenta & turpia verba. Ei autem humiliter & religiose Coleta respondit: & ecce equi malignorum hominum manserunt immoti, nec ad currum propius accedere potuerunt, quamvis possent facile retrocedere.

XXXI. Alias revertens illa a quibusdam Monasteriis novis, in quæ Moniales introduxerat, cum se putaret tutiori itinere ingredi, in longe crudeliores & deteriores incidit, qui jam ita prope aderant, ut currum ejus facile possent inspicere: ex iis sceleratiores quidam alios præcesserunt, ut eam rebus omnibus spoliarent. Illa spiritu id cognoscens, subito ad Litanias se confert: mox scelesti illi incredibili acti timore, propere ad suos se recipiunt, haudquaquam ad eam redituri. Visitatura quandoque Monasteria sua per eas regiones proficisci cogebatur, in quibus tunc ingens erat armatorum militum strepitus. Sentiens se non sine multo discrimine id facturam, jubet dici Litanias: paulo post occurrunt procacissimi milites, qui petulantissime minabantur, se quosdam ex comitibus ejus jugulaturos, aliis aures præcisuros, ab aliis equos, & ceteras res ablaturos. At Coleta plane confidens Deo & Sanctis, quos invocabat, jussit comites suos præcedere; mansit sola cum Sororibus, libenter oppetitura mortem, ut alii evaderent. Et ecce tantam ei Dominus contulit animi fortitudinem & constantiam, tantamque oris facundiam, ut non solum nihil mali ei, vel Sororibus illi nequam homines inferrent, sed etiam veniam ab ea peterent, ablatosque equos, & alia integre restituerent. Attamen Deus justus judex, qui non finit impune abire, si quis vexet fideles amicos, ita in eos animadvertit, ut intra octo dies, ob quædam perpetrata maleficia, in patibulo suspenderentur, palam confitentes, se vel maxime angi animis, præcipueque dolere, quod molestiam illam ancillæ Christi attulissent, seque existimare illa causa se sic divinitus puniri.

Item aliud.

Et tertium.

XXXII. Mansit quandoque in quodam Monasterio suo, quod erat situm in pago quodam regni Franciæ. Illum pagum crebro viri militares multa vi, & forti manu clam capere moliebantur. Coleta spiritu id cognoscens, ad Litanias se conferebat: quibus inchoatis, videbatur illis militibus alios ipsis fortissime occurrere pro tuendo pago. Itaque fuga sibi consulentes, meritis Coletæ repulsi, nihil pago nocere potuerunt. Et est sane hodieque illo in loco fama celebris, incolumitatem & conservationem pagi illius a Coletæ meritis proficisci.

Pagum a militũ injuria defendit.

XXXIII. Solebat autem illa post oris preces, etiam ad eas quæ mente fiunt se conferre; atque ita ex precibus magnam capiebat consolationem: ajebatque, sine precibus neminem posse proficere; atque ea causa hortabatur Sorores ad perpetuæ orationis studium. Porro in mentalibus orationibus, quibus crebro utebatur, curas omnes supervacaneas abigebat, omnesque sensus & vires corporis ac naturæ colligebat, ut perfecte cogitaret de Deo, & affectu ardentissimo preces illi offerret, ita ut tota raperetur in illum, nihil corpore sentiens, perinde ut mortua, nec percipiens quidquam eorum, quæ tum extrinsecus circa illam gerebantur: & sic nonnumquam permansit sex horis, interdum decem vel duodecim. Tamdem ad se reversa brevi spatio sic se fuisse putabat, tametsi interdum tota die perdurarit, sæpissime etiam majori noctis parte. Somnus autem ejus incredibilis parcitatis fuit; sic ut aliquoties octo diebus vix una dormierit hora. Postquam enim Psal-

Mentalis ei frequens oratio.

Crebra & longa extasis.

Mira somni parcitas.

terium, & preces Canonicas absolverat, reliquum tempus in preces mentales conferebat. In itinere ad hospitia veniens, ceteris corpora quieti dantibus, vigilabat plorans & gemens, Deumque ferventer orans, somno contempto.

XXXIV. Quantæ autem efficaciæ fuerint preces ejus, Deus quibusdam Sororibus evidentibus signis declaravit. Videre enim illæ sibi videbantur facem igneam ex ejus procedentem ore, plane luculentam, adeoque sursum tendentem, ut cœlos contingere videretur. Nonnumquam illa ferventissime orante, videbatur eis oratorium illius ceu flammis incensum ardere. Si quis autem propius accessisset ignem illum extincturus, repente disparebat; quandoque semel repertum est velum ejus exustum, licet nullus ibi fuisset ignis. Quædam ex illis Soror aliquando imprudens intravit in ejus dormitorium, illa Dominum ardenter orante, viditque tanta eam nitere pulchritudine & splendore, ut velut exanimis statim humi collaberetur. Eam videns Coleta in eo versari discrimine, accessit & cum objurgasset quod ausa fuisset eo ingredi, mox consolatione refovit & recreavit, ita ut vires recuperaret suas. Soror Coleta de Plano Cubito, sic vocabatur, quandoque ferventer orans, vidit magnum Solem totum illustrantem oratorium, ab ejus ore prodeuntem. Sæpe etiam in precibus ferventissimis spiritu in Deum sublevato, visa est a Sororibus etiam corpore tam sublimiter evecta in aera, ut penitus videre eam non possent. Sed & ipsa certas ob causas compulsa a Deo, fatebatur, se non raro sub precibus in tantum fuisse corpore sublatam, ut sibi videretur cœlum posse tangere, si manus extendere voluisset.

Ardens oratio.

Sæpe in altum elata.

XXXV. Præcipue vero Deum deprecari solebat pro miseris peccatoribus, ut illos ad se converteret. Porro inter multas revelationes, quas divinitus habuit Pater celeberrimus, professione Dominicanus, Magister Vincentius, * etiam illa fuit, qua Coletam vidit in spiritu genua flectentem humiliter, & ferventer rogantem Deum pro peccatis miserrimæ plebis suæ. Cui ille sic respondere videbatur: *Quid me vis facere filia? Ego quotidianis illorum injuriis & contumeliis afficior: quotidie illi me lacerant & discerpunt, contemnentes præcepta mea, meque blasphemantes & abnegantes.* Propter hanc visionem idem egregius Doctor ex Hispaniia venit in Gallias, ut Coletam inviseret: cumque inter se colloquerentur, multis sunt affecti divinis consolationibus. Alio tempore orante ferventer Coleta beatissimam Dei Genitricem, ut apud filium suum pro miserrimo populo Christiano intercederet, oblatus ei fuit discus quidam plenus particulis carnis, tamquam infantis in frusta concisi, dictumque est illi: *Quo pacto ego deprecabor filium meum pro his, qui quotidie peccatis & horrendis sceleribus suis, quantum quidem in eis est, etiam in minores cum discindunt & dilaniant particulas, quam hæ sint, quas cernis.*

Orat pro peccatoribus.

** B. Vincentius Ferrer.*

XXXVI. Quantum vero preces ejus permultis profuerint, ex iis quæ dicturi sumus, licebit intelligi. In pago quodam Avernensi, vir cum uxore fuit vitæ execrabilis; uterque igitur ob flagitia sua suspendi jussum est, etsi vero omnes fere dicerent dignos esse, qui sic perirent; at nihilominus multi illorum dolebant vicem, maxime quod viderentur recta proficisci in Tartarum; quod satis ostenderent, se neque Deum, neque peccata sua agnoscere, nec ullis adhortationibus eo posse adduci, ut agnoscerent. Vomebant enim ex impiis pectoribus verba detestanda, prorsusque satanica, quæ nihil aliud, quam æternas gehennæ flammas mererentur. Vidit hoc horrendum spectaculum quidam sanctus Eremita, qui ex devotione Coletam in-

Non sine fructu.

inviserat, hominumque miserrimorum ex animo misertus, flexis genibus rogavit carnifices, ut differrent suspendium, donec ipse rediret. Annuerunt illi, abiit ille ad Coletam, commendavit ei deploratos & perditos homines; mox ea, sublatis in cœlum manibus, cum lacrymis, dicere cœpit psalmum *Miserere mei Deus*; necdum finierat, & ecce concipiunt illi cœci mirabilem Dei notitiam, agnoscunt immania maleficia sua; valde se peccasse dolent, fatentur illo se supplicio dignos, patientissimeque morte se affici sustinent, ita ut illi qui aderant, plurimum inde ædificationis, magnamque salutis suæ spem conciperent.

XXXVII. Fœmina quædam religiosa bonæ vitæ, & sanctæ conversationis, enormia quædam peccata commiserat, quæ summopere quidem cupiebat dicere in confessione; sed cum ventum esset ad Sacerdotem, impurissimus Satan tantam ei ingerebat verecundiam, ut dicere ea non auderet: duravit hoc annos sex; & interim illa vivebat in summo animi dolore & afflictione. Tamdem ferventer petiit se commendari precibus Coletæ virginis; quod cum fecisset, mox abiit ad Confessarium, calcatoque rubore, integre confessa est peccata sua, multumque inde percepit conscientiæ suæ levamen & consolationem. *Perfectam impetrat confessioné peccata celanti.*

XXXVIII. Cum in reformationis exordio Coleta in Castro Balmensi maneret, in pago illo domus cujusdam nobilis erat, eujus habitatores liberaliter & se, & res suas impertiebant Coletæ, & ejus professionis hominibus, ita ut non immerito illa quoque in suis precibus specialiter haberet commendatos. Sed maligni & teterrimi Dæmones mutuam illam caritatem molestissime ferentes, multas illi domui persecutiones excitarunt, damnaque gravissima intulerunt. Sed meritis & precibus Coletæ servati sunt amici illi, & eorum ædes atque facultates, ne quid incommodi eis accideret. Visi enim sunt Angeli e cœlis descendere, ut eos a periculis tuerentur & resisterent hostibus sævissima malignitate nocere nitentibus. Vidit Coleta circa noctis medium domum illam cingi luce clarissima, & in ea luce clarissima permultos Angelos habitatores ejus adversus omnes satanicas infestationes servantes, atque defendentes. Vidit porro etiam scalam auream, ab illa domo usque in cœlum se porrigentem, Angelos per eam descendentes & ascendentes. Deoque preces Coletæ offerentes, tum quoque egregias eleemosynas, aliaque caritatis officia & beneficia hominum illorum, pro quibus ipsa orabat, quæ ab illis quotidie in Coletam, & Sorores conferebantur. Vocavit autem Coleta unam ex Sororibus, eique indicavit visionem & claritatem illam; sed ea videre non potuit, donec pro illa Coleta rogaret. *Benefactores a malis liberat.*

XXXIX. In Monasterio Poliniacensi, initio quidem Sanctimoniales magna premebantur aquæ penuria, cogebanturque eam aliunde inferre, quod nullus esset in Monasterio locus fodiendo puteo opportunus. Itaque sexta feria post Dominicam *Lætare*, qua recitatur Evangelium de muliere Samaritana, a qua Christus apud puteum sedens aquam petiit, Coleta, post fusas ad Dominum preces, jussit humum certo quodam loco fodi. Id cum factum esset, prodiit mox aqua optima, qua non erat alia melior in tota illa regione. *Aquam suo Monasterio impetrat.*

XL. In quodam Albigensi pago juvencula juncta viro, vita erat honesta satis & integra, pepereratque marito filium. At permittente Deo, adeo fuit mente capta, ut neque Deum, neque creaturas ullas, neque proprium filiolum agnosceret; citraque ullam verecundiam nuda incederet, & non nisi satanica verba proferret. Eam Sacerdos quidam venerabilis, commisera- *Insanę mentem.*

tione permotus, commendavit precibus Coletæ, ac deinde reversus ab ea, denuo hanc miseram studio humanitatis invisit, ejusque caput quodam Coletæ velo tetigit. Tum illa loqui cœpit verba rationi consentanea, ante omnia petens, sibi copiam fieri confitendi peccata sua, celerrimeque plene restituta est.

Mercatorem liberat a præcipitio.

XLI. Mercator quidam celebris iter suscepturus valde periculosum, obnixe commendavit se Coletæ precibus; deinde dans se itineri per densissimas nives, aquasque agros operientes ingrediebatur, penitus ignorans ubinam esset. Nocte autem incidit in locum, ubi si paululum processisset, haud dubie in præsentissimum mortis discrimen se conjecisset. Ibi recordatus piissimæ matris Coletæ, iterum se commendavit precibus ejus; erat enim illic abyssus profundissima. Et ecce statim videt Coletam adesse, manuque indicare, ut retrocedat; quod cum fecisset, cognovit se Coletæ meritis & precibus mortem evasisse.

Puellam suo Monasterio facit restitui.

XLII. Vir quidam magni nominis, Coletæ familiariter notus, filiam habuit unice caram, quam volebat Monasticæ vitæ tradere, Deo illic servituram. Obtulit ergo eam Coletæ, quæ libenter eam accepit, utpote bene constitutam & aptam ad eam vitam consectandam. Sed paulo post dolens vir ille, se filiam suam Coletæ tradidisse, eamque perditam existimans, acriter & severe repetiit. Doluit non mediocriter Coleta sic auferri sibi puellam; sed ad preces confugiens, Deo gemitus & lacrymas obtulit. Jam vero pater puellæ, ut ab ejus animo omnem Monasticæ vitæ memoriam aboleret, in longinquam ducebat regionem, sed cum jam forte medium absolvisset iter, ter equus corruit, cui insidebat puella; & in ipso tertio casu utroque orbatus est oculo. Id cernens puellæ pater, ad se rediit, agnoscensque culpam suam, venit ad Coletam matrem, veniam petiit, puellam ut ad se reciperet obsecravit. Id vero libenter præstitit.

Succurrit heroinæ ut fieret Monialis.

XLIII. Comitissa Valentinensis præpotens domina, diu multumque desideravit Monasticam sanctæ Claræ vitam, sive regulam profiteri. Ut autem vires exploraret suas, possent ne illi Instituto pares esse, aliquoto tempore dure & aspere vixit. Tamdem humiliter petiit a Coleta, ut ipsam admitteret inter suas. Assentit Coleta, præfigit certum diem, ad quem ejus desiderio velit satisfacere. Sentiens interim draco pestifer, omnis boni hostis Diabolus, eum appropinquare diem, evidens objecit impedimentum. Adeo enim equi omnes subito debilitati sunt, ut nullo pacto a terra surgere posse viderentur. Id vero dolorem non mediocrem attulit Comitissæ illi; quippe cui non occurreret remedium ullum, quod posset huic malo adhiberi. Statuit autem & se, & rem totam commendare Coletæ precibus: quod ubi fecit, mox adfuit mira consolatio: equi enim omnes ad iter valde expediti reperti sunt. Tum illa mirifice exhilarata profecta est, & propositum suum perduxit ad effectum. Coleta autem recepit eam in suam Sodalitatem propensissima animi devotione, & illa sane perseveravit in suscepto illo vitæ Instituto ad mortem usque, Deo cum multa perfectione serviens.

Christi passioni contemplandæ intenta.

XLIV. Dicturi jam sumus quam ferventi devotione & amore Christi passionem Coleta prosecuta sit. Cœpit id ætate adhuc tenera, a matre sua sic instituta, quæ profecto & timebat & amabat Deum, quotidieque cum lacrymis & gemitibus dicebat precem de Salvatoris passione, multum condolens injuriis & pœnis, quas ille pro humani generis redemptione libentissime toleravit. Eam autem precem Coleta puella diligenter attendens, adeo totam memoriæ commendavit, ut deinceps numquam ejus potuerit oblivisci. Itaque quotidie hora meridiana, qua Christus cruci affixus est, an-

angores cordis sentiebat vehementissimos cum Christo acerbissime patiente, utque eos secretius & devotius perferret, libenter ea hora ab aliis se subducebat hominibus, atque ita sola manens, omnes animi vires intendebat ad cogitandas injurias, persecutiones, convicia, opprobria, horrendam & ignominiosam mortem, quæ Christus desiderio salutis nostræ patienter & cupide perpessus est. Porro in ejusmodi meditationibus sæpissime extra se rapiebatur, & in Deum transformabatur ardentissimo desiderio & amore, præcipue tamen sextis feriis, ab hora sexta matutina usque ad horam sextam vespertinam, prius mane audita Missa, nihil interim manducans aut bibens. Tam erat ferventer & efficaciter Dominicæ commemorandæ passioni intenta, ut sæpenumero præ doloris vehementia, in manibus, pedibus & latere suo sibi revera videretur clavis & lancea confixa.

XLV. Ecquis vero pro dignitate possit explicare imbres lacrymarum, anxios gemitus, quibus occupabatur illa tota hebdomada, quam sanctam vocamus? Quis satis commemoret dolores acerbissimos ac vehementissimos, quos tunc illa perferebat? In ipsa enim ejus virtutum studiosa juventute specialis quædam ei collata erat gratia circa Domini passionem. Cum enim aliquando ferventer & profunde eam meditata fuisset, Christus ei apparuit, indicavitque familiariter modum quo passus esset, & ut in singulis membris suis singulares pertulerit cruciatus, humanæ salutis amore. Inde vero Coleta vehementissimum quemdam concepit cordis dolorem & angustiam, ac nihilominus ardore quodam amoris & devotionis erga Christi passionem in tantum incensa fuit, ut sæpe reminiscens hujus visionis & crudelium pœnarum, quibus affectum viderat corpus innocentissimi Salvatoris, plane destitueretur viribus, nihilque prorsus exterius sentiret in statum alium transformata. Atque ita in sancta hebdomada multa ei divinitus præstabantur sane memorabilia. Cum enim recitabantur passiones Christi in Missis coram ipsa, ut fieri solet, dolores quos passus est Dominus in corpore suo, adeo renovabantur in corde & corpore illius, ut numquam sic visa fuerit mulier laborare parturiendo, quantum ipsa videbatur condolendo. Cujus rei id evidens documentum fuit, quod horis illis incredibili animi angore lamentabatur, fundebatque lacrymas & gemitus ineffabiles, ut nemo, quamvis ferreo pectore, si id vidisset, pietate & commiseratione potuerit non permoveri & emolliri. Fuit antem non brevi tempore jugiter sic caritatis inflammata ardore, & intimo confecta animi dolore erga passionem Christi, sive legendo, sive quovis alio modo ea illi reducta esset in memoriam, ut toto intellectu, & cunctis viribus illa in contemplanda occupatis, interdum sex, aut eo amplius horis nihil neque cogitaret aliud, neque exterius sentiret.

Christus ei revelat suos cruciatus.

XLVI. Manens aliquando in Monasterio Bisuntiensi in sancta hebdomada, tam se totam applicuit ad commemorandam Christi Passionem, ut toto triduo, nocte ac die in extasi permanserit, nihil interim neque loquens, neque comedens, neque bibens. Alio tempore in sacra Parasceve, ab hora illa noctis, qua cantantur Matutinæ, ut vocant, ad eam usque, qua Sorores e domo Capitulari revertebantur, tam attente versata est in meditandis Christi cruciamentis, ut gravissimis affecta pœnis, etiam in corpore, Sororibus ei obviam venientibus stuporem afferret. Adeo enim facies ejus videbatur fustibus cœsa, ut nihil in ea nisi pellis, & ossa fracta & comminuta, nasusque complicatus cerneretur. Attamen iis ipsis inspectantibus, paulatim pristina ei forma restituebatur. Verita autem illa ne quid fortassis in ipsa Sorores animadvertissent, ocyus ad Oratorium redit, moxque rapta in spi-

Eos in se experitur.

ſpiritu, ſic ad noctem uſque permanſit. Dominica Palmarum aliquando cum multa humilitate & devotione, in proceſſione quæ tum fit cum ramis, incedens, ac ſtudioſiſſime cogitans Chriſti illum in Hieruſalem adventum, quem illa proceſſio repræſentat, adeo ſibi videbatur Chriſto etiam corpore propinqua, ut tangeret illum, itemque aſinum cui inſidebat, qui ramum illum ex ejus manibus morſu abſtulit, nec unquam poſtea ramus ille viſus, aut repertus eſt.

Afficitur erga loca ſancta, & reliquias.

XLVII. Loca ſancta, quæ Chriſtus ſua præſentia, olim in terris degens, mirifice ſacravit & ornavit, cum multa reverentia & devotione habebat impreſſa cordi ſuo: ſpeciatim vero locum & urbem, in qua paſſus eſt. Et quamvis corpore debilis & tenera eſſet, multaque in mari occurrerent pericula, attamen ſummo ardebat deſiderio arripiendi iter illud, locaque illa devote viſitandi: atque illic moriendi propter Deum: & certe eo profecta fuiſſet, ſi id ei permiſſum eſſet. Inter alias autem reliquias, quæ ſancta Eccleſia ita, ut par eſt, veneratur, ſingulari reverentia proſequebatur lignum ſanctæ Crucis, ad quam Chriſtus affigi voluit: cupiebatque vehementiſſime

Accipit cœlitus particulam ſanctæ Crucis.

particulam aliquam ejus Crucis ſibi præberi. Itaque ne ſuo fraudaretur deſiderio, cœlitus ei miſſa fuit crux aurea, ſed parva, cui incluſa fuit portio quædam veræ Crucis Chriſti, quam illa devote & reverenter ſervavit, multique eam viderunt, & manibus tenuerunt. Aſſerebat autem Coleta pro certo Crucem illam auream humano opere minime confectam. Sicut autem veram Chriſti Crucem piiſſime venerabatur & colebat, ita etiam erga ejus

Signo Crucis multa patrat miracula.

ſignum peculiari animi devotione afficiebatur: cujus etiam virtute ſigni, meritis ejus plurima Dominus patravit miracula, e quibus nonnulla hic ſubjiciemus. In exordio enim ejus, quam ſæpe diximus, reformationis, permulti parvuli ei oblati fuere, diverſis afflicti morbis; conabanturque parentes, vel amici eorum obſcuris quibuſdam & Coletæ ignotis modis eam permovere, ut manibus illos tangeret, & ſignum Crucis in eos exprimeret, quod cum illa feciſſet, curabantur.

Curat dolorem capitis.

XLVIII. In Monaſterio quodam Coletano quædam Soror tanto vexabatur capitis dolore, ut ſe putaret morituram. Adiit ergo Coletam matrem, explicavit ei moleſtiam ſuam, petiit ſuo capiti imprimi ſignum Crucis. Illa valde dolens vicem ejus, fecit ut petiit Soror; & ecce fugit morbus,

Profundũ trajicit flumẽ abſque cymba.

& Soror fit omnino ſana & incolumis. Abiit quandoque Coleta ad expedienda quædam negotia Religionis ſuæ: venit cum paucis comitibus ad ripam cujuſdam profundi fluminis, ubi cum nulla eſſet navis, nautæ nulli, confidens illa divinæ bonitati, ſignum Crucis edidit, Confeſſarium ſuum rogans, ut idem faceret: deinde ſecure tentavit periculoſum iter ingredi, idque cum omnibus ſuis partim peditibus, partim equitibus, ſine periculo confecit. Paulo poſt multi equites robuſtis freti equis eodem loco flumen tranſmeare volentes, petulanter dicebant: *Si Begardi, & hypocritæ illi tranſivere ſecuri, quid nos tranſire dubitamus?* Ingreſſi igitur flumen confidenter, miſere ſubmerſi perierunt.

Rem caram in foveam lapſam mirabiliter extrahit.

XLIX. Aliquando proficiſcente Coleta a quodam Monaſterio ad aliud, currus ejus prolapſus eſt in profundam foveam, aquis plenam. Habuit tunc Soror quædam ex comitibus ejus partem quamdam unicornis Coletæ caram; ea quoque lapſa fuit in foveam illam: non parum autem ea re perturbata Soror, commiſit ſe animo precibus Coletæ, editoque fidenter ſigno Crucis, in foveam illam abſque ullo adminiculo, dempto ramuſculo quodam, qui inſtar palmitis tener erat, ſubmiſit ſe in foveam, quæſivit particulam unicornis, reperit natantem in mediis aquis, extraxit & reportavit, ni-

nihil penitus madefacta, nisi modice admodum in ipsa planta pedis.

L. Erat in quodam Monasterio Soror quædam vita honesta, fama laudabili, quæ, Deo permittente, quinqnennio laboravit morbo comitiali, quotidie ut minimum semel humi corruens, multamque ab ore spumam instar apri venatione exagitati egerens; deinde instar dœmoniacæ, rabie quadam insaniens. Ligabant illam quidem, & fortiter detinebant homines fortes, at illa invitis iis, exiliebat turpiter usque ad trabes, ab ore vomens calorem teterrimum fornacis instar, itemque ventum validum tamquam fulguris, sicque diu permanebat, non absque multa aliarum Sororum molestia, ignorantium quid remedii adhiberent. Tamdem recordatæ virtutum Coletæ matris, ejus precibus obnixe illam commendarunt. Illa misit ad eam quemdam Confessarium suum, qui fidens Coletæ meritis, signo Crucis munivit eam, eaque repente omnino convaluit.

Liberat Sororem morbo comitiali.

LI. Soror Joanna de Lasarre diros patiebatur in manu dolores, nesciens vero quid ageret, tamdem constituit se ad Coletam matrem conferre, eamque rogare ut tam male affectæ manui signum Crucis imprimeret. Venit igitur ad eam: Coleta id fert indigne, dolens, & mœrens tale quippiam a se exigi, repellit manum ægrotam, eam extrinsecus tantum sua tangens manu. Et tamen tali contactu quasi ab indignante exhibito, ægra illa incolumis subito evasit. Alia quædam Soror triduo nihil fere neque cibi, neque potus sumpsit, graviter laborans morbo quodam. Ejus recordata Coleta, rogabat Sorores, num valeret? Respondentibus illis misere eam vexari, & existimari propediem morituram; Coleta sumpto pane rudi, signo Crucis eum communiit, mittensque ægrotæ, jussit ut eum quamprimum ederet: fecit illa sic, & postridie sana exiit e valetudinario.

Aliam a dolore manus.

Moribundam sanat.

LII. Morabatur Coleta in Monasterio quodam, quod erat in regione vini & frumenti inopia laborante: cumque non nisi parum in Monasterio esset vini, ejusque valde mali, ita ut nauseam afferret gustantibus, jussit Coleta parum ejus vini in vasculo sibi apportari: & cum signum Crucis desuper fecisset, fœtor omnis & corruptio abiit, non solum e vase ipsi oblato, sed etiam ex dolio unde illud impletum fuerat; ita ut quotiescumque vinum inde promeretur ad Sorores reficiendas, ante illam benedictionem male oleret & insipidum esset, post eam vero vi signi sanctæ Crucis, & gratum odorem & suavem gustantibus gustum præberet. Data aliquando fuit Coletæ elegans quædam, sed parva tabula eburnea, quam ipsa valde diligebat, propter pias imagines passi Salvatoris in illa expressas. Accidit autem ut maligni Dœmonis opera frangeretur; id cum illa conquereretur suo Confessario, consolaturus respondit se curaturum nt redintegraretur: atque ut id fieret abiit cum tabula ad artificem quemdam ejus rei peritum: in ipsa autem via curiose volens intueri, cum prius signum Crucis fecisset, aperuit eam, & vidit prorsus integram & illæsam.

Corruptum vinum bonum efficit.

Fractam a Dœmone tabellam redintegrat.

LIII. Mira sane devotione, & ingenti reverentia afficiebatur erga præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum, neque id mirum: inde enim hauritur omnis contemplatio, in illo reperitur spiritualis consolatio, ibi suaviter sapit fervens meditatio, per illud donatur æterna beatitudo. Ita ubicumque esset, quotidie Missam sanctissimam, in qua Christi corpus consecratur, cum multis lacrymis devotissime audiebat; & ut eam majori animi devotione audiret, sæpenumero conscientiam suam humili confessione expurgabat. Cum autem ob res necessarias conficiendas extra Monasterium degeret, cum ceteris quidem publice eam audiebat, alias privatim & secrete neminem tum admittens præter sacrificantem, & ministrum qui sacrificio interesset,

Devota valde erga sacram Eucharistiam.

ſet, ne divinitus ei collata dona ſpecialia aliis forte innoteſcerent. Etſi autem publice cum multa pietate intereſſet ſacrificio, majori tamen affecta videbatur, cum privatim adeſſet. Cum autem ventum fuit ad ſacræ hoſtiæ elevationem, profundiſſima humilitate, ingentique tremore adorabat eam, ſeipſam deprimens & vilipendens, plorans & gemens, adeo ut prorſus in lacrymas reſoluta videretur: in ejuſmodi quoque clamores erumpens ab intimis cordis angoribus expreſſos, ut omnes mirabili commiſeratione ſimul & admiratione afficeret. De ipſius autem Sacramenti excellentia, virtute, ſublimitate, magnitudine, de Chriſti in eo præſentia, & de myſteriis ejus tam perſpicuam habuit notionem, ut qui aderant certo exiſtimarent Chriſtum ei revera apparere forma aliqua ipſi ſoli nota. Poſt hanc autem adorationem Euchariſtiæ ſæpiſſime permanſit divini amoris accenſa flammis, ſublata ſublimis in ſpiritu, Deoque perfecte conjuncta, ita ut ſibi videretur tota transformata in Deum, & ſupra naturam rapta, ſenſibus corporeis plane ceſſantibus ab officiis ſuis.

Noſcebat ſtatum ſacrificantis.

LIV. Non raro autem ſub hac Euchariſtiæ elevatione perſpicue cernebat conſcientiam ejus, qui faciebat ſacrificium, & quo in ſtatu ille eſſet. Attamen ne producerentur aliis dona Dei ipſi ſpecialiter collata, clam & prudenter indicabat ſacrificanti vitia ejus, ut ea corrigeret, prorſus reticens modum, quo ea ipſi innotuerant. Habuit autem hoc ex ſpeciali Dei gratia, ut quantumvis brevi ſpatio Euchariſtia ei oſtenderetur, nunquam hæſitare potuerit, quin illic verum eſſet Corpus Chriſti, planeque cognoſceret ejus magnitudinem, præſtantiam, & veram præſentiam; ſtatimque illud cum multis lacrymis & gemitibus adoraret. Fuit aliquando in Monaſterio ſito in ea regione, qua ſolent uſitatius album quam rubrum vinum ſacrificio adhibere: ibi tum ſacrificanti Sacerdoti obtulit miniſter aquam, putans eſſe vinum. Quando autem ventum eſt ad elevationem, corpus quidem Chriſti adoravit Coleta, ea qua ſolebat, humilitate, reverentia, lacrymarum & ſuſpiriorum copia. Cum autem calix elevaretur, noluit adorare, ſentiens in ſpiritu non eſſe ibi verum Chriſti ſanguinem.

Et Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus.

Cupiebat ſola ſacrum audire.

LV. Porro complures tum Religioſi, tum ſeculares ſummopere conati ſunt, aut ſaltem expetierunt, eſſe juxta, vel intra oratorium, ubi Miſſam illa audiebat, ut reipſa comperirent ferventem ejus, & humillimam Euchariſtiæ adorationem, audirentque ſuſpiria & clamores, quos Chriſto illic præſente edebat. Sed illa id permittere haudquaquam voluit, niſi vel admodum religioſi eſſent, vel ſibi valde familiares. Quod ſi aliqui clam latitaſſent in locis occultis, oratorio propinquis, non latebat ſpiritum ejus, Chriſto id ei revelante. Itaque de talibus mœrenti animo conquerebatur Patribus & Fratribus ſuis, quod non permitteretur pro ſui conſolatione adorare Dominum Deum ſuum, propter homines inſidioſe ipſius arcana ſcrutari volentes. Interrogata vero cur tam alta ederet ſuſpiria & ejulatus ſub elevatione? blanditer reſpondebat, ſe plerumque aliter facere non poſſe, etiamſi totus adeſſet mundus: ſentiebat enim immenſam majeſtatem, & potentiam Regis regum, cujus comparatione nihil eſt mundus univerſus. Attamen ſi intereſſet ſacrificio publico domi, vel foris, licet eodem modo affecta eſſet, Deo mirabiliter in hoc diſpenſante, non eam foris oſtendebat devotionem, quam ſolebat in privatis ſacrificiis.

Qualiter Euchariſtiam ſumebat.

LVI. Qua autem animi devotione Euchariſtiam ſumpſerit, neminem arbitror vel ſatis admirari poſſe; ſed & illi, qui ei miniſtrare ſolebant, pro dignitate id explicare vix poſſent. Nam tametſi multa ei ineſſet conſcientiæ puritas, gratiæ exuberans copia, & virtutes plurimæ; at nihilominus coram

hoc

hoc sanctissimo Sacramento alta voce clamans, seipsam, supra quam dici queat, dejiciebat: vilem, immundam, abominabilem, indignam quæ cum aliis, quantumvis etiam impiis, versaretur, dictitans, idque propter culpas innumeras, quas se in Dei bonitatem & majestatem perpetrasse fatebatur. Unde tanto cruciabatur dolore, adeoque sibi displicebat & lugebat, ut cor ejus scindi videretur, oculique instar fontium essent, non guttas, sed rivulos lacrymarum jugiter fundentes, quibus tota ipsa madefacta cernebatur, gemens & dolens, & anxia valde, perinde ut mulier dum parit, aut aliquis morti adjudicatus. Quæ res magnum sæpe stuporem & terrorem ingerebat iis qui aderant. Postquam autem Eucharistiam sumpsit, mox rapiebatur in Deum, manebatque immota & mortuæ non absimilis ad horas duodecim, nonnumquam decem, ut minimum sex, nihil interea sentiens intrinsecus. Ad se autem reversa, vultu erat prorsus Angelico, luculento, pulchro, amabili, cœlesti, & a terrenis omnibus abhorrente. Sermones vero erant suaves, profundi, cœlestes, perfectissimum Dei commendantes amorem, auditores ad Dei perfectam cognitionem invitantes, ad fervens bonorum spiritualium, & æternorum desiderium, ad mundi, & inconstantis, ac labilis vitæ hujus, omniumque vanitatum, & noxiarum cupiditatum contemptum incitantes. Porro quoties ardua, difficilia, & obscura negotia (id quoque sæpe accidit) occurrerent, ad hoc sanctissimum Sacramentum tota confugiebat, interdum quadraginta, nonnumquam triginta diebus continuis illud eo, quo diximus, modo percipiens; nec tamen omittens ea, quæ sunt supra memorata.

LVII. Si quid arduum & insigne Dominus per eam conficere vellet, & ipsa præ multa animi humilitate non auderet assentiri, tamen, ne præclare propterea de ea homines sentirent, putarentque in ea aliquid latere virtutis & gratiæ, Dominus per hoc præstantissimum Sacramentum compellebat eam facere, vel invitam. Neque enim prius deglutire potuit sacram hostiam, quam divinæ inspirationi pareret. Ea res nonnumquam eo adegit illam, ut cum assentire formidaret, nec tamen sacram hostiam deglutire posset, consilii capiendi causa suum adiret Confessarium: illo vero consulente ut Domino suam permitteret voluntatem, & illa id faciente, confestim hostia se degluttiendam permisit. Voluit quandoque solemni quodam die sacrosanctam Eucharistiam cum magna devotione percipere. Itaque dixit Confessario, ut pro ipsa hostiam consecraret: at ille vel non intelligens, vel non satis advertens quid diceret, non fecit sic. Etsi autem dubitaret de ejus voluntate, non tamen fuit ausus accedere, ne forte ejus sanctas preces interturbaret. Cum igitur ventum est ad horam sumendæ Eucharistiæ, sensit Confessarius eam more suo in fletus, & gemitus erumpere, ut solebat communicatura. Quamobrem non parum admirans cum se sciret non consecrasse pro ea hostiam, sentiebat magno id mysterio non vacare. Postea absolutis precibus, percunctatus est ex ea, quid sibi vellent lacrymæ & suspiria, quæ ipse audisset? Respondit illa humiliter, Dominum Jesum suis manibus ipsi pretiosissimum corpus suum obtulisse.

Miri in ea Eucharistiæ effectus.

Christus ei præbet corpus suum.

LVIII. Quandoquidem vitæ asperitas, & carnis mortificatio corpus purum & castum conservat, Coleta ab ipsa prima juventute, usque ad supremum vitæ tempus corpus suum cum Apostolo studuit *in servitutem spiritus redigere*, illudque valde duriter & aspere habuit, continuis illud jejuniis macerans, a pueritia ipsa semper abstinens a carnibus; nec ob quamlibet adversam valetudinem jejunium solvens, aut largius alimentum sibi impertiens. In tenera ætate scholas adiens, aut numquam, aut raro ante vesperam

Vitæ asperitas & jejunia.

1. Cor. 9. 27.

ram domum rediit, ne cogeretur suum frangere jejunium. Si quis in oppido, quo orta est, de ejus parco victu perquirere velit, Angelicam plane vitam eam duxisse comperiet. Stupeo ego ipse ad id, quod dicturus sum. Constat, eam exemplo Salvatoris quadraginta diebus & noctibus continuis jejunam permansisse. Crebro sanctam Quadragesimam solo pane & aqua exegit, licet id corpus ejus valde debilitaret. Quando, Deo disponente, gravis aliquis cruciatus perferendus ei erat, id quod frequens fuit, eo durante, nihil prorsus esculentum, vel poculentum sumebat, nulla enim res creata ejus tum palatum afficiebat. Quod si pro natura sustentanda aliquid sumere cogeretur, aviculæ potius, quam hominis alimoniam dixisses. Aliquoties nihil ipsa edens nec bibens, ea re sustentabatur, quod alios coram se edere cerneret. Liberata autem ab hujusmodi cruciatu, non nisi frustum panis petebat, qui esset colore medio inter album & atrum, quo tam suaviter vescebatur prandens, ut delectationem afferret intuentibus, perspicuumque fiebat, numquam tam bene sapuisse filiis Israel manna, ut illi panem hunc, quem diximus, solebatque tunc comiter & facete dicere, respuendas esse carnes, & pisces grandes, aliaque id genus esculenta, quippe qui pani puritate comparari non possent: attamen pisciculorum aspectu delectabatur.

Jejunat 40. dies perpetuos.

LIX. Cum aliquando a Palmarum die usque ad Cœnam Domini ab omni cibo abstinuisset, itemque a Cœna illa usque ad Pascha, ipso die Paschæ venit ad eam gallina, divinitus, ut pie creditur, missa, posuitque juxta eam ovum exiguum, unde ea tam opipare, & abunde refecta fuit, ut triduo toto postea nihil comederit. Quamvis autem in seipsam tam esset rigida & parca, attamen erga alios fuit perhumana & liberalis, ex animo cupiens & volens, ut Sorores & Fratres illis inservientes haberent victum, qui sufficeret, exclusa tamen omni superfluitate, ne sanctæ paupertati injuria fieret; nec unquam de divina benignitate sibi diffidendum putavit, quin res necessarias illis suppeditaret, modo fideliter solverent vota sua. In multis urbibus, & insignioribus pagis, ubi erant Monasteria ejus, quidam propter Deum, & contemplatione reverendæ præsentiæ ejus, mittebant illi speciatim panem & vinum, & alias delicatiores escas; sed ex iis nihil unquam gustare voluit, mittens ea statim ægrotis aut indigenis, aut certe in commune omnibus distribuens. Quod si nimium mala valetudo cogeret aliquid inde sumere, essetque id tam exiguum, ut aliis impertire non posset, id mœrens & lacrymabunda pleneque invita sumebat.

Erga se rigorosa, erga alios benigna.

LX. Ut plurimum esculenta omnia ipsi oblata tam largiter & copiose Fratribus & Sororibus distribuebat, ut evidenter in ejus manibus augeri viderentur, paucaque ab aliis ei data, & ab ipsa rursus distributa, multis abunde sufficerent. Fratribus Monasteriis inservientibus, si vel ex devotione ipsam inviserent, vel a petendis eleemosynis, aut aliunde redirent, atque etiam aliis ad ipsam divertentibus, qui vel alimentis, vel consolatione indigere viderentur, humanissime cibum & potum afferebat. Si vero comperisset quempiam indigum & egenum, nec haberet unde ei opitularetur, dolebat vehementer, optabatque sibi præberi facultatem illum juvandi. Id cernens præpotens Deus non raro permovebat alicujus pii hominis animum, ut Coletæ eleemosynam præstaret; inde vero ipsa dabat indigenti. Erat quandoque in Monasterio ea in regione sito, ubi annonæ magna fuit penuria, vixque ea obtineri poterat. Affligebatur ea re populus miserandum in modum, & Coleta quoque tam pro suis, quam pro aliis non mediocriter angebatur. Ecce ab inexpectato oblatus est ei saccus elegans purissimo frumen-

Augebatur in ejus manibus cibus.

mento plenus. Id ergo secreto in pauperes erogandum curavit, ita ut multorum inopiam relevaret. Duravit autem frumentum diutius, quam quisquam speraret.

LXI. Ex illis rebus, quæ sic divinitus ei transmittebantur, nihil penitus sibi retinebat, sed pauperibus & egenis eas elargiens, si quid superesset, in usus inopum servabat; sæpiusque reipsa compertum est, etiamsi in pauperes collatæ essent, tamen sine diminutione diu eas perdurasse. Data ei aliquando fuit propter Deum ovorum certa portio, idque ea in regione, ubi eorum rara erat copia. Libenter accipiens in arca condidit, impertiitque libens omnibus petentibus, tum sanis, tum ægrotis; nec tamen numerus eorum imminuebatur. Et illa quidem id persensit, sed apud se tacitum habuit. Vinum quoque ei plerumque datum diu asservabat pauperibus distribuendum, sed etiam longo tempore distributum nihil neque de quantitate, neque de gustu & bonitate amisisse videbatur. Dat affluenter sine diminutione.

LXII. Duobus Fratribus ob negotia Religionis conficienda proficiscentibus, tempore incommodo, & periculoso itinere, aliquid vini dedit, quo in via uterentur. Ibant illi & redibant, & cum esset opportunum bibebant in itinere ex vino sane bono, nec quidquam diminutum fuit. Ipsa quidem, si in locis esset vini copia abundantibus, nihilo plus inde sumebat in usus suos, & id quod sumebat usque adeo diluebat aqua, ut in eam mutatum videri posset. Si autem ibi versaretur, ubi vini esset penuria, nihil prorsus vini bibere voluit, nisi cogeret morbus: maxime autem aquæ potu refrigerabatur: & quemadmodum potatores dant operam internoscendis vinis, ita ipsa aquarum discernendarum erat bene perita, quamquam & ab illis pro desiderio gustandis sæpe sese refrænabat. Si esset in locis ubi crassiores erant aquæ, minusque puræ, in vitreis vasculis eas sanitatis causa ad ignem apponebat, ut ebullirent. At impurus Cacodæmon vitæ ejus asperitatem & fructum, quem afferebat ferre non sustinens, cum illa quandoque acerrima cruciaretur siti, & aqua ejus ad ignem bulliret in vitro, arrepto baculo percussit vasculum, & in centum atque eo amplius frusta comminuit. Id vero illa tulit patientissime, laudans Deum. Evenit autem inde res admiratione digna, collegit illa fragmenta, & sublatis in cœlum oculis, Deum orans mox vidit sanum & integrum vitrum uti ante fuerat: bis quidem ita fractum fuit a Satana vitrum, & bis Coletæ precibus redintegratum. Vitrum fractum bis reparat.

LXIII. Quædam ex ejus Sanctimonialibus cum aliquando ivisset allatum in ejus usus aquam, secum detulit codicem, quo Coleta uti solebat. Is vero lapsus in aquam, usque adeo corruptus & madefactus est, ut prorsus inutilis putaretur. Doluit igitur non mediocriter Soror illa, & quid ageret prorsus animi dubia erat. Tamdem abjicit se ad pedes matris Coletæ, dicit quid acciderit, ostendit codicem madefactum. At illa videns eam tam misere dolentem, pio affectu consolatur: *noli*, inquiens, *timere filia*, *non enim perditus est codex*; moxque eum accepit in manus suas prorsus inutilem; sed simul atque tetigit eum, totus siccus, pulcher, & illæsus apparuit, a latere dumtaxat quodam remanente vestigio, in tanti miraculi memoriam. Quidam etiam Frater necessariam Coletæ aliquando aquam attulit, sed fenestra, per quam vas aquarium fictile intromitti oportuit, brevior erat, quam ut posset illud recipere. Mira res! postquam admotum fuit vas fenestræ, ad eam quantitatem subito redactum est, ut haud difficulter per fenestram inferretur. Codicem madefactum repente exsiccat. Fenestra mirabiliter dilatatur.

LXIV. Nihil quidem in hac vita Deo gratius esse potest, & homini conducibilius, quam pro ejus amore libenter pati dolores & cruciatus. Ea enim Afflictionum utilitas.

enim re vera ejus amicis, vel maxime fit conformis, & consimilis. Certe ipse Dominus Jesus Christus tota vita sua graves labores & dolores nostri amore perpeti voluit. Itaque & Coleta virgo ad ejus similitudinem pro suo modulo hac in parte accedere diligenter studuit; nam quoad vixit perpetuis affecta fuit doloribus & cruciamentis, aliis post alia succedentibus, & sæpenumero duplicatis, quæ omnia tulit patientissime. Inter alia magnam ei molestiam afferebat inflatio quædam continua, sine intermissione modo crescens, modo se remittens, quam tamen suaviter tolerabat. Præter hanc multis aliis affligebatur modis, interdum in solo corpore, nonnumquam in anima, plerumque in utroque, idque sane gravissime. Morbos ex naturali aliqua causa existentes placide ferebat; qui vero præter naturæ ordinem divinitus ei infligebantur, eos necessario perpeti oportebat, nec potuit illis pro suo arbitrio absolvi. Ad inflationem illam, quam diximus, aliæ pene continuæ vexationes & infirmitates se adjungebant, quibus interdum tam misere discruciabatur, ut octo dierum spatio vix una hora integra respirare posset: quodque commiseratione dignum est, cum soleant alii, tum sani, tum ægroti in lectulis suis captare requiem & levamentum, illa potius, & deterius vexabatur. Nam etsi ob labores diurnos cuperet nonnumquam dare se nocturnæ quieti, & corpusculum in lectulo reponere; at numquam tamen requie illic potiri potuit; imo vero mox ut eo se recipiebat, novis & laboribus & angoribus cruciabatur, idque nocte tota, & interdum usque ad meridiem.

Perpetuas patitur Coleta.

In lectulo nulla requies.

LXV. Neque ejusmodi angustiis premebatur semel atque iterum per hebdomadam, sed cunctis noctibus. Porro diebus Dominicis & festis, & in magnis solemnitatibus, quibus alii omnes cessant a laboribus, longe acrioribus illa torquebatur pœnis, quam diebus aliis: quantoque erant celebriores dies, tanto cruciatus erant acerbiores. Inchoabantur autem utplurimum a primis Vesperis, usque post Completorium, ut vocant, sequentis diei. In præcipuis autem solemnitatibus a meridie diei præcedentis sumebant initium, & durabant usque ad illarum finem. Cum autem visum fuit Domino bis etiam alias addere molestias longe infestiores iis, quæ necessario illi ferendæ erant, si quis superveniret, cui non posset suam negare præsentiam, mox ut volebat ei loqui, cessabant dolores illi, nec sentiebat quidquam, quantisper illic hærebat; sed simul atque recedebat, mirabiliter dolores ejus intendebantur, & augebantur pro ratione temporis, quo cessarant illo præsente. Tum vero usque adeo cruciabatur, ut sæpissime ex ore sanguinem vomeret. Signum autem evidens est, pœnas has & molestias non naturales fuisse, sed divinitus ei irrogatas, quod & subito acciderent, & repente desinerent, nullo prorsus earum vestigio remanente, ac si nihil omnino passa esset. Itaque aliquando dicebat: *Nescio me quidquam sensisse mali*; cum paulo ante præ doloris vehementia omnino incurvata fuisset, & lingua penitus perforata.

Majores erant cruciatus in diebus festivis.

LXVI. Caput ejus durantibus his pœnis, simile ollæ ferventi videbatur, illis abeuntibus, confestim redibat in pristinum statum cum lingua, & membris ceteris. Id erat admirabile, si calore cruciaretur, nulla re frigida eum potuisse extingui; si frigore, nullis mundi hujus caloribus potuisse depelli, & ut multa paucis complectar, potest id de illa affirmari, salva omnium pace, si quis in hac vita tolerandis pœnis horribilibus, immanibusque cruciamentis verus Christi imitator fuit, eique conformis, eam talem fuisse. Ut enim cognovi e viris fide dignis, & ejusmodi rerum peritis, potissima sanctorum Martyrum tormenta, sane horrenda, ipsa in se experta est, vel simul

Mira ejus tormenta.

Martyrum patitur cruciatus.

simul, vel successive, quorum acerbitatem augebat temporis diuturnitas. Alii enim Martyres vix ultra decem, vel viginti, aut triginta & quadraginta dies cruciati fuere; Coleta vero annis quinquaginta tam dire perpessa est: nec ulla labebatur hebdomada, qua non unum, vel duo Martyrum supplicia revera experiretur: interdum enim urebatur igne cum beato Laurentio; non quod ibi ulla adesset ignis substantia, sed Deo mirabiliter agente, ignis & efficacia, atque id genus cruciamenti plerumque tota nocte durabat. Interdum torquebatur, instar sancti Vincentii, nonnumquam cruci affigebatur, & excoriabatur; aliquoties minutatim conterebatur, aliquando in bullienti aqua cruciabatur. Plerumque videbatur ei cor ejus aperiri, & sale conspersum occludi. Interdum reipsa sentiebat sub corpore suo titionem ardentem, totum corpus inflammantem; alias oculorum radicibus admotum carbonem ignitum, illos penitus consumentem; alias per membra omnia ferra acutissima adigi, eisque totam se configi.

LXVII. Hæc autem & id genus alia dira, & immania non ei extrinsecus a persecutore conferebantur, sed Deo intus dispensante, quibus nonnumquam atrocius affligebatur, quam sancti Martyres, quod nullum sentiret levamen, aut refrigerium, quo illi vel a Deo, vel ab Angelis afficiebantur; eo tamen dempto, quod cum Sorores, quæ ei familiariter adesse solebant, noctu captandæ quietis causa, pœnis cessantibus ab ea recederent, Angeli sancti blanditer eam invisebant, officiosissime illi inservientes, tamquam summi Regis ancillæ vel sponsæ. Præter hæc vero etiam in singulis membris peculiares sentiebat afflictiones, maxime in oculis, quibus præcipue solebat remedia opportuna adhibere, ut posset videre pretiosissimum Christi corpus in Eucharistia, & ex libris divina officia devotius persolvere. Nec tamen deerant oculis ejus molestiæ & vexationes perpetuæ. Aliquando visitante ea quoddam Monasterium suum, adeo lingua in guttur medium depressa fuit, ut nec loqui, nec orare vocaliter, imo vix respirare posset. Occurrit tum ei quædam juvencula speciosissima & humanissima, hilariter eam salutans, & tamdem amplexibus stringens & deosculans: inde lingua rediit in locum suum, & mox virgo illa evanuit. Testabatur autem Coletæ Confessarius Henricus de Balma, fuisse illam beatissimam Christi matrem Mariam.

Angeli dolentem invisebant.

Apparet ei Virgo Maria.

LXVIII. Fuit Coleta rerum mundanarum parum perita, sed sagax valde, & admodum prudens, & gnara cœlestium ac divinarum. Prope nulla ei inerat doctrina humanitus acquisita, sed abundabat scientia divinitus infusa, quæ est præcellens Dei gratia, qua freta clarissime cognoscebat & præterita & præsentia, licet occulta, itemque futura. Quod ut certius eluceat, exemplis declarabimus. Fuit quidam insignis sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, professione Franciscanus: is ab exordio reformationis, cujus sæpe meminimus, multum Coletæ deditus fuit. Accidit autem, ut in lethalem incideret morbum. Visitabat tum quædam Monasteria sua Coleta, & cum in spiritu didicisset, Doctorem hunc non solum corpore, sed etiam animo periculosissime laborare, ut in tanto discrimine ei succurreret, accessit ad Monasterium, in quo ille decubuit, invenitque illum jam animam agentem, & ut ipse postea retulit, recta euntem in Tartarum. Itaque proprio eum compellans nomine, signo Crucis humiliter & reverenter edito, ait: *Esto bono animo, & firmiter spera in Dei infinita bonitate*, adjunctisque brevibus quibusdam exhortationibus, statim recessit. Æger autem ille attente percepit quid diceret, eamque probe cognovit, & multum confirmatus brevi surrexit sanus & incolumis corpore. Deinde contulit se ad Co-

Videt occulta.

Doctorem corpore & animo languentem sanat.

Coletam, obtulitque se serviturum ei toto vitæ spatio, quam per illam fatebatur se retinuisse. Libenter illa annuit, non quod ullum ejus expeteret servitium, sed ut ejus animæ consuleret, cujus salutem ardenter desiderabat, quaque ille non mediocriter indigebat. Comiter igitur hortabatur eum, ut omnia peccata sua integre confiteretur, nec celaret quidquam, idoneumque ei Confessarium designavit. Cui ille utcumque confitens vel oblivione, vel verecundia peccata quædam graviora reticuit. Tamdem revertens ad Coletam ait, se plene confessum, illa vero id pernegans, multa & grandia ei commemoravit peccata, ab illo perpetrata quidem, sed non dicta in confessione. Stupebat ille, sentiens non nisi vera ab illa dici, quæ tamen mortalium nullus sciret. Redit ad Confessarium, denuo confitetur, facta confessione rursus se ad Coletam confert, asserens se jam omnia edixisse. Illa negat, iterumque quædam enormia facinora ei enumerat, quæ necdum esset confessus: atque sic tertio ab illa remissus est ad Confessarium, donec integre omnia explicaret. Quamobrem palam deinceps testabatur, se per eam & corporis & animæ vita potitum, multumque ejus erga illam amor auctus est, adeoque eam verebatur, ut nihil neque cogitaret, neque diceret, neque faceret, quin illam semper omnia coram intueri existimaret.

Videt cordis cogitationem.

LXIX. Venerunt quandoque ad Coletam duo præpotentes Principes, pia erga illam animi affectione ducti, quibus illa post multas salutares institutiones, a Confessario suo quasdam scripturas memorabiles curavit prælegendas. Sed alter eorum non attendens, volvebat animo turpes cogitationes, nihil interim foris quovis modo indicans, unde id posset animadverti, cumque jam etiam iis perniciosissime delectari inciperet, Coleta id sentiens spiritu, vertit se ad eum, clamorem edens vehementissimum, & vocem admirandam contra illum. Isque clamor adeo penetravit cor illius, ut & tum videretur, & etiamnum videatur ei, perspicue nosse & intueri Coletam cordis sui cogitationes turpes; quas etiam illico a se rejecit, & animum advertit ad sacra verba, quæ illic recitabantur.

Episcopum sapiéter admonet.

LXX. Quidam Episcopus, vir prudens & spectabilis, in urbe sua invisit Coletam, ibi tum manentem, cum illa conferens de multis rebus bonis ad Dei honorem, & animarum salutem pertinentibus. At illa de duobus eum admonuit; primo caveret sibi ne propter dignitates terrenas, æterna se dignitate & honore privaret. Cognoverat enim, Domino eam docente, Episcopum illum non contentum honore suo, ad majorem adspirasse. Secundo, ut cogitaret vitæ hujus brevitatem, studeretque esse paratus, quandocumque Domino visum esset eum ex hac vita evocare. His Episcopus auditis, valde mirabatur; clam enim dabat operam, ut posset effici Cardinalis, nemine id sciente. Attamen paulo post Romam profectus est, ut posset voto potiri suo: brevi autem ut Coleta præviderat, e vita decessit.

Sacerdotem monet impendentis periculi.

LXXI. Marchio Princeps nobilissimus singulari studio & amore prosequens Coletam, misit quandoque ad invisendum eam Sacerdotem suum Joannem de Molis. Is tamdem recessurus, præmonitus est ab ea, ut pure & fideliter confiteretur peccata sua, propter pericula paulo post ipsi eventura. Fecit ille sic; & cum post dies paucos ad urbem Antisiodorensem fere pervenisset, obvios habuit scelestos quosdam & crudeles viros, qui ejus latus lancea confoderunt, caput sauciarunt, multasque ei plagas imposuerunt. Perductus inde est in eam urbem, sed nullus ex chirurgis ausus fuit manum admovere curandis ejus vulneribus, quod omnes putarent fieri non posse, ut unquam sanaretur. Tum ille adeo se destitutum videns, preci-

bus

bus Coletæ virginis humiliter se commendavit: deinde constanter & secure dixit chirurgis, ut absque ulla hæsitatione apponerent manus suas. Quod cum illi fecissent, intra quadraginta dies, meritis Coletæ integre curatus est.

LXXII. Vesontii civis nobilis fuit Joannes a Colonia, mercator celebris, Deum ferventer amans. Putabat is se valentem viribus, in magna victurum prosperitate. Accersitus autem a Coleta, audivit vitæ finem sibi propediem impendere: itaque debere se componere res suas, & Domino venienti conscientiam mundam exhibere. Assensit ille prompto animo, nec quidquam omnino procrastinans, fecit ut erat admonitus, moxque correptus morbo, morte sua docuit vera prædixisse Coletam. *Et mercatorem mortis imminentis.*

LXXIII. Alius quidam in Burgundia fuit vir nobilis, potens & eruditus, justitia quoque conspicuus; ei & cognatis ejus notæ erant res gestæ Coletæ, eamque non mediocriter amabat cum suis, & permultum fidebat ei in rebus & negotiis suis, multisque eam beneficiis afficiebat. Existimante autem illo quoque se firma esse valetudine, & simul tamen de animæ suæ salute cogitante, Coleta tum in longinquis agens regionibus, Domino revelante, didicit, eum non diu supervicturum, & in ejus conscientia latere quædam animæ illius periculosa impedimenta allatura. Misit igitur ad illum quosdam Instituti sui Fratres, qui secreto hæc impedimenta indicarent. Quibus ille fidem adhibens, ea diligenter amovit, sanoque munitus Coletæ consilio, diem clausit extremum. Civis quædam Cabilonensis, haud vulgaris, Coletæ nota familiariter, præ devotione se contulit ad eam invisendam in Monasterio Poliniacensi. Illa vero sciens propinquum esse vitæ ejus terminum, admonuit eam, ut sua peccata integre confiteretur. Fecit sic, & inde ab ea recedens commendavit se obnixe precibus ejus tam vivam, quam vita functam. Reversa Cabilonem incidit in morbum, & Christo spiritum reddidit. *Item nobilem Burgundum.* *Et civem Cabilonensem.*

LXXIV. Facile autem novit Coleta ea, quæ absente ipsa fiebant, perinde ut quæ ipsa præsente, maxime si ea scire cuperet. Quidam ex Fratribus ejus Franciscanis, ob quædam expedienda negotia Romam profectus fuit, ubi clam egit nonnulla, quæ non nisi Deo, & sibi nota existimabat: interim tamen putans se bene facere. At ubi rediit in conspectum Coletæ, ait ad illum: *Quamobrem istbuc ea ratione fecisti?* Ille rubore suffusus, certissime didicit, nihil eam posse celari. Si quid autem de administratione Monasteriorum suorum voluisset habere comperti, tam facile noverat quæ agerentur in iis, quæ essent procul sita, quam in quibus ipsa coram aderat. Significabat autem illis secreto admissas culpas, ut remedium adhiberetur. Itaque quod admirabile est, nihil unquam in iis Monasteriis indecens accidere potuisset, quin ipsa aliquid præsciret, tametsi non speciatim semper nosset quid, vel ubi accideret. Inde vero magnus ejus animo accedebat dolor: postquam autem jam factum erat, dolor ille leniebatur. Multi ad eam crebro adventarunt tam sublimis, quam abjectæ conditionis & status; tum pro devotione, tum ob reportanda salutaria consilia, vel ob adhortationes egregias suscipiendas; de quibus omnibus, maxime qui profectus sui causa veniebant, utplurimum ea præsciebat, antequam ipsius intrarent Oratorium, quinam essent, quid vellent, quid responsi dandum illis foret. Quamobrem Confessarii ejus & Fratres plane compertum habentes quanta esset divinitus ei collata rerum occultarum cognitio, usque adeo eum verebantur, ubicumque essent, etiam in locis remotissimis, ac si coram ei assisterent: si quid enim admitterent repræhensione dignum, postquam ad eam revertissent, comiter & placide id eis objiciebat. *Fratri indicat quid absens fecerit.* *Multi eam invisunt salutis suæ causa.*

LXXV. Sorores occulto quodam animi mœrore, vel afflictione laborantes crebro ad se vocabat, blanditer exponebat causam mœroris vel afflictionis, earumque animos erigebat. Non potuit igitur ambiguum esse apud illas Coletam matrem certo nosse arcanas ipsarum cogitationes. Novitia quædam aliquando tentata fuit a teterrimo Satana, ut exiret e Monasterio, nec id tamen cuiquam aperire ausa erat. Eam Coleta accivit ad se, & dixit ei quid cogitasset, illa vero mox agnovit culpam suam, magnaque animi concepta devotione, statuit plane professionem facere. Alia Soror cum Coleta in eodem degens Monasterio, adeo premebatur quodam conscientiæ pondere, ut in desperationem ruitura videretur. Sensit id Coleta in spiritu, vocatamque ad se tam suaviter & amanter allocuta est, tamque aperte & perspicue ei demonstravit periculum tentationis suæ, adeoque ejus animam adversus eam tentationem confirmavit, ut numquam deinceps eam perpessa sit.

Novitiam corrigit, quæ abire tentabat.

Discipulã a tentatione liberat.

LXXVI. Excitavit quandoque malus Dæmon inter duas Sanctimoniales discordiam quamdam, quam tamen neutra prodebat foris. Eas singulatim Coleta ad se venire jussit, & tam egregie exhortata est, ut omni posita simultate, integre sibi conciliarentur, & reipsa perciperent, Coletam non ignorasse quid animo versassent. Inde vero non parum perterritæ, eam deinceps valde timuerunt. Soror quædam, Coleta cum aliis in Templo divinum officium peragente, vagis occupabatur cogitationibus. Advertens hoc in spiritu Coleta, mandavit ei per aliam quamdam, ut cessaret, donec essent preces absolutæ. Illa ad se rediens statuit nullo pacto ejusmodi cogitationibus assentiri. Alia quædam Soror itidem sub divino officio, manu librum tenens, res vanas & perniciosas animo volvebat. Id clare intelligens Coleta, sæpe innuebat ei ut eas a se repelleret; sed cum non adverteret, abstulit ei librum cum asperitate quadam, sentiens illa Coletæ patere cogitationes suas, transtulit se ad cogitanda divina: mox Coleta humaniter ad eam se convertens, subridensque librum ei restituit.

Occultum prodit & abigit odium.

Vagas item cogitationes.

LXXVII. Interdum quidam e Clero, Doctoresque Theologi, & alii hujus mundi sapientes, difficiles ei de rebus subtilibus proponebant quæstiones. Et si autem studio humilitatis invita admodum responderet, quando tamen in spiritu sentiebat, absque curiositatis vitio id fieri, tam profunde respondebat, tamque dilucide explanabat, ut omnes admirarentur, multumque inde ædificati, dicerent secreta ei divinitus revelari. Ea tempestate, qua in Galliis cruentissimum inter duas partes imminebat prælium, Coleta prævidit non solum humanum sanguinem crudeliter fusum iri, sed etiam multas animas misere perituras: multo igitur animi concepto dolore, cum profusis lacrymis contulit se ad deprecandum Dominum, scripsitque litteras ad utriusque factionis capita, hortabaturque ne prælium committerent. Misit etiam ad eos quosdam e Fratribus suis, per eos significans corporum & animarum certam perniciem ex eo conflictu secuturam, effecitque ut utrimque decederetur ab armis. Cognovit etiam quandoque futurum quoddam perniciosum incendium in pago quodam, in quo erat Clarissarum Monasterium. Itaque mandavit illis, ut diligentem adhiberent operam rebus suis ab igne servandis. Mox erupit exitiosum illud incendium, adeoque prope ad Monasterium illud accessit, ut Sorores valde sibi metuerent, quæ tamen Coletæ meritis servatæ sunt.

Res divinas docte explicat.

Prædicit, & sopire curat cruentum prælium.

Item periculosũ incendium.

LXXVIII. Præpotens quidam dominus pie afficiebatur erga Coletam, cupiebatque ei condere Monasterium in ditione sua. Ea causa misit ad eam quemdam ex Clero, qui indicaret votum ipsius, & ejus assensum expeteret.

Et pagi destructionem.

As-

Assensit illa, sed postridie prævidit magnam illi pago, in quo construendum erat Monasterium, cladem imminere. Rogavit ergo Dominum illum per nuntios ut aliquandiu illam Monasterii structuram differret. Non diu post tota illa regio hominibus armatis plena fuit, a quibus innumera fuere mala perpetrata, atque etiam pagus, in quo Monasterium Dominus ille extruere voluit, penitus destructus.

LXXIX. Cum primum conditum fuit Monasterium Poliniacense, Novitia quædam illic lethaliter decumbebat. Jussit Coleta ut quædam ex Sororibus sedula ei adesset, ne sola moraretur, ipsamque accersiret, cum cerneret morituram; volebat enim omnino adesse migranti e vita. Accidit autem ut Soror illa, vel fessa labore, vel ex quadam negligentia, somno opprimeretur, atque interim Novitia efflaret animam, quæ res vehementer afflixit Coletam, quod non adfuisset decedenti. Objurgavit igitur Sororem illam, quod id ei non indicasset, aitque: *quandoquidem ausa es negligere præceptum meum, noverit te brevi nulla præsente morituram.* Vix parum intercessit temporis, cum illa in gravissimum morbum incidens sex horis loqui non potuit, nec spes erat deinceps locuturam, cum tamen non esset Ecclesiasticis munita Sacramentis. Eam autem more suo invisit Coleta, vicemque ejus dolens, obnixe rogabat Dominum, ut restitueret ei loquendi facultatem, quo posset Sacramenta percipere. Postquam illa suas absolvit preces, Soror muta illico loqui cœpit, & diligenter confessa peccata sua, omnibus est munita Sacramentis, sed obiit sola, nulla præsente Sorore. *Pronunciat Moniali mortem solitariam.*

LXXX. Cum esset aliquando in Monasterio Viviacensi, revelatus fuit ei obitus propediem adfuturus cujusdam nobilis & piæ matronæ in pago Poliniacensi commorantis. Dicebatur ea Joanna de Vannato, eratque bene sospes, & multa fruens prosperitate. Nunciavit ergo ei Coleta, se quidem ejus visendæ desiderio teneri, sed tamen non visuram se ipsam, nec ei locuturam in hac vita. Post paululum illa cœpit vexari mala valetudine, & vita functa est. Quidam Religiosus Presbyter Franciscanus, ob Monastica curanda negotia peregre profectus cogebatur ire per loca peste non mediocriter infecta. Correptus igitur peste, prius obrutus fuit morte, quam posset congrue sacrosanctam Eucharistiam sumere. Id Coletam, licet procul agentem, non latuit, statuitque in tanta necessitate Fratri illi succurrere. Ante igitur quam ille exhalaret spiritum, ipsa accito Confessario, peccata sua confessa est, & pro illo decedente percepit sanctissimum Altaris Sacramentum, ne absque ejus munimine tam arctum ingrederetur iter, in quo illi periculosas insidias tetri Dæmones tendebant: quod gratia Dei, & meritis ancillæ ejus, morienti non parum contulisse videtur. *Item nobili feminæ decessum.* *Percipit non inutiliter pro moriente Eucharistiam.*

LXXXI. Quidam alius Sacerdos Franciscanus, qui cum primum professus esset vitam Monasticam, utilem sane operam Coletæ Monasteriis peramanter impenderat; tamdem hortante Dracone Tartareo, non impetrata copia discessit, & in longinquam abiens regionem aliis Religiosis se adjunxit. Sed parum illic proficiens mortifera ægritudine cœpit laborare. Divinitus id cognoscens Coleta, licet ab eo longe semota, totis viribus oravit Dominum, ut illius miserrimæ animæ ferret opem. Mox ille concepit tantam cordis contritionem & dolorem ob admissa peccata sua, maxime quod a Monasteriorum Coletæ servitio se temere subduxisset, ut spes sit illum reductum in viam salutis æternæ. Apparuit enim defunctus Coletæ matri, sicut solebant, qui ex ejus erant familia. *Pro alio procul moriente fructuose precatur.*

LXXXII. Nobilis quædam & potens Domina, multum in ea erat cura, & cogitatione, ut neptem suam homini locupleti, & honorato colloca-

Prædicit nobilis matronæ obitū.

ret. Videbatur autem ei quod nimium animæ suæ salutem negligeret. Itaque dixit ei Coleta: *Multa quidem sollicitudine in id incumbis Domina, ut generosa neptis tua jungatur viro; sed præstaret hanc sollicitudinem adhibere te saluti tuæ; non enim videbit unquam eam marito copulatam.* Et id res ipsa comprobavit; mortua est enim ante nuptias neptis suæ. Sæpius quoque perspectum habuit Coleta quo in statu e vita pleriqne tum Religiosi, tum seculares abituri essent. Aderat quandoque cuidam Religiosæ morienti, sed mortis cruciatus valde extimescenti. Dixit autem ad eam; abi fidenter ad Dominum, nec quidquam timeas, & anima confestim exiit e corpore. Ait autem ad adstantes Coleta: Multa quidem patietur, sed tamdem non privabitur vita æterna.

Morientis salvationem.

LXXXIII. Puella quædam cum primis formosa, & optime morata extrinsecus, petiit a Coleta recipi in Monasterium: sed quod secreto nosset quædam in illa, noluit assentire. Rogante autem pro illa instantissime patre puellæ, itemque Coletæ Confessario & aliis, illa respondit: *Vos quidem cogitis me admittere illam, sed tamen noveritis numquam eam ad professionem perventuram.* Fuit hoc verissimum, primo enim exacto anno, ob divini ignorationem officii, nec potuit, nec debuit admitti. Altero anno tot ei occurrerunt tentationes, præsertim de deferendo Monastico Instituto, ut quadam laborans amentia, diceret se nulla ratione id posse profiteri. Ejecta igitur e Monasterio, ad professionem admissa non est. Alia quædam Novitia sub Missæ sacrificio dicebat preces suas prope Coletam,ut illa cogitaret piam, & religiosam illam esse. Sacrificio peracto, Coleta accivit Novitiæ illius magistram, aitque ei: *Equidem putavi Novitiam hanc piam, & Deo devotam esse, sed nihil in ea devotionis comperio.* Audiens id novitia multum erubuit, sentiens non latere Coletam cogitationes suas. Alia Soror magno tenebatur desiderio petendi imaginem quamdam a Coleta. Itaque accessit ad eam, sed non fuit ausa indicare ei votum suum. At Coleta non ignorans quid vellet, subridens ait illi: *Vade, vade.* Illa abeunte, statim misit ei Coleta pulcherrimam imaginem, mandans ut eam mitteret matri suæ, quod illa summopere desiderabat. Eadem Soror magna aliquando animi desolatione afflicta,ita ut se putaret Deo prorsus invisam,nec ullo pacto posse salvam fieri, statuit adire Coletam, & si illa placidum ipsi exhiberet vultum existimare se non esse alienam a gratia Dei. Cumque hæc animo cogitaret, Coleta mater vocavit eam ad se, eamque blande & peramanter appellans, ait, se non minus eam amare, quam ullam ceterarum, quæ sint ejus Instituti. Denique commendavit eam Monasterii Abbatissæ, præsente illa asserens eam esse filiam suam in primis caram: unde illa magnam accepit consolationem, certoque persuasit sibi, Coletam perspicue nosse arcanas pectorum cogitationes.

Novitiæ regressum ad seculum.

Cognoscit precantis vanitatē.

Alterius Sororis occultum desiderium.

Item afflictionem.

LXXXIV. Impurissimorum Dæmonum ea est malignitas,ut quanto magis sentiunt quemdam appropinquare Deo, tanto eum acrius infestent, & multis affligant modis; qui enim eis obsecundant, illis non magnam molestiam exhibent. Cernens igitur invidus Dæmon, Coletam perfectissima caritate Deo conjunctissimam, modis omnibus conabatur impedire illam & divexare, atque persequi toto ejus vitæ spatio. Cum enim in ipsa juventute statuisset Deum medullitus amare, eique studiose servire, multis annis singulis noctibus, cum inchoaret preces suas, quidam malignus Satan ei se adjungebat, & miras quasdam voces, & quasi pias querimonias edens, conabatur ejus interturbare preces. At licet illa annis esset juvenis, animo tamen jam perfecta erat, & fide provecta; adeo enim confidebat Domino, ut nihil

Invidet ei Satan, & torquet.

exter-

externum reformidaret. Itaque Dæmoni illi, nec signo, nec verbo quidquam respondit, unde miser victus tædio se subduxit. Porro ubi ad mediocrem pervenit ætatem, & jam Monasticam sectabatur vitam, sæpe in eam incurrerunt Dæmones, fustibus tam diu, & atrociter cædentes, ut membra ejus tenerrima, & imbecilla prorsus fracta viderentur, & atri livores in ejus corpore remanerent non brevi tempore. Verberarunt eam aliquando tam immaniter, ut tibiæ ejus inflatæ medio corpori crassitudine æquarentur. *Sæpe etiam cæditur.*

LXXXV. Voluit quandoque Domino speciales quasdam preces ferventi spiritu offerre; & ecce adsunt frequentes Dæmones vulpina specie eam impedire, & crudeliter verberare conantes. Sed Dominus illi contulit vires, ita ut certaret, & confligeret cum eis, victosque cum dedecore in fugam compelleret. Post eam pugnam, Sorores invenerunt eam valde delassatam; cum enim experirentur Dæmones, ejus orationes multum prodesse hominibus, Deoque gratissimas esse, inter se permulti conspirasse videbantur, ut multis modis, fraudolentisque machinis quoad possent, ejus sanctos & pios conatus retardarent ac impedirent. Nitebantur etiam ea causa metum & terrorem ei incutere; tametsi inanes eorum fuere machinationes, quandoquidem ubicumque illa, sive sola, sive cum aliis esset, semper fortis & magno animo fuit, illos plane floccipendens. Induebant illi varias formas, easque terribiles, interdum hominum prorsus rubentium, nonnumquam statuæ immanis & turpissimæ, cœlum prope attingentis. Apparuit ei quandoque Satan in specie draconis horrendi, qui deinde recedens, in Cœnobii muro gradiebatur. Molestus admodum Coletæ erat aspectus serpentum, bufonum, aranearum, & id genus venenatorum animantium; quod non ignorantes Dæmones, eorum sibi figuras sumebant, eique apparebant. *Frequenter illa contemnit ejus inanes conatus.*

LXXXVI. Initio reformationis, cujus sæpe mentio habita est, quæ in Vesontiensi Monasterio suscepta fuit, non raro illa orante, locus in quo erat, videbatur plenus turpissimis bufonibus: sed illa facile deprehendens figmentum Satanæ, ad Dominum confugiebat, & repente cuncta illa ludibria evanescebant. Sæpe impuri Dæmones in ejus oratorium inferebant cadavera hominum in patibulis suspensorum: sed cogebantur, licet inviti, jubente illa, reportare ea ad locum, unde abstulerant. Loquebatur aliquando Coleta cuidam e Sororibus, ultra quam dici queat, ejusmodi Dæmonum ludibria reformidanti, aitque ad eam: *Si videres Dæmones, valdene metueres tibi?* Illa respondente se non posse aspicere eos, quin animam efflaret. Coleta subjunxit: *& ego si vel universos Tartari Dæmones conspicerem, prorsus nihil timerem, certa nihil eos posse in ullam creaturam, nisi permittat Deus*: quibus verbis Soror illa mirabiliter confirmata fuit. *Et vana spectra.*

LXXXVII. In eodem Vesontiensi Monasterio multifarie eam in extrema ætate persecuti sunt illi spiritus. De beato Patre nostro Francisco legimus, non libenter eum vidisse formicas, quod vivant de congesta sibi annona. Eamdem ob causam earum aspectus Coletæ parum gratus erat: itaque immundi Dæmones in eas se transformantes, sæpe eam infestabant; ita ut crebro vel in libros, vel in oratorium ejus, res videlicet ei in primis caras, tanta copia confluerent, ut amplius centum millia adesse viderentur; quibus visis, illa mirum in modum affligebatur, sed statim disparebant. Ut autem ejusmodi exercitationes ejus alios laterent, causam in loca, in quibus tum degebat, conferens, jussit ea mundari, auferrique omnia, quæ possent ejusmodi animantia invitare: sed nihil proficiebat; mox enim una apparente, plusquam centum millia adesse videbantur, simulque omnes evanescebant. *Formicæ sancto Francisco, & Coletæ parum gratæ.* *Innumeris eam perturbat Satan.*

Et muscis. LXXXVIII. In quibusdam locis persequebantur eam Dæmones in muscarum forma, quæ innumeræ involabant in oratorium ejus, & incredibili eam afficiebant molestia, tum pungendo eam, tum volitando celerrime in libros & manus ejus, & miris eam impediendo modis. Erat autem hoc ei permolestum, quod cum curasset eas foras expellere, illico reverterentur. Fuit quandoque una inter eas ceteris infestior & crassior, ingens ei tædium afferens oranti, adeoque eam perturbans, ut per se non auderet præcipere ei ut abscederet; sed tamen virtute sanctæ obedientiæ jussit eam avolare, & illa quidem fecit sic; sed contulit se ad vexandum Confessarium ejus. Is vero quamprimum venit ad eam, quæ jam noverat quid sibi accidisset. In *Item limacibus.* Picardia apparebant ei Dæmones, vel limaces ad ejus oratorium, & super cubiculum irrepentes; quantoque illa plus eos repellebat, tanto augebantur magis. Cum autem vellet flectere genua, quinque, vel sex, vel plures etiam illic visebantur; tantoque crebrius illi se visendos ingerebant, quanto ei molestior erat illorum aspectus.

LXXXIX. Vix quisquam e Sanctis reperiri possit, quantum quidem illorum historiæ produnt, qui tam molestas Dæmonum infestationes pertulerit, atque ancilla Christi Coleta. Unde colligi potest excellentissima vitæ ejus sanctitas, & summa perfectio, maxime si attendas persecutiones omnes a tetris spiritibus illatas veris amicis Dei, Deo permittente fieri, qui electos suos, quo sunt perfectiores, eo plerumque sinit & crebrius, & acrius tentari, atque probari. In iis autem, quas diximus, Coletæ persecutionibus, illa fuit immanissima, quam septennio ante obitum suum pertulit. Cum enim vellet, sive ore, sive mente Deo preces fundere, mox aderat frequens *Fœdissimis etiā spectris.* Dæmonum turba, varias præ se formas ferentium, puta luporum, leopardorum, leonum, colubrorum, serpentium, bufonum, volitabantque instar muscarum in aere: nec deerant etiam virorum, & fœminarum figuræ, quæ ceteris turpius, & atrocius se gerebant. Erant inter eas parvæ quædam effigies utriusque sexus, sic satis formosæ, capillo prolixo, beneque composito. Porro eæ tam diversæ animantium formæ pariter se illi visendas ingerebant, nec vel parum potuit attollere oculos, quin eas cerneret.

XC. Ex earum autem aspectu tantus ejus animum invasit dolor & angor, ut majorem ferre non posset: adeoque iis visis cruciabatur & desolabatur, ut intra decem aut duodecim horas intra se redire nequiret. Atque *Quæ aliis plerumque videbant.* id sane admiratione dignum est, quod si, Deo dispensante, ab aliis eædem formæ visæ essent, nullum cuiquam afferebant dolorem vel terrorem, præterquam Coletæ soli: nec videbantur tamen ab omnibus, quando eas videbat Coleta, nisi quibus id a Domino præstabatur. Interim tamen certo id sibi persuadebant, si absente Coleta eas viderent, se præ terrore & horrore, mentis inopes, planeque rabiosos fore. Et complures quidem sui Instituti homines illas viderunt, sed speciatim Soror quædam Coletæ familiaris, & a secretis, cui res ejus notissimæ erant, non raro conspexit, certissimeque cognovit intolerabilem animi dolorem, quo illis visis torquebatur Coleta. Ita- *Sed non terrebant illa præsente.* que solebat se inter Coletam & illas ponere, interdum etiam ramusculo eas abigere, ne molestiam Coletæ exhiberent; sed id illa haudquaquam ausa fuisset, nisi adfuisset Coleta. Solebat interdum Coleta eas horridas species quibusdam e suis Confessariis ostendere; sed illi neque timore, neque dolore inde afficiebantur, efficiente id procul dubio Coletæ præsentia: nam aliqui si ea absente, illas vidissent, existimabant se insaniæ periculum facturos. Eæ autem terribiles formæ in solis parietibus oratorii, vel cubiculi Coletæ apparebant: deinde ad ima loca se submittebant; ad extremum etiam ad

ad vestes, ad librum, ad manus, & ad alias corporis ejus partes accedebant, ita ut etiam oculum, qui ei carissimus erat, propter vocales preces, & sacrosanctæ Eucharistiæ conspectum, dire lacerarent, ut illa putaret se illo orbatum iri.

XCI. Multas alias oranti molestias, & vexationes attulerunt nequissimi Dæmones, quas enarrare nimis longum sit. Excitabant in ejus oratoriis, ipsa attentissime Dominum deprecante, magnos strepitus & tempestates, & crassis fustibus cædebant eam: nonnumquam etiam in aera sustollebant eam: sed illa nequaquam patiebatur, se ejusmodi terroribus avocari a precibus suis, tametsi paucæ Sorores ausæ erant manere tum apud illam, præter eam, cujus paulo ante meminimus; quæ ejus meritis & precibus fidens, crebro solebat eo accedere, usura quid illic gereretur: sed nihil reperiebat præter fustes, Dæmonibus se subducentibus, & eos ibi relinquentibus. *Multis modis Satan infestat.*

XCII. Omni quidem tempore misit Omnipotens Deus quosdam, qui miseros peccatores ad ipsum reducerent: sed hisce nostris diebus fœminam hanc misit, sibi præcipue caram, quæ illuminaret, & perfecte dirigeret ambulantes in vitiorum tenebris, & umbra mortis, revocaretque illos in viam mandatorum suorum, atque omnibus cujuscumque illi vel status, vel conditionis sint, lumen & exemplum de se præberet, & totius perfectionis, sanctitatis, devotionis, mortificationis, & virtutum omnium. Et ut id præstaret efficacius, ornavit eam eximiis gratiæ suæ donis, & vitæ excellenti sanctimonia, quibus olim speciales amicos, & Sanctos suos illustrarat. Vixit enim solitaria, & in multa abstinentia cum priscis illis Eremitis; claram autem cognitionem cum Prophetis; paupertatem voluntariam, aliasque eximias virtutes sectata est cum Apostolis: non ei defuit Martyrum tolerantia; non fervens Confessorum caritas; non Virginum nitida puritas. Quod ad solitariam vitam attinet, in ea colenda vix pauci antiqui Patres ei possunt comparari: totis enim quinquaginta annis pene semper vixit inclusa. In singulis enim Monasteriis suis singulas habuit cellulas valde arctas, quæ carceres potius, vel sepulcra dicerentur, cum se vix posset intra illas erigere, aut alio vertere: quemadmodum in multis licet videre Cœnobiis, maxime Viviaceni, ubi cellam habuit sex pedes longam, quatuor latam. Et illi quidem veteres Eremitæ poterant exspatiari per solitudines, & relaxare animum post preces, labores & dolores; idque eos fecisse constat. At Coleta numquam de suo prodiit oratorio animi remittendi causa, quantumcumque horrendis esset affecta pœnis & doloribus: idque adeo, ut etiam si nonnisi unus passus interesset inter oratorium & propinquum hortum vel silvam, eo se conferre recusaret. Quando autem cogebatur exire ad visitanda Monasteria, aut alias ob causas, postquam ad hospitia perveniebat, in angustum se recipiebat angulum, pannis appensis conclusum, nec inde prodibat, donec esset recedendum. *Sanctorum variæ virtutes in ea elucent.* *Vita solitaria.*

XCIII. Magna quoque legimus Sanctorum Patrum jejunia, prolixas vigilias, diuturnas preces: sed Coleta cum Christo jejunavit perpetuis quadraginta diebus & noctibus, nihil prorsus cibi, aut potus accipiens, quod tamen humanæ infirmitati esset impossibile, nisi quod apud Deum nihil est impossibile. De vigiliis ejus constat, eam toto anno, ex singulari Dei gratia, omni prorsus somno abstinuisse. De Josue legimus, ad ejus jussum stetisse Solem spatio unius diei; sed fortassis non minus admirandum est, ad preces Coletæ Solem quandoque præcipitasse cursum suum, & ante tempus ortum esse. Sæpe illa vitam suam in mortis discrimen conjecit, & existimationem ignominiæ *Jejunia.* *Vigiliæ.* *Josue 10. 13.* *Zelus Dei & animarum.*

miniæ objecit pro honore Dei, & animarum salute. Cum enim sævissima bella in Galliis fervèrent, de quibus dictum est supra, ita ut nemo ex oppidis, aut castris egredi auderet, illa intrepida per utriusque partis regiones proficiscebatur visitatum Monasteria sua, cum interim, malo instigante Dæmone, ab utraque parte suspicarentur eam stare ab hostibus suis; tametsi illa pro utrisque multas lacrymas, & innumeras Deo preces offerret, & in suis Monasteriis offerendas curaret. Accidit autem ut in pagum quemdam veniret ab alterius partis exercitu occupatum, & bene munitum, in quo erat Monasterium Virginum suarum: illico ortum murmur ibi fuit, eam favere adversariis. Eam suspicionem periculosissime auxit casus improvisus; Custos enim Monasterii per errorem pulsavit campanam nocte inter nonam & decimam, cum deberet media nocte pulsare. Id audientes excubitores autumabant eo intempestivo signo hostibus prodi pagum. Itaque inter se conspirant de trucidandis Sororibus Monasterii illius; jamque armati eo properant: sed ecce, ob Coletæ matris merita, res evenit sane stupenda: non solum enim ipsum horologium Monasterii primam horam clarissime, & gnomone & sono indicavit & expressit; cum tamen deberet decimam, sed etiam noctis spatia contracta sunt, & Sol ante tempus oriri visus est. Audientes autem milites primæ horæ signum, accurrunt ad Monasterium, fatentur facinus animo conceptum, reprehendunt sese, ajunt se temere malum suspicatos de Sororibus Deo humiliter servientibus, earumque precibus se munitiores esse, quam suis vigiliis, & armis.

Ab imminenti periculo liberat suum Monasterium.

XCIV. Quam autem multa prophetice cognoverit Coleta, jam superius copiose dictum est. Obitum Martini ejus nominis V. Pontificis Maximi, prædixit exacte, etiam mortis horam exprimens: schisma quoque in Ecclesia futurum, finemque Concilii Basileensis longe ante prænuntiavit. Supra diximus, eam multum amasse parvulos, propter puritatem & innocentiam, qua ipsa nitebat. Oblatus ei quandoque fuit parvulus, ex nobilibus parentibus ortus. Illa autem præsentiens si diu viveret, eum condemnatum iri, rogavit Dominum, ut brevi eum tolleret de medio. Reportatus puer domum, non diu post mala affectus valetudine, desiit esse in humanis. Ea res summo dolore affecit parentes ejus, qui etiam ad Monasterium venere, perquirentes quid de puero accidisset: ut autem cognoverunt quid dixisset Coleta, suam voluntatem libenter divinæ conformarunt. Vidua quædam nobilis & potens, parvulos habens filios, aliquot Coletæ Monasteria fundarat; ejus vero patrimonium totum vastabant prædones & raptores; neque illam formidantes, quod esset mulier, neque filios, quod essent parvuli: petita autem a quodam in conjugem statuit consentire; sed voluit prius consulere Coletam. Ea vero sic fertur ei respondisse: ***Fac quod tibi visum est, sed noveris te ex novo marito nullam habituram prolem.*** Nupsit illa, sed mors brevi consecuta, vetuit ne prolem relinqueret.

Prædicit Martini Papæ obitum, & schisma.

Parvulum si vixisset, condemnandum rogat tolli è vita.

Prophetat nubentis obitum.

XCV. Quædam ex Sororibus ejus angebatur, ob confessionem peccatorum integre faciendam. Eam Coleta jussit venire ad se, dixitque peramanter: ***Debes filia secure confiteri, nec dubitare quidquam; Deus enim misericors, & benignus est: dices autem hunc in modum peccata tua.*** Illa hoc audiens erubuit, sentiens Coletam matrem nosse cogitationes ejus, & peccata. Sedit aliquando ad mensam Coleta cum multis aliis Sororibus Instituti sui. Adeo autem cœlesti quadam meditatione sursum rapiebatur, ut cogeretur a mensa surgere. Abiit autem ad oratorium suum, eam illic meditationem prosecutura. Interim dixit Sorori cum ipsa eunti: ***Quid tu diceres, si videres ad unam mensam novem Abbatissas?*** Revelatum enim erat ei

Confirmat Sororem peccata confiteri timentem.

Prædicit novem suius consortii fore Abbatissas.

ei, novem ex illis, quæ cum ipsa fuerant in mensa, Abbatissas postea creatum iri: quod etiam factum est.

XCVI. Apostolis quoque ut in multis similis fuerit, satis perspicuum est; fuerunt illi a Deo electi & missi, ut mundum converterent. Fuit & ipsa electa & missa, ut miseros peccatores reduceret ad Deum. Ejus missionis potest hoc non obscurum videri argumentum, quod concepta fuit a matre, quæ jam excesserat tempus ut plurimum aptum proli concipiendæ. Apostoli quoque in diversas dispersi regiones Christi fidem propagarunt: & Coleta annis quadraginta longe, lateque non sine magnis periculis discurrendo construenda curavit Monasteria Ordinis sui, ut Dei nomen celebraretur, animarum augeretur salus, peccatores e Dæmonum potestate eriperentur, & Salvatori suo restituerentur. In paupertate Apostolos quam sit imitata, potest ex eo liquere sermone, quem ipsa quandoque habuit ad Sorores suas in multo fervore spiritus, loquens de summa humilitate, & paupertate Domini Jesu, & sanctissimæ Matris ejus Mariæ, & Apostolorum; ubi tum manifeste apparuere duodecim Apostoli, humi residentes prope Coletam, multa in eis relucente humilitate, simplicitate, paupertate; omnes induti vestibus albis, & illic permanentes, donec illa cessaret loqui. Sermone finito, multis visi sunt ascendere in cœlum, & una cum illis Coleta in altitudinem tantam sublevari visa est, ut amplius conspici non posset.

Perquam similis Apostolis.

Illa sermocinante apparent omnes.

XCVII. Habuit & alia Apostolorum charismata: sanabant illi dæmoniacos; curabat & Coleta, atque etiam rabdosos, virtute nominis Christi. Monialis quædam furiosa, dæmoniaca, & morbo caduco laborans, intolerabili molestia afficiebat Sorores alias nocte dieque, licet multæ essent; sæpius enim oportebat eam a sex, & eo amplius Sororibus, interdum ab omnibus teneri, alioqui & sibi & aliis gravissime nocituram. Eum furorem toto anno patiebatur, maxime eo tempore, quo divina officia, & Missæ sacrificium fiebant, quod fuit aliis molestissimum. Si enim fortassis a Completorio usque ad nocturnas preces quievisset, adeo tum se discerpebat, ut multæ ejus comprimendæ gratia cogerentur a divinis laudibus abesse: quod itidem fieri oportebat a primo signo Primæ, usque ad sacrificii finem, & ad omnes preces Canonicas. Aliquoties vero biduo, triduoque permansit tacita, jacens in lecto plane rigida membris omnibus, ore horrendum in modum hianti, oculis fœde apertis & grandibus: atque ita visa fuit absque sermone & cognitione, nihil neque manducans, neque bibens, neque ullum edens signum, præter planctum lugubrem & funestum, in quo gemina videbatur uti voce. Interdum autem adeo illa vexabatur insania, ut nullo pacto neque teneri, neque vinciri posset; ederet, & biberet obvia quæque, puta, ova integra, magna lignorum & lapidum fragmenta, cortices cum nucleis prunorum, cerasorum, & id genus aliorum grandi numero: ferrum complicaret perinde ut arborum ramusculos; alta clamaret voce, quæ tamen non videretur esse humana; nec posset vel signi Crucis impressione, vel aquæ sacratæ aspersione, nec ullis precibus compesci, ut taceret. Nonnumquam ita excrescebat furor, ut præter hæc, tamquam bestia ex oculis, ex genis, ex auribus, ex capitis cranio, & ex membris omnibus sanguinem emitteret, quod sine horrore aspici non potuit. Tamdem Moniales illæ recordatæ procul tunc absentis Coletæ, scripto indicarunt ei calamitatem Sororis suæ, orantes ut suis precibus ei opitularetur. Et ecce simul, ac litteræ missæ fuerunt, cœpit misera habere aliquanto mitius, magisque diminuta est tam dira vexatio, cnm litteræ venere in manus Coletæ. Postquam autem illa Dominum rogare cœpit, non diu dilata est integra ejus curatio.

Sanat suis precibus demoniacam miserrimã.

XCVIII. Lo-

Variis loquitur linguis.

XCVIII. Loquebantur Apostoli variis linguis, & idiomata omnia callebant; nec hæc gratia Coletæ defuit. Apostolis non nocebant hausta venena; & Coleta bis sumpsit potionem mortiferam, diro infectam toxico, nec quidquam læsa fuit; imo etiam libenter ignovit illis, qui ei illam obtulerant.

Martyrum præfert cruciatus.

XCIX. At vero si de Martyrum velimus agere tolerantia, ea quoque Coletam non caruisse videbimus: nam si vel centies illa immissa fuisset in dolium ferventis aquæ vel olei, aut toties ignibus inflammata esset, aut tosta, aut excoriata, vel capite punita, non possent eæ pœnæ comparari cum illis, quas illa plerumque annis quinquaginta toleravit. Et certe libenter illa corpusculum suum pro amore Domini Jesu morti obtulisset, atque dici posset reipsa martyr, quando pro honore Dei promovendo non parum fudit sanguinis, fracto brachio, non sine magno dolore, ita ut illo tota vita sua uti non posset: capite etiam adeo contrito & quassato, ut cum se verteret, sentiret ossium collisionem.

Ad Jesu nomen valde afficiebatur.

C. Solebant Christi Confessores fide sincera, perspicua cognitione, & ferventi caritate ferri in Deum, prorsus subducentes sese ab hoc mundo, atque a rebus mundanis, totosque se occupantes in iis, quæ ad Dei perfectissimum amorem pertinent. Et Coleta quoque ardentissima Dei caritate usque adeo accensa fuit, ut per aliquod tempus quoties ejus divinum, mellitissimumque audivisset nomen, mox tota a se deficeret, & raperetur in Deum. Itaque si qui ei loqui vellent, summopere cavere debebant, ne quid dicerent ex iis, quæ ad Dei summam dilectionem pertinerent; mox enim sic auditis illis extra se discedebat, ut longo temporis intervallo nemo posset ei loqui. Mire etiam diligebat proximos, adeoque promovere cupiebat cujuslibet bona spiritualia, ut quiete potiri non posset in spiritu, nisi ei pro sua vocatione & facultate subveniret. Et libenter illa etiam seipsam obligasset, ut posset opitulari proximis, sicut & re ipsa fecit. Cum enim nobilis quidam in eam ignominiam incidisset, ut sine magno discrimine non posset satisfacere creditoribus suis, illa caritate ferventi effecit, per bona quædam ipsi commendata, ut absque detrimento evaderet. Etsi vero ingens ejus erat caritas erga viventes, attamen sine ulla comparatione magis cupiebat pia benignitate succurrere vita functis. Miro quippe tenebatur desiderio allevandi cruciatus gravissimos animarum in locis purgatoriis degentium, quibus adeo condolebat, ut diceret, se libenter illarum loco pœnas illas perpeti velle: itaque volebat ut demptis tribus ante Pascha diebus, Sorores quotidie dicerent officium defunctorum.

Ejus caritas ergà proximos.

Et erga defunctos.

Impetrat imminui pœnas cuidā destinatas.

CI. Fuit Religiosus quidam, sive Monachus, genere nobilis, dignitate haud vulgari, sed conscientia satis dissoluta, & exigua animi devotione. Is tantum fidebat Coletæ precibus, ut nullus magis, spemque salutis suæ in iis plurimum collocaret. Cum autem Coleta in longinqua versaretur regione, spiritu præsensit, illum Monachum non diu supervicturum: cognovit etiam horrendas pœnas, & dira tormenta, quæ ob peccata sua esset perpessurus, ita tamen ut tamdem fieret salvus. Multum igitur diuque rogavit Dominum pro illo, ut pœnas illas minueret, nec orare destitit, donec certo didicit ejus futuram beatitudinem. Si quis Frater, aut Soror in Monasteriis, in quibus ipsa degebat, morti propinquaret, Sororem quidem invisebat in valetudinario, Fratrem autem jubebat ad certum Templi locum perferri, ubi posset ipsa præsens esse morienti, totisque viribus pro hujusmodi Dominum deprecabatur, ipsosque hortabatur ad fidei constantiam, & spem veram concipiendam adversus illusiones omnes, & fraudes Dæmonum,

quæ

quæ illis poſſent occurrere, atque etiam malignos Dæmones abigebat ab illis.

CII. De puritate Virginum in Coleta præclare relucente, hoc dicere poſſumus, eam tam excellentem fuiſſe in Coleta, ut numquam verbum ullum leve, aut inhoneſtum vel dicere, vel audire potuerit quovis modo, abſque animi dolore & afflictione. Quamobrem etiam Chriſtus Dei filius eam ſibi ſponſam & amicam cariſſimam elegit. Accidit autem aliquando cum adhuc ſecularis eſſet Coleta, ut vir quidam laſcivus & impurus, eam in quodam Monaſterio cerneret precibus vacantem, fœdiſque & ſpurcis ſermonibus eam appellaret. Cui illa dolenter reſpondit: *utinam tibi præſtet Deus notitiam eorum, quæ dicis*. Mox ille cœpit videre ſcelus ſuum; cumque vellet e Monaſterio egredi per portam, quæ omnibus patebat, nullo modo potuit, ſed quoties conabatur exire, toties ſe retro repelli ſentiebat. Non immerito igitur terrefactus, neſciebat quid ageret, multumque formidabat ſe mente captum iri. Tamdem recolens quid dixiſſet Coletæ puriſſimæ virgini, & exiſtimans ea cauſa ſe tam miſere affligi, ocyus ad eam acceſſit, culpam coram illa edixit ſuam, veniam petiit humiliter & devote. Tum Coleta: *Deus*, inquit, *per ſanctam miſericordiam ſuam ignoſcat tibi*, & quamprimum ille ſine difficultate foras egreſſus eſt. *Ejus præcellens virginitas.* *Pœna hominis laſcivi.*

CIII. Tanta erat Coletæ puritas, ut multi eam inviſentes antea leves & ad turpia valde propenſi, ex ejus præſentia prorſus liberarentur, animiſque corroborarentur ad conſtanter ſectandam corporis caſtitatem. In iis quidam Religioſi familiariter indicarunt quaſdam tentationes ſuas valde periculoſas, moxque ſe ſenſerunt plane impotentes ad eas exequendas; atque ita & facultate & voluntate peccandi liberabantur. In Francia Princeps quidam præpotens, priuſquam vidiſſet Coletam, mundo huic deditus, faſtuoſus, delicatus & lubricus fuit. At poſtea Coleta intercedente, ex mundano factus eſt religioſus, ex faſtuoſo humilis, ex lubrico ſpiritualis, ex delicato erga ſe rigidus & ſeverus. Teſtabatur ille crebro coram multis non vulgaribus hominibus, idque ſumpta ſacroſancta Euchariſtia, ſe poſtquam vidiſſet Coletæ faciem, numquam carnis tentationem ſenſiſſe. In eodem regno fuit quædam nobiliſſima matrona, vita laudabili, fama celebri, multa pietate & miſericordia, utriuſque ſexus liberis abundans. Unus autem ex filiis ejus, qui fere ſemper hærebat domi, incitante Dæmone, cœpit amare fœminam quamdam, & tamdem poſt multos laſcivos ſermones, aſpectus & tactus, ventum eſt ad mutuum conſenſum operis perpetrandi. Sola deerat temporis & loci opportunitas. Illis vero in hoc deteſtando propoſito permanentibus, quidam Religioſus, quem illa matrona miſerat ad inviſendam Coletam, erga quam ſingulari erat animi devotione & amore, attulit ad eam a Coleta miſſam zonam vel funem, quo ſolebat illa ſtringere habitum ſuum, eumque obtulit matronæ, præſente filio tam turpi tentatione vexato. Hic cum funem vidiſſet, repente totus mutatus eſt, adeo ut ſemper fugeret loca, in quibus erat illa puella, quam tam perdite amaverat; quod ſi non poſſet ſubterfugere, quin videret, propterea quod eſſet cum matre ſua, non ſine dolore & abominatione id faciebat. Tamdem meritis Coletæ utroque ab ea tentatione liberato, puella juncta matrimonio eſt, corpore integra, & familia nobilis fœdam ignominiæ notam evaſit. *Multos liberat a carnis deſideriis.*

CIV. De patientia Coletæ multa jam ante dicta ſunt, quas illa, & quantas ægritudines corporis, quos cruciatus, & angores internos & externos, non ſolum patienter, ſed & hilariter pro Dei nomine perpeſſa ſit, commemorari vix poſſent. A principio devotionis ſuæ afflictiones ſi deeſſent, ap- *Mira ejus patientia.*

petebat; si adessent, amanter sustinebat. Quæ res eam Christo sponso effecit similem, qui in hac valle miseriæ numquam pœnarum & afflictionum expers fuit. Si quis interdum miseratus ejus dolores internos & externos, diceret ei: *Heu mater, quam dire passa es!* Illa respondebat: *ego facile soleo etiam de parvis conqueri*. Omnibus ei persecutionem, damnum, afflictionem inferentibus libenter volebat bona reddere, ita ut nonnumquam diceret, se provisuram illis de rebus necessariis, quoad essent in vita. Ab ipsis quoque familiaribus amicis non parum vexata fuit, quos ut ab ingratitudine revocaret, eos ad se accitos, in suis collocavit Monasteriis, & tum corporalia, tum spiritualia eis adhibuit solatia, tantamque salutis eorum curam gessit, ut multi ejus precibus ab animæ & corporis periculis extracti sint. Illi autem plus dolebat Dei injuria, & perditio animarum, ipsam persequentium, quam mala omnia, quæ ei undecumque accidere potuissent. Ad extremum tamen tales redibant ad sanitatem, & dolebant, se tam malignos in eam fuisse.

Quidam ejus amicus in summum mutatus hostem.

CV. Inter alios quidam ei familiaris fuit, qui Diabolo instigante, eam aliquandiu gravissime persecutus est, ab amico in tam crudelem mutatus hostem, ut nec audire quidquam de illa boni, nec prope ad eam accedere vellet, diceretque in ea non esse Spiritus sancti gratiam, sed quæ illa faceret, per aliam ex Sororibus fieri, quam putabat magni esse meriti apud Deum; cum tamen plane rudis & imperita foret: tum præterea etiam inhumaniter eam cædi jubebat, interdum usque ad effusionem sanguinis, & crudeles ei persecutiones inferri: quod etsi valde eam excruciaret, propter eos, qui talium auctores erant, attamen ferebat suaviter & patientissime, ita ut ne minima quidem impatientiæ vox ab ea exprimeretur. Sicut autem Salvator orans pro hostibus suis exauditus est pro sua reverentia, ita & ipsa humiliter & efficaciter deprecans pro suis persecutoribus Dominum, non est voto fraudata suo: agnoverunt enim illi tentatione diabolica se instigatos fecisse, quæ fecerunt, totoque vitæ suæ tempore multum ea causa doluerunt.

Vir celebris ei infestissimus.

CVI. Multa etiam tulit ab extraneis non paucis, præsertim a quodam magni nominis viro, cujus facta cum nomine non consentiebant, qui & clam & palam obtrectabat ei, mirabiliter eam impediens, multisque vexans modis, & plane affirmans se & illam, & omnes conatus, & opera ejus prorsus eversurum. Illa vero sic ei respondit: *Spero fidenter in bonitate Dei eum conservaturum, quæ per eum facta sunt*. Duo e Clero præcipui ejus persecutores fuere in ea urbe, in qua permulti non mediocriter eam infestarunt, & impediverunt. Illi multos confinxerunt articulos, incredibili malitia afferentes, eam Hussitarum hæresi infectam, & multa alia sane abominanda ab illis scelerate conficta, quæ tamen non dubitabant palam omnibus proponere & evulgare, ut efficacius sancta ejus opera retardarent. Sed illa his omnibus & quibuscumque aliis injuriis opponebat silentium, ferens omnia sedato & tranquillo animo. Quamvis autem sancti homines sileant, dum ferunt persecutiones, non minus tamen formidanda sunt judicia Dei. Ecce enim alter horum, ut se vidit frustratum conatu suo, elato animo alio commigravit, sed paulo post extinctus est: alter mansit quidem, sed gravi correptus morbo valde cruciabatur, crebro appellans Coletam, tamquam indicaturus ea causa se sic torqueri, quod injuste eam esset persecutus; atque in iis doloribus clausit diem extremum.

Item duo e Clero.

Deus illius ulciscitur injurias.

CVII. Quidam etiam laici opulenti sanctitatem ejus, & vim sanctæ paupertatis ignorantes, non parum ejus detraxere existimationi & famæ, dicentes

tes eam esse fœminam cum primis opulentam, quæ mutuas daret pecunias propter usuras, & quæ cambia, vel collybos Parisiis, Brugis, & Gandavi manuteneret. Sed hæc illi ineptissime, quando cor ejus adeo fervebat sanctæ paupertatis amore, ut libentius multo passura fuerit se vivam excoriari, quam quidquam ejusmodi admitteret. Multi etiam nobiles & potentes intolerabili quadam vexatione illam appetere conati sunt, propter ædes quasdam, quas ipsi volebant ad alios, quam oporteret, usus applicari: sed Dominus Jesus præcipuos ejus vexationis auctores brevi abstulit e vita. Illa vero & has, & alias prope innumeras persecutiones, instar agni, suaviter & patienter tulit, amore illius agni innocentis, qui uno die plus nostra causa perpessus est, quam nos pro illo ferre possemus cunctis diebus vitæ nostræ. Reliqua ejus gesta in annum quo obiit, differemus. Hæc ex actis exscripsimus.

CVIII. Concessit hoc anno Innocentius facultatem ædificandi domum pro Fratribus Minoribus provinciæ Dalmatiæ in oppido *Policii*, Spalatensis diœcesis, ut erudirent populum silvestrem & rudem in locis petrosis habitantem: *Piis votis fidelium*, VIII. Idus Martii. An vero constructa sit hæc domus, mihi incompertum; neque enim in recensu Conventuum Observantum, aut Conventualium, invenio.

Ann. 1447.

CIX. Benedictus XIII. Pseudo-Pontifex etiam indulsit nobili mulieri Mariæ de Montalays, ut in oppido suo Cholleti, diœcesis Maleacensis, & regionis Pictaviensis, Conventum Minoritarum construeret. Anno sequenti Dominica prima Adventus cum solemni supplicatione, præsentibus fundatrice, filiis Joanne, & Reginaldo, postea Dominis Montis-Joannis, & Officiali diœcesano, introducti sunt Fratres in habitaculum. Anno vero MDLXII. in turbis illis, & seditionibus Gallicanis, hæretici domum destruxerunt, & duos Fratres crudelissime trucidarunt. Restaurarunt ædes incolæ piorum fidelium eleemosynis adjuti.

Gonz. in Provin. Tur. Pictav. Con. 6.

Conv. Colleti.

CX. Circa hunc annum vir illustris Didacus Sanctius a Benavides oppidi sancti Stephani de Portu in Hispania, diœcesis Giemensis, Dominus, curavit ædificari ibidem domum Minoritarum, sub sancti Francisci invocatione, & in majori sacello semet in habitu Franciscano sepeliri. In territorio Mareni P. M. a civitate Fulginatensi, hoc anno habitabilem reddidit frater Joannes Stronconius domum inchoatam a beato Paulo Trincio, quam donaverat ejus consanguineus Ugolinus Fulginei Dynasta, constructa Ecclesia sub invocatione sancti Bartholomæi. Perfecit ædificium nobilis vir Nicolaus Trincius Ugolini filius anno MCCCCXV. uti scribit Ludovicus Jacobillus Fulginas, tum in vita beati Paulutii, tum in catalogo Episcoporum Fulginatum, & monumenta testantur provinciæ sancti Francisci. Nimis ergo tarde id factum fert Gonzaga anno MCCCCL. fortassis error irrepsit in numeros. Illic jacent viri pietate insignes Franciscus Brixiensis, Joannes Nursinus, Dominicus Surianus Fulginas, & Pacificus Clemerius, de quibus suis locis agemus diffusius. Primam hanc domum ædificarunt Fratres ipsi Regularis Observantiæ in Italia; quas antea incolebant, receperunt jam factas a Patribus Conventualibus. „ Hoc anno die XV. Novembris Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Lateranen. dederunt facultatem Petro Antonio Jacobini de Luceria Sarracenorum, Nicolao Joannis de Catania, & Francisco Mutio Tranensi, Fratribus Tertii Ordinis ædificandi Ecclesiam, seu Eremitorium sub titulo sancti Hieronymi, in fundo Lateranensi, ad Castrum Talachii exemptum, in diœcesi Urbinate, quod post aliquot annos transivit ad Eremitas beati Petri de Pisis, sive de Gambacorta, uti dicemus sub annum MCCCCXXXII.

Conv. S. Steph. de Portu.

Idem in Provin. Chartag. Conv. 5.

Conv. S. Bartholomæi prope Fulgineum.

Idem in Provin. S. Franc. Con. 9.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Domus Talachii Fratrum Tertii Ordinis.

Monast. Brigatii.

Idem in Provin. S. Jacobi Mon. 10.

CXI. Sub hoc tempus ædificatum eſt, incerto auctore, Monaſterium Clariſſarum in urbe Brigatii (vulgo *Ovjedo*) Principatus Aſturicenſis in Hiſpania Metropoli. Incendio perierunt ſcripturæ, nec quidquam certo liquet circa annum aut cauſam conſtructionis. Poſteriori ſeculo floruerunt hic aliquot pietate inſignes Sorores, quas eo tempore, quo deſecerunt, commemorabimus.

An. 1393. n. 5.

CXII. Dum aliqui dubitarent, an Bonifacii IX. diploma, quo conceſſiſſe diximus, ut remiſſius ageretur cum Fratribus Minoribus Conventus Aſſiſiatis circa menſuram quartæ funeralis, revocatum eſſet per generalem revocationem multorum privilegiorum poſterius ab eodem factam, Innocentius declaravit non comprehendi ſub hac conſtitutione: *Honeſtis ſupplicum votis.* III. Kalendas Martii. Similiter decrevit circa aliam Bullam ejuſdem Bonifacii, qua unitam, & incorporatam voluit Monaſterio Clariſſarum ſanctæ Mariæ inter angulos Spoletanos, Eccleſiam ſancti Gregorii Minoris, ut ad eamdem ſe tranſferrent: *Sacræ devotionis ſinceritas*. XIII. Kalendas Februarii. Sed cum ex hac incorporatione oriretur controverſia inter Epiſcopum & Moniales, & poſt multas altercationes ipſe Innocentius donationem revocaret, non conceſſis tamen ſuper hæc litteris Apoſtolicis, caſſam & irritam voluit Gregorius unionem: *Rationi congruit*. XIV. Kalendas Januarii. Sed eam poſtea probavit Eugenius IV. anno MCCCCXXXII. inſertis primis litteris Innocentii ſuo diplomati. Juſſit demum Innocentius, ut Fratrum & Sororum prælaturæ non protraherentur ultra triennium: *Romanus Pontifex.* X. Kalendas Decembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Bajar. ex Joleſſæo de Viris Illuſtribus.

„ JOannes Ædeus natione Britannus, utpote in Walia natus, vir erudi-
„ tione & religione illuſtris, qui Oxoniæ in Anglia, florida in ætate ma-
„ gna ex parte Ariſtotelis opera commentariis nobilibus colluſtraverat, &
„ doctiſſimo labore ſimiles ſubinde progreſſus in ſacra Theologia cum laude
„ & honore fecerat: relicta tamdem Academia, tantam auctoritatem, una
„ cum ſingulari doctrina & eximia virtute, apud omnes habuit, ut ſingu-
„ lari honore a ſuis proſequeretur, & Cœnobii Præſes inſtitueretur. Na-
„ ctus ſuo ſpiritui quietem non ob id otiabatur, cum imo deinceps ſacra-
„ rum Scripturarum meditationi, & concionibus ad populum habendis,
„ quibus in laboribus non mediocrem fructum faciebat, omnem ſedulo im-
„ penderit operam. Plura ſcripſit, inter quæ ſunt, Lectura in Apocaly-
„ pſim liber unus; Concionum variarum liber unus; Faſciculus virtutum,
„ & vitiorum liber unus: Tamdem Herephordiæ in ſua patria dum Guar-
„ dianum ageret hoc anno MCCCCVI. deceſſit. De ejus vita, fama, erudi-
„ tione, ac religione ſcripſit Joleſſæus in ſuo opere de Viris Illuſtribus.

AR-

ARGUMENTUM.

Deficiunt monumenta Vaticana, colludentibus circa Pontificatum Gregorio, & Benedicto. Moriuntur Henricus Castellæ Rex, & Sibilia Fortiana Aragoniæ Regina, Ordini addictissimi. Multiplicantur domicilia.

I. PAUCISSIMA his annis se offerunt monumenta sacra Vaticana, distractis, & occupatis Pontificibus circa schisma abolendum, & meliorem faciem superinducendam rei Christianæ. Condixerant Gregorius, & Benedictus de abdicanda dignitate, & de mutuo ineundo colloquio in loco aliquo securo, a suspicione injuriæ inferendæ libero. Benedictus venit in Italiam, Gregorius Roma obviam processit, sed dum utrinque timent, vel uterque illudit, tempus magnis expensis, Cardinalium incommodo & indignatione, magno orbis Christiani detrimento, inaniter elabitur, donec tamdem, quod mox dicemus, Cardinales conspirarunt de utroque deponendo. Nihil ergo mirum, si his annis turbulentis, & irrequietæ Curiæ Pontificiæ non suppetant rerum nostrarum monumenta.

An. seq. n. 1.

II. Sub exitum præcedentis anni VIII. *Kalendas Januarias*, ipsa natalis Dominicæ festivitate (licet Marianus noster dicat IV. *Nonas Octobris*) obiit Toleti, non fine suspicione veneni, a medico Hebræo propinati, Henricus III. Castellæ Rex, annos natus viginti septem, postquam regnavit sexdecim, mensibus duobus, diebus uno & viginti. Omnibus sacris, & ex ritu Christiano procuratis, testamentum condiderat, & executores scripserat Comitem Stabuli Castellæ, Episcopum Carthaginensem, magnum Cancellarium Principis Joannis, & Minoritas duos, fratrem Joannem Henriquez, provinciæ Castellæ Ministrum, sibi a Confessionibus (quem in eodem munere præcessit frater Alphonsus de Aquilari) & fratrem Ferdinandum de Yllescas, sui Patris Joannis Regis Confessarium. Regni hæredem decrevit filium Joannem Infantulum, intra claustra Conventus Minorum urbis Taurinæ, natum menses duos & viginti. Suscepto sancti Francisci habitu, Rex in eodem voluit sepeliri, jussitque ædificari Cœnobium ejusdem Instituti, cui addictissimum fuisse scribit Stephanus Garibajus, ejusque consortem Catarinam Alencastriam: idque ipsum testatur Chronicon magnum Belgicum his verbis: *Rex iste fuit devotissimus sancto Francisco, adeo ut arma Regia chordis Fratrum Minorum circumdaret.* Summo omnium dolore, & verissimis lacrymis, luctuque, immatura morte præreptum, eximia indole, ingenio facili, miti, atque liberali, vultu decorum, vernacula facundia, & optimis dotibus instructum Principem lamentantium, in Templi maximi sacello regio tumulatus est. „ In testamento supradicto jussit summam „ quamdam pecuniæ ministrari duabus amitis suis Agneti, & Isabellæ Sororibus Monasterii sanctæ Claræ Toletani, & satisferi quibuscumque suis „ creditoribus, ac scripti testamenti dubia quæcumque explicari per supra„ nominatos executores; statuit Confessarium suum fratrem Alphonsum de „ Alcocer Ordinis Minorum debere in eodem sacro munere inservire Joan„ ni filio, in Regno successori, narratque se Romam misisse prædictum fra„ trem Joannem Henriquez sibi etiam a sacris Confessionibus, & ab intimis „ Consiliis (uti ibidem recenset) ut de provisione quarumdam Eccle„ siarum cum Pontifice pertractaret. Plures sibi substituisse Confessa„ rios Minoritas, ex his tabulis, aliisque monumentis palam constat, „ nec quidquam prætermisisse, quo propensissimum erga Minores animum

Moritur Henricus Castellæ Rex Ordini addictissimus.

Garibay lib. 15. c. 57.
Mariana lib. 19. c. 14.

Fr. Joann. & Fr. Alphons. Regis Castellæ Confessarii.
Item Fr. Ferdinandus.

Marian. cit. c. 15.
Garib. cit. c. 49.
Chron. Belg. sub hunc annum.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
Agnes, & Isabella Regiæ Virgines, Clarissæ.
Fr. Alphons. de Alcocer Confessarius Henr. Regis, & Joannis Regis.
Fr. Joan. Henriquez Regis Henrici Nuncius ad Pontificem.

„ mum posset explicare. Hoc ejus Epitaphium, ex hispano idiomate tra-„ ductum.

„ *Hic jacet plurimum verendus, & justus Rex Dom. Henricus dul-*
„ *cis memoriæ, cui Deus sanctum largiatur Paradisum, filius Ca-*
„ *tholici Regis Dom. Joannis nepos nobilis equitis Regis Henrici.*
„ *Annis sexdecim, quibus regnavit verebantur omnes, & revere-*
„ *bantur Regnum Castellæ. Natus est Burgis in die sancti Franci-*
„ *sci. Obiit die Nativitatis Dominicæ Toleti, dum proficisceretur*
„ *ad bellum contra Mauros cum Optimatibus sui Regni, anno Do-*
„ *mini* MCCCCVII.

Sibilia Regina Aragoniæ decedit. *Indic. Arag. ad hunc annum. Marinæus de reb. Siculis.*

III. Paulo antea, VIII. Kalendas Decembris decessit Barcinone Sibilia Fortiana, Regina Aragoniæ, quam Petrus Rex hujus nominis IV. jam senio confectus, ejus pulchritudine deperditus, mortua Leonora, filia Regis Siculorum, uxorem duxit, licet alterius viri relictam. Sepulta est in eadem veste Franciscana, regio tumulo, in templo sancti Francisci.

Conv. Cacami. *Rodulph. fol. 281.*

IV. Hoc die IX. Septembris frater Joannes Stronconius, quem diximus a Ministro Generali institutum Vicarium & Commissarium super Cœnobiola & loca paupercula Regularis Observantiæ, obtinuit a Gregorio Pontifice facultatem ædificandi nova, seu admittendi vetera habitacula quinque, intra fines Italiæ. In regno Siciliæ hoc eodem anno Joannes de Procita Archiepiscopus Panormitanus, concessit Jaimo de Prates, magno Aragoniæ, & Siciliæ Amirato, & Cacami domino, necnon fratri Joanni de Termino Ministro Minorum in Sicilia, Ecclesiam sanctæ Margaritæ, ut in prædicto oppido Cacami Cœnobium ædificarent. Domus est satis amœna; cujus possessionem confirmavit Fratribus Nicolaus V. Spectat ad provinciam Siciliæ, & Custodiam Agrigentinam PP. Conventualium.

Conv. S. Mariæ gratiarum. *Donesm. lib. 5. histor. Mantuan. Ann. 1389.*

V. Mantuæ Princeps Joannes Franciscus circa hunc annum curavit dari Fratribus Regularis Observantiæ Conventum sanctæ Mariæ Gratiarum extra mœnia Mantuana, de quo alias diffusius disseruimus. Erant in urbe, qui se huic translationi opponerent, & Fratres impedirent, ne mendicarent ostiatim. Princeps obstacula removit, & omnia abunde Fratribus ministravit.

Mon. Fabriani. *Gonz. in prov. Marchiæ Mon. 31.*

VI. Nescio an ad hoc tempus reducam constructionem MonasteriiClarissarum Fabriani, villæ in Piceno notissimæ, D. Honofrio sacri, dum Gonzaga ante ducentos annos a tempore, quo ipse scripsit, fabricatum affirmet. Originem habuit a pauculis, & pauperibus Tertiariis, quas *pauperes dominas* appellabant; unde & in hodiernum diem, licet Institutum mutaverint, & in Clarissas transierint, nomen adhæsit. Prius habuerunt angustum oratorium D. Hieronymo sacrum; deinde anno MCCCCLXXVIII. mutato instituto, fabricata est ampla Ecclesia, sub titulo sancti Honofrii, qua de causa utriusque Sancti tutelaris dies habent festivos.

Mon. Matellicæ. *Indid. Mon. 10.* B. Matthia virgo.

VII. Ejusdem ferme temporis judicatur Monasterium Matellicæ in eadem Piceni regione, urbis frequenti populo, & vetustate commendabilis, a beata Matthia virgine nuncupatum, propter sacrum, quod retinet pignus corporis ejusdem. Filia erat Gentilis Nazaræi, & Sibillæ, conjugum nobilium, ea in urbe orta, & ingenuo adolescenti invita desponsata. Dum nuptiarum tempus appropinquaret, clam aufugit ad Monasterium Clarissarum, & denegante Abbatissa consanguinea ingressum, præ foribus tonso crine, & obducta lacera Clarissarum veste, adeo oravit, ut exorarit admitti. Patrem dira duraque minitantem miro modo flexit, ut factum probaret, & deinceps amplius diligeret. Tanta effulsit pietate & prudentia, ut decen-

dente, quam diximus, Abbatissa, in ejus locum sufficeretur, etsi juvencula. Virtutes, & sanctissimos mores Deus multis comprobavit miraculis. Maschionem Beneventutum juvenem Matellicanum semimortuum, adhuc vivens, perfectæ restituit sanitati, & post mortem claudos, mutos, surdos, & cœcos mirabiliter voti compotes effecit.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Condixerant per mutuos Nuntios invicem missos Benedictus, & „ Gregorius tamdem abolere schisma, ut emendatis scissuris „ submoverentur scandala, ac integritatis, & unitatis desideratissimus Ec„ clesiæ splendor restitueretur. Nec ullo pacto in tanto negotio dissoni ap„ parere poterant, cum etiam de loco congressus ineundi, ab omni suspi„ cione libero convenissent, elegissentque Saonam. Igitur Benedictus cum „ suis in Italiam venit, & Gregorius item cum suis illi Roma obviam pro„ cedebat. Et quidem ambo cum magna pompa, & majoribus expensis me„ tiebantur iter; sed utrique exquisitissima dissimulatione, ut visum est, „ piorum faciles animos inani commento ludebant, ut mox dicemus. In„ terea vero Gregorius rem gratam & æquam facturus, constitutionem „ Benedicti XI. qua eximuntur Fratres ab omni jurisdictione Prælatorum „ Ecclesiasticorum innovavit: *Devotionis vestræ &c.* 11. Kal. Junii.

Gregorius & Benedictus PP. in itinere conveniendi gratia.

„ II. Illustriss. & Reverendiss. Petrus Morelle Trecorensis Episco„ pus, nostræ Religionis addictissimus, hoc anno finem vivendi præsen„ tiens, apud Fratres nostros, quorum orationibus totis præcordiis se com„ mendabat, post suum decessum tumulari mandavit. Igitur cum spiritum „ Deo pie dedisset, in executionem suæ supremæ voluntatis, apud eosdem „ sepulturam honorificam nactus, in spe & fiducia christiana resurrectionem „ justorum expectat ab hoc anno MCCCCVII.

Indic. ex Archiv. SS. Apost. Romæ.

ARGUMENTUM.

Dum frustra teritur tempus pro tollendo schismate, utriusque factionis, Cardinales Concilium cogunt Pisis, cui aliud opponit Benedictus Perpiniani. Referuntur aliquot Episcopi. Convocantur Comitia generalia. Moritur Bonaventura laicus virtutibus insignis. Propagatur Institutum.

I. INGEMISCENTE orbe Christiano sub diuturno & pernicioso schismate Pontificio, urgentibus Principibus, cohortantibus utriusque factionis Cardinalibus, & deprecantibus Ecclesiarum Prælatis, tamdem missis hinc inde Legatis, convenerunt Gregorius Pontifex, & Benedictus dignitatis æmulus, de abdicando Pontificatu in urbe Saonæ ad oram Liguriæ notissima, quam sui colloquii, & mutui conspectus metam posuerunt. Stetit pactis Benedictus, ad statutum locum accessit, atque illuc non semel Gregorium provocavit. Ille a fide data recessit, Benedictum dolose egisse contendit, neque sibi tutum esse adversarium convenire in urbe hosti addictæ, sibi invisa. Mutatæ tamdem stationes, & alibi designata colloquia, nullo tamen majori fructu, quam temporis impendio, orbis scandalo, Ecclesiæ calamitati. Sive culpa fuerit Benedicti, fraude Gregorium circumvenientis, ut in locis sibi obsequentibus opprimeret; sive refundenda sit in Gregorium, nimium, vel fictum timorem obtendentem, sive in utrumque, falsum unionis

Gregor. & Benedictus fictū proteodunt unionis desiderium.

Utriusque factionis Cardinales cogunt Pisis Concilium.

nis desiderium populo Christiano venundantem, circa quod discrepant auctores. Pertæsi tantæ, & tam diuturnæ calamitatis utriusque sequelæ Cardinales, bono consilio, & constanti decreto recesserunt a suis Principibus, & Pisis collecti, egerunt de ultimo, quod supererat, post tot rerum experimenta remedio, de cogendo orbis Concilio, & utroque Pontifice de ambitioso culmine, cui retinendo adeo ignominiose inhiabant, omnino deponendo.

Benedictus cogit aliud Perpiniani.

II. Benedictus videns unionis studium frustraneum, sive suas fraudes elusas, redire festinavit ad Aragonios, potissimos tutelares. Atque ut Concilio Pisano alterum objiceret, quos potuit, Perpinianum convocavit Prælatos. Convenerunt ex Castella, Aragonia, atque una, vel altera provincia Franciæ, & Sabaudiæ, centum viginti; Cardinales pauci, & recenter electi. Majori solemnitate, & frequentiori cœtu inchoatum, quam terminatum est Concilium, & recedentibus Prælatis, abiit in humilem Conventiculum, cum res per paucos, eosque mediocris auctoritatis transigerentur. In florentibus rerum auspiciis, ut majorem conciliaret cœtui dignitatem. II. *Idus Decembris*, Præfectum sanctioris ærarii Magalonensis, Ecclesiæ Astensis Administratorem, Patriarcham Antiochenum, & Franciscum Ximenium Ordinis Minorum, virum, inquit Zurita, insigni sanctitate, & magna, ac multiplici doctrina, diffusaque scriptorum copia clarissimum, Hierosolymitanum procreavit, & consecrari voluit ab Auxitano Episcopo Cardinale. XVIII. *Kalendas Decembris*, Ximenium hunc ante Patriarchatum Episcopum fuisse Elnensem scribit Gonzaga, & virum vocat eruditissimum; quippe qui tredecim variorum argumentorum volumina composuerit. Erroris taxat Gaspar Escolanus in historia Valentina Zuritam, aliosque auctores, quod Valentinum nuncupaverint, Gerundæ ortum, ut ipse sæpe testatur in suis operibus. Sed in Cœnobio Valentino initiatio huic errori fundamentum aliquod præbuisse potuerat. Circa Patriarchatum ipse erravit Escolanus, dum Alexandrinum pro Hierosolymitano supposuit. Sepultus est, non sine veneratione, in Ecclesia Minorum Perpinianensi.

Zurita in Indic. Aragon.

Fr. Francisc. Ximen. Patriarcha Hierosol.

Gonz. in Provin. Catal. Conv. 3.

Escolan. in hist. Valent. 1. part. lib. 5. cap. 7.

Fr. Joann. Episc. Landaven.

III. Sub hoc tempus assumptus est ad Ecclesiam Landaven. in Anglia, sub Archiepiscopo Cantuariensi frater Joannes la Zouth, sacræ Theologiæ Doctor, per translationem Thomæ ad Ecclesiam Worcestensem. Ædificavit ædes Episcopales ad Mathernum prope Chepstonum. Præcesserat in ea sede alius Minorita, sub Pontificatu Innocentii IV. qui nostram, dum de illo scriberemus Pontifice, notitiam subterfugerat, Rogerus Cradot nuncupatus. Circa hunc annum Gregorius fratrem Dominicum Joannis, Ladislai Regis Neapolitani Confessarium, ad se legatum promovit ad Ecclesiam Cajetanam, Martino Episcopo ad aliam translato. „ Martinus Siciliæ Rex „ commendavit seu contulit hoc anno (auctoritate, uti contendebat, suffultus Apostolica) Ecclesiam Melitensem fratri Michaeli de Cettras, „ Martini Catalani nobilis viri, qui in Siciliam cum Martino transfretavit, „ filio, in jure Canonico Baccalaureo. Sed concessionem Ecclesiæ prius „ quidem habuit Michael a Pontifice, quam a Rege, ut ipse fatetur in suo „ Regio diplomate. Privilegium fortassis quod a Sede Apostolica Rex accepit, fuit circa admittendos provisos ad possessionem, propter discordiam Pontificum in schismate pro suo arbitrio & commodo Ecclesias „ conferentium.

Item frater Rogerius.

Fr. Dominicus Joannis Caetan. Episc.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Michael Episc. Meliten.

Pirrus in notit. Meliten. n. 20.

IV. Declinaturus turbas, & Pontificum contentiones longe recessit noster Primicerius frater Antonius Piretus, abiitque in Aprutios, in tanta rerum incertitudine consulturus quid agendum. Ecclesiæ namque Cardines, & res

& res Chriſtianæ Conſules neutri obediendum ex Senatuſconſulto, & Concilii decreto præceperant. Convocavit interim Patres ad Generalia Ordinis Comitia, in urbe Aquila habenda. Male hoc habuit Gregorium, & anno ſequenti alium oppoſuit Antonio Generalem Miniſtrum fratrem Guillelmum de Jannettis, & confirmatum voluit quinto poſt anno, ſui Pontificatus octavo. Paucæ, aut nullæ huic obſecutæ ſunt Provinciæ; atque inter eos anguſtos limites ſuam qualemcumque exercebat auctoritatem, in quibus Gregorio præſtabatur obedientia, & dominabantur Malateſtæ, Reguli Ariminenſes, ſub quorum protectione deliteſcebat. Sepultus eſt in Conventu de Subureto provinciæ Florentinæ, & Cuſtodiæ Maritimæ, adhibita ad tumulum nota, Ordinis fuiſſe Miniſtrum Generalem. Acta ſupradicti Capituli perierunt; id ſolum conſtat conſtitutum fuiſſe, ut per univerſum Ordinem ſancti Benedicti Monachorum Occidentis nobiliſſimi legiſlatoris feſtum coleretur ſub ritu duplicis minoris.

Capitulum Generale 71. Aquilæ.

Greg. Pontifex creat alium Miniſtrum Generalem.

V. Deceſſit hoc anno in Conventu ſanctæ Crucis oppidi Baſtiæ, ſeu Inſulæ, diœceſis Aſſiſien. frater Bonaventura laicus, paupertatis, & humilitatis perfectiſſimus ſectator, a Deo miraculorum gloria in vita, & poſt mortem frequenter illuſtratus. Habitavit diu in Conventu Cervariæ Cuſtodiæ Regni, & ſtructuram auxit. Primam originem hujus ædis non potuimus attingere, Gregorius Pontifex hoc ipſo anno duas illi univit Eccleſias, licet parvi valoris, unam ſanctæ Mariæ, alteram ſancti Blaſii.

Moritur Bonaventura Laicus.

Conv. Cervariæ.

VI. Hoc anno frater Didacus Arias Aſturicenſis, quem cum aliis diximus paupertatis, & ſtrictioris Obſervantiæ cupidum, ædiculas ſibi conſtruxiſſe in Galecia & Luſitania, Joannem Regem hujus nominis primum, ſibi addictiſſimum, induxit, ut II. M. P. ab Alanquerio, inter præruptas rupes, & denſas ſilvas, eam terræ portionem emeret, quæ Cœnobiolo humili ædificando ſufficeret. Solutum a Rege pretium Monialibus, ad quas nemus ſpectabat, conditumque devotiſſimum Oratorium *S. Catarinæ a Carnota* nuncupatum; quod variis incrementis ad commodi Conventus pervenit menſuram. Joannes Rex paulo poſt, devicta Septa Africana, in ipſis freti Gaditani faucibus, munitiſſimo tunc, & frequentiſſimo Maurorum, nunc firmiſſimo Chriſtianorum propugnaculo, in hunc locum duodecim pulchras columnas aſportavit, & aucto Templo, in periſtylio erexit frater Alphonſus a Sacco prædicti Didaci Ariæ ſocius, valetudinarium, aliaque habitacula adjunxit. Antonius Correa Baire, fratris Vaſci Correa, olim provinciæ Luſitaniæ Miniſtri, germanus frater, ejuſque poſteri multa illic præſtiterunt, propter quæ familia hæc patronorum titulo, & dominio potiuntur ſacelli majoris. Nihil hoc in loco, aquarum irriguis, opacis arboribus, inſtructis viridariis, & pulchris ad artem fabrefactis ſtatuis, ſeu depictis Sanctorum imaginibus per multa ſacella, & petrarum nativas ſciſſuras diſtributis, amœniſſimo, apparet, quod ad pietatem non accendat, uti ipſe probavi, dum in vicino Conventu Alanquerii privatis quibuſdam ſtudiis incumbebam. Mira victus, & vitæ auſteritate primi incolæ diſcipulos exercebant, nullus ad Sacerdotium aſpirabat: in hujuſmodi oratoriis omnes ferme erant laici, e Cœnobio Alanquerii frequenter mittebantur ad hanc, & aliam *a Caſtanea* dictam ædiculam, qui ſacra celebrarent. In ſumma ſimplicitate, & generoſo rerum humanarum contemptu, vitam tranſigebant ſanctiſſimam, incredibili ſe macerantes pœnitentia, ſolis herbis contenti, iiſque ter in hebdomada crudis, omnia procul facientes obſonia; ita ut neque ignem diebus Mercurii, & Veneris accendi permitterent. Hinc prodierunt Viri religioſiſsimi, qui provincias Portugalliæ, & ſancti Antonii laudibiliter rexerunt

Rodul. fol. 55. An. 1392. n. Gonz. in Provin. S. Ant. Luſit. Con. 13.

Monum. MSS. ejuſd. Provinciæ Marc. 3. p. lib. 1. c. 24.

Conv. Carnotæ.

runt, populisque fuerunt venerationi. Jacent hic sepulti ipse fundator Didacus Arias, vir doctissimus & pius, præfatus frater Alphonsus a Sacco, & frater Antonius a sancta Maria; de quibus iterum sermonem instituemus. Vixit ibidem annis multis frater Marcus Ulyssiponensis, auctor Chronicorum, quæ circumferuntur Ordinis Minorum, assumptus postea ad Episcopatum Portugallensem.

Ann. 1437.

VII. Exorta controversia in oppido Lemburgæ, Halicien. diœcesis in Russia, inter Rectorem parochialis Ecclesiæ sanctæ Mariæ, & Fratres Minores ac Prædicatores, circa portionem Canonicam, fontem baptismalem, & confessiones audiendas; Matthias Episcopus Præmislien. electus arbiter æquo judicio litem diremit. Erat tunc Vicarius Fratrum Minorum in Russia, & præfectus Cœnobii sanctæ Crucis frater Leonardus; Fratrum Prædicatorum in Conventu Corporis Christi frater Maternus.

Scrobiss. de Archi. Halicien. c. 2.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. BEnedictus, II. Idus Novembris duos ad Patriarchatus honorem „ evexit, Præfectum sanctioris ærarii Magalonensis, Ecclesiæ „ Astensis Administratorem, Antiocheni; & Franciscum Ximenium Ordi- „ nis Minorum, Hierosolymitani; quem consecratum voluit ab Auxitano „ Episcopo Cardinale XVIII. Kalendas Decembris; in qua dignitate pa- „ rum duravit; obiit siquidem Perpiniani, ibidem in Ecclesia Minorum se- „ pultus.

„ II. De præfato Francisco Ximenio lego natum fuisse Gerundæ in Ca- „ taloniæ Comitatu, Valentiæ vero in Hispania Seraphico D. Patri Francis- „ co nomen dedisse, plurimumque in Religione profecisse; & quidem illi „ simul cum Joanne Episcopo Doliense anno MCCCCIII. Benedictus XIII. „ commiserat, ut expeditionem in Turcas Regnum Valentinum infestan- „ tes, promoveret; subindeque ad Episcopatum Elnensem promotum scri- „ bit Gonzaga, qui eum vocat virum eruditissimum, quippe qui tredecim „ variorum argumentorum volumina composuisset: & Zurita dicit virum in- „ signi sanctitate; & magna ac multiplici doctrina, diffusaque Scriptorum „ copia clarissimum. Demum, ut supra dictum est, ad Patriarchatum Hiero- „ solymitanum promotus, Perpiniani supremum diem clausit, non sine ve- „ neratione ibidem apud Minores sepultus. Zurita illum nuncupavit Va- „ lentinum, sed illum reprehendit Gaspar Escolanus, & merito, quod „ Gerundæ natus sit, ut sæpe in suis operibus ipse testatur: sed circa Pa- „ triarchatum ipse Esculanus erravit, dum Alexandrinum pro Hierosolymi- „ tano supposuit. Est etiam qui scripsit, hunc Ximenium ad Episcopatum, „ & Patriarchatum promotum fuisse a Gregorio XII. sed perperam, partes „ enim Benedicti cum sequeretur, ad hujus Consilium Perpiniani profe- „ ctus est.

Gonz. in Provin. Catal. Conv. 3.

„ III. Monachii in Bavaria Pater frater Vincentius Ridler, Patricius „ Monacensis, cum se sancto Patri Francisco in Ordine consecrasset, co- „ piosumque suum patrimonium in Cœnobii Monacensis restaurationem, „ seu potius reædificationem protulisset, in præstantissimum Theologum „ evasit: tempore Capituli Generalis Monachii celebrati anno MCCCCV. „ solertissimus Procurator, ac subinde Bavariæ Custos religiosissimus, „ eximiis meritis clarissimus, ibidem hoc anno MCCCCVIII. die VII. Janua- „ rii pie obiit, sub superioris Chori vestibulo sepultus: quo etiam anno fra- „ ter Michael Custodiæ Gnesnensis in XXVI. Provincialem Boemiæ, & Po-

Chron. Provin. Bavar.

Fr. Vincentius meritis clarus obit.

„ loniæ in Gratz Reginæ, profesto sancti Joannis Baptistæ electus est. Verumtamen ante ejus electionem per majorem Vocalium partem electus fuerat in Ministrum frater Petrus Cracoviensis, qui illico a tali magistratu se abdicavit, Michaele deinceps electo.

ARGUMENTUM.

Depositis Gregorio & Benedicto, Cardinales in Concilio Pisano Pontificem renunciant Alexandr. V. ex Ordine Minorum. Id legitime factum serio probatur. Benedictus e suo conventiculo Perpinianensi legatos mittit ad Pisanos, e quibus unus Minorita. Alexander res magnas, se dignas aggreditur. In aliquot Galliæ provinciis Inquisitorem instituit Franciscanum. Ordinis medetur scissuris. Ex eodem multos assumit ad infulas Pontificias. Petrus de Fuxo ad Episcopatum & Cardinalatum evehitur. Multiplicantur Cœnobia.

I. Indicto Generali Concilio per Cardinales utriusque factionis in civitate Pisarum, uti anno diximus præcedenti, negotium promoverunt, & reliquis animos addiderunt Balthassar Cossa, Legatus Bononiensis, & Petrus Philargus Minorita, Archiepiscopus Mediolanensis, Cardinales magnæ auctoritatis, qui per hos dies Pisas convolarunt, & ex consilio Theologorum, Jurisperitorum, & Principum Oratorum, decreverunt, non tantum posse, sed etiam debere eo casu, quo dubitatio est notoria de uno legitimo, & agitur de alio citra conditionem eligendo Romano Pontifice, Concilium a Collegio Cardinalium convocari. Invitatis itaque Ruperto Imperatore, & Regibus ac Principibus Christianis ad Concilium, præsentibus Oratoribus Regum Poloniæ, Angliæ, Galliarum, Hungariæ, & Siciliæ, Populi Romani, Venetorum, Florentinorum, Senensium, Bononiensium, & Januensium, tamdem inchoatum est die xxv. mensis Martii, & habitis Sessionibus quatuordecim in causis Gregorii, & Benedicti, de Pontificatu tanto orbis scandalo contendentium, & utrimque colludentium, nec in Concilio per se, vel suos procuratores comparere volentium, decreverunt Patres die v. Junii habendos pro notoriis schismaticis & hæreticis, atque enormibus criminibus perjurii & violationis voti irretitis; & proinde honore, ac dignitate Pontificia indignos, ipsoque facto abjectos esse & privatos, atque ab Ecclesia præscisos.

Precipui promotores Concilii Pisani.

Deponuntur Gregorius & Benedictus.

II. Mox habitis aliis Sessionibus circa verum & legitimum Pontificem creandum, qui rata haberet acta Concilii, neque cœtum dissolveret, donec stabiliretur Ecclesiastica reformatio, & tantarum scissionum redintegratio, post Sessionem die Mercurii mensis Junii xxvi. omnium suffragiis, nullo reclamante, electus est in summum Pontificem Petrus de Candia, tituli Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, Ordinis Minorum, *Alexander V.* nuncupatus. Demum habitis aliis quatuor Sessionibus pro bono regimine Ecclesiæ, & prudenti rerum directione, absolutum est Concilium die vii. Augusti, non tamen dissolutum, cum ad negotia Ecclesiæ constituenda illud maxime necessarium Alexander arbitraretur; quare ob gravissimas causas in tempus magis opportunum illud reservavit.

Creatur Alexander V.

III. Circa auctoritatem & pondus hujus Concilii, sunt qui disputent. Gregorius & Benedictus, quorum intererat, & Joannes Dominicus Cardina-

An fuerit legitimum Concilium Pisanum.

Anton. tit. 22. c. 5. §. 2. Binius in notis ad Concil. Blond. lib. 10. dec. 2. Gerson. lib. An Papa possit exauthorari.

nalis, qui Gregorio semper adhæsit, illegitimum esse pronunciarunt. Hos secutus est Antoninus, ejusque commentator Petrus Maturus. Legitimum & œcumenicum appellant Severinus Binius, Blondus, & quotquot Alexandrum in recta serie Pontificum annumerant. Joannes Gerson, qui Concilio interfuit, Dei nutu, & Spiritus sancti inspiratione ductos ait, qui Pisanæ Synodo celebrandæ operam dederunt; & in sermone habito coram Alexandro Pontifice in die Ascensionis: *Cujus*, inquit ad ipsum, *est ista tua substitutio, beatissime Pater, nisi Christi? Unde convocatio Concilii tam mira? Unde prius discordantium inaudita consensio? Unde tot Præsulam, ac præsapientum tam celer concursus? Non causa certe dissensionis, sed pacis.* Et statim obiicit quod alii obtendunt. Non vocavit Papa, fuit conventiculum, quod juxta ea quæ dicentur, optime dissolvere videtur in præsenti causa. Ægidius Cardinalis Viterbiensis de consensu & consessu utriusque partis Cardinalium loquens ait: *Deo Duce, illi Avenione, hi Romæ solvunt, utrique tamdem religioni consulturi, pandunt vela ventis, utrique Pisas, eodem, non vento, sed numine potius afflante, pervehuntur. Patres rem mirati, ac divinam providentiam animadvertentes attoniti tanto eventu primum, deinde incredibili affecti lætitia, alteri ad abolendum schisma alteros adhortantur.*

Ægid. in histor. MSS. secul. 20.

Laurentius Rodulphius, vir doctus sub hoc tempore Florentiæ triduo disputavit, & tamdem conclusit, Concilium fuisse legitimum. Demum ipse Alexander undecimo post mense, cum graviter ægrotasset, & mortem sibi imminere cognovisset, Cardinales ad se venientes ad concordiam & pacem, & ad tuendam Ecclesiæ dignitatem adhortatus, dixit, per eam mortem, quam se continuo subiturum putabat, se existimare & credere, quæ in Concilio Pisano, facta fuerant, recte & integre sine dolo, aut fraude facta fuisse.

IV. Alii media incedentes via, neque probant, neque condemnant factum, eaque incertitudine hic laborandum putant, qua dubitatum est, uter contendentium verus esset Pontifex censendus? præsertim cum unaquæque pars ab ipso schismatis initio, creatis Urbano, & Clemente, doctissimos habuerint patronos. In his sunt duo doctissimi Cardinales, Turrecremata, qui licet verum Pontificem fuisse Joannem, Alexandri successorem, non neget; attamen indubitata certitudine pro tali habendum esse non putat. Bellarminus non facile judicari potuisse ait, qui in illo tricipiti schismate, verus esset Christi Vicarius, & alibi ait, Concilium hoc nec manifeste fuisse probatum, nec manifeste reprobatum, in eamque magis inclinat partem ut legitimum censeatur.

Turrecr. in respons. ad Basil. orat. Bellarm. l. 4. de Rom. Pont. c. 14. Idem lib. 1. de Conc. c. 8.

V. Totum illud infirmandi Concilii fundamentum est, quod coactum sit absque sufficienti auctoritate, nullo indicente Pontifice, contra Ecclesiæ consuetudinem, & Canones præscribentes; nullum absque sententia Romani Pontificis celebrandum esse Concilium. At illud omnino verum, eaque lex firmiter observanda, dum unus, & indubitatus fuerit Pontifex, qui celebrare præcipiat. Eo tamen tempore, quo plures dubii, & incerti de Pontificatu contendunt, neque omnino certum sit cui adhærere oporteat, perinde est ac si nullus omnino esset, remanetque potestas penes Ecclesiam in simili discrimine remedium adhibendi. Sede vacante jure suo conveniunt Cardinales, ut novum eligant Pontificem. Non absimilis hic casus distracta in partes Ecclesia, neque certo ullo, aut indubitato Pontifice admisso, qui universam gubernet. Si in diuturno Interpontificio causa gravis urgeret, vel ad pacificandos Principes, vel ad præcavenda mala orbi Christiano imminentia; vel ut tamdem ad Pontificis electionem deveniatur, & remoratia

tia obstacula tollantur, nonne liceret cogere Concilium? Tot annis fluctantibus populis, longo schismate crescentibus scandalis, obfirmatis duabus, iisque adversis classibus Pontificum; dira sibi invicem imprecantium, nullus tantorum erit finis malorum? nulla erit in Ecclesia medela? Nihil intentatum, nihil non disputatum, nihil non ægrum & infirmum compertum est, per quod inveteratum malum posset superari. Reges, & Principes abierunt in partes, Cardinales suas efformarunt acies oppositas, ut universale & unicum in terris daretur caput Ecclesiæ universali, & unanimi id agendum erat consensu, & œcumenico præstandum Concilio. Uter ex his litigantibus convocabit? uter Pontifex judicet? Si imperaverit uni parti, adversa contemnet? Unica illa, & optima excogitata est ratio tantæ occurrendæ calamitati, ut utroque cedente, tertius isque unicus crearetur. At pertinaci dissidio duobus nolentibus, nihil agendum, sed permittendum ut diuturnum schisma fiat perpetuum? Ut quidpiam decernatur divina fide credendum, Pontificis munus est Concilium indicere; & sine ipso nihil est stabile, aut firmum; ad quem solum spectat fidei articulos condere, & quæ credenda sunt, approbare. Ut vero præsentibus occurratur malis, & quæ facta necessaria concernunt, id etiam nullo sedente Pontifice licere Cardinalibus, seu Ecclesiæ Concilio, ratio ipsa persuadet, & prisca docent exempla.

VI. Adeo hæc rationabilia sunt, ut convincant, & communiori opinione approbentur hujus gesta Concilii: etenim omnium ferme sententia reputatur pro vero Pontifice Alexander, & qui ei successit, Joannes XXIII. atque in serie verorum Pontificum enumerantur: neque aliter Alexander VI. se sextum, sed quintum appellaret. Profecto ex tribus, qui se Pontifices dicebant Alexander, & Joannes successor maxime, tamquam veri Pontifices colebantur, & Concilium Constantiense tam Pisanum approbavit, quam Alexandrum verum Pontificem dixit. Præterea, statim post creationem Alexander recepit legatos omnium fere Europæ Principum, publice gratulantium Ecclesiæ tranquillitati & paci, paucissimis inhærentibus Gregorio & Benedicto ad angustos limites redactis. Concilio etiam interfuerunt undique collectæ omnes ferme nationes, & gravissimi Ecclesiæ Prælati, utrumque collegium Benedictinum, & Gregorianum in unum coalescens ex viginti quatuor Cardinalibus; Patriarchæ tres, Archiepiscopi, & Episcopi CLXXX. Monasteriorum Patres CCC. Theologi CCLXXX. Principum Oratores, aliique viri præclari.

VII. Interim dum hæc Pisis peraguntur, Benedictus suum conventiculum Perpiniani prosequitur, sed major pars Prælatorum ab eo recessit, eoque deventum est, ut per duodeviginti res transigerentur. Quare ad XVII. *Kalendas Aprilis* habita Sess. XIV. decrevit Legatos septem Pisas mittere, ut perscrutarentur quibus conditionibus res ad concordiæ pactionem deduci possent. Ad spem obtinendæ rei delecti fuere viri gravissimi, Petrus Zagarriga Archiepiscopus Tarraconensis, Siguntinus, Mimacensis, & Senensis Episcopi, Bonifacius Ferrarius Domnus Carthusiensis, Prior Cæsaraugustanus, & Minister Ordinis Minorum Provinciæ Galeciæ, seu D. Jacobi: sed Tarraconensi, ut Benedicti nomine ad Francum Regem legationem obiret, in Catalonia remanente, reliquos oratores Nemausi, cum illis iter longum conficiendum instaret, Francorum Regis Ministri detinent, ac demorantur, & mandata, quæ Benedictus Legatis dederat, intercipiuntur: quæ res spem omnem adipiscendæ concordiæ, & Benedictum ad abrogationem deducendi contudit, atque confregit.

Indic. Arag. l. 1. Benedictus mittit legatos paciscendæ unionis.

VIII. Alexander jam in solio constitutus, prout erat ingentis animi, ma-

Alexand. epistola encyclica narrat ortũ & progressum schismatis, suamque electionem. *Habetur in reg. Alex. fol. 54.*

magna quæque molitur, ut Ecclesiæ unionem consolidaret, & corruptos hominum mores, ortosque ex nimia temporis licentia abusus extirparet. Incipiendum erat ab Ordinum Primoribus: quare longissimam scripsit encyclicam ad omnes Reges, & proceres, ad Prælatos, ad Clerum, ad populum universum, in qua ortum schismatis diuturni ab ipso, ut ajunt, ovo, scilicet ab electione Urbani VI. & intrusione Roberti Gebennensis, ac progressum narrat, collusionem Petri Lunæ, ac Angeli Corarii, discessionem utriusque a tractatu unionis; Concilii Pisani necessitatem & actiones, sententiam in collusores latam, acta illorum rescissa, electionis suæ modum: Collegii utriusque conjunctionem, schisma sublatum, unionem Ecclesiæ sub uno indubitato Pastore explicat, & ad extremum hortatur, ne collusoribus faverent, ne gratias, aut beneficia ab eis postularent, ne sancitis eorum parerent, ne minas, aut censuras eorum metuerent; demum ne eos Pontificum loco haberent; quin potius illorum fidem ejurarent, & ex concepta formula schisma detestarentur, & ad schismatis reliquias tollendas totis conatibus collaborarent.

Diris devovet, & regno privat Ladislaum Regem.

IX. Deinde Ladislaum Siculum, sive Neapolitanum Regem, copioso exercitu sub specie protegendi Gregorium, Florentinos, & Senenses Alexandro adhærentes vexantem, Perusinos agros devastantem, ditioni Pontificiæ inhiantem, & Bononiam accedentem, ut Pontificem Alexandrum, ac Legatum Bononiensem Balthassarem Cossam Cardinalem circumquaque concluderet & comprehenderet, indicto Patrum cœtu, ex Concilii sententia diris devovit, Neapolitano regno privavit, diadema ad Ludovicum Andegavensem transtulit, simulque eumdem ad spem delati regni evocavit. Venit propere Ludovicus, mense Julio Genuam, complurium navium classe advectus, subsequente terrestri itinere numeroso equitatu, & Pisis splendido ac regio apparatu exceptus, ab Alexandro regnorum Siciliæ & Hierosolymorum jura & confirmationem accepit. Præstito deinde fidelitatis, ac homagii juramento, præscriptoque censu Romanæ Ecclesiæ solvendo, & suscepto ex Pontificis manu vexillo, institutus est Ecclesiæ vexillarius, adjunctis ex fœdere, ut Ladislaum armis subigeret, Rege Galliarum, Florentinis, Senensibus, Bononiensibus, aliisque Italiæ proceribus. Ad hanc regni translationem allusit Janus Vitalis, cum ita de Alexandro cecinit:

Quintus Alexander ne degeneraret ab illo,
Qui Macedum forti præfuit imperio,
Ejecit Reges solio, ditavit egenos,
In quo certarunt officia, & pietas.

Suppetias fert Regi Hungariæ, & Rhodianis. *Bosius de rebus Rhod. lib. 4.*

X. Ut Sigismundo Hungarorum Regi a Turcis ad Columbacium, Servianorum oppidum prope Samendriam victo, opemque imploranti, & Rhodianis militibus ad Terræ sanctæ recuperationem aspirantibus, suppetias mitteret, missis nunciis & litteris, omnes Reges & Principes Europæos ad sacram militiam excitavit. Hæresim Wicleffianam per malas artes, & subdolas prædicationes Joannis Huss, per Boemiam serpentem compressurus, ipsum satorem Huss Romam citavit, emisso interim diplomate ad Sbinconem Archiepiscopum Pragensem, virum optimum, ut auctoritate Apostolica prohiberet, ne per aliquos (etiamsi essent super hoc Apostolico, seu quovis alio indulto muniti) prædicationes, aut sermones ad populum fierent, nisi in Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, aut Monasteriorum Ecclesiis, seu earum cœmeteriis: & non permitteret articulos ab ullo homine cujuscumque status, conditionis, aut gradus existeret, publice, vel occulte astrui, asseri, aut dogmatizari. Mandavit insuper ut assumptis ad hoc quatuor

Occurrit hæresi Hussitarum.

Cochl. lib. 1. Hussitar.

tuor in ſacra Theologia Magiſtris, & duobus Doctoribus Decretorum, de ipſorum conſilio ſuper his procederet, ac prohiberet ne quis in Eccleſiis, ſive in Scholis, aut quibuſvis locis aliis, prædictos articulos doceret, defenderet, aut approbaret. Ita ut ſi quis contrarium faceret, velut hæreticus cenſeretur. Et niſi revocaverit dictos articulos ſolemniter & publice, ac perpetuo abjuraverit, libroſque, in quibus tales articuli continentur, exhibuerit, ut a fidelium oculis amoveri valeant, captivus teneretur, appellatione remota: invocato ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis.

XI. Alias multas fidei injurias in Gallia vindicaturus, præſertim in Comitatu Avenionenſi, & Provinciis Arelaten. Aquen. & Gebennen. variiſque Eccleſiarum diſtrictibus, Inquiſitorem pravitatis hæreticæ fratrem Poncium Feugeyronis, Ordinis Minorum, diligenter monuit, ut errores omnes procul faceret, malos magiſtros, & fautores ſevere puniret, & qui ſchiſma fovebant, ad Eccleſiæ unionem alliceret. Ut facilius faceret, ſumptus, & auxilium præſtari voluit a Petro tit. ſanctæ Suſannæ Presbytero Cardinale, Apoſtolicæ Sedis in iis partibus legato. Dedit ad utrumque litteras ſequentes. Fr. Pontius Inquiſitor in aliquot Galliæ Provinciis.

Dilecto filio Poncio Feugeyronis, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, in ſacra Theologia Magiſtro, Inquiſitori hæreticæ pravitatis Avenionen. nominato, in Provinciis Arelaten. Aquen. & Gebenn. & etiam in omnibus terris, & locis infra prædictarum Provinciarum terminos conſtitutis; necnon in Lugdunen. Viennen. Bellicen. Grationopolit. Maurianen. Dien. Valentinen. Vivarien. Tarantaſien. & Auguſten. civitatibus, & diœceſibus, ac in Delphinatu, Comitatibuſque Provinciæ Folcalquerii, & Venayſſini, ac in Principatu Auraicen. necnon civitate & diœc. Avenionen. ceteriſque aliis terris & locis, auctoritate Apoſtolica deputato, ſalutem &c.

XII. *AB exordio naſcentis Eccleſiæ paſtores vigilare cœperunt contra pſeudo-Chriſticolas, qui vineam Domini Sabaoth, Catholicam videlicet Eccleſiam diffuſam per orbem, quaſi vulpeculæ demoliri conantur: quorum Paſtorum exemplo laudabili, prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, qui fuerunt pro tempore, ſe murum defenſionis pro domo Domini opponentes, ardore Chriſtianæ fidei & religionis accenſi, circumſpecta vigilantia ſtuduerunt ordinare per diverſa mundi climata Inquiſitores contra maculatos hæretica pravitate, eorumque fautores, & defenſores diverſarum ſectarum, ad inſtar vulpium caudas habentium colligatas, eiſdem Inquiſitoribus auctoritate conceſſa procedendi contra eos juxta Canonicas ſanctiones, & privilegia, ac ſtylum hujuſmodi Inquiſitionis officii hactenus obſervatum. Sane nuper dolenter audivimus, quod infra terminos, in quibus Inquiſitor hæreticæ pravitatis es, auctoritate Apoſtolica deputatus, videlicet in Arelaten. Aquen. & Ebredun. Provinciis: necnon Lugdun. Viennen. Bellicen. Grationopolit. Maurian. Dien. Valentinen. Vivarien. Tarantaſien. & Auguſten. civitatibus, & diœceſibus, & in omnibus terris, & locis infra dictarum Provinciarum, & diœceſ. terminos conſtitutis, & in Delphinatu, Comitatibuſque Provinciæ Folcalquerii, & Venayſſini, ac in Principatu Auraicen. necnon in civitate & diœc. Avenionen. & nonnullis aliis terris, & locis illarum partium, plerique neſcientes in ſemitis juſtitiæ dirigere greſſus ſuos, ſed diverſa Catholicæ fidei, ac etiam ſacris Canonibus adverſa, ſeu contraria; per quæ ſeipſos, & multos ſimplices ſecum trahunt damnabiliter in gehennam, conantur dogmatizare, & etiam ſalutares determinationes generalis Concilii nuper in civitate Piſana, in qua cum noſtra Curia reſidemus, celebrati, ſuper rein-*

Ex lib. 1. regiſt. Alex. fol. 179.

Cant. 2.

Judic. 15.

tegra-

tegratione, ac unione universalis Ecclesiæ salubriter factas, & potissime ac specialiter condemnationem de Angelo Corairo, qui olim in sua obedientia Gregorius XII. & Petro de Luna, qui olim in sua obedientia Benedictus XIII. nominabantur, inveterati schismatis, quod tunc in prædicta vigebat Ecclesia, pertinacibus nutritoribus & fautoribus, necnon invicem de Papatu contendentibus, imo verius colludentibus, etiam in eodem Concilio sententialiter factam, verbo & facto temere satagunt impugnare, in fomentum schismatis, ac favorem Angeli, & Petri prædictorum, eisque adhærentium & faventium in hac parte. Quodque nonnulli Christiani, & perfidi Judæi infra eosdem terminos constituti, novas sectas, & prohibitos ritus eidem fidei repugnantes inveniunt, quos saltem in occulto dogmatizant, docent, prædicant, & affirmant; suntque etiam infra eosdem terminos multi Christiani & Judæi sortilegi, divini, Dæmonum invocatores, carminatores, conjuratores, superstitiosi, augures, utentes artibus nefariis & prohibitis, quibus Christianum populum, seu plerosque simplices illarum partium maculant & pervertunt. Præterea, quidam prædictorum Judæorum nonnullos neophytos, sed ad eamdem fidem noviter de Judaica cæcitate conversos, ad rejudaizandum, seu ad ritus Judaicos execrabiles resumendum directe, vel indirecte, mediate, vel immediate inducere satagunt; necnon ipsorum rudibus librum, quem Talmud appellant, aliosque libros suos quamplures, tam scriptos, quam etiam alios damnatos publice offerunt, quibus utique corda simplicium plerumque maculant & confundunt, machinantes contra fidem Catholicam, & doctrinam veritatis, atque etiam in sua lege Mosaica multifarie deficientes. Demum etiam quidam Christiani, & Judæi earumdem partium non verentur asserere quod usura non sit peccatum, aut recipere decem pro centum mutuo datis, seu quidquam aliud ultra sortem; in his similibus atque in nonnullis aliis spiritualibus, & gravibus peccatis multipliciter excedunt, & plerosque deludunt. Nos igitur, qui prædecessorum dictorum vestigia ferventibus imitamur affectibus, & desideramus ejusdem fidei & religionis ampliari cultum, & extirpare hujusmodi errores, ac etiam pravitates, discretioni tuæ, de cujus fidelitate & industria ac circumspectione fiduciam gerimus in Domino præcipuam, tenore præsentium specialiter committimus, quatenus ad extirpationem omnium hujusmodi pravitatum & errorum ab eisdem omnibus & singulis terminis & partibus, cooperante Domino, vigilanter insistas contra ipsos Christianos & Judæos, qui hujusmodi errores fovere, seu astruere, defendere, aut alias sequi præsumunt, atque eorum fautores, receptatores, & defensores, & sequaces. Nos enim tibi inquirendi, eosque citandi, examinandi, & contra ipsos usque ad definitivam sententiam inclusive, una cum Diœcesanis locorum Ordinariis, & alias prout de jure fieri consuevit in talibus, procedendi, prout juris fuerit & rationis, summarie, & de plano, necnon absque judiciorum, & advocatorum strepitu, & forma judicii, illos quoque, quos per inquisitionem hujusmodi dictos errores committere, aut fovere, seu alias in aliquo præmissorum culpabiles, aut etiam pravitates exercere repereris, juxta eorumdem delinquentium excessus & demerita, puniendi, seu per censuram Ecclesiasticam, & alia tam juris, quam consuetudinis opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; & omnia alia & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna exequendi, statuendi, & ordinandi, juxta prudentiam a Domino tibi datam, plenam & liberam, tenore præsentium, concedimus facultatem. Mandantes etiam universis & singulis Christifidelibus, sub examine districti judicii, quatenus in omnibus & singulis

gulis, quæ ad hujusmodi commissionem spectant, tibi obediant efficaciter & intendat, ac prout expedierit, & eos requisieris, præstent auxilia, consilia, & favores. Non obstantibus, si aliquibus eorum communiter, vel divisim &c. Ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Pisis, III. Kal. Septembris anno I.

Dilecto filio Petro tit. sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem.

XIII. *PRidem per alias litteras nostras ex certis causis dilectum filium Pontium Feugeyronis Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacra Theologia Magistrum, Inquisitorem hæreticæ pravitatis, in Provinciis Arelaten. Aquen. & Ebredunen. ac omnibus terris, & locis infra dictarum Provinciarum terminos constitutis, necnon in Lugdunen. Viennen. Bellicen. Grationopolitan. Maurianen. Dien. Valentinen. Vivarien. Tarantasien. & Augusten. civitatibus & diœcesibus, ac in Delphinatu, Comitatibusque Provinciæ Folcalquerii, & Venayssini, necnon in Principatu Auraicen. ac in civitate & diœcesi Avenionen. & nonnullis aliis terris, & locis, auctoritate Apostolica, duximus deputandum, ac sibi inquirendi contra quoscumque hæreticos, eorumque defensores & receptatores, ac fautores, & plerosque alios in fide Catholica devios, seu contra eam facientes, eadem auctoritate, concessimus facultatem, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum itaque congruum sit, quod Inquisitor ipse pro se & socio, ac notario & famulo, quibus in exercendo congrue dictum officium indiget, in necessariis sumptibus relevetur: & ne alias, quod absit, forsan propter eorumdem sumptuum carentiam, officium Inquisitionis hujusmodi, per nos sibi commissum, negligatur, circumspectioni tuæ deputandi eidem Inquisitori trecentos florenos auri de Camera, boni & justi ponderis, super Judæis nostrarum civitatum Avenionen. & Comitatus Venayssini, aut alias ei, prout melius fieri poterit, & tibi expedire videbitur, auctoritate nostra, providendi, vel saltem statuendi & ordinandi, quod singulariter Episcopi, in quorum civitatibus, & diœcesibus Inquisitor per nos deputatus existit, quando visitabit civitates eorum, & diœceses hujusmodi, in eis prædicando, & inquirendo, interim quod in eis manebit, sibi cum eisdem socio, notario, & famulo de expensis provideant: seu quod quilibet ipsorum Episcoporum eisdem annis singulis, de causis piis, & legatis incertis per procuratorem animarum teneatur, & debeat de summa decem florenorum auri de Camera, dicto Inquisitori providere: ac omnia alia & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet opportuna faciendi & disponendi, super quibus tuam conscientiam oneramus; Contradictores quoque per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam & liberam concedimus, tenore præsentium, facultatem. Sic igitur mandatum nostrum hujusmodi reverenter & efficaciter adimplere procures, quod de zelo Catholicæ fidei, & probata obedientia possis non immerito commendari. Datum Pisis* IV. *Kal. Octobris anno* I.

Ibid. fol. 281. Ut sumptibus subveniat Inquisitori.

XIV. Multa per occasionem schismatis, in Religiones diversas irrepserant, cum earum Patres in diversas quoque partes abiissent, & fere unaquæque duos supremos Magistros, seu Præfectos habuisset. Itaque in unum coalescente Ecclesia; dum eædem religiosæ Sodalitates ad unitatem pristinam sub unius Præsidis fastigium reverterentur, opus fuit medela rebus per divisionem utcumque olim afflictis. Non distulit Alexander, & summis ea-

Bosius citatus. Religionum scissuris & malis medetur.

rum Prælatis potestatem fecit Capitula generalia convocandi, & extra ordinem in eis sanciendi, quæ bono publico necessaria viderentur; ut omnibus constaret illum ad Pontificium munus parem animum attulisse. Joannem Gregorium Provincialem Bononiensem Ordinis Minorum per Gregorium XII. a sua dignitate dejectum, propterea quod Cardinalibus adlaboraverit schismati abolendo, & cum eisdem Pisis aliquot mensibus hæserit, pristino statui, & auctoritati restituit: *Justis* &c. Nonis Julii. Obiisse monet Ro-

Rodul. fol. 190.

dulphus anno MCCCCXXI. Omnes Ordinis scissuras tolli imperat, & universos Fratres sub unius Generalis obedientiam reducit, quantumvis Principum insistant obsequiis: *Ordinem Fratrum Minorum*, VIII. Kal. Octobris. In hoc vero diplomate meminit cujusdam Anti-Ministri generalis sub obedien-

Joannes Bardol. Pseudo-Generalis.

Anno 1379. n. 3.

tia Benedicti XIII. quem Joannem Bardolim appellat. Hic probabiliter alteri Pseudo-Ministro Angelo, de quo superius locuti sumus, successit. Deinde quosdam qui inveteratos, & sæpe condemnatos errores Joannis de Poliaco renovabant, aliosque invehentes contra Mendicantium Ordines reprobavit, & dignis censuris affecit: *Regnans in excelsis*, IV. Idus Octobris.

Fr. Anton. Archiep. Ragusin.

XV. In libris consistorialibus Pontificatus Alexandri hos invenio Minoritas insulis Pontificiis insignitos. Archiepiscopali Ragusina, fratrem Antonium Reatinum, sacræ paginæ professorem: *per profanationem* (inquit codex) *ad Cardinalatum fratris Joannis Dominici, vacante die* XXIX. *Julii*. Is est sensus prædictæ profanationis, ut videlicet illegitime prædictus frater Joannes, etsi alias vir sanctissimus, Ordinis Prædicatorum, ad Cardinalatum assumptus sit a Gregorio XII. anno proxime elapso. Etenim contra fidem sacramenti in electione sua, de non creandis Cardinalibus præstiti, quatuor tunc creavit Cardinales, qui minime pro talibus habiti sunt, donec in Concilio Constantiensi ipse Gregorius sponte Pontificatum deposuit; tunc enim pro bono pacis, tam ipse, quam illi ex totius Synodi sententia, in Cardinalium numerum sunt recepti. Episcopali Cumana in statu

Fr. Anton. Episc. Cum.

Ann. 1416.

Mediolan. sub Patriarcha Aquilejensi, fratrem Antonium de Turconibus, virum nobilem, de quo inferius agemus, per mortem Luchini: etsi Gregorius XII. Guillelmum Pusterlensem ad prædictam sedem promoverit *die* II. *Augusti*. Tergestina Carnorum maritima, sub eodem Patriarcha, fra-

Fr. Nicol. Tergestin.

trem Nicolaum de Caturis, Tergestinum nobilem, sacræ Theologiæ professorem, & suorum Consodalium præfectum, per translationem Joannis ad Ecclesiam Tripolitanam, *die* IX. *Augusti*. Catalogus MSS. quem habeo Episcoporum Tergestinorum, laudat hunc a prudentia in regimine, & solerti cura rei familiaris. Ferentina Hernicorum in Latio, in provincia Ro-

Fr. Sixtus Ferentin.

Fr. Alex. Vapicen.

Ann. 1405. n. 18.

mana, sub ditione Pontificia, fratrem Sixtum Ferentin. per privationem Nicolai *eodem die*. Vapincensi in Gallia, sub Archiepiscopo Aquensi, fratrem Alexium de Seregnio Episcopum Bobiensem, uti superius diximus, per translationem Joannis ad Meld. *die* XX. *Augusti*. Confirmavit huic Pontifex quod alias concesserat Antonius Perettus Generalis Minister, ut apud se retinere posset quatuor Fratres ejusdem Instituti: *Sinceræ devotionis*, XV. *Kal. Octobris*. Deest hic in catalogo Episcoporum Vapincensium apud

Fr. Lancelot. Bobien.

Claudium Roberti. Bobiensi in Ducatu Mediolanensi, sed sub Archiepiscopo Genuensi, fratrem Lancellottum Fontanam Placentinum, sacræ Theo-

Fr. Paulus Petren.

logiæ Magistrum, per translationem prædictam *eodem die*. Petrensi, sub Patriarcha Hierosolymitano, fratrem Paulum de Nasseis, per mortem Henrici

Fr. Petrus Famagustan.

Fr. Jacob. Æmonien.

die XXII. *Augusti*. Famagustano in Cypro, sub Archiepiscopo Nicosiensi, fratrem Petrum Episcopum Vigintimilien. per obitum Luciani, *die* IV. *Septembris*. Æmoniensi in Istria, sub Patriarcha Aquilejensi, fratrem Jaco-

bum

bum de Montina, per lapsum commendæ factæ Patriarchæ Alexandrino, notorie adhærenti Gregorio XII. a Concilio Pisano deposito, *die* IX. *Septembris*. Tolonensi in Gallia, sub Archiepiscopo Arelatensi, fratrem Vitalem Valentinum, in sacra Theologia Magistrum, per obitum N. *die* XXIII. *Octobris*. Interfuit Concilio Constantiensi. Trapesundarum in Lazica urbis Archiepiscop. fratrem Michaelem, Sedis Apostolicæ Pœnitentiarium, per obitum N. *eodem die*. Trapezusarum (urbs est mediterranea Ponti Cappadociæ) fratrem Nicolaum de Gummidia, sacræ Theologiæ Magistrum, per obitum N. *die* II. *Decembris*. Julianum Episcopum Marsicanum a multis annis, propter schisma sua Ecclesia spoliatum, providit de Prioratu Collis Martii, Ordinis sancti Augustini, Senen. diœcesis, II. *Non. Septembris*. Catanensi in Sicilia, sub Archiepisc. Montis-regalis, fratrem Maurum de Cali, prius, uti diximus, Episcopum Milevitanum. Quas passus est turbas, & quomodo creatus est refert vir doctus Rochus Pyrrus in sua Notitia Catanensi. Sed vel circa annum, vel circa Pontificem labitur: non enim eo quo signat anno MCCCCVIII. XVI. Augusti erat summus Pontifex Alexander V. quippe creatus non nisi XXVI. Junii anni sequentis.

Fr. Vital. Tolonen.

Fr. Michael. Archiep. Trap.

Fr. Nicol. Episc. Trapezusar.

Fr. Julianus Marsican.

Fr. Maurus Catanensis.

XVI. Ultra hos Episcopum creavit Lascarensem, uti habetur in diplomate Pontificio, seu Lescar. uti volunt alii, in Gallia, sub Archiepiscopo Auscensi, fratrem Petrum de Fuxo adolescentulum viginti unius annorum, adhibita prius circa defectum ætatis dispensatione: *Divina supereminens* X. *Kal. Novembris*. Cognominatur *de Morlanis* in diplomate, quia in hujus loci Cœnobio a Gastone de Moncada anno MCCLXV. fundato, uti scribit Claudius Roberti, professus est Minorum Institutum. Densæ hic mihi offunduntur tenebræ; prædictus auctor Claudius Roberti hujus Ecclesiæ Episcopum facit anno MCCCCV. & Cardinalem creatum hoc anno a Benedicto Antipapa, idque factum in quatuor temporibus mensis Septembris, narrant Panvinus & Ciaconus. At qua ratione hæc constare possunt, ut ante quatuor annos dicatur Episcopus Lascarensis, qui non nisi sub hujus anni finem ab Alexandro promovetur ad eamdem Ecclesiam, uno natus anno ultra viginti? Deinde quomodo dicetur creatus a Benedicto Cardinalis in mense Septembri, qui ab Alexandro in mense Octobri ad Episcopatum evehitur, nulla facta mentione præcedentis Cardinalatus? aut probabile videbitur, ut Alexander infulas conferat Pontificias, ab æmulo Pseudo-Pontifice purpuram admittenti? Ita hæc mihi discernenda videntur, ut vere hoc primum anno assumptus sit ad Pontificatum ab Alexandro, instantibus nobilissimis parentibus Bearniæ Principibus, quos dum in suas partes trahere, aut in sua obedientia continere satagebat Benedictus, majorem filio contulit Cardinalatus dignitatem; quam ut ab eo recepisset, adlaboravit Aragoniæ Rex, potissimus Benedicti protector. At creationem hanc, vel in annum sequentem, vel in quatuor tempora Decembris incidisse necesse est, vel asserere ad Alexandrum nondum in mense Octobri, quando Petrum creavit Episcopum, pervenisse notitiam collati galeri in mense Septembri.

Fr. Petrus Lescaren.

Petrus hic de Fuxo qualis & quantus fuerit.

XVII. Non immerito cupiebat uterque Pontificum adolescentem hunc in suam partem attrahere, quem & generis amplitudo, & propria indoles ad res magnas facta reddebant illustrem. Ortus est Isabella Castelbona, quæ in principatu successit anno MCCCC. Matthæo fratri Comiti Fuxensi, & nupsit Archambaldo de Graily Capitaneo, seu Cspitali Bojorum, vel Bojarum (vulgo Gallico, *Cap. de Buch*) in Aquitania. His quinque liberi, primus Joannes Comes Fuxi, secundus Gasto Capitalis Bojorum, tertius Archambaldus, quartus Matthæus Comes Convenarum, quintus Petrus

Fuit filius Comitis Fuxensis.

hic, ab utero matris beato Francisco dicatus. Habitum induit in Conventu Morlanico in Bearnia, a suis majoribus constructo, & Theologiæ cursum feliciter peregit. In ipsa adolescentia ad Ecclesiam Lascarensem, & Car-
Cardinalis. dinalatus dignitatem ab æmulis Pontificibus assumptus, mox ad Episcopatum transfertur Convenarum in Gallia, sub Archiepiscopo Auscensi: ite-
Episc. Conv. rumque perpetua ei confertur administratio Ecclesiæ Lascarensis, quam anno MCCCCXXXIII. retinebat. Archiepiscopum etiam Aquensem Claudius
Arch. Arel. Roberti, & Tholosanum nuncupat Ciaconus, sed Arelatensem pro Tholosano oportebat dicere; in hac enim sede successit, jubente Nicolao V. anno Pontificatus IV. Ludovico Alamanno, sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali. Ex titulo etiam Cardinalitio sancti Stephani in Cœlio monte a Benedicto XIII. collato, & a Martino V. confirmato, translatus est ab Eugenio IV.
Episc. Albanen. ad Episcopatum Albanensem. Benedicto derelicto, interfuit Concilio Constantiensi: & in Sessione XXV. legitur Procurator Joannis Comitis Fuxi (germani fratris) & trium statuum Vicecomitatus Bearnensis. Electo
Legatur Sardiniæ & Siciliæ. Schisma abolevit. Martino V. Sardiniæ & Siciliæ Legationibus fungitur: dein ad Hispanos missus, schisma diuturnum, & idolum Peniscolæ penitus delevit. Clementem VIII. Benedicti XIII. successorem Pseudo-Pontificatu abdicare coegit; pœnitentes absolvit, contumaces & obstinatos carcere conclusit; pacem inter Martinum Papam, & Alphonsum Regem Aragonum, mox inter hunc, & Joannem Castellæ Regem componit. Honore auctus, & opimis spoliis Ecclesiasticæ suppellectilis in Hispaniam abductæ, & præsertim tiara sancti Silvestri onustus, in urbem gloriosus regreditur, & honorifice a Martino V. excipitur. Defuncto Alphonso Carrillio Cardinale sancti Eustachii, Legato Avenionensi, ab Eugenio IV. anno MCCCCXXXIV. substituitur
Legatus Aven. Petrus, cum amplissima potestate, adjuncta ei vicinarum provinciarum Aquensis, Ebredunensis, Arelatensis, Auxitanæ, Tholosanæ, Narbonensis, & aliarum cum regionum, tum urbium administratione. Id munus sub Nicolao V. Calixto III. Pio II. & Paulo II. invitus obtinuit. Sæpe enim ob crebras ægrotationes, & senescentem ætatem missionem petitam non impetravit: adeo Romanæ Ecclesiæ intererat tantum virum a regimine non va-
Garib. lib. 27. c. 47. care. Aliam addit legationem Stephanus Garibayus, eumque missum ait a Martino V. Constantinopolim pro unione Græcorum. Sed decipitur; non enim Petrus iste, sed Petrus Fonseca Hispanus Cardinalis sancti Angeli ad Græcos ablegatus. Orto schismate Felicis Sabaudi, Eugenii partem inter potissimos hostes constantissime defendit, quod suo dicemus loco. Ave-
Ann. 1439. Sacras ædes extruxit. nione, & alibi sacras ædes magnifice extruxit, præsertim domum Cœlestinorum Avenionensem, & Collegium SS. Hieronymi & Francisci in civitate Tholosana, anno MCCCCLVI. die XXVI. Novembris inchoatum. In eo viginti quinque scholasticos Juri Canonico, vel Civili operam dantes nutriri voluit, e quorum numero unus præsit Rector, quotannis ipsorum collegarum suffragiis electus, & præeant quatuor Presbyteri capellæ (quam & SS. reliquiis & ecclesiasticis ornamentis decoravit) ministerio adhibiti, singulis diebus Missas celebrantes. Hos omnes e terris, quibus domus Fuxi tunc imperabat, elegit; Vicecomitatu scilicet Bearniæ, Comitatu Fuxi, Vicecomitatu Nebousani, Montis Marsani, Villæmuri, Hautreci, Narbonæ, Vallis Andorræ, Comitatu Bigerronum, sex exceptis, quos undecumque terrarum venerint, modo sint juxta suorum statutorum tenorem idonei, recipi voluit. Hoc collegium amplissime dotavit, & copiosa MSS. librorum bibliotheca decoravit, quam ex Aragonica Benedicti libraria, & aliunde sibi comparaverat; ex qua multa ἀνέκδοτα brevi depromptum iri sperare debent

bent viri docti. Et ex venia Romanæ Sedis hæredem instituit prædictum Collegium testamento scripto *anno* MCCCCLXIV. *Indictione* XIII. *mensis Augusti*. Hic subjungimus aliquot fragmenta.

XVIII. *In nomine sanctæ* &c. *Notum sit omnibus* &c. *quod anno a Nativitate Domini* MCCCCLXIV. *Nos Petrus miseratione divina* &c. *In primis igitur commendamus animam nostram, dum eam, Altissimo disponente, a nexibus corporis dissolvi contigerit, Domino nostro Jesu Christo, qui voluit pro redemptione nostra, & totius humani generis incarnari, pati, & mori, necnon suscipere miserias humanas, ut mediante sua maxima gratia, misericordia & caritate, non habendo aspectum ad offensas nostras infinitas, dignetur animam nostram ponere in viam redeundi ad patriam, & non privemur fructu redemptionis suæ. Ipsam animam nostram etiam humillime commendantes gloriosissimæ Virgini Mariæ, ejus matri, in qua post ipsum Dominum nostrum Jesum Christum semper fuit, est, & erit spes nostra, eidem humiliter supplicando per illam gratiam, per quam voluit eam effici matrem suam, ut velit in hora mortis nostræ orare filium suum pro nobis, ostendendo eidem pectus, & ubera, quæ suxit, ut ipse ostendere dignetur latus, & vulnera, quæ pro redemptione nostra, & dicti totius humani generis suscepit, ut effectus tanti meriti in nos non frustretur: beatisque Michaeli Archangelo, Joanni Baptistæ, SS. Apostolis Petro & Paulo, atque Andreæ, Joanni Evangelistæ, beato Francisco, cujus habitum indigne portamus, supplicando ne velit respicere ad iniquitates nostras, sed ad fidem, & devotionem eorum, qui antequam ex utero matris nostræ egrederemur, suo servitio nos dedicaverunt; sancto Hieronymo patrono nostro, & sicut Deus concessit ei leonem obsequiosum, velit liberare animam nostram a leone rugiente; beato Lazaro, Sororibus beatissimis, Mariæ Magdalenæ, sanctæ Marthæ, sanctæ Catharinæ, sanctæ Margaritæ, & omnibus Sanctis Dei, ut intercessione eorum, & per merita totius Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis, detur nobis venia peccatorum nostrorum: Angelo, qui nobis deputatus est ad custodiam, cui noluimus credere, sed sæpissime nostra fragilitate contempsimus persuasiones suas bonas, supplicando ut in hora mortis nostræ nos non velit derelinquere. Deinde eligimus corpori nostro sepulturam in Ecclesia Conventus Fratrum Minorum præsentis civitatis Avenionensis, & in medio chori ipsius Ecclesiæ, volentes, & ordinantes fieri unum lapidem fortem ponendum super sepultura nostra, in quo sculpatur imago nostra cum armis, & habitu nostris: ita quod dictus lapis non sit elevatus a terra, sed stet in plano. Praeterea volumus & ordinamus, quod in die sepulturæ nostræ sint centum intortitia ceræ, quodlibet ponderis quatuor librarum, & quatuor cerea, quodlibet ponderis viginti quinque librarum, quæ portari volumus per centum quatuor pauperes indutos panno albo cum capuciis ejusdem panni: ordinantes ceram hujusmodi intortitiorum, & cereorum, quæ superierit post cantagium novenæ, Ecclesiæ remanere. Volumus etiam sepeliri in terra cum habitu nostro beati Francisci, & indumentis Pontificalibus, & paramentis. Item, volumus illo die sepulturæ nostræ celebrari centum Missas, & pariter triginta diebus sequentibus qualibet die totidem. Item, volumus primo anno omnia satisfieri creditoribus nostris* &c. Deinde multis Ecclesiis multa legat, Conventui Minorum Avenione pro una Missa qualibet die in perpetuum: ita multis aliis Ecclesiis tum Capitalibus Collegiatis, tum Cathedralibus. Et sub finem: *Legamus Conventui Fratrum Minorum de Morlanis, Lascariensis diœcesis, in quo Conventu habitum nostrum sancti Francisci suscepimus, calicem nostrum auri, cum canetis* &c. Infra: *Conventui Fratrum Prædicatorum* Or-

Orthesii, & de Morlanis quinquaginta scuta pro uno obitu perpetuo &c. *Item legamus Conventui Fratrum Cælestinorum Avenionen. pro augmento capellæ sancti Hieronymi, quam ædificari fecimus, ducenta scuta auri semel tantum* &c. In summa, fere omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & aliis quæ intra suæ legationis terminos erant, legat ad Missas quotannis, & sæpe singulis diebus faciendas &c Hæredem instituit Collegium Tholosæ fundatum.

XIX. Non multo post vir optimus undique illustris, & a Paulo II. electo, nondum consecrato salutatus, III. Idus Septembris, assumptionis anno LVI. & Christi MCCCCLXIV. Deo animam reddidit, die sanctæ Luciæ, ut legitur in Calendario Collegii Fuxensis, hora prima in ortu Solis. Ejus epitaphium in Ecclesia Fratrum Minorum Avenion. ita habet.

Sub hoc humili jacet loco frater P. de Fuxo, creatus Cardinalis anno ætatis suæ XXI. *qui in Concilio Constantiensi cum RR. Cardinalibus, & in Hispania Legatus schisma delevit, & duos Hispaniæ Reges confœderavit: tiaram sancti Sylvestri Lateranensi Ecclesiæ restituit: Avenionensem, ac diversas Provincias, ut Patriæ pater, annis* XXXIV. *rexit; Jacobi & Salome Marias in alto locavit. Tamdem anno* M. CCCC. LXIV. *mense Decembri, animam cælo reddidit, quam sancta suscepit de terris Lucia. Pauli Pontificis Maximi anno* I.

Claudius Roberti in tabulis Ecclesiæ Lascarensis, & Ciacon. in Eugenio IV. obiisse asserunt, anno MCCCCXLVI. die XIII. Septembris, sed aliter judicandum est ex præcitato epitaphio. Frequens occurrit hujus viri memoria per annos subsequentes.

XX. Hoc item anno Alexander Pontifex Archiepiscopatum Mediolanensem, a se per assumptionem ad summum Pontificatum dimissum, contulit fratri Francisco de Creppa Provinciali Mediolanensi Ordinis Minorum, qui Concilio (uti scribit Rodulphus) interfuit Pisano. Ita refert ipse in Diplomate dato sub initium anni sequentis, quo Franciscum de Crivellis creat Ministrum: *Quia*, inquit, *Mediolanensis provincia per assumptionem venerabilis Fratris nostri Francisci, tunc ejusdem provinciæ Ministri ad Ecclesiam Mediolanensem opportuno Ministri regimine præsentialiter remanet destituta*. Miror, nullam hujus Francisci inveniri mentionem apud eos, qui catalogos scripserunt Archiepiscoporum Mediolanensium. Eam vero suspicor causam, quod Franciscus hic non potuerit suscipere pacificam possessionem Ecclesiæ, Joanne Vicecomite, per Gregorium XII. intruso per vim, & potentiam Caroli Malatestæ Reguli Ariminen. Imperatoris exercitus Mediolanensis, qui neptem dedit uxorem Joanni Mariæ Vicecomiti, Duci Mediolanensi, & intrusi consanguineo; qua de causa postea privatus, seu abrogatus fuit in Concilio Constantiensi. Fuisse vero verum, & legitimum Ecclesiæ Mediolanensis Antistitem constat, tum ex depositione Joannis, tum ex provisione Bartholomæi de Capra per Joannem XXIII. in cujus Registro, & libris consistorialibus habetur anno MCCCCXIV. VII. Idus Februarii Bartholomæum fuisse ad hanc Ecclesiam promotum, per mortem Francisci.

Fr. Francisc. Archiep. Mediolanen.

Rodul. fol. 190.

XXI. Fluctuante provincia Januensi inter turbas dissensionum, & schismatis (adhæserat enim hucusque Benedicto, quo spreto, tamdem Alexandro obtemperavit) amoto Provinciali Lunanæ factionis, alium instituit hoc anno Alexander fratrem Guillelmum Ticinensem, seu de Papia, in sacra pagina Magistrum, qui Custodias aliquas prædictæ Provinciæ prudenter gubernavit: *Traditæ tibi virtutes*. Kalend. Augusti. Pœnitentiarium sancti Pe-

Petri voluit fratrem Jacobutium de Cassia: *Religionis zelus*. II. Nonas Septembris. Et Sedis Apostolicæ Sacellanum fratrem Tedaldum *della casa*, virum timoratum & pium, qui in ministeriis Ordinis consenuerat: *Cum in memoriam*. IV. Nonas Octobris.

XXII. In diœcesi Palentina, quatuor ab urbe leucis, in loco deserto, *Villasillos* nuncupato, vir nobilis Rodericus Garsia sub hunc annum fundum concessit beato Petro a Sanctojo, ut Cœnobium sub invocatione *sanctæ Mariæ de Gratia* construeret. Ruinæ proximum instauravit Reverendissimus Antonius de Rojas, & Ecclesiam ornavit honorifica sepultura suorum nepotum, Antonii etiam de Rojas, & Joannis Aucuna. Egregiam habet supellectilem Ecclesiasticam, plurimas reliquias, & religiosissimos incolas strictioris Observantiæ. Anno MDLXXXI. sub præfectura viri virtute illustris, Joannis de Bonilla, non habentes, quod manducarent, panem optimum cœlitus acceperunt. Jacent hic viri piissimi Petrus Conimbricensis laicus anno MDLXXV. defunctus, Virgini Deiparæ gratissimus, uti plurimis indicavit collatis beneficiis. Franciscus Oblatus, universis populis circumvicinis, & Reginæ Margaritæ Austriacæ summe carus; qui sex, aut septem horis immobilis in oratione, & divina contemplatione perseverabat. Clara Martinez, tertii Instituti, fœmina notissima per Hispaniam, de qua alio in loco sermonem instituemus.

Conv. Villasilos.

Gonz. in Provin. Concep. Conv. 17. Mon. MSS. ejusdem Provin.

XXIII. Hoc anno concessit Alexander facultatem Ministro, & Fratribus Provinciæ Turoniæ, ut Conventum ædificandum in castro *de Amboysa*, diœcesis Turonen. super Ligerim fluvium, a nobili viro Petro de Thouars, prædicti castri domino, in suum usum admitterent: *Sacræ Religionis*. V. Idus Septembris. Ædificatum hoc Cœnobium anno MCCCCXII. scribit Gonzaga, idque ex facultate Benedicti XIII. fortasse hic etiam Diploma concessit. Ambasiæ civitatem vocat Gonzaga, vulgo sancti Dionysii suburbium, maximeque laudat ab optima aeris temperie; domui decenter fundatæ, & firmiter extructæ, voluit demum fundator suum corpus commendari.

Conv. Amboysæ.

Gonz. in Provin. Turonen. Pictav. Conv. 8.

XXIV. Conventibus Camberiaci, Grationopolitanæ diœcesis, & Gebennæ concessit, ut legata, & eleemosynas eisdem relicta accipere, ac in usus, ad quos destinata sunt, convertere liceret: *Sacræ Religionis*. II. Kalendas Januarii. Monasterium sancti Martini Clarissarum urbis Pisarum amplioribus auxit reditibus, ab Ordinarii jurisdictione, & exactionibus declaravit exemptum: *Sacræ Religionis*. VIII. Kalendas Octobris. Monasterio sancti Francisci Clarissarum urbis Florentinæ, paupertate gravato, univit Ecclesiam parochialem sancti Laurentii de Cruce prope Scarpariam Mugelli: *Sacræ Religionis*. XII. Kalendas Januarii. Clarissas Monasterii sancti Joannis Pistoriensis liberas voluit ab omnibus exactionibus per Episcopum, Clerum, aut Ministros Ecclesiasticos imponendis: *Religionis zelus*. XIV. Kalendas Januarii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. AD Concilium Pisanum invitatis Ruperto Imperatore, & Regibus, ac Principibus Christianis, præsentibus Oratoribus Regum Poloniæ, Angliæ, Galliarum, Hungariæ, & Siciliæ, nec non Populi Romani, Venetorum, Florentinorum, Senensium, Bonnniensium, & Januensium, tamdem mensis Martii die XXV. hujus anni MCCCCIX. inchoatum est; & habitis 14. sessionibus in causis Gregorii, & Benedicti de Pontificatu contendentium, & colludentium in deceptionem Populi Chri-

„ Christiani, & in Concilio per se, vel suos Procuratores comparere detrectantium, die v. Junii pronunciarunt Patres Benedictum, & Gregorium pro notoriis schismaticis, & hæreticis, necnon enormibus criminibus perjurii, & violationis voti irretitis; ac proinde honore ac dignitate Pontificia indignos, ipsoque facto abjectos esse, & privatos, nec non ab Ecclesia præcisos. Mox habitis aliis sessionibus circa verum, & legitimum Pontificem creandum, qui rata haberet acta Concilii; neque cœtum dissolveret, donec stabiliretur Ecclesiastica reformatio, ac tantarum scissionum redintegratio, tandem Mercurii die xxvi. Junii, post sessionem, omnium suffragiis, nullo reclamante, electus est in summum Pontificem Petrus de Candia, tituli Basilicæ xii. Apostolorum Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, Ordinis Minorum, Alexander V. nuncupatus: demum habitis aliis 4. sessionibus de bono regimine Ecclesiæ, & prudenti rerum directione, absolutum est Concilium die vii. Augusti, non tamen dissolutum, cum ad negotia Ecclesiæ maxime necessarium Alexander arbitraretur; quamobrem temporis opportunitati majori illud reservavit. Cor interea Benedicti Concilium Perpiniani comprimit, quod abeat in conventiculum: at qui plura noscere cupit, legat Waddingum.

Petrus de Candia fit Pontifex, & Alexander V. salutatur; ejusque zelus & vigilantia.

„ II. Ad apicem summi Pontificatus evectus Alexander V. sedulo Pastoris optimi officio fungens, insomnis super Dominicum gregem vigilabat; quamobrem Ecclesiis pastorali sollicitudine destitutis providebat, præterque alia in Annalibus registrata, lego quemdam fratrem Antonium Minoritam Apostolicum Pœnitentiarium instituisse: *Religionis zelus &c.* ii. Kalendas Februarii.

„ III. Joanna a Lutzemburgo, quæ Comitissa Ligny, & sancti Pauli, Soror etiam sancti Petri de Lutzemburgo Episcopi Cardinalis, ex devotione habitum Tertii Ordinis sancti Patris Francisci in Monasterio Moncelli sancti Joannis Baptistæ prope sanctum Maxentium, provinciæ Franciæ undecimo, induit: ibique tribus Religionis emissis votis, vitam virtutibus plenam duxit: illuc pro sua pietate cor sancti fratris Petri recens demortui secum attulerat: Sane ut exinde sæpius in se vis exardesceret divini amoris. Obiit sanctissime pridie Idus Novembris, anno Christi mccccix. suæ ætatis liii. ejus corpus jacet ibidem, prope Pontem sansancti Maxentii in territorio Beluacensi, & ejus vitam scripsit Nicolaus Vignerus.

AR-

ARGUMENTUM.

Alexander Pontifex dum iter parat in Urbem, & res magnas molitur, bonorum luctu decedit. Defenditur contra obtrectatores. Succedit Joannes XXIII. Moritur Rupertus Imperator: Substituitur Jodocus Barbatus Marchio Brandeburgensis. Recensentur Episcopi. Joannes Polonus laudabiliter operatur conversionem Lithuanorum, Ruthenorum, & Tartarorum. Florent viri docti. Deteguntur calumniæ sparsæ in fratrem Joannem Parvum, & Dominicum Joannis. Construuntur domicilia.

I. Pisas invadente sub finem anni præteriti lue contagiosa, recessit Alexander Pontifex Pratum, hinc Pistorium, demum Bononiam, inde transiturus in Urbem. Sed dum cunctatur, & Sedis Apostolicæ copiæ Urbis regiones in suam deducunt potestatem, locis publicis præsidiarios milites imponunt, & securum aperiunt Pontifici accessum. Magistratus recens creatus a Pontificiis, & populus Romanus suos Oratores, Clerus autem unum ex Minoritis Aracœlitanis, virum insigni facundia, & auctoritate designant. Omnes una voce fausta omnia precari, orare Romam quantocyus veniret, & Urbem a Ladislai Regis partiariis fœde laceratam, sua præsentia recrearet. Optavit ille quidem, at non potuit votis Romanorum satisfacere, gravissimis Reipublicæ Christianæ negotiis, & Ladislai impiis tentamentis impeditus, mox fatis ereptus. Et quidem ab omnibus fere Europæis Principibus legationes maximam ejus brevis Pontificatus partem rebus publicis disponendis surripuere: Ladislaus vero sub prætextu tutelæ Gregorii, ingentem illi metum incussit tanto apparatu bellico, quem adversus Ludovicum Andegavensem, Siciliæ Regem, terra, marique instruxerat. Itaque & curis distentus, & timore justo perterritus, Bononiæ mortem expectavit.

Orant Romani, ut Alexander veniat in Urbem.

Impeditur.

II. Duo præcipue cogitabat Alexander, & Ladislai tyrannide Ecclesiasticum liberare patrimonium, & Sedis Apostolicæ dignitatem perfecta unione, & morum reformatione restituere. Urbis Avenionensis, & Comitatus recuperandi gratia miserat legatum Conradum Caracciolum Cardinalem, S. R. E. Camerarium, eumque alia Galliæ Cisalpinæ legatione, ut aliquot urbes nutantes in Ecclesiæ Romanæ fide confirmaret, cohonestavit. Græcos Ecclesiæ Latinæ adjungere, beneficia Ecclesiastica dignis conferre, simoniam procul facere, Canonum observantiæ invigilare, schismatis fibras evellere, pacem terris restituere, vitia tollere, virtutes reducere summo studio satagebat, cum inopinata mors vel a dignitatis, vel a virtutis hostibus veneno advecta, generosa consilia brevi temporis momento dissipavit. Cum autem ex morbi qualitate nosset mortem prope instare, Cardinales ad pacem & unitatem hortatus, commendatis, uti dixi, Concilii Pisani decretis, dixit se a divino judicio bene sperare, conscientia bene actæ vitæ fretum, & lacrymantibus omnibus, qui aderant, oculis & mente in cœlum erectis, Cardinalibus benedixit, illud Salvatoris ægre proferens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*: Et addidit: *Ex me, quam fallax sit hæc vita, cognoscite, cum vivitis, facite quæ agenda sunt, ne differatis*. Dein sacris Ecclesiæ ritibus, & mysteriis peractis, placide obdormivit in Domino, die Sabbati v. Nonas Maii, noctis sequentis hora quinta, Pontificatus mense decimo, die octavo, anno ætatis LXXI. Sepultus est ad suos consodales, adscriptis his tribus carminibus prioribus, quartum habet Pe-

Res magnas molitur.

Moritur.

trus Rodulphus: cui etiam diffusius epitaphium posuit Joannes Baptista Paganus; erravit tamen in numero mensium, quo sedit Alexander.

Epitaphium.

Summus Alexander Pastorum quintus, & omnis
Scripturæ lumen, sanctissimus Ordo Minorum
Quem dedit, & proprio Cretensis nomine Petrus,
Migravit Superum ad lumen, sedesque beatas.

Anno M. CCCC. X.

Petro Philargo Cretensi, viro insigni, oratori gentium, concionatori facundissimo, Consiliario Ducum, disputatori acerrimo, Parisiis publice Theologiam profitenti, in quatuor Sententiarum libros scriptori luculentissimo, qui ex Ordine Minorum ad Episcopatum Vincentiæ, Novariæ, Archiepiscopatum Mediolanensem, Cardinalatum, & tamdem ad summi Pontificatus apicem evectus, & Alexander V. appellatus, Bononiæ moritur anno salutis M. CCCC. X. *Pontificatus sui mense octavo.* Joannes Baptista Paganus de Zanctinis, bono pietatis impulsus, dum plura in hoc Templo divino cultui pararet, eidem divo cultori hoc mausoleum reparavit anno* M. D. LXXXVIII. *die* XX. *Septembris.*

* al. Undecimo.

III. Neque huic tanto viro, & laude dignissimo defuerunt qui obloquerentur. Primus Theodorus Niem, auctor proscriptus, omnium illius temporis Pontificum maledicus convitiator, Alexandrum in multis accusat, quod *omnia ex sententia Balthassaris Cossæ Cardinalis gerebat, quia ad Pontificatum ejus opera evectus*; quod *nimia morum facilitate nemini quidquam petenti denegarit*; quod *inter competitores nequidquam discerneret, neque merita alicujus expenderet*; quod *Ministris nihil deferret, sed omnia pro arbitrio distribueret*; quod *sui Instituti Fratribus Cathedrales Ecclesias citra merita conferret*; *ejusque creatione adeo illos lætatos, ut catervatim ubique cursitarint, tamquam amentes, per vias, & vicos civitatis*; quod demum *quatuor Ordinibus Mendicantium decimas concesserit Ecclesiarum parochialium, propterea quod illi docendis populis serio incumberent*: additque *magnas turbas rem hanc Parisiis excitasse, opponente se Parisiensi schola concessioni, dolo, & fraude impetratæ*. Jacobus Meyerus ex his aliqua, Bzovius omnia serio in suos Annales corrivavit.

Calumniæ in Alexandrum.

IV. Miræ imposturæ, & graves hæ sunt calumniæ, quibus hominem, omnium calculis, & unanimi consensu cunctorum Cardinalium, Pontificatu dignissimum, tamquam immerentem, & omnino incapacem depingunt. Qui sui regiminis, & prudentiæ adeo diuturnam fecit experientiam, qui virtutis, & justitiæ specimen exhibuit in tot regendis Ecclesiis, & distribuendis beneficiis, ad Pontificatum evectus adeo repente mutatus est in virum alterum, ut omnino desipuerit? Hic ille est, quem adversarum factionum Cardinales, relictis veteranis Pontificibus, unum delegerunt orbi pacificando, Clero reformando, Ecclesiæ gubernandæ? Hic ille est, quem Insubrum Dux primum voluit, & optimum probavit Consiliarium? Quem filii infantuli scripsit curatorem, & Principatus primum dictatorem?

Deterguntur.

V. Quod autem *consodales, ejus creatione exultaverint*, nihil id mirum, neque vituperabile; hoc enim omnibus Sodalitatibus commune est & licitum, gaudii signa exhibere, dum ex illorum consortio quispiam evehitur ad excelsiores dignitates: quid si ad supremam extollatur? Quod item *cursitarint tamquam mente capti publice per vicos, & plateas*; hoc commentum

Ejus creationi ut gratulati Minores.

tum est, & livoris additio. Theodori Niemi notissima est erga Pontifices malevolentia, consarcinata ejus de schismate historia perpetuis conviciis: Bzovii erga Franciscanos ubique per omnes Annalium Tomos se prodit affectus; Meyerus nihilo melior erga universos Regulares.

VI. Produco adversam benigniorum auctorum aciem, qui diversum de Alexandro, ejusque prudentia & aptitudine ad regendum ferunt judicium. Platina *virum* vocat *in omni vita, & ætate præstantem. Pontificiam*, inquit paulo inferius, *dignitatem adeptus, merito Alexandri nomen consecutus est, cum & liberalitate, & magnitudine animi cum quovis optimo Principe conferri posset. Adeo enim munificus erat in pauperes, & viros sua benignitate dignos, ut brevi sibi nihil reliquerit. Unde per jocum dicere interdum solebat, se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. In eo enim defuit illa habendi cupiditas, quæ una cum re & ætate accrescit simul. Sed hoc vitium cadere in viros bonos, & rerum humanarum contemptores, non potest, qui quo magis consenescunt, eo minus viatici indigere se cognoscunt, & ob hanc rem cupiditates sedant, refrænant avaritiam, ac ceteras animi labes expellunt.* His subscribit Ciaconus, qui omnia verbatim transcripsit. Ægidius Cardinalis Viterbiensis: *Alexandro divina lux, & sacrarum rerum intelligentiam, & incredibilem dederat sanctitatem. Universam Ecclesiam in spem sanandi vulneris erexit, & cœpit omnia agere, quæ & Christiana respublica, & tantæ tempestatis ratio postulare videbatur. Fuit is magno erectoque animo, summa prudentia, incredibili liberalitate, in pauperes præcipue, quibus levandis ita studuit, ut nihil omnino sibi reservaret; nec sibi sapere videri eos, ajebat, qui cum summam gloriam eroganda pecunia comparare possint, summam aut colligenda infamiam, aut asservanda invidiam conflant. Nam cum triplex sit ea in re errandi ratio, eorum qui unde fas non est, aurum comparant; qui ubi comparant, nemini dant; qui dant quidem, sed non quibus dare maxime oporteret; primos raptores, alteros lucifugos, postremos dilapidatores appellabat: feliciter eos summum locum adipisci, qui faciliorem inde sibi sternunt ad cælum viam.*

Platinæ de Alexandro judiciũ.

Alphon Ciacon. Ægidii Viterbiẽsis. Ægid. ait. secun. loco.

VII. Papirius Massonius, *instructissimum, & natura magnanimum* appellat: *eique*, inquit, *data a Cardinalibus plena licentia ad disciplinæ Ecclesiasticæ, quem pro sapientia ac luce dignitatis suæ in posterum regeret* &c. *Erat vir dignissimus altissimo, qui eum secutus est, honore; natura quippe illum esse jusserat benignum & liberalem.* Et postquam ejus liberalitatem in pauperes, & virtute præditos retulerat, subjunxit. *O felicem virum! qui virtute, fortunaque inter mortales tam sublimem honorem nactus, eo bene uti, quod per raro contingit, scivisti. Cum amicos atque bonam famam opibus utiliores, honestioresque, atque minus animi laboribus obnoxios, quam aurum, in quo omnia in contrarium inveniuntur, esse duxisti.*

Papir. Massonii.

VIII. Hæc ipsa habet Joannes Baptista Fulgosius lib. 4. memorabilium. Historia Concilii Constantiensis his verbis Petri assumptionem ad Pontificatum enarrat: *Statim a Cardinalibus Petrus Philargus Cretensis, vir optimus, atque doctissimus renunciatur, qui* Alexander V. *vocatus, summa bonorum omnium gratulatione in sancti Petri sede collocatur. Cum Cardinales & Synodus se jam Ecclesiæ dignitati optime consuluisse, ipsique Ecclesiæ sanitatem omnino attulisse existimarent.* Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, in sermone habito coram eodem Alexandro, in die Ascensionis. *Quoniam ergo te certum, ac indubitatum Pontificem nobis exhibuit Deus, ut reliqua mala per te tollat, & regnum Israel nimis instrictum iterum ampliet,*

Fulgosi. Historię Concil. Constantien.

Gersonis.

ad te jam convertitur, & clamitat Ecclesia, quærens; Domine si in tempore hoc &c. *Non ab longis inquit, retro diebus quisquam me summus Pontifex in tantam spem erexit recuperandæ meæ dignitatis antiquæ, sicuti tu, quem video contraire dispositum illis, qui me dimiserunt.* Et infra: *Denique cum a puero te cœlestis religio susceptum adeo spiritualiter vivere docuerit, ut id tibi in naturam conversum sit, advocabis spirituales viros ad beneficia; ab his carnales arcebis* &c.

Joannis Baptistæ Egnatii.

IX. Joannes Baptista Egnatius, illustre hoc de eo protulit testimonium: *Alexander V.* inquit, *in Creta insula natus, Minoritanæque familiæ a puero addictus, ingenii felicitate, & litteris maxime excelluit, qua ex re Joanni Galeatio Mediolanensium Principi cognitus, qui eloquentiæ vim in eo admiratus, quam concionabundus referebat, naturæque bonitatem illius observans, ac liberalitatem, eam operam dedit, ut primum Vincentinus declararetur Episcopus, tum relicta Vincentia, Novariensi præficeretur civitati: mox Mediolanum evocatus, Archiepiscopali dignitate donatus est. Quin etiam postea Pisani Concilii auctoritatem secutus, quam Cardinalis ipse maxime probabat, ea causa, ut schisma tolleretur duorum Pontificum, omnium judicio Cardinalium Pontifex Maximus creatus est, qui morum elegantiam, ejusque excellentem doctrinam, ingentemque ejus liberalitatem perspexerant. Utinam vero diu ille summæ rei præfuisset, nam Christianæ rei fortassis melius consultum esset: sæpe interim cum familiaribus agens, dicere solitus erat, divitem se olim Episcopum, pauperem vero Cardinalem, mendicum, ex nimia liberalitate, Pontificem esse, in qua dignitate octavo post mense obiit.*

Panvini. Harpsfeel. seculo 15. cap. 8.

X. Onuphrius Panvinus ait, humanitate, doctrina, liberalitate, animi magnitudine clarissimum fuisse. Nicolaus Harpsfeldius in historia Ecclesiastica Anglicana, postquam dixerat Alexandrum maximis Concilii suffragationibus delectum, addidit: *Absolutæ cujusdam in Alexandro pietatis, atque doctrinæ magnitudo, valde hominum animos erexit in summam spem, qua confidebant, solidam per eum pacem, & vetera sua Ecclesiæ valde deformatæ ornamenta restituenda, sed ut optima quæque præcipiti cursu e medio fere avolant, ita hanc omnem spem præmatura mors elusit, & elisit.*

An concesserit decimas Mendicantibus.

XI. Illud porro insigne est mendacium, quod *Alexander concesserit quatuor Ordinibus Mendicantium decimas Ecclesiarum parochialium, propterea, quia docendis populis serio incumbebant; & huic concessioni malis artibus obtentæ se opposuerint Parisienses.* Indulsit certe Alexander, seu innovavit, quod sui prædecessores statuerunt circa liberam prædicationem, externorum sepulturam, & Confessionem excipiendam, quosdamque articulos circa hæc noviter adinventos, & Parisiis a multis admissos, gravi præmisso Theologorum & Juristarum consilio, condemnavit. Hæc male habuere Parisienses, & sæpe pugnam hanc instaurarunt; etsi sæpe a Pontificibus Romanis repulsi. Fuit aliquis sciolus, aut malevolus, qui ut majorem concitaret erga Mendicantes invidiam, sparsit in vulgus concessas decimas parochiarum his Ordinibus; eo fortassis sensu aut fundamento, quod dum liceret eis prædicare, Confessiones excipere, & liberas habere sepulturas, decima pars emolumenti parochorum caderet Mendicantibus. Ipsum diploma nos damus in Regesto, ex quo facile percipiet lector, quam vere hæc objiciantur Religiosis, quam avide excipiantur, novisque incrementis se diffundant.

Succedit Alexandro Joan. XXIII.

XII. Tanto Pontifici (quem vel ipse Bzovius laudat, exscripta ejus vita ex Platina, immemor eorum, quæ præcedenti folio ex Niemo maledico de-

desumpsit) suffectus est Bononiæ, xvi. *Kalend. Junii* sexdecim Cardinalium suffragiis Balthassar Cossa Neapolitanus, Cardinalis Diaconus sancti Eustachii, Bononiensis Legatus, vir nobilis, & ultra quam deceret ferocis, militarisque animi. Suscepto Joannis XXII. sive XXIII. nomine: consecratus est Presbyter, & Episcopus a Joanne Cardinale Ostiensi, & coronatus præ foribus Ecclesiæ Cathedralis, per Rainaldum Brancatium S.R.E. Archidiaconum. „ Benedictus Anti-Papa hoc anno abiit Cæsaraugustam, pacificaturus ordines utrosque, Principes illius regni, & Principatus Cataloniæ, in sera bella erupturos circa deligendum regni successorem. Obierat „ enim absque liberis Rex Martinus, multique contendebant se in regni „ jura præferendos. Composita tandem pacifice controversia, ne scilicet „ armorum strepitu sed justitiæ tabulis res ageretur, habito gravi consessu „ heroum in Monasterio sanctæ Claræ prædictæ urbis, cui Abbatissæ titulo „ præerat Contesina Soror germana Benedicti.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Zurita lib. 11. cap. 15.*

XIII. Hoc anno, sub Maii finem, Rupertus Rex Romanorum, Bavariæ Dux, ac Palatinus Rheni Comes, obiit in Oppenheim. Successit xii. *Kal. Octobris* Jodocus Barbatus, Marchio Brandeburgensis, patruelis Sigismundi Regis Hungariæ, vir nullarum virtutum, inutilis imperio, fallax & facilis ad promittendum, quæ neque præstare volebat; grandia intempestive loquens, fidem promissam minime servans. Sexto ab electione mense xiii. *Kal. Aprilis* decessit, Brunæ sepultus; Galbæ seni comparandus, qui septuagesimo tertio ætatis anno imperium adeptus, septem mensibus imperavit.

Moritur Rupertus Imperator. Succedit Jodocus. Hic etiam decedit.

XIV. Obiit hoc anno frater Joannes Amicus, ex Ministro Provinciæ Turonensis, Episcopus Betlehemitanus, mox Sarlatensis in Gallia, sub Archiep. Burdegalensi; sepultus in Conventu Burginovi, cujus fuerat aliquando Guardianus. Epitaphium dedimus, dum de illo ageremus Cœnobio. Alexander Pontifex creavit Episcopum Clusinum in Etruria, sub Archiep. Senensi, fratrem Eliam sacræ paginæ professorem, *die* xiv. *Martii*. Archiepiscopum Thebanum fratrem Nicolaum Trivisanum Venetum, sacræ Theologiæ etiam professorem, *die* iv. *Aprilis*. Joannes vero successor v. *Kalend. Augusti* instituit Episcopum Ariensem, sub Archiep. Creten. fratrem Franchionum Secretum Cretensem, per obitum Rolandi. Transtulit ad sedem Scardonensem in Liburnia, sub Archiep. Spalatensi, fratrem Petrum Aciensem Episcopum, per obitum Francisci, *die* xxx. *Julii*.

Fr. Joan. Episc. Betlehemitanus mox Sarlaten. *Tom. 7. an. 1112. n. 11.* Fr. Elias Clusio. Fr. Nicol. Arch. Thebao. Fr. Franchionus Episc. Arien. Fr. Petrus Acien. mox Scardonen.

XV. Frater Joannes a Polonia cognomento Parvus, qui in conversione Ruthenorum, Lithuanorum, & Tartarorum, cum laude, & animarum lucro diu insudavit, venit in Italiam a Pontifice plures operarios, & privilegia necessaria petiturus. Accessit, nescio quo consilio, potius ad Gregorium exauthoratum Pontificem, Cajetæ sub Ladislai Regis protectione hærentem, quam ad Alexandrum Bononiæ adhuc superstitem, & sequens reportavit diploma. Alius hic est ab illo Joanne Parvo, qui Parisiis suscepit defensionem Ducis Burgundionis, quando Ducem Aurelianensem Regis Galliæ fratrem curavit occidi. Hic enim Polonus, ille, uti monet Meyerus, & alii, Normannus: hic decessit in Lithuania, iste in Galliis, uti mox ostendam.

Fr. Joannes Polonus prædicat Lithuanis, Ruthenis &c.

Dilecto filio Joanni de Polonia, dicto Parvo, Ordinis Minorum professori, salutem &c.

XVI. Decens, *imo debitum, arbitramur, ut in his, quæ animarum salutem & fidei Catholicæ incrementa respiciunt, simus favorabiles,*

Ex lib. 2. Greg. fol. 181.

les, & benigni. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, dudum in partibus Ruthenorum, & Lithuanorum, ac Tartarorum, videlicet viginti quinque millia hominum, Christi virtute, ad fidem Catholicam conversi fuerunt; & pro eo quod Sacerdotes, qui illos instruebant in fide, propter pestilentias, quæ ibi viguerunt, decesserunt, aliqui ex ejusmodi conversis errant in fide, & fidem Græcorum imitantur; ac tu in partibus Lithuanorum, & Ruthenorum fidem Catholicam prædicaveris, & multos ad eamdem fidem tuis salutaribus monitis conversos baptizaveris, & idioma, quod ipsi loquuntur, perfecte loquaris & intelligas, ac sis paratus cum aliis Fratribus, quos habere poteris, & duxeris eligendos ob præmissa exequenda, quibuscumque periculis te exponere; pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis salubriter providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi pium propositum plurimum in Domino commendantes, ac volentes, prout ex debito Pastoralis officii obligamur, in his, quantum nobis ex alto permittitur, salubriter providere: hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, qui Presbyter es, & de cujus prudentia plenam in Domino fiduciam obtinemus, ut tu, & Fratres prædicti quascumque ex personis hujusmodi, earumdem partium dumtaxat, utriusque sexus a reatibus laicalium homicidiorum, necnon a peccatis suis omnibus, quæ tibi & ipsis Fratribus confitebuntur, nisi talia fuerint, propter quæ necessario sit Sedes Apostolica adeunda, absolvere valeatis. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, specialem licentiam elargimur, præsentibus post sex annos minime valituris. Nulli &c. Datum Cajetæ VIII. Aprilis anno IV.

XVII. Jordanus Ursinus Cardinalis, uti ex litteris Joannis XXIII. anno V. Pontificatus ejusdem, in regesto producendis, ex commissione Alexandri V. hoc anno, vel præcedenti examinavit causam fratris Arnulfi de Fonte Provincialis Burgundiæ, a Benedicto Antipapa exauthorati, quia spreta ejus auctoritate, adhæsit Patribus Concilii Pisani, electoque ab eisdem Pontifici. Eum Protectorem Ordinis nuncupat Pontifex; & in Concilio Constantiensi hac auctoritate designatur. Pœnitentiarios Apostolicos hoc anno institutos invenio duos, unum ab Alexandro, cui nomen Antonius de Tricarico, alterum a Joanne vocatum Nicolaum de Novo-castro alias *Generi*, sacræ Theologiæ Magistrum.

Conc. Constant. sess. 19.

Trithemius de Scriptor.

XVIII. Florebant hoc tempore, quos subjicio Doctores. Theutones, Joannes de Werdena in Scripturis sacris eruditus, ingenio excellens, in naturali Philosophia, ac veterum Doctorum lectione egregie versatus, concionator suo tempore celeberrimus. Joannes de Duren in Scholastica & Morali Theologia nobiliter exercitatus, in declamandis sermonibus ad populum, magnæ & præclaræ opinionis. Tilmannus de Hachenberg ex diœcesi Trevirensi, in divinis Scripturis studiosus, & longa exercitatione doctus, magnus & clarissimus divini verbi prædicator. Italus, Franciscus de Platea, in utroque Jure, & sacris litteris eruditus. Petrus Philargus Cretensis, quem per omnes dignitatum gradus feliciter ascendisse diximus ad Pontificatum, publicus in gymnasio Parisiensi professor. Angli, Nicolaus Fachinhamus Norfolcensis, sacræ Theologiæ Doctor, & professor Oxoniensis, Provinciæ Anglicanæ Minister, Richardo II. Regi carus, cujus hortatu multa docte scripsit, pro schismate extinguendo. Obiit Colcestriæ apud suos sepultus. Guillelmus Butlerus professor etiam Oxoniensis, & Provincialis. Valde impugnavit verbo & scriptis translationem Anglicam bibliorum suo tempore fa-

Florent. viri docti.
Fr. Joannes de Werdena.
Fr. Joannes de Duren.
F. Tilmannus de Hachenberg.
Fr. Franciscus de Platea.
Fr. Petrus Philargus.
Fr. Nicolaus Fachinhamus.
Pits. de Scriptor. Angl.
Fr. Guillelmus Butlerus.

factam, obtinuitque cum aliis sui zeli consortibus, ut codices comburerentur, propter intolerabiles abusus, & incommoda ex obvia rusticorum, artificum, & muliercularum, sacrorum librorum lectione. Probavit hos ejus conatus, & scripta Alexander V. Mortuus & sepultus est inter suos Rheadingæ. Reginaldus Longhamus initiatus in Conventu Norwicensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Multas habuit cum doctis viris controversias, de quibus varios scripsit tractatus. Petrus Ruscellus Regularis Observantiæ professor, Oxoniensis Academiæ alumnus, & sacræ Theologiæ Doctor. Virtute & litteris factus est sui Ordinis per Angliam Minister Provincialis. Thomas Otterbornus, vir pius & doctus, qui ultra Philosophiæ & Theologiæ peritiam, in re historica eminenter emicuit.

Fr. Reginaldus Longhamus.

Fr. Petrus Ruscellus.

Fr. Thomas Orterborn.

XIX. Inter Gallos floruit Joannes Parvus, Normandus, Doctor Parisiensis, quem Bzovius insequitur, quod Joannis Burgundionis causam susceperit defendendam, patrata cæde Ludovici Ducis Aurelianensis, fratris Caroli VII. Galliarum Regis. Invisam narrationem ex Meyero transcripsit, ex quo etiam ego defensionem adhibeo: *Joannes Theologus* (inquit hic auctor) *postquam retulit multa crimina Aureliani coram Rege, & in pleno Principum consessu, intulit juste occisum, & Burgundionem potius præmio, quam supplicio dignum, qui unius hominis cæde tot mala a florentissimo regno, & innocente Rege, quot Aurelianus parabat, avertit. Multa inter dicendum congessit suo stabiliendo argumento, quorum aliqua contendebant Aureliani sectatores & filii impie dicta, & a rectæ fidei regulis aberrare. Cum schola Parisiensi solerter agunt, ut condemnentur; sed dum graviori examine abitur in longum, Joannes Theologus moritur, & apud suos consodales tumulatur Hisdini, Idibus Julii, die Mercurii. Tandem importuna prece Aurelianensium, Doctores Parisienses, ut judicium ferant coacti, dixerunt hæreticas non esse propositiones a Theologo Parvo prolatas; aliquas tamen aliis censuris affecerunt, & combusserunt, quas Meyerus enumerat. Demum ipse refert author, quod anno* MCCCCXVI. *mense Januario, in Synodo Constantiensi rursus probati fuerunt articuli Joannis, qui fuerant Lutetiæ cremati, & damnata sententia scholæ Parisianæ, in illos lata; ita curante præcipue Martino Atrebatensi Episcopo Theologo, auxiliantibus Jordano Episcopo Albanensi, Antonio Cardinale Aquilegiensi, & Francisco Cardinale Florentiæ.* Hæc etiam confirmat Jacobus Ceretanus, in actis Concilii Constantiensis MSS. quæ asservantur in bibliotheca Vaticana; ejusque defensionem suscepisse Sigismundum Imperatorem testatur. Paulus Æmilius factum enarrans, nihil objicit Joanni Burgundionis tutelari, sed simpliciter absque ulla injuria, aut censura factum recenset: *Joannes*, inquit, *cognomine Parvus, professione Minor, in cœtu Procerum, præside Rege, causam Burgundionis egit. Exitus fuit, ut non causa probaretur, sed venia nobilissimo Duci daretur, gratiaque delicti fieret.*

Fr. Joannes Parvus.

Bzov. an. 1407. *n.*11.

Accusatur.

Meyer. ad ann. 1407. 1411. 1413. 1415.

Defenditur.

Æmil. in Carolo VI.

XX. Gravius multo invehitur Bzovius in alium Franciscanum Ladislai Regis Neapolitani Confessarium, & Legatum ad Gregorium Pontificem, mox Episcopum Caetanum. Erat vir nobilis, ante paucos annos conversus a seculo, cui nomen Dominicus Joannis. Contra hunc multa probra conjicit Theodorus a Niem in pestilenti, & maledico suo illo libro de schismate, qui merito proscriptus est, atque hæc omnia verbatim in suos Annales corrivat Bzovius. Caput & summa malorum est, quod persuaserit Gregorio ne juste, & rite collatum sibi Pontificatum deponeret. Sed hoc etiam suaserunt alii multi ex variis Ordinibus, teste eodem bono historico Theodoro, & præ aliis summopere laborarunt, tum publice prædicando, tum libros scribendo,

Calumnia in Dominicum Joannis.

Detergitur.

duo

duo viri docti, & præclari ex Ordine Prædicatorum, quorum unus alteri successit in Archiepiscopatu Ragusiensi. Primus vocatus Nicolaus, obiit Senis, dum totus huic rei, & fovendo Gregorio in retentione Pontificatus incumberet: alter Joannes Dominici, qui ab eodem Gregorio Archiepiscopus Ragusiensis, & Cardinalis tituli sancti Sixti creatus est, & ab ejus latere aliis ferme omnibus recedentibus non recessit, donec in Concilio Constantiensi ejus Legatum simul cum Carolo Malatesta agens, Gregorii depositionem exposuit, & admissus est in cœtum Cardinalium. Quæ convicia, quæ probra, quas insignes calumnias, & enormia crimina etiam huic clarissimo viro idem Theodorus non objecit? Ea tamen non lubet Bzovio, neque mihi placet referre. Quæcumque in Franciscanum dicuntur, aut falso effinguntur, statim transcribit Bzovius, quæ in Dominicanos ejusdem criminis incusatos, aut facti participes, altum silentur. Non uno tamen loco ea refert Theodorus, metrica, & prosa oratione pluries repetit, epistolas a Diabolo eidem Archiepiscopo scriptas fingit, & refert; quarum etiam meminit Chronicon magnum Belgicum, in iisque licentiosissime, & impudentissime debacchatur in hominem sanctissimum. Quæ non etiam dicit in Nicolaum, Joannis Dominici in Archiepiscopatu, uti diximus, prædecessorem? Quid non de ejus vita & morte comminiscitur, eumque solum voluisse unionem impedire? Videre si cui placeat, aut lubeat candidum hunc Bzovii historicum lib. 3. cap. 23. 31. & 50. & tractatu sexto nemoris unionis cap. 19. 29. & 41. videbit quam candide nobiscum agat Bzovius. Vapulabit severe Dominicus Joannis, Franciscanus, si Gregorio suadeat ne renunciet; impune faciet Joannes Dominici, Dominicanus, si idipsum suadeat, atque pro commendanda Gregorii tenacitate tractatus & libros conscribat. Hoc superest leniment, æque male omnes apud Theodorum audiisse, & nulli, sive Pontifici, sive Cardinali, sive insonti, pepercisse.

Conv. Clissi. Gener. in Prov. Turon. Pictav. Conv. 7.

XXI. In suburbiis oppidi Clisii, diœcesis Nammeten. in Britannia minore, versus occidentem, constructus est hoc anno Minorum Conventus, a clarissimo viro Oliverio de Clissio, auctoritate Benedicti XIII. Conflagravit magno incendio domus, & monumenta omnia perierunt. Restaurata est pietate Comitis a Virtute, primi Baronis Britanniæ, ac Clissiensium temporalis domini, adjuvantibus etiam oppidanis.

Conv. Setobrigæ. Idem in Prov. Algarb. Conv. 7.

XXII. In regno Lusitano citra Tagum, nobilissimum flumen, pia fœmina Marianez Scholaris, filia Joannis quondam Scholaris, qui sub Ferdinando Rege fisco præfectus erat, prope oppidum frequens & celebre Setobrigam, vulgo *Setuval*, fundum concessit Cœnobio Minorum ædificando. Ita illi eurarunt, collectis eleemosynis, & constructo templo, prædicta benefatrix sibi, suisque posteris erexit speciosum facellum; qua de causa aliquando sibi patronorum honorificum titulum usurparunt.

Anno 1392. n. 7. & 24. Conv. Visontii. Idem in Provin. S. Anton. in Lusit. Conv. 5.

XXIII. Frater Petrus de Alemancos, quem superis extruxisse humiles Regularis Observantiæ ædes enarravimus, hoc anno empto piorum eleemosynis situ, pro alio construendo cœnobiolo prope civitatem Visontii in Lusitania, vulgo *Viseu*, & impetrata a Canonicorum Capitulo ædicula sancto Dominico sacra, domum suis Consodalibus posuit, sub titulo sancti Francisci *de Orgens* ex loco ita nuncupatam. Anno MCCCCLXX. restauravit frater Franciscus Lamacensis, Guardianus, adjutus piorum eleemosynis; sed majori subsidio Alphonsi V. Regis Lusitani. Secundo refecit Guardianus alter Antonius de Buarcos anno MDXXXII. & templi peristylium a fundamentis ædificavit. Sacelli majoris se patronum dicebat Rodericus Gomez a Silva, Princeps Ebolen-

lensis, propter majorum suorum, quod illic conspicitur sepulcrum: sed & aliorum Heroum illic tumuli conspiciuntur. Jacet ibidem venerabilis Pater frater Petrus a Sanctis, nonus Provinciæ sancti Antonii Minister, cujus facta narrabimus eo anno, quo ex hac vita decessit. In hoc Cœnobio primam habui ad populum concionem anno MDCXIII. & in æde Cathedrali tunc suscepi sacros presbyteratus Ordines a Reverendissimo Domino Joanne Emanuele illius urbis Antistite. *Anno 1605.*

XXIV. In oppido Zalardi, Varadien. diœcesis, hoc anno Conventum Minorum fuisse constat ex diplomate Pontificio Joannis XXIII. quo conceditur Guardiano Zalardi, ut absolvat a variis censuris Nicolaum, & Gregorium Stephani de Czaalo, milites Varadienses, propter damna Ecclesiis & Monasteriis illata tempore bellorum. *Conv. Zalardi.*

XXV. Urraca Gusmania nobilis heroina, cui parebat oppidum Villæfrechiosi, diœcesis Legionen. in Hispania, obtinuit anno MCCCCVIII. a Benedicto XIII. diploma datum in urbe Niciæ, XVI. *Septembris*, ut in prædicto oppido Monasterium erigeret Clarissarum. Hoc anno inchoavit, & multis sumptibus absolvit sub titulo sanctæ Claræ, & tot prædiis, redditibusque dotavit, ut sexaginta alere possit Moniales. Ipsa deinde spretis mundi deliciis, virginum cœtui se adjunxit & præfuit, dum vixit. Paulo post emissam professionem, quidam Heroes consanguinei volebant usurpare aliquot prædia, quæ illa huic ædi mancipaverat, quibus restitit Benedictus prædictus, constitutis conservatoribus Legionensi, Palentino, & Zamorensi Episcopis. Addiderunt alios proventus Joannes II. Henricus IV. Ferdinandus, & Joanna Reges Castellæ. Litigatum est cum Capitulo Legionensi, Commendatario Cerecini Ordinis Hierosolymitani, & Clero Castri-viridis circa decimas prædiorum, & possessionum hujus Monasterii: & sententiam tulit anno MDLXXXIII. Andreas Fernandez de Corduba, Provisor Salmanticensis, Judex conservator, solvendas esse huic Monasterio dumtaxat. Floruerunt hic multæ piæ virgines, quarum nomina & gesta dabimus annis, quibus obierunt. Referunt, harum religiosarum Sororum orationibus liberatum oppidum a sevissima tempestate, & horribili grandinis imbre, quibus Dæmones terram omnem in circuitu desolare, & fructus destruere cogitabant, & postea apertissime conquestos, ne id facerent, impeditos fuisse per merita hujus cœtus religiosissimi. *Monast. Villæfrechiosi. Gonz. in Prov. S. Jacobi Mon. 11. Monum. MSS. ejusd. Prov. Vide Franc. Herreram in limine sui quadragesimal.*

XXVI. Duo invenio sub hoc tempus Monasteria Clarissarum in urbe Ticinensi, sive Papiensi; unum *sanctæ Agathæ*, aliud *sanctæ Mariæ Annuntiatæ* nuncupatum. Primum antiquius laborabat inedia, & secundum a nobili vidua Blanca, relicta Galeatii de Vicecomitibus militis Papien. constructum, & generose dotatum, abundabat reditibus, ita ut ex iis, quæ superarent necessitatibus Sororum, distribuerentur in pauperes floreni quadringenti. Dimidiam partem horum dari voluit Alexander V. dum Legatum ageret in partibus Lombardiæ sub Innocentio VII. Monasterio sanctæ Claræ, ratumque habuit in Pontificatu, quod in legatione constituit; quod & amplius confirmavit hoc anno Joannes ejus successor: *Rationi congruit*, VIII. Kalendas Junii. Ad preces Clarissarum Veteris-Budæ, Vesprimien. diœcesis in Hungaria, confirmavit varias litteras prædecessorum suorum Pontificum, præsertim Bonifacii VIII. & Joannis XXII. *Sinceræ devotionis*, VII. Kalendas Junii. *Mentes vestræ*, II. Kalendas Aprilis. Similiter rogantibus Vicario, & Fratribus Lulbaniæ * confirmavit privilegia Ordini concessa per Clementem IV. & Benedictum XI. *Sacra vestra religio*, III. Nonas Julii. Lites exortas inter Fratres regnorum Daciæ, Sveciæ, & Nor- *Monast. duo Ticini.* * *al. Lithuaniæ.*

wegiæ circa alternos eligendos Provinciales commisit decidendas Episcopo Lincopen. *Dudum siquidem*, VIII. Kalendas Junii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Joannes ad Pontificatum assumptus Commissorialem ad fratrem Michaelem de Pontico: *Rationi congruit &c.* VIII. Kal. Junii; & Executorialem ad Guardianum de Zalart in Hungaria: *Et si antiquus &c.* XVI. Kal. Septembris expedivit; ac postremo IV. Idus Septembris fratrem Nicolaum Pœnitentiarium Apostolicum instituit: *Religionis zelus &c.* Cum interea plures Sanctimoniales in Monasterio Divæ Claræ Villæ-Frechiosi, quod est XI. Provinciæ sancti Jacobi, æmulatrices invicem bonorum operum, Evangelicæ perfectioni studentes mirifice florerent. Setobrigæ autem Oppidi celebris in Lusitania citra Tagum ad mare, Cœnobium divo Francisco nuncupatum, cujus meminit ad hunc annum Waddingus, ab uno ex successoribus Marianez scholaris fundatricis, qui in Conventu sancti Bernardini Provinciæ Algarbiorum, cum habitu Religionis ante professionem occubuit, ampliatum fuisse, recensent monumenta illius Provinciæ, sicut & pluribus exornatum privilegiis a Regibus Lusitanis, virtute quorum binis in Parochiis, scilicet sanctissimæ Annunciationis, & sancti Sebastiani, ad habendas populo conciones soli Fratres illius domus jus habent. In foribus & Lanienis in iis, quæ ad victum spectant, omnibus præferuntur: ab oppidi vero senioribus quamdam carnis ad æsum quotidianum eleemosynam, & ceræ pro hebdomadæ majoris Ecclesiasticis usibus certam quantitatem habent. Ceterum nescius quibus temporibus consignem, prosequar hic referre, quæ de eodem Conventu monumenta præfata commemoranda docent.

„ II. Deficiente dictæ fundatricis linea, tutelarem sibi delegerunt Fratres Ferdinandum de Miranda Henriquez, per illustrem Equitem, qui ob id sibi, suisque posteris Sacelli majoris honorificum jus acquisivit. Quiescit autem ibi servus Christi frater Giondicallus ex Ulyssipone, vir pius, humilis, devotus, paupertatis amator integerrimus, & sui Instituti zelantissimus observator: alter etiam nomine frater Joannes a Visitatione dictus, ex recollectis, dignitate Sacerdos, qui humilitati maxime studens, numquam aliis præesse voluit. Magistrum Novitiorum agens ex obedientia in eo Conventu, properavit ad præmia: decursu temporis tumulo aperto, ejus manus cum unguibus & pilis, veluti viventis fuissent, inventæ sunt. Antonius quoque Taveira Concionator, ac Tertiariorum Magister adeo bona sanctitatis fama pollebat, ut sui transitus hora percepta, innumerabilis populus ad eum visendum & venerandum cucurrerit. Emanuel etiam laicus professione, a sancto Benedicto nuncupatus, maximæ exemplaritatis extitit: in ejus funere, cera, quæ inter parentandum ardebat, inconsumpta, pristinum pondus, non sine admiratione, conservavit.

„ III. Libet autem post hæc magnalia Dei enarrare. Est oppidum Alcasavas nomine in Lusitaniæ regno, in quo pia fœmina Domina Maria de Mello suas ædes habebat, quæ ex devotione, qua in sanctum Patrem Franciscum ferebatur, quotiescumque contingebat Fratres itineris causa per eum locum, in quo Cœnobium non habebant, transire, in propriam domum hilari vultu & sincero corde excipiens, necessaria ad victum ex caritate ministrabat. Vice quadam ingruente nocte, laborioso itinere fessi

„ duo Fratres gratiam hospitii humiliter, & ob amorem Dei ab ea petentes,
„ introducti fuere. Cum autem eos reficere vellet, filiæ, quam habebat,
„ grandiusculæ, jussit ex arca sumere, & panem apponere; porro sciebat se
„ domi nihil ad manducandum habere; confidens nihilominus divinæ pro-
„ videntiæ, sperabat, Deum in gratiam servorum suorum, quos ut Angelos
„ domi admissos venerabatur, benedictionis suæ manum aperiturum fore.
„ Domesticarum rerum non ignara juvencula, ad suæ genitricis mandatum
„ subrisit; attamen obediens festina properavit ad arcam, & ecce, duos
„ panes albos & recentes adinveniens, stupore & gaudio repleta matri de-
„ tulit dicens: *En mea mater, vidistine unquam his similes, albos, odorosos,*
„ *& recentes*? Re patefacta Religiosis viris,& admirata, Deum simul omnes
„ laudaverunt, qui non deserit sperantes in se, & spirituali gaudio perfusi
„ de cœlico illo pane comederunt, benedicentes Domino.
„ IV. Hoc anno sub finem Maii Rupertus Romanorum Imperator, Ba-
„ variæ Dux, ac Palatinus Rheni Comes obiit in Oppeneim; successit XII.
„ Kal. Octobris Jodocus Barbatus, Marchio Brandeburgensis, patruelis
„ Sigismundi Regis Hungariæ, vir illaudatus, qui sexto ab Indictione men-
„ se XIII. Kal. Aprilis, & ipse decessit, Brunæ sepultus.

ARGUMENTUM.

Confertur Imperium Sigismundo Regi Hungariæ, viro dignissimo. Celebrantur Comitia generalia. Instituuntur Inquisitor Tusciæ, Pœnitentiarii, & Episcopi. Florent in Conventu Ovetensi viri pii & docti.

I. MORTUO, ut dixi, hoc anno Jodoco Barbato Imperatore, convenerunt Electores Francofurti, & substituerunt Sigismundum Hungariæ Regem, Caroli IV. Imperatoris filium, & Wenceslai Cæsaris fratrem, virum strenuum, & viribus potentem, qui labenti Imperio, & nutanti Ecclesiæ possit succurrere. Referunt quod Archiepiscopo Moguntino Comitia Electoribus indicente, cum ad ea Sigismundus hic, quem diximus, Rex Hungariæ, tamquam Marchio Brandeburgensis, qui unus Electorum habetur, venisset, dignitatisque regiæ gratia primus sententiam esset rogatus de Cæsare nominando, seipsum nominaverit: *Me*, inquiens, *ego novi, alios non itidem, an æque mecum Imperio orbis digni sint, præsertim in tanto rerum motu, quo Italia quoque schismate ibi durante plurimum laborat*. Mirati hanc tam liberam & apertam Sigismundi vocem ceteri Electores, communique assensu illam approbantes, ipsum Sigismundum Regem Romanorum consalutarunt. Imperio dignissimum omnes affirmant: nam & majestate regia, quam in procero ostentabat corpore, & liberalitate, ac magnificentia, quam multarum linguarum peritia insigniorem reddidit, omnes facile suæ ætatis Reges antecellebat. Virum Christianissimum, pium, urbanum, talemque depingunt plerique historici, ut cœlitibus adnumerandum existiment. Plurimum ei debet Ecclesia; quippe ejus operæ & industriæ suam pacem & unionem acceptam refert, sublato per Constantiense Concilium a Sigismundo procuratum schismate scandaloso & diuturno.

Dubrav. lib. 23. histor. Boem.

Sigismund. Rex Hungariæ evehitur ad Imperium.

II. Hoc anno indicta etiam a nostris Consodalibus Comitia scribunt Marianus, & Marcus, ubi tamen, quo mense, quidve in eis actum non commemorant. Suspicio potuisset ex his irrepere erroris, præsertim cum ex monumentis Vaticanis mihi constet, Ministrum Generalem Antonium Pire-

Marian. cit. c.6. Marc. 3.p. lib.1. c.19.

Capitulum generale 72.

Anno 1409. n. 14. Harpsfel. sæculo 15. cap. 9.

tum hoc anno in Anglia degisse, Nuntii Apostolici auctoritate fungentem (ubi antea præcessit pseudo-Minister Joannes Bordelinus, de quo superius diximus, quem Harpsfeld *Botellum* cognominat, & in Synodo Cantuariensi anno MCCCCVIII. scite perorasse pro extinguendo schismate commemorat) eique commissum *sub* IV. *Idus Novembris*, ut dispensaret cum Thoma, Regis Henrici IV. filio, & Margarita de Holand, Joannis de Beaufort Comitis Somersetani filia, ut, non obstantibus consanguinitatis gradibus, matrimonium possent inire. Diploma dabo in Regesto. An vero Capitulum hoc celebraverit antequam transfretaverit, vel quo certo tempore in Angliam abierit, incertum. *Sub* IV. *Idus Junii*, invenio concessam facultatem fratri Antonio Tiburtino, ut Provinciæ Romanæ Ministro carentis, Comitia celebrare possit, Provincialem eligere, & ea facere, quæ Ministri Generalis solius auctoritate & præsentia præstari solebant: *Pastoralis officii cura*, IV. Idus Junii.

Fr. Joann. Arch. Panormitan.

III. Confirmavit hoc anno Pontifex electionem factam a Canonicis Panormitanis de persona fratris Joannis de Termine, Ministri Provinciæ Siciliæ Fratrum Minorum, in Archiepiscopum Panormitanum. Sed obsistente Regina Candida, sive Blanca, & regio Senatu, qui petebant eligi Ubertinum de Marinis, nobilem Panormitanum, suo juri cessit, adjudicatis ei proventibus, qui dum sedes vacaverat, obvenerant. Ex libris consistorialibus, hos qui sequuntur exscripsi Minoritas, ad Ecclesiarum regimen assumptos.

Fr. Fridericus Ephesin.
Fr. Cornelius Toamen.
* *al.* Moriertaci.
* *for.* Baterley. *al. Cod.* Balbinghe.
Fr. Nicolaus Turritan.

Die 11. *Januarii* fratrem Fridericum Mons ad Archiepiscopatum Ephesinum, Pauli magisterio notissimum, per obitum fratris Dominici. *Die* XIV. *Octobris*, fratrem Cornelium ad Archiepiscopatum Tuamensem in Hibernia, per obitum Mauritii *. Anno MCCCCIX. *die* 11. *Septembris* fuit ad eamdem assumptus frater Joannes Baberla * Ord. Prædicatorum per Alexandrum V. sed quia regimini se intrusit absque ulteriori auctoritate, & litteras suæ promotionis procurare contempsit, eum a prædicta sede Joannes amovit. *Die* XI. *Martii*, ad Turritanum in Sardinia fratrem Nicolaum de Roma, per mortem Joannis.

Fr. Joann. Episc. Sarlaten.
Fr. Joann. Dulcinen.
Fr. Antonius Terracinen.
Fr. Gaufredus Bolien.
Fr. Jacobus Gardien.
Fr. Emanuel Arch. Gabul.
Fr. Petrus Episc. Clugien.
Fr. Michael Bethlehem.
Fr. Alexius Placentin.

IV. Ad Episcopatus promovit plurimos. *Die* 11. *Januarii* ad Sarlaten. in Gallia, sub Archiepiscop. Burdigalensi, fratrem Joannem Arnoldi, in sacra Theologia Magistrum, per obitum alterius Minoritæ Joannis Amici. *Die* XII. *Januarii*, ad Dulcinensem in Illyrico, sub Archiepiscopo Antibarensi, fratrem Joannem de Brixia, per obitum N. *Die* IX. *Martii*, ad Terracinensem in Provincia Romana, subjectum immediate summo Pontifici, fratrem Antonium de Zagarolo, sacræ Theologiæ Magistrum, Joannis de Columna Domicelli Romani familiarem, per privationem alterius Antonii, Gregorio XII. adhærentis. *Die* XXVII. *Martii*, ad Bolien. in Sardinia, sub Archiep. Calaritano, fratrem Gaufredum Sigarlam, per obitum N. *Eadem die*, ad Gardien. in Regno Neapolitano, sub Archiepisc. Beneventano, fratrem Jacobum Petri Treppe, per obitum Esquili. *Die* XXVIII. *Martii* ad Gabulensem Archiepiscopatum, sub Patriarcha Antiocheno, fratrem Emanuelem Baccalaureum in Theologia, per obitum Martini. *Die* XVI. *Julii*, ad Clugien. in Provincia Gradensi, fratrem Petrum Schenam, per translationem Christophori ad Justinopolitanum. *Eodem die* ad Bethlehemitanum fratrem Michaelem Decani, per obitum Gerardi. *Die* VI. *Decembris* ad Placentinum in Italia, sub Archiep. Bononiensi, fratrem Alexium de Siregno Mediolanensem, a Vapincensi translatum, per resignationem Brandæ ad Cardinalatum evecti. Sedit annis multis, obiitque MCCCCXLVII. Cremonæ, inde translatus ad suam Ecclesiam Cathedralem. Umbertus Locatus in historia

Pla-

Placentina errat circa cognomen, circa Episcopatum, a quo translatus est, & circa tempus translationis. *Eodem die* ad Ecclesiam Ebronen. in Syria assumpsit fratrem Arnandum Jumbertum, per obitum fratris Guillelmi Carabon. Ordinis Minorum. *Die* XIV. *Octobris* ad Terralben. in Sardinia, sub Archiepisc. Arboren. fratrem Franciscum Romanum, per mortem N. *Die* XVIII. *Octobris* ad Gravinensem in regno Neapolitano, sub Archiepisc. Materano, fratrem Henricum Dasmani. *Die* VII. *Novembris*, ad Mersebürgensem in Germania, sub Archiepisc. Magdeburgensi, fratrem Nicolaum Lubick, per obitum Walteri. *Die* XXVIII. *Novembris* ad Caprulen. sub Patriarcha Gradensi, fratrem Franciscum Hungarum, per obitum fratris Antonii. *Eodem die* providetur Conrado de Ecclesia Abien. sub Patriarcha Constantinopolitano, per obitum fratris Vitalis Franciscani, quem comperio ad hanc Ecclesiam translatum fuisse ex Milen. anno MCCCXCIX.

Fr. Arnandus Ebronen.

Fr. Franciscus Terralben.

Fr. Henricus Gravinen.

Fr. Nicolaus Mersebürg.

Fr. Franciscus Caprulen.

Fr. Vitalis Abien.

V. Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Etruria deputavit hoc anno frater Joannes Joannis Minister Provinciæ Tusciæ fratrem Franciscum de Curtio, sacræ Theologiæ Magistrum, virum doctum & peritum. In civitate Æsina apud Picenos, inventum est corpus sancti Floriani, urbis patroni, Martyris invictissimi, & apud Minores in Ecclesia ejus nomini dicata, conditum sub ara majori; utl hæc testatur inscriptio, lapidi prope ipsam depositi pignoris arcam incisa: *Tempore Malatestæ de Malatestis, domini Æsii, & domini Jacobi de Buon-Riposis de Perusio, Episcopi, & domini Ardengi de Papia Potestatis, penes ripam fluminis Æsii inventum est corpus beati Floriani, & hic reconditum mense Decembris* MCCCCXI. *qui præcipitatus de ponte in flumen prædictum, Martyrio coronatur tempore M. & Diocletiani Imperatorum: & procurante Magistro Matthæo hoc opus decoratum, tibi Æsio dedicatum anno* MCCCCXI. Pœnitentiarios creavit Basilicæ sancti Petri fratrem Theobaldum Perrini, in sacra Theologia Baccalaureum, & Alvarum Gundisalvi Hispanum, familiarem Petri Fernandi de Frias, tit. sanctæ Praxedis Cardinalis.

Fr. Franciscus Inquisitor Tusciæ.

Corpus S. Floriani conditum apud Minores.

Fr. Theobaldus Pœnitent. Item Alvarus.

VI. Floruerunt hoc tempore in Conventu Ovetensi frater Martinus de Siero, & frater Alphonsus Barredo, maximæ opinionis in populo, & inter Fratres, de quibus Benedictus XIII. in diplomate, hoc anno dato, illustre perhibet testimonium, his verbis: *De quorum vita vulgares populi cum Fratribus, quasi de sanctissimis personis prædicabant*. Et præter hos alii decem recensentur in Bulla, viri doctissimi, sacræ Theologiæ professores, qui vel in Academia Salmanticensi, vel in Cathedralibus Ecclesiis publice legerunt, petieruntque, datis nominibus, privilegium a Benedicto, cui tunc Hispania parebat, ne cogerentur ad Doctoratus honores suscipiendos. Eodemque tempore Guillenius, ejusdem urbis Antistes, propter horum splendorem, aliorumque virtutem data epistola encyclica commendat, ut his Religiosis subveniatur, & præ omnibus caritatis subsidiis illud reputetur potissimum, quod huic erogatur Cœnobio tantorum virorum fœcundo parenti.

Mon. MSS. prov. S. Jacobi. Viri illustres in Conventu Ovetensi.

VII. Circa hunc annum devotus quidam Eremita Henricus Milhauser in latere montis Fremerii deorsum, inter Baden Marchionum, & Stainbach, quoddam sacellum ligneum in honorem sanctissimæ Trinitatis, Virginis Mariæ, & beatæ Ursulæ construxit; & biennio post consecrari curavit. Admissis deinde sociis suæ vitæ æmulatoribus, Ecclesiam ampliavit, & fecit lapideam. Decedente vero Henrico, & dissipatis discipulis, Jacobus Marchio Badensis Minoribus Observantibus, quos jam introduxerat in Pforsenheim, addictissimus, circa annum MCCCCL. tradidit Ecclesiam cum adjuncta domun-

Conv. Fremerii. *Gonzag. in Prov. Argent. Conv. 5. Mon. MSS. hujus Prov.*

muncula venerando P. Nicolao Caroli, dictorum Fratrum Vicario Provinciali. Triennio post vita functus Marchio, commendavit suis posteris curam & protectionem hujus Cœnobii. Fratribus Conventus Ortani sancti Angeli confirmat auctoritatem ab aliis concessam, regendi Hospitale pauperum sanctæ Crucis: *Laudibus & honore*, XVIII. Kalendas Octobris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. JOannes Pontifex ut novit Imperium vacare, per Nuntios suos electoribus indixit, ut Sigismundum Hungariæ Regem & Boemiæ, filium Caroli IV. & fratrem Wenceslai Imperatoris, eligerent. Convenerunt ergo electores Francofurti, & concordes lubenti animo Sigismundum virum strenuum, & viribus potentem ad imperiale fastigium evexerunt, qui etiam tamquam Marchio Brandeburgensis unus electorum erat. Hic novus Imperator, ut nutanti Ecclesiæ, & Imperio prospiceret, nil moratus Romam venit, ac exercitum sub regimine Pauli Ursini, & Sfortiæ, cum interventu Ludovici Andegavensis, qui e Francia redierat ut Regno Neapolitano potiretur, in Ladislaum expedivit. In confinibus Regni inita pugna, plurimis cæsis de suis Ladislaus diem perdidit; at victores ob inertiam Regnum perdiderunt; etenim ille reassumptis viribus, & diligenter restitutis aciebus, & dispersis hostibus, Ludovicum abegit in Gallias.

„ II. Interea vero Pontifex fratrem Jacobum Girandum Pœnitentiarium Apostolicum elegit: *His qui &c.* Nonis Februarii. Et contra fratrem Joannem de Termis litteras expedivit: *Religionis zelus &c.* III. Idus præfati mensis. Pro fratre vero Guillelmo de Perleto Confessario Ducis Sabaudiæ, de quo supra egimus, quodam breve: *Religionis zelus &c.* IX. Kalendas Aprilis; sicut & pro Joanna Moniali sancti Laurentii in Panis-perna consimilis tenoris, XVII. Kalendas Julii aliud dedit. Duos pariter alios Fratres, scilicet Theodorum, XVI. Kalendas Octobris, & Alvarum, IV. Kalendas Decembris, Pœnitentiarios creavit per litteras: *Religionis zelus &c.* Ceterum hoc eodem anno indicta fuisse Comitia generalia Ordinis ex aliis notavit Waddingus.

Indic. ex Vatic.

ARGUMENTUM.

Legatione in Anglia fungente Generali Ministro, alii peragunt Ordinis negotia. Creantur Episcopi. Moritur Margarita Regina Neapoli, Ordini Minorum addictissima. Dilatatur Institutum.

Persistit in legatione Anglica Generalis Minister.

I. ETIAM hoc anno Apostolica fungebatur legatione in Anglia Antonius Piretus, Generalis Minister; invenio enim in aliquibus litteris Apostolicis propterea commissam facultatem quibusdam Ministris, ut in suis provinciis Capitula celebrent, & reliqua peragant, quæ ex consuetudine ad Generales spectant Ministros: *Quia* (inquit Pontifex) *dilectus filius Antonius de Pireto, ipsius Ordinis Generalis Minister, pro nonnullis nostris, & Romanæ Ecclesiæ arduis negotiis, agit præsentialiter in partibus remotis*. Ita substitutus est fratri Joanni de Terminis, Ministro Siciliæ, Gregorio XII. adhærenti, quem diximus anno præcedenti ad Archiepiscopatum Panormitanum electum, frater Aloysius Milicanus. Fratri Laurentio Pa-

Patavino, sacræ Theologiæ Magistro, injunctum est onus convocandi ad Comitia provinciæ sancti Antonii, Præfecto destitutæ, per mortem fratris Francisci Bellunensis: *Amabiles fructus*, Idibus Martii. Frater Antonius de Massa sacræ Theologiæ Magister, mox Ordinis Generalis Minister, & suæ patriæ Episcopus, institutus est provinciæ Tuscanæ Visitator, & Corrector, & præses Capituli: *Circa statum Religiosorum locorum*, II. Kalendas Octobris.

II. Occurrunt hoc anno Pœnitentiarii Apostolici frater Jacobus Girardi, Ludovico Regi Hierusalem, & Siciliæ familiaris, & frater Petrus Petri de Petruezolis Romanus: Sacellani, frater Joannes Fernandi Lusitanus, Elisabethæ, Joannis Regis Portugalliæ filiæ, domesticus, & frater Bernardus Maurus, quem Pontifex variis beneficiis affecit. Assumpti sunt ad Ecclesias regendas hi, qui sequuntur. Ad Gallipolen. in regno Neapolitano ad mare Adriaticum, sub Archiep. Hydruntino, frater Guillelmus de Fonte, VI. *Kalendas Februarii*. Ad Cephaluden. in Sicilia, olim sub Archiep. Syracusano, modo sub Messanen. frater Joannes de Paludibus dictæ diœcesis, per obitum Juliani, IV. *Idus Februarii*. Pergetenen. in Lycaonia, sub Archiep. Iconii, frater Joannes de Strans, *die* XVIII. *Aprilis*. Ad Atteraden. per obitum Luciani, frater Daniel de Castagnolo hoc anno, VII. *Kalendas Junii*. Ausaren. in Liburnia, sub ditione Veneta, sub Archiep. Jaderen. per obitum Isidori, frater Vitus de Cherso, XIX. *Kalendas Novembris*. Ad Castren. in Sardinia, sub Archiep. Turritano, per obitum Antonii, frater Leonardus de Sassari, VII. *Kalendas Septembris*. Ad Cæsariensem in Bithynia, sub Archiep. Nicomedien. per obitum Ulrici, frater Thomas, XVI. *Kalendas Aprilis*. Ad Famagustan. in Cypro, sub Archiep. Nicosiensi, per obitum Luciani, frater Joannes de Monte nigro, VII. *Kalendas Junii*. Etsi superius diximus, illuc translatum fratrem Petrum Episcopum Vigintimiliensem. Fortassis vel obiit, vel alio translatus est ante adeptam possessionem. Ad Nicopolen. sub Patriarch. Constantinopolitano, per obitum Francisci, frater Ivo Nerotius Senensis, II. *Kalendas Septembris*. Sebasten. in Armenia sub eodem Patriarcha, frater Eberardus, per obitum Joannis, XVI. *Kalendas Aprilis*. Ad Smyrnensem Archiepiscopalem in Asia, per obitum Pauli, frater Franciscus de Monte Granelli, II. *Nonas Junii*. Melitensem invenio hoc anno fratrem Joannem Ximenium, sacræ Theologiæ Magistrum, Confessarium Jacobi Comitis Urgellensis, quo multum is Princeps, & familiariter utebatur, quem etiam voluit Procuratorem sui juris dicendi circa regni Aragoniæ successionem, quam acriter prætendebat, mortuo Martino Rege; quo tempore aliquot annis disceptatum est inter regni competitores. Circa hoc tempus assumptus est ad Ecclesiam Vasaten. in Gallia, sub Archiep. Auscensi, frater Petrus Salpini, vir doctissimus & piissimus. Legit annis multis Tholosæ, ubi item sepultus est ad suos Consodales, prope majus altare.

Pœnitentiarii.
Sacellani Apostolici.
Fr. Guillel. Gallipolen. Episcop.
Fr. Joannes Cephaluden.
Fr. Joannes Pergetenen.
Fr. Daniel Atteraden.
Fr. Vitus Ausaren.
Fr. Leonardus Castren.
Fr. Thomas Cæsarien.
Fr. Joannes Famagustan.
Ann. 1409. n. 25.
Fr. Ivo Nicopolen.
Fr. Eberardus Sebasten.
Frater Franciscus Archiep. Smyrnen.
Fr. Joan. Episc. Meliten.
Zurita 2. part. l. 11. c. 72.
Mariana lib. 20. cap. 2.
Fr. Petrus Vasaten.

III. Hoc anno, *die* VI. *Augusti* Regina Margarita, Ladislai Neapolitani Regis mater, pestem, quæ plurima regni loca depopulabatur, fugiens, ad aquas Melanas, vicum San-Severinæ ditionis, aeris saluberrimi, inter filii brachia decessit, & regio funere delata Salernum, in Cœnobio Minorum magnifico marmoreo sepulcro conditur, sculptore Antonio Barboso Privernate, illius temporis celeberrimo, incisis his carminibus.

Margarita Regina Neapol. moritur.
Summont. lib. 4.
Diarii Petri Ant.

I Margarita, cælos ubi fulgida vita,
Scandito secura, conducunt te tua thura.
Nam tibi sacratum, terris, Regina, beatum

In

Inclyta dimittis nomen, quod secula victis.
Postera servabunt, livoribus, & peramabunt.
Quadringentenus it dum Domini duodenus,
Annus millenus, sed non hac morte serenus;
Augusti sexto, sed nonis lumine mæsto.
Cum Salvatoris celebrantur festa, decoris.
Infert hanc regnis Indictio quinta supernis.

IV. Sodalitium nostrum summo prosequuta est amore, & beneficiis. Auxit & illustravit prædictam domum Salernitanam, & alteram sancti Laurentii Neapoli, constructo magnifico sacello, quod proprerea *Reginæ* cognominatur, assignatis perpetuis reditibus, ut quotidiana celebrentur sacra, in quo primogenitam filiam suam Mariam voluit tumulari. Xenodochio Annunciationis Neapolitano, per orbem celeberrimo, civitatem Lesinarum in Capitanatæ Provincia non ignobilem, dono dedit, Ecclesiam sanctæ Marthæ decennio ante mortem extruxit, dotavit, & confraternitate procerum Neapolitanorum illustravit.

Conv. Virviescæ. Gonz. in Prov. Burgen. Conv. 4.

V. Hoc anno, ait Gonzaga, Conventum beatæ Mariæ a Virviesca in Hispania, a venerabili Patre Lopetio a Salinis ex diversis fidelium eleemosynis ædificatum; ex quo Custodia *sanctæ Mariæ* dicta est Hispanica illa, quæ primum in Capitulo Bononiensi, sub Ministro Generali Jacobo a Mozanica erecta est, præfecto eodem Patre Lopetio primo Custode. Ego aliquanto tardius ædificatum puto; supervixit enim Lopetius din post illa Comitia celebrata, anno MCCCCLIV. neque ante annos quadraginta duos, qui ab hoc usque ad prædictum Capitulum effluxerunt, tanti erat adhuc nominis, aut auctoritatis, ut Reformationi & Conventibus initium dedisse videatur. Ex Bulla Eugenii IV. data anno MCCCCXXXII. quam dabo in Regesto, aperte habetur, domum hanc ædificatam fuisse paulo ante illum annum, a nobili viro Petro Fernandez de Velasco Comite de Haro, sub titulo *sanctæ Mariæ de Portu salutis*, eamdemque acceptasse fratrem Joannem de sancta Anna, Ministrum provinciæ Castellæ, quem ex Vaticanis monumentis mihi constat præfuisse, anno MCCCCXXVIII. Capitulo provinciali, in Methymna Campensi. Circa illud ergo tempus puto extructam hanc domum, & traditam Minoribus Couventualibus, ab eisque acceptam, absque licentia tamen Sedis Apostolicæ: cujus errati veniam Eugenius in prædicta Bulla concedit. Ab iis postea transivit ad Observantes, curante prædicto fratre Lopetio. Vir fuit ille sanctissimus, & tam rigidæ disciplinæ, ut cœnobiola, quæ construxit plurima, in mira fundaverit paupertate & pœnitentia. Favit impense ejus piis conatibus prænominatus Comes, ejusque præclarissima conjux Beatrix Manrique, cujus Confessiones Lopetius excipiebat. Hi pii conjuges ab ipsis reformatæ disciplinæ exordiis auxilium omne & consilium Fratribus præstiterunt, loca domibus ædificandis, & largissimas eleemosynas concesserunt; Clarissarum Monasteria construxerunt, & reditibus stabilierunt; filios a Sanctis Ordinis denominari voluerunt, nihilque non fecerunt in restitutæ disciplinæ augmentum: quare non immerito provincia illa Burgensis, in qua Conventus hic Virviescæ recensetur, hos Principes, & posteros tamquam summe beneficos perpetuo coluerat honore.

Fr. Lopetius a Salinis.

Comites de Haro Ordini addictissimi.

Idem in Provin. Valentin. Con. 8. Conv. Segobr.

VI. Segobricæ in regno Valentino, vulgo *Segorb*, hoc anno a civibus extructa domus Minoritarum, sub titulo *sanctæ Mariæ de Angelis*, in loco, quo præextiterat ædicula D. Blasio sacra; unde fit ut etiam ab hujus Sancti nomine nuncupetur. Alphonsus Aragonius, Segobricensium Dux, Conventum hunc summo prosequebatur affectu, ob perpetratum a sancto Fran-

cisco miraculum, qui Michaelem Piretium a medicis desperatum media nocte invisit; & præter omnium spem integræ restituit sanitati. Scripsit hoc anno Pontifex, III. *Kal. Aprilis* ad Episcopum Perusinum, ut permitteret in loco *de Majestate sancti Ægidii*, infra suam diœcesim, fundari domum Minoritarum. An ita factum, nescio, dum nullum occurrit inter nostros auctores vestigium.

Monast. Pisauri.

Iacob. in Provin. Marcæ Monast. 13.

VII. Sub hoc tempus extabat in Pisauri urbe Monasterium insigne Clarissarum, incerto auctore, sub sanctæ Claræ invocatione. Sed collapsa valde disciplina circa annum Domini MCCCCXL. aliud prope & ferme contiguum erectum est Cœnobium, pro ejusdem Instituti, sed arctioris vitæ virginibus, sub titulo *Corporis Dominici*. Cum vero utriusque ædis mores maxime dissentirent, possentque omnes Sorores simul junctæ felicius coalescere, a Senatu optio præscripta est, ut omnes sanctiorem illam vivendi normam in Monasterio Fratribus Observantibus subjecto, sectarentur, vel illæ quæ ad sanctæ Claræ ædem minus religiose vivebant, loco cederent, aut paulatim extinguerentur. Quibusdam ad strictiorem vitam accedentibus, quibusdam nolentibus, ædes derelicta cum omnibus possessionibus transivit in potestatem alterius Monasterii. Crevit itaque reditibus, & numero Sororum, domusque evasit multis nominibus illustris. Præter nobilissimas, & piissimas Sorores, quæ hic floruerunt, duæ habentur in honore, beata Felix Mediolanensis, & Seraphina Columna, quarum corpora ex sacrario ad utrumque chori latus Guidobaldus, & Victoria Farnesia, viri Principes, Urbini Duces, transtulerunt, pulchrisque condiderunt marmoreis mausoleis. Utriusque vitam suis locis describemus. „ Hoc etiam anno litteras

ADDITIO, ET CORRECTIO ALIORUM.

Ex Monitis P. Lucæ Waddingi in Lugdunensi edit. ad an. 1499. num. 45. Foder. in Prov. S. Bonav. pag. 18. Monast. Auxonian.

„ obtentas fuisse a Pontifice, sub die XXV. Septembris pro construendo
„ Monasterio Clarissarum Auxoniani in Burgundia, diœcesis Bisuntinæ,
„ monet Foderus. A Guillelmo de Vienna locorum sancti Georgii, &
„ sanctæ Crucis Domino, Præfecto cubiculi Joannis Ducis Burgundiæ,
„ fundatum est, rogante beata Coleta, & situm deligente. Ut constru-
„ ctioni assentiret prædictus Dux Joannes, exoravit Margarita Bavara ejus
„ conjux, missis ad eum litteris in castra, dum contra Carolum VI. Regem
„ Gallorum dimicaret, per Henricum de Balmis Coletæ Confessarium.
„ Litteris etiam Pontificiis, ut dicebamus, impetratis, paulo post reducta
„ in habitaculi formam magna ædificii parte, Coleta cum quibusdam So-
„ roribus clausuram subierunt. Fabricæ mensuram & qualitatem, juxta
„ Coletæ votum, & zelum paupertatis, Angelus mirabiliter præscripsit,
„ opusque magnopere promovit Blancha, seu Candida Sabauda, Comitissa
„ Gevenensis, titulo *Ave Maria* die XXVIII. Octobris. Magna virtutis &
„ sanctitatis opinione vixerunt hic religiosæ Sorores, quarum fama dicunt
„ allectam Reginam quamdam Portugalliæ visum venisse, atque illic de-
„ cessisse, & in Ecclesia hujus Monasterii sepultam. Quid autem in hac re
„ sentiamus alias explicabimus.

VIII. Monasterio sanctæ Claræ urbis Taurinensis unit hoc anno Pontifex Ecclesiam sancti Christophori Ordinis Humiliatorum ab ipsis derelictam. Et Clarissis Tudertinis indulget, ne teneantur ad solvenda subsidia, vel exactiones Sedi Apostolicæ, sive Nuntiis & Legatis ejusdem.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ Sfortia, quem supra diximus contra Ladislaum militasse, 14. millia
„ Ducatorum creditor, a Joanne Pontifice in satisfactionem, Cotinio-
„ lam suam patriam, sub titulo Comitatus obtinuit; quando Papiæ Guel-

 phi,

„ phi, & Gibellini dissidentes novis motibus causam dabant: o tristem
„ rerum faciem? Mundi fluctibus agitata navicula Petri in supremis fere
„ periculis versatur; licet enim portum possit habere tutum; nihilominus
„ a contrariis pulsa ventis, mediis in procellis hucusque laborat. Sed Pon-
„ tifex ad clavum sedens sollicitis remigibus intentus animos addit, præ-
„ miisque ad sudores invitat: & quidem præter ea, quæ Annalista refert,
„ lego Pœnitentiarium ex nostris instituisse fratrem Petrum Petri: *Reli-*
„ *gionis zelus &c.* II. Kal. Martii: beneficia contulisse Fratribus Antonio
„ de Zagarolo: *Religionis zelus &c.* X. Kal. Maii, & Joanni Ferdinando:
„ *Grata devotionis &c.* III. nonas Junii. Scripsisse pariter Episcopo Sabi-
„ nensi pro exemptionibus Fratrum: *Humilibus &c.* XI. Kal. Novembris;
„ ac tamdem Fratribus Tertiariis nostris, circa exemptionem factam a Ni-
„ colao IV. *Sacræ obedientiæ &c.* II. Idus Novembris: quando in Comitiis
„ Boemiæ in XXVII. Minister electus est frater Suvatomirus Moravus,
„ qui sequenti anno in Vicarium totius Provinciæ fratrem Petrsko substi-
„ tuit.

Litteræ Pontificiæ in favorem Fratrum.

Cassim. Biern. n. 13.

ARGUMENTUM.

Pontifex Minoritas decem mittit in Bosnam, Russiam, aliosque locos, fidem disseminaturos. In Portugallia & Algarbiis Inquisitorem instituit. Deligit plures Episcopos. Multiplicantur privilegia.

Missio in Bosnã & Russiam.

I. JOANNES Armandi, & Petrucius de Perusio Minoritæ Terram sanctam perlustrarunt, & in reditu insulas Cypri & Rhodi, Principatus Bosnæ & Russiæ, aliasque partes; & explorarunt quo fructu disseminari posset verbum Dei. Rerum statum, piosque suos conatus Pontifici exposuerunt, quibus ille annuit, ut assumptis octo Fratribus, plurima auctoritate Sedis Apostolicæ suffulti, ad illas terras redirent, gentium studerent conversioni, Christianorumque profectui. Constant omnia ex hoc monumento.

Dilectis filiis Joanni Armandi, & Petrucio de Perusio Ordinis Fratrum Minorum professoribus, salutem.

Ex lib. 5. reg. Joann. ann. 3. fol. 181.

II. *DEsideriis vestris in his affectu benevolo libenter annuimus, per quæ propagatio Catholicæ fidei, & cultus divini nominis valeant adaugeri. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, vobis & cuilibet vestrum, ac dilectis filiis Paulo de Hungaria in Theologia Baccalaureo, & Francisco de Alexandria, & sex aliis Fratribus vestri Ordinis professoribus, quos vos filii Joannes & Petruci, & quilibet vestrum duxeritis eligendos, remeandi & accedendi ad terram sanctam, & ad omnes partes Orientales infidelium, & ibidem verbum Dei fidelibus & infidelibus, & apostatis illarum partium ad fidem Catholicam revertentibus prædicandi, & hujusmodi fideles, & ad fidem venientes in omnibus casibus, in quibus Minores Pœnitentiarii nostri in Romana Curia residentes absolvere possunt, absolvendi, injunctaque fidelibus revertentibus pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, eisque Sacramenta Ecclesiastica ministrandi, necnon a singulis Christifidelibus pia suffragia, & caritatis subsidia pro redemptione captivorum Christianorum, qui in terris infidelium, videlicet in Cypri & Rhodi insulis, & diversis aliis partibus detinentur ut servi, pe-*

petendi, & pro hujusmodi redemptione fideliter convertendi, invocandi quoque & requirendi singulos Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatos & Clericos, ac personas Ecclesiasticas, ut vobis in singulis præmissis pro nostra, & Apostolicæ Sedis reverentia, faveant & assistant, & populos sibi subditos inducant ad hujusmodi suffragia vobis impendendum, & insuper vobis reparandi loca vestri Ordinis in Bosna, Russia, & aliis partibus illis adjacentibus, quæ reparatione indigere noscuntur, & alia de novo in prædictis, & aliis partibus, & in insula Chio, prout vobis, & aliis Christifidelibus pro divini cultus augmento, & vestri Ordinis propagatione melius visum fuerit, ædificandi & construendi, seu ædificari, & construi faciendi, quibuscumque etiam idoneis personis cupientibus sub habitu vestri Tertii Ordinis sancti Francisci, & sanctæ Claræ, virtutum Domino famulari, habitum hujusmodi exhibendi, & a singulis personis eisdem professionem regularem, si eam sponte emittere voluerint, recipiendi, & admittendi: dum tamen hi, ad quos exhibitio habituum hujusmodi pertinet, absentes existant. Et insuper quinquaginta personis, quas vos filii Joannes & Petruci, & quilibet vestrum duxeritis eligendas, & quæ ex devotionis fervore, sepulcrum Dominicum, & alia oratoria ejusdem Terræ sanctæ personaliter & peregre desiderant visitare, & sepulcrum ac oratoria supradicta, quibuscumque &c. & processibus Apostolicis in contrarium editis, pœnas, & sententias spirituales, & temporales continentibus, nequaquam obstantibus, ex causa prædicta valeant visitare; illaque nihilominus per hujusmodi visitationem deferre, & etiam exhibere, sine quibus peregrinationem ipsam commode adimplere non possent, dummodo ad partes illas nulla alia deferant, vel deferri faciant, quæ in profectum hostium fidei Christianæ valeant redundare, ac ex personis prædictis, qui Religiosi fuerint, super hoc Superiorum suorum licentiam etiam obtinuerint, auctoritate Apostolica, hac vice dumtaxat, indulgendi licentiam, tenore præsentium, concedimus, & etiam facultatem. Datum Romæ apud sanctum Petrum, II. Idus Aprilis anno III.

III. In regnis Portugalliæ, & Algarbiorum serpebant hoc tempore aliquot errores. Judicavit Pontifex sui muneris esse illos eliminare, fidemque Christianam conservare indemnem. Instituit itaque, ut superius dixi, in prædictis regnis Inquisitorem hæreticæ pravitatis fratrem Alphonsum de Alfran, Minoritam, sacræ Theologiæ Magistrum, edito isto diplomate.

Inquisitor Portugalliæ.

Ann. 1394.

Dilecto filio Alphonso de Alfran, Ordinis Minorum professori, ac sacræ Theologiæ Magistro.

IV. *Licet ubilibet Apostolicæ Sedis diligentia circumspecta circa hæreticæ pravitatis labe respersos, quorum nequitia serpit ut cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundant, remedium libenter adhibet opportunum. In regnis tamen Portugaliæ, & Algarbii, & partibus ejus finitimis, ad quæ & eorum incolas affectum gerimus specialem, præcipue cupimus ut negotia fidei jugi profectu, elisis omnino, eradicatisque erroribus, prosperetur, fidesque Catholica fortius invalescat. Intelleximus equidem, non sine amaritudine mentis nostræ, in regnis & partibus ipsis nonnullos infectos labe hujusmodi hæreticæ pravitatis, gregem fidelium coinquinare conniti, nec non dogmatizare contra necessitatem Catholicæ fidei, perniciosa dogmata, & errores in æternæ salutis dispendium plurimorum. Et propterea exoptantes ad hujusmodi negotium fidei ibi efficaciter promovendum, talem deputare* Ex lib. 2. an. 3. fol. 220.

personam, cujus honesta conversatio exempla tribuat pietatis, cujusque labia erudita doctrinam fundant sapientiæ salutaris, ut ipsius ministerio omne fermentum exinde labis hujusmodi expurgetur. Tamdem ad personam tuam, quam litterarum scientia, & fidei sinceritate, ac maturitate morum, multarumque aliarum virtutum donis ejus largitor Dominus insignivit, dirigentes intuitum nostræ mentis, te, quem ad hujusmodi officium sufficientem, & idoneum reputamus, ad exercendum officium ipsum in dictis Regnis, ac partibus finitimis, auctoritate Apostolica, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, cum officio, potestate, jurisdictione, honoribus, & oneribus consuetis, constituimus, ac etiam deputamus. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, omni timore postposito, & virtutem sancti Spiritus induendo, prædictum Inquisitionis officium in dictis Regnis, & partibus, prout tanti negotii utilitas suadebit, sub spe mercedis æternæ, sic efficaciter prosequi, ac exequi studeas diligenter, ut per sollicitudinis tuæ providentiam radix pravitatis ejusdem exinde penitus evellatur, & vinea Domini Sabaoth, exterminatis inde vulpeculis, fructus uberes afferat Catholicæ puritatis; in hujusmodi negotio processurus, tam secundum indulgentias, & privilegia Inquisitoribus pravitatis ejusdem, præfata auctoritate Apostolica, deputatis, seu officio Inquisitionis hujusmodi, ab eadem Sede concessa, quam secundum Canonicas sanctiones. Per hujusmodi autem deputationem de persona tua in præfato Inquisitionis officio per nos factam, locorum Ordinariis, quominus ipsi Inquisitionis officium super labe prædicta, prout volunt dictæ Canonicæ sanctiones, exercere valeant, & prædictis, & quibuscumque aliis privilegiis tuo Ordini, vel Inquisitoribus, seu officio memoratis, si qua sint, eis a dicta Sede concessa, nullum volumus præjudicium generari. Datum Romæ, apud sanctum Petrum Kalendis Junii anno III.

V. Provincialem Angliæ Guillelmum Butlerum, qui sponte cesserat officio, restituit, & Vincentium Bors eidem muneri obeundo delectum, destituit: *Sinceræ devotionis*. VIII. Kalendas Junii. Fratrem Matthæum Georgii, Marchionis de Carreto filium, variis cohonestavit privilegiis. Florebat hic virtute & doctrina Assisii, & Perusii in Conventu Montis. Frater Nicolaus Assisias laicus, valetudinarii præfectus, qui hoc ipso anno decessit, miraculis clarus. Solo tactu infirmos curabat, & a quibuscumque liberabat ægritudinibus.

Fr. Matthæus Georgii.

Fr. Nicolaus Assisias.

VI. Creati hoc anno Episcopi, Bosanen. in Sardinia, sub Archiepiscopo Turritano, per obitum Antonii frater Antonius Stamingus. X. *Kalend. Februarii.* Pennen. Vestinorum in Aprutio, frater Petrus de Castro-veteri. VIII. *Idus Februarii.* Cephaluden. in Sicilia, tunc sub Archiep. Syracusano, per obitum Juliani, frater Antonius de Florentia. V. *Idus Martii*. Fortassis Joannes de Paludibus, qui anno superiori creatus est, obiit ante adeptam possessionem. Ebronen. in Syria, sub Patriarcha Hierosolymitano, per obitum Joannis, frater Rodulphus Trumbertus. XV. *Kalendas Maii*. Marrochiensis in Africa, per obitum Didaci, frater Aydomarus de Aureliano. VI. *Idus Maii*. Milevien. sive Milevitanus, etiam in Africa, Concilio Milevitano celebris, frater Gerlatus de Loen, per obitum Joannis. II. *Kalend. Decembris*. Nicopolitan. sub Patriarcha Constantinopolitano, per obitum Petri, frater Michael Jacobi. VIII. *Kalend. Septembris*. Ostumen sive Astunen. in regno Neapolitano, sub Archiep. Brundusino, per obitum Joannis, frater Antonius Palutius de Thiano: *Idibus Februarii*. Salpen. in Apulia Peu-

Fr. Anton. Epis. Bosan.
Fr. Petrus Pennen.
Fr. Anton. Cephaluden.
Fr. Rodul. Ebronen.
Fr. Aydomar. Marrochiensis.
Fr. Gerlatus Milevien.
Fr. Mich. Nicopolitan.
Fr. Antonius Ostumen.
Fr. Franc. Salpen.

Peucetia, sub Archiep. Barensi, per obitum Melilli, frater Franciscus de Nigris . IV. *Nonas Januarii*.

VII. In pago Deyzichio, Metensis diœcesis in Lotharingia, hoc anno extructum Monasterium Sororum Tertii Ordinis, ex munificentia Renati Principis. Inserviunt hæ religiosæ mulieres infirmis, magnæ caritatis, & virtutis exemplo, Episcopo, & populis propterea gratissimæ. Varia concessit hoc anno privilegia Joannes Pontifex Monasteriis Clarissarum. Tudertino sanctæ Mariæ Montis-sancti indulsit, ne decimas, aut subsidia caritativa, sive collectas solverent exactoribus Sedis Apostolicæ: *Caritas indissolubilis*. VIII. Kalendas Februarii. Montis-Albani unit Prioratum Ecclesiæ secularis, & Collegiatæ de Cossio, Caturcen. diœcesis: *Merita vestræ Religionis*. VIII. Kalendas Septembris. Eidem, ut Ecclesiam novi Monasterii intra muros Urbis constructi, consecrare posset quicumque Catholicus Antistes, & cœmeterium benedicere: *Fructus præcipuæ honestatis*. II. Nonas Septembris. Sanctæ Mariæ Montis-Domini prope Florentiam unit Ecclesiam parochialem sancti Justi de Monte-Albano, Pistorien. diœcesis: *Inter opera pietatis*. Idibus Octobris. Sancti Nicolai Senensis, ut lites, & controversias omnes contra bona, aut possessiones domus excitatas, per compromissarios, & arbitros suaviter componere possit, & terminare: *Sacræ Religionis*. XV. Kalend. Junii. Sancti Pauli Januen. circa Visitatorem eligendum, & Presbyterum, qui sacrum faceret, aliqua indulsit.

Mon. Deyzichii. Genz. in Provin. Franciæ Parisien. Monast. 8.

VIII. Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis concessit Pontifex, ut possent habere in oppido sancti Audomari, Morinen. diœcesis in Belgio, domos distinctas, & oratoria cum campanis, & requisitis, ut sacra fierent: *Sacræ Religionis*, IIII. Nonas Julii. Eisdem per varias Belgii domos, & urbes dispersis indulsit, ut condita a semetipsis statuta observarent, roburque adjecit Apostolicæ confirmationis: *Personas vacantes* VII. Kalendas Novembris. Bullam hanc confirmavit Martinus V. anno XIII. sui Pontificatus. Pro majori harum rerum stabilitate demum dedit conservatores Episcopum Parisiensem, & Tornacensem, & Decanum Ecclesiæ sancti Donatiani Brugensis: *Nuper dilectis filiis*. V. Kalendas Septembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

" I. Schismatis Ecclesiæ finem peroptans Sigismundus Imperator, Joanni Pontifici pluries ea de causa scripserat; & hic haud detrectans rem adeo desiderabilem non negligebat, qui in eumdem finem Romam, Prælatos Ecclesiæ, & alios, qui Concilio interesse debebant, convocatoriis litteris Pastoralibus civerat; quibus tamen plene ad votum non respondentibus, in proximum Novembrem conventum prorogavit, locum vero infra certum tempus declarandum, ut maturius consuleret, prudenter reliquit. Interim autem per litteras a Sigismundo quæsitus, ne properaret in hujusmodi loci declaratione, Antonium tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum, & Franciscum tituli sanctorum Cosmæ, & Damiani Diaconum Cardinales, cum plenitudine potestatis super hujuscemodi deputatione loci, ac temporis præfinitione ad Cæsarem Nuntios misit, qui una secum elegerunt Constantiam urbem in provincia Moguntina, tempusque dixerunt diem primam mensis Novembris proxime futuri. Displicebat Joanni Constantia, quod esset Cæsareæ ditionis; sed mœrorem auxit Ladislaus, qui Roma potitus, plures urbes & loca subigebat, universamque Umbriam armis vexabat. Ad Martios rumores Ladislai exci-

Reassumitur promotio unionis Ecclesiæ.

Conveniunt Mantuæ Papa, & Imperator.

„ excitus Imperator in Italiam descendit, & Laudæ cum Papa Ecclesiam „ primo a tot angustiis liberare decrevit; quamobrem venientibus ambobus „ Mantuam, Imperator armorum Imperii Ducem, & illius Urbis Mar- „ chionem Franciscum Gonzagam creavit, ac inde in Germaniam perrexit; „ Pontifex vero Bononiam, ubi fama Ladislai mortem, & Romæ liberta- „ tatem divulgabat; quamobrem Senatorem Bononiensem Urbi præfecit, „ & Constantiam properavit, quo etiam præsto fuit Sigismundus cum tri- „ ginta & amplius millia Equitum.

Indic. ex Archiv. 33. Apost. Roma.

„ II At hæc inter, ut abusibus quorumdam nostrorum Pontifex obvia- „ ret, edixit neminem Legatum Apostolicum nisi de latere, secum posse „ habere Fratres, edita bulla requisitus: *Petitionibus vestris &c.* xiv. Ka- „ lendas Aprilis: quos nihilominus Episcopo Milopotamensi concessit: „ *Personam tuam &c.* iv. Nonas Aprilis: & quamdam controversiam Fra- „ trum in Dacia opportune diremit: *His quæ pro &c.* vii. Kalendas Se- „ ptembris.

ARGUMENTUM.

Initiatur beatus Joannes Capistranus, cujus virtutum primordia referuntur. Celebrantur Comitia generalia. Joanna Regina Neapolis legat Ministrum Minoritam ad Ferdinandum Aragoniæ Regem. Instituuntur Episcopi. Inchoatur magna solemnitate Concilium Constantiense. Ædificantur Cœnobia.

B. Joann. Capistranus fit Minorita.
Vita a sociis conscripta.
Petr. Rodul. f. 111
Sedul. in histor. Serap.
An. 1385. n. 9.
Prius captus a Perusinis, & bis incarceratus.

I. Illustrissimus splendor hoc anno nostro accessit Sodalitio, admisso in contubernium præclarissimo Joanne Capistranensi, cujus doctrina, & mores per universam Europam summis laudibus celebrantur. Ladislai Regis Siculi partes secutus, Perusinos, apud quos studuisse, & jus dixisse diximus, habuit invisos. Voluerunt illi injustum Regis jugum excutere, & ad Pontificis Romani obedientiam redire, atque hinc nati bellorum tumultus, quos ut compesceret, dum strenue laborat Joannes, a Perusinis extra urbem capitur, & Brusam (oppidum est quarto ab urbe lapide) ductus, duro carceri mancipatur. Ibi diu jacuerat inglorius, qui imperiose gloriari solebat. Sperabat ille se vel pretio redimendum, vel prece liberandum a Ladislao Rege, sed frustra; multis enim mensibus in carceris squalore oportuit mereri. Fuga tamdem elapsus, dum compedes non poterat excutere, a quodam agricola valido clamore patefactus, iterum capitur, strictioribus vinculis librarum quadraginta duarum cohibetur, & pane arcto, atque aqua brevi sustentatur. Vexatio, ut solet dare intellectum, excitavit prudentis viri mentem ad contemplationem cœlestium, & prudens judicium rerum humanarum. Probavit *bonum esse sperare in Domino, quam sperare in Principibus*, mundana omnia, quæ habentur, & quæ sperantur caduca esse, & fallacia, labore acquiri, timore possideri, & dolore deperdi. A Regibus tamdiu sperandum, quamdiu possis mereri, quod si in morbum decidas, aut in obsequio deficies, spem omnem esse deponendam. Dum hæc mœstus expendit, nihil non sanctum, & optimum proponit; aliquando tamen per assuetas cogitationes mente divagante incautus, & inconstans ad pristina redibat gloriæ desideria, & Regis sibi affuturum fingebat auxilium.

Psalm. 117.

Divinitus monetur, ut Minorum subeat Institutū.

II. Inter has cogitationum procellas fluctuabundus videt turrim, in qua jacebat, magna luce circumfundi & Minoritam, quemdam ita increpantem: *Quid*

Quid stas? quid moraris? quid præstolaris superbe? Dei monitis obsequere, & internis vocibus acquiesce. Cui Joannes tremens: *Quid vult Dominus, ut faciam? ut*, inquit ille, *mundum, quem fallacissimum probasti, relinquas, & sub hac veste vitam sancte traducas. Durus*, ait Joannes, *est hic sermo, in claustro vivere, & libertatem perpetuo abdicare: ego de his numquam cogitavi; attamen Deo præcipienti obsequendum erit.* Disparenti visioni successit altera, caliginosi orbis, & luminis a se procedentis, quæ tenebras discussit, idque portendisse videtur eum doctrina, & vitæ sanctitate maximam Europæ partem illuminaturum, & veluti Paulum alterum potentissima vocatione conversum, Dei nomen & verbum ad longinquas gentes laturum. Nocte sequenti detonsum ei caput more religioso, quod dum sub auroram persensit: *Durum est*, inquit, *contra stimulum calcitrare: Dominus ipse est Deus, omnia quæcumque voluit fecit. Mirabilis facta est scientia ejus ex me, confortata est, & non potero ad eam. Nihil hic amplius sperandum*; & mittens ad Fratres strictioris Observantiæ, in Cœnobio Montis extra Perusium degentes, rogavit, ut quamprimum pauperem habitum transmitterent. Ferunt duo Fratres, sed dare renuunt homini in carcere constituto. Ex quodam veteri pallio ipse sibi Religiosam vestem effinxit, & tamdem numerata pecunia libertate donatur. Felix profecto captivitas, quæ mentem potius, quam corpus, vinculis exolvit.

Tonsum mirabiliter caput. *Act. 9. 5. Psalm. 113. 3. Psal. 138. 6.*

III. In patriam reversus, venditis, quæ possidebat, relicta virgine nobili sibi desponsata, & in pauperes facultatibus distributis, rediit Perusium, Fratresque prædicti Cœnobii rogavit, ut Sodalem admitterent. Marcus Bergomensis ædis præfectus probe hominem noscens, tentandum judicavit, ne forte levitate animi, aut passione duceretur, præcepitque ut vectus asello, sordida veste, redimitus tempora mitra chartacea, peccatis rubricata, urbem circuiret. Obedivit, circuivit, cives admiratione replevit, dum vident opprobriis, & ignominiæ studentem, quem prius noverant factis illustrem. Tamdem admissus anno ætatis trigesimo, & disciplinæ traditus fratris Onofrii de Seggiano, laici pii, austeri, sed prudentissimi, multis probatus est experimentis. Bis tamquam insanus, & emotæ mentis dimissus, aliquoties innocenter flagellatus, frequenter absque noxa reprehensus, ebullienti aqua in faciem aspersus, summa patientia omnia tolerabat, coram plectente obmutescebat, & contumeliis lacessitus nullum impatientiæ prætulit signum. In humilibus Religionis obsequiis aderat primus, in officio divino sollicitus, in curandis infirmis promptus, in oratione sedulus, in vigiliis constans, in verbo humilis, in incessu gravis, in cibo & potu parcissimus. Tam solida virtutum fundamenta concutere volens inimicus, nocte oranti, & se flagellanti terribiliter apparuit: cui nobilis tiro: *Tuas*, inquit, *non timeo insidias, neque enim quidquam in me poteris, nisi desuper tibi permittatur: quod si quidpiam ex Dei voluntate inferas, feram patienter*; & prosecutus est verbera, donec integros Psalmos pœnitentiales absolvit. His confusus, & victus Dœmon, ejulans recessit.

Petit ad Ordinē recipi.

Tentatur miræ pœnitentiæ exēplo.

Recipitur, sed bis expellitur.

Qualis in tyrocinio.

IV. Professione solemni emissa, post menses paucos ad sacros Ordines promovetur, & suscepto Diaconatu, ministerium injungitur prædicandi. Ne vero aliis prædicando, ipse reprobus efficeretur, ubi, liberioris vitæ suberat potestas, crebris disciplinis, & jejuniis corpus in servitutem spiritus redigebat, humiliter in omnibus ministeriis inserviebat, humi cubabat, semel in die parcissime comedebat, nudis pedibus septem annis incessit, calepodiis deinde usus usque ad ultimam senectutem; pedes semper abiit, donec ad ingravescentem pervenit ætatem. Habitabat anguste, crassiore, ar-

Incipit prædicare. *1. Cor. 9.*

Virtutes ejus a professione.

arctioreque veste induebatur. Pecuniam tota vita procul habuit, rigidissimam sectatus paupertatem; honores & dignitates æquo studio fugiebat, nihil tam desiderans quam contemni. Summa inerat erga Prælatos Ecclesiasticos reverentia, suavis erga omnes humilitas, ingens erga pauperes misericordia: si quid de mensa superat, iis volebat impendi, sæpe dicens: *Si paucis pauca, si multis damus, multa habebimus bona*. In oratione assiduus, dum per conciones, aliosque labores licebat, ultra officium divinum devotissime solutum, preces horarias beatæ Virginis, pro defunctis, Psalmos pœnitentiales, aliasque peculiares orationes recitabat quotidie: quæ si aliquando ob aliqua impedimenta omittebat, aliis diebus, ubi per otium licebat, toties omissa repetebat. Brevem delibabat somnum, duarum, vel trium horarum, & noctes integras ducebat insomnes, sacrarum litterarum studiis totus intentus. Vitam omnem lectione, aut concione, aut oratione absolvit. Mirabili facilitate, & flexili dexteritate ad singula rerum, & officiorum genera promptus, dicebatur otium in negotio, & negotium in otio semper habuisse. Tot virtutibus imbutum, dum aliquando Minister Generalis Antonius a Pireto considerasset, *Ordinis decus, & virtutum normam* fore, constanter haud inani vaticinio prædixit. Hæc de religiosæ vitæ primordiis dixisse nunc sufficiat, reliqua gesta suis annis referemus.

Capitulum generale 71. Lausanæ.

V. Hoc anno die XVI. mensis Octobris, in urbe Lausanæ provinciæ Burgundiæ, Antonius a Pireto Ordinis Primicerius, regressus e sua legatione Anglicana, celebravit Comitia generalia. Concesserat Pontifex, ut loco illorum Provincialium & Custodum, qui in Hispania, aut alibi, adhuc inhærebant Benedicto XIII., aut in Italia Gregorio XII. (sed hi erant paucissimi) & ad Capitulum accedere nollent, eum consilio virorum prudentium alios substitueret, quorum suffragiis res Ordinis maturius disponerentur: *Amabiles fructus*. V. Kalend. Augusti. Alia insuper indulsit, quæ ex tribus litteris ejusdem in Regesto exscribendis, amplius constabunt. Acta hujus Capituli perierunt: supersunt dumtaxat, quæ circa regimen sanctorum locorum Palæstinæ sunt præscripta. Ex sancta civitate Hierosolymorum accepta hic subjicio.

In Christo sibi carissimis Fratribus, tam Prælatis, quam subditis, in sacris locis Terræ sanctæ habitantibus, præsentibus, & futuris, frater Antonius de Pireto Ordinis Minorum Generalis Minister & servus, salutem & pacem in Domino sempiternam.

Epistola ad Minoritas incolas Terræ sanctæ.

VI. *Licet ex injuncto mihi officio, diligentia vigilanti debeam sinceritatem spiritus, & devotionem quoad Deum, morum, seu vitæ honestatem quoad proximum, ut animetur ad simile, procurare, promovere, nec non & conservare secundum gratiam a Domino datam, in Fratribus subditis mihi, per orbem universum divina providentia late diffusis: tamen quodam singulari magis amplo cordis affectu super Fratres in locis prænominatis commorantes, teneor mentis oculos ponere, quia ipsi sunt, qui pro defensione fidei Catholicæ constanter, ac intrepide inter infideles assistunt, continue prima infidelium jacula propter fidem nominis Christiani suscepturi, si necesse fuerit, & divinæ placuerit voluntati. Ipsi sunt, in quorum personis Ordini nostro ob nimiam confidentiam, & affectionem præcipuam, commissa est devota & sollicita custodia sanctorum locorum, in quibus Dominus noster Jesus Christus humanæ redemptionis peregit mysteria. Ipsi sunt, qui toti mundo* dare

dare debent in vita meritoria normam sanctitatis, & perfectionis exemplum: ex quo præ oculis quasi continue habent redemptionis nostræ, quæ est totius vitæ spiritualis exemplar, præsentiam, præfata loca inhabitando; quæ loca Christifideles absentes venerantur mente, & corpore nequeunt, quamvis præoptent. Eapropter ut de medio tollatur omnis mali occasio, præcipue discordiæ, invidiæ ac avaritiæ, quæ funditus Religionis destruunt fundamentum, sitque prompta libertas ad omnem boni debiti executionem, infrascripta, quæ partim sunt ordinationes quædam, & commissiones, & partim confirmationes nonnullorum, juste ac provide ordinatorum, per tenorem præsentium duxi vobis transmittenda, postquam ad vos de præsenti accedere non possum, in multis & arduis negotiis Ordinis citra mare detentus & occupatus, & hæc de assensu & concordi beneplacito nostri Capituli generalis Lausanæ celebrati anno Domini MCCCCXIV. XVII. *mensis Octobris. In primis igitur ordino, quod si Guardianum sacri Conventus Montis Sion mori contingat, vel sponte renuntiare, aut ultimate recedere, cum proposito non revertendi, dum tantum de hoc constet proposito, ad vitandum locorum ipsorum damnum, & Fratrum desolationem, Fratres singuli, tam Clerici quam laici, dummodo professi fuerint, qui pro tunc erunt in partibus illis commorantes, nec per statuta nostri Ordinis ab electione repellantur activa, in cœnaculo montis Sion se debeant congregare, quam citius poterunt bono modo; in qua congregatione unum ex eis ibidem existentibus, aut de quavis parte Ordinis, Gaardianum, idoneum, vita, & scientia præclarum, Conventus sacri Montis-Sion eligere teneantur; mandans omnibus Fratribus sic pro eligendo congregatis, in virtute Spiritus sancti, ne secundum affectionem inordinatam, sed secundum Deum, & bonam conscientiam ad electionem fiendam procedant, servantes in omnibus nostri Ordinis statuta super forma hujusmodi electionis edita, sicque concorditer per omnes, vel majorum ipsorum partem electum nunc pro tunc, & tunc pro nunc confirmo, & confirmatum denuntio per præsentes: mandans sibi ad meritum obedientiæ salutaris, quod si præsens fuerit, dictum officium infra duos dies, nisi legitime fuerit excusatus, accipiat, & ipsum exercere incipiat secundum gratiam a Deo sibi datam. Si autem electus in Gaardianum præsens non fuerit, post notificationem sufficienter sibi factam, quam citius poterit bono modo illuc se transferat, Guardiani officio functurus, omni postposita negligentia. Volo tamen quod si Minister hujus provinciæ præsens fuerit, Guardianum taliter electum, auctoritate Generalis Ministri confirmatum denuntiet, & in scriptis sub sigillo sui officii, ut moris est in Ordine, hujusmodi denunciationem ponendo, & prædicti Guardiani sic electi, & confirmati, quam etiam electionis jam confirmatæ denunciationem citius, quo poterit, ipsi Generali Ministro notificet. Quod si Minister propter ejus absentiam hoc facere non posset, præfati Fratres, qui elegerunt, hujusmodi electionem commodius, quo poterunt, & citius ad ipsum Generalem in forma debita transmittant. Rationale namque videtur, ut ipse sciat quis in tam devotis locis præsideat, & qualiter intravit, propter multa. Similiter per eamdem obedientiam præcipio omnibus Fratribus in illis locis commorantibus, ac cunctis in posterum venientibus, præsentibus pariter & futuris, quod in omnibus, quæ ad suum spectant officium, obediant sine aliqua rebellione Guardiano sic electo & confirmato, ipsumque nullus inferior Generali Ministro, sive sit Minister, sive Vicarius a latere etiam, quovis modo possit absolvere ab officio, sine licentia speciali a Generali Ministro obtenta: & de tali absolutione expressam faciente mentionem, nisi in casu inferius exprimendo. Item ordino, quod si idem Guardianus taliter infirmaretur, quod suum officium*

De electione Guardiani Hierosolymitani.

cium exercere non posset, vel contingeret ipsum propter aliqua occurrentia a dictis sacris locis ad tempus absentari, ipse una cum aliquibus discretis Fratribus providere possit de uno Vicario, qui valeat officium loco sui exercere, tam intus, quam extra, quousque sanus fuerit, vel redierit, ubi ordinarius Vicarius Conventus ad hoc non sufficeret, ipsum tamen Vicarium ordinarium ab officio suo non amovendo, nisi causa sufficiens requireret. Item si casus accideret, quod absit, quod dictus Guardianus esset nimis negligens, sive notatus aliquo crimine notabili notorio, ordino quod Fratres omnes in locis præfatis commorantes de concordi consilio, vel saltem major pars, & sanior notificent Provinciali Ministro, si fuerit in provincia sine mora. Quod si contingat ipsum Ministrum propter alias occupationes, vel impedimenta, non posse vacare circa prædicta, mittat unum Vicarium ad hoc idoneum & discretum: nam in ipso casu plenam auctoritatem officii mei committo tam supradicto Ministro, si per se vacare potest, quam Vicario per ipsum misso, si non potest. Mandans utrique per obedientiam, ut diligenter vota ipsorum Fratrum, & sigillatim discutiat & examinet, juxta formam Statutorum Ordinis super ipsius Guardiani vita, conversatione pariter & regimine. Et reperto quod idem Guardianus esset notabiliter defectuosus, possit Minister, vel ejus Vicarius, ipsum absolvere, de consensu omnium Fratrum, vel majoris partis eorumdem, servatis in omnibus nostri Ordinis Institutis, & unum Vicarium loco sui instituere, quousque fiat electio novi Guardiani: & hoc ubi Vicarius Conventus ad hoc non sufficeret. Si autem Minister non esset in provincia, scribatur Generali Ministra, qui mittat Visitatorem super occurrentia, ab ipso plenariam potestatem habentem. Item ordino, quod sicut hactenus consuetum præfatus Guardianus habebat curam principalem in locis sancti Sepulcri, sanctæ Mariæ de Bethlehem, sanctæ Mariæ Vallis Josaphat, ceterisque locis Terræ sanctæ, in quibus Fratres nostri commorantur, ac in eisdem Guardianos, sive Vicarios instituere, & destituere, dum tamen idoneos, quoadhoc toties quoties videbitur sibi expediens & opportunum: cum consilio tamen discretorum antiquorum. Item, cum multis Fratribus nostri Ordinis minus dignis ad instantias importunas dominorum tam Ecclesiasticorum, quam terrenorum, per dictos Fratres procuratas, interdum concedantur licentiæ accedendi ad sanctam civitatem Hierusalem, ibique manendi, quod cedit multoties ad magnum detrimentum dictorum sacrorum locorum, scandalum religionis Christianæ, ac Ordinis nostri vituperium, ordino quod omnes hujusmodi gratiæ, & litteræ sint in potestate Guardiani præfati, ac super ipsis cum consilio Fratrum providorum valeat arbitrari, nisi frater tam notabilis esset, quod merito sibi esset omnis reverentia & caritas exhibenda. Item ordino, quod Fratres qui per tempora longa in illis partibus steterunt, onera die noctuque portantes, tam intus, quam extra, & bene, ac pacifice & sub obedientia semper vixerunt, fideliterque in commissis laboraverunt, sint eidem Guardiano carius in Domino commendati, maxime tempore necessitatis, nec ipsos expellere debeat de Conventu, si finem temporalis vitæ ibidem voluerint expectare in merito Christi ad æternam aspirando. Item committo eidem Guardiano, quod de consilio Fratrum possit ad nostrum Ordinem recipere tam laicos, quam Clericos, necnon ad professionem, in omnibus salvis nostri Ordinis Institutis. Item, quod possit licentiare Fratres de familia sua, quos viderit idoneos, nisi legitimum interveniat impedimentum ad suscipiendos quoscumque sanctæ Ecclesiæ Ordines, ubicumque contigerit celebrari, juxta morem Ecclesiasticum, per quemcumque Catholicum Episcopum, cui competit ex officio & dignitate. Item concedo, quod possit mittere Fratres ad præsen-

De Guardiano indigno deponendo.

De auctoritate Guardiani circa alia loca sancta.

Et circa Fratres euntes Hierosolymam.

De bonis non expellendis.

De recipiendis novitiis.

De admittendis ad sacros Ordines.

sentiam Generalis Ministri ubicumque fuerit, & ad omnes partes mundi tam fidelium, quam infidelium, secundum quod sibi videbitur expedire cum consilio discretorum. Similiter quod possit de quacumque parte mundi nostri Ordinis vocare Fratres, ac retinere, si eis placuerit, ad consolationem peregrinorum, & ibidem de familia collocare: caveat tamen quantum poterit, quod sint tales, quales decet esse servos Dei, maxime in illis partibus. Si vero, quod absit, reperiat aliquos Fratres de sua familia notabiliter, & notorie insolentes, zizaniam discordiæ seminantes, sibi & aliis Prælatis inobedientes, ac rebelles, committo sibi, quod possit eos expellere, ac teneatur, & ad provincias proprias sine dilatione remittere, etiamsi fautores, vel defensores haberent, cujuscumque gradus & conditionis essent. Item concedo omnibus Fratribus præsentibus, & futuris, in illis partibus, sub obedientia Guardiani monentibus, quod quoties in anno possint eligere Ordinis nostri Confessorem idoneum, qui valeat ipsos absolvere ob omnibus, ad quæ auctoritas mei officii se extendit. Item omnia statuta per venerabilem fratrem Bartholomæum de Alverna, olim Vicarium Bosnæ, auctoritate generalis Capituli Aquilæ celebrati, anno Domini MCCCLXXVI. *die* XII. *Junii, super honesta conversatione, & regimine Fratrum fieri Conventus Montis-Sion confecta, de novo confirmo, & confirmata denuntio per præsentes. Dispenso tamen in ordinatione facta per ipsum, super numero Fratrum taxato, quoad Conventum prædictum, & Dominarum, quæ manere debent in hospitalibus Montis-Sion, ita quod ipse Guardianus, quando sibi videbitur expediens, & rationi consonum, possit ultra numerum taxatum tam Fratres, quam dominas recipere, & de sua familia facere: dum tamen ad tot victualia necessaria sufficiant; mandans per obedientiam salutarem, tam præsentibus, quam futuris, in dictis locis habitantibus, & sub pœna excommunicationis latæ, quatenus dicti Fratris statuta, necnon per me tenore præsentium vobis transmissa, inviolabiliter perpetuis temporibus observentur, nisi aliud per Sedem Apostolicam, vel Capitulum generale fuerit innovatum, seu ordinatum: nec etiam aliquis, Generali Ministro inferior, possit, seu audeat quoquo modo gratiis & commissionibus superius insertis contraire, directe, vel indirecte, aperte, vel occulte ipsas impediendo. Valete in Christo Jesu, & orate pro me. Datum Lausanæ tempore nostri Capituli generalis, anno & die, quibus supra.*

De mittẽdis quo velit, subditis. De vocandis aliis. De expellendis inquietis. Confirmãtur pristina statuta hortum locorum. *Vide hæc ann. 1376. n. 13.*

VII. Tres instituit ipse Pontifex hoc anno provinciarum Ministros, in Tuscia fratrem Antonium Massanum, quem diximus in eadem constitutum Visitatorem. Joannes Florentinus Ministeriatui renuntiaverat in manibus Commissariorum provinciæ: substituit Pontifex Antonium: *Admonet nos*, Kalendis Octobris. In Burgundia Arnulfum de Fonte a Benedicto XIII. destitutum, quia adhæsit Patribus Concilii Pisani, & electo ab eisdem Pontifici substitueratque Joannem de Cintibus, pristinæ dignitati, ab eo novem annis alias exercitæ, Joannes Pontifex restituit: *Illa quæ pro personis*, VII. Idus Novembris. In Romania, Ministro carente, Marcum de Candia Slavum ad quinquennium deputavit: *Religionis zelus*, IV. Nonas Aprilis. Ejusdem provinciæ Minister electus, & Fratres significaverunt Pontifici ad Conventum Domus-candidæ in die festo sancti Francisci multos confluere Græcos, ob magnam devotionem, quam gerebant erga eumdem sanctum Institutorem, atque Ecclesiasticos regulares & seculares ejusdem gentis cupere Missas, & divina officia eo die in templo Minorum secundum ritum, & consuetudinem suam celebrare. Indulsit Pontifex, ut a primis Vesperis

Pontifex aliquos instituit Ministros *Ann. 1413. n. 1.*

usque ad secundas ita facerent: *Justis & honestis*, IV. Nonas Aprilis. His similes casus multi quotidie transmittuntur a partibus Ultramarinis ad sacram Congregationem de fide propaganda, quibus elucidandis diploma hoc non parum inserviet. Alium denium invenio Ministrum, provinciæ, ut reor, Terræ-laboris, seu Neapolitanæ, Antonium a Tassia, missum a Regina Joanna ad Ferdinandum Regem Aragoniæ, ut virum sibi daret Joannem filium. Ministrum Generalem totius Ordinis hunc vocat Zurita, sed errat; tunc enim præerat Antonius a Pireto.

Minister Neapolis legatus ad Regem Aragoniæ.

Zurita to. 3. lib. 11. c. 46.

VIII. Sacellanos suos plurimos instituit hoc anno Minoritas Joannes, ex quibus undecim connumeravi, quorum nomina, ne tædium pariam, prætermitto „ Suos etiam Capellanos instituit FF. Philippum Antonii: *Virtutibus clarens*, X. Kalendas Augusti: Franciscum Ducai: *Virtutibus clarens*, VIII. Kalendas Augusti: Nicolaum Lemoel: *Virtutibus clarens*, „ Nonis Decembris: Albertum Bonsan: *Viriutibus clarens*, III. Idus Decembris: Nicolaum Dunielis: *Virtutibus clarens*, III. Kalendas Januarii: & Ulricum Redrojoz: *Virtutibus clarens*, III. Kalendas Januarii „ Episcopos creavit Albicastren. fratrem Willelmum Bodeke, per obitum Conradi, II. *Kalendas Aprilis*. Arien. in Candia, sub Archiep. Cretensi, fratrem Bertraminum de Seraphinis, virum nobilem, per translationem Franchioni etiam Minoritæ, uti diximus, ad Milopotamen, III. *Kalendas Augusti*. Franchiono huic, ante aliquot menses translato, invenio privilegia aliqua a Pontifice concessa *sub quartum Nonas Aprilis*. Et Bertramino alia, *sub annum* MCCCCXVIII. a Martino V. indulta, ut in aliquo Conventu sui Ordinis provinciæ Januensis commorari posset, dum in suo Episcopatu ab infidelibus occupato residere non liceret. Deinde anno MCCCCXXXVII. comperio in Cœnobio Castri-novi, Terdonensis diœcesis vixisse, atque illud gubernasse, & beneficiis multis affecisse, de quo dabo in Regesto, sub illum annum Diploma. Sed corrupto nomine vocatur Bartholomæus. Franchionus autem obiit anno MCCCCXXXVII. Civitatis Castellanæ in provincia patrimonii sancti Petri, Pontifici Romano immediate subjectæ, fratrem Joannem Georgium, per obitum Stephani, XIII. *Kalendas Octobris*. Julienen. sive Jumen. fratrem Joannem Morin, per obitum Marci, IV. *Kalendas Julii*. Raplonen. sive Rapoten. in Hibernia, sub Archiep. Armacano, fratrem Robertum Mubire, per obitum Antonii, IV. *Kalendas Junii*, Tranquillien. fratrem Severinum, per obitum Joannis, XVII. *Kalendas Septembris*. Trapesunden. Archiepiscopum ad mare Euxinum, sub Patriarcha Constantinopolitano fratrem Paulum Marklini, per obitum Nicolai de Gamundia, etiam Minoritæ, II. *Kalendas Februarii*. Missenen. in Germania ad Albim Fluvium, sub Archiep. Magdeburgen. fratrem Joannem de Bistrestorp, per obitum fratris Nicolai, *die* X. *Julii*. Tripolitanum in Syria fratrem Simonem, per obitum Petri, V. *Kalendas Februarii*.

ADDITIO ALIORUM.

Fr. Willelmus Episcop. Albicastren.

Fr. Bertraminus Arien.

Ann. 1410. n. 14.

Fr. Joann. civit. Castellanæ.

Fr. Joan. Julien.

Fr. Robert. Rapoteo.

Fr. Severin. Tranquillien.

Fr. Paul. Arch. Trapesunden.

Fr. Joann. Episc. Missenen.

Fr. Simon. Tripolitan.

IX. Inchoatum hoc anno Concilium Constantiense pro extinguendo schismate Pontificum, & comprimenda hæresi Wicleffi Angli, & Joannis Huss, ac Hieronymi Pragensis, Boemorum, quæ longe lateque tamquam cancer serpebat, & multas excitabat turbas in Germania. In Bulla convocationis Concilii, per Joannem Pontificem data Laudæ, V. *Idus Decembris anni præteriti*, declarat ipse, non tam novum hoc esse Concilium, quam continuationem Concilii Pisani, vel executionem decreti ab Alexandro V. in eodem editi, de generali Concilio iterum solemniter convocando, & propterea adveniente termino triennii, quo dictum Concilium continuandum statuit, & prorogavit Alexander, ordinationem prædictam adimplere vo-

Inchoatur Concil. Constantien.

volens Joannes, Romæ Concilium indixit, ubi Wicleffi dogmata, & libri condemnati sunt. Cum vero universi Principes cuperent schisma extingui, & fluctuanti Ecclesiæ providere, egerunt instanter apud eumdem Pontificem, ut delecto loco tuto & commodo, communi orbis consilio, tot malis & scandalis ultimum adhiberetur remedium. Ultra omnes circa hæc laboravit Sigismundus Romanorum, & Hungariæ Rex piissimus, cujus diligentia, & auctoritate factum est, ut in urbe Constantiæ, provinciæ Moguntinæ, & ad finem hujus anni Concilium a se prorogatum statueret Joannes celebrandum. Hæc breviter ita indicavit historia Concilio præfixa: *Successit*, inquit, *in locum Alexandri Joannes XXIII. qui de transferendo Concilio Pisano in commodiorem locum, ad quem tutus omnibus pateret accessus, at de restituenda Ecclesia in pristinum statum, serio cœpit cogitare.* Habita tamdem fuit prima sessio die Veneris, XVI. *mensis Novembris*, in qua lecta fuit Bulla prædicta, & deputati ministri, & officiales Concilii. Reliqua acta anno sequenti prosequemur.

X. Adfuerunt hujus Concilii initiis in primis ipse Joannes Pontifex, cum quindecim Cardinalibus, & Prælatis multis; tum demum accessit in ipsa Nativitatis Dominicæ nocte Sigismundus Rex, & Barbara Regina, cum Regina Bosnensi, Paulo post secuti illustriores omnes Germaniæ Principes, & aliorum Regum Oratores. Jacobus Caetanus in actis Concilii, & notis suis diariis, refert, quod detento sub custodia Joanne Huss (licet salvum conductum accedendi haberet, salva tamen justitia) quia doctrinam Wicleffi in hospitio disseminaret, nec monitus desistere vellet; die Sabbati prima mensis Decembris, de mandato Joannis Pontificis, & assensu sacri Collegii, ad examinandum hominem pertinacissimum, deputati fuerunt ex Cardinalibus quatuor, videlicet Petrus de Aliaco, & Guillelmus Philasterii, Galli, Rainaldus de Brancatiis Neapolitanus, & Franciscus Florentinus: ex Generalibus Ordinum frater Leonardus de Florentia Ordinis Prædicatorum Magister, & Antonius de Pireto Ordinis Minorum Minister; quibus adjuncti fuut alii sex viri doctissimi. Quo tamen fructu, quidve actum circa viri perversissimi dogmata, & personam, dicemus anno sequenti.

Examinatores Joannis Huss.

Inter hos Minister Generalis Ord. Minor.

XI. Hoc anno, *die* XVIII. *Martii*, prædicante de augustissimo Eucharistiæ Sacramento quodam Minorita, in publica supplicatione Villæ Guadalfagiaræ, regni Castellæ, apparuit in cœlo supra caput ejus crux nivea fulgentissima, conspicientibus universis, tam Christianis, quam Hebræis, ex quibus plurimi intererant, & quatuor, vel quinque elapsis diebus, centum viginti duo, rejecta cæcitate Judaica, ad fidem Catholicam sunt conversi. Per universam Hispaniam longe lateque mirabilis hujus apparitionis notitia diffusa est, & Joannes Castellæ, ac Ferdinandus Aragoniæ Reges, missa forma Crucis per litteras consuluerunt beatum Vincentium Ferrerium Ordinis Prædicatorum, virum sanctissimum, ubique celeberrimum, qui, dato responso, explicavit mysteriosam formam Crucis, & laudavit doctrinam prædicantis. Qui epistolas legere voluerit, consulat Diagum in sua historia Ordinis Prædicatorum Provinciæ Aragoniæ.

Prædicanti Minoritæ apparuit crux fulgentissima.

Diag. lib. 2. c. 64.

XII. Franciscus Francisci Tertii Ordinis, vulgo *Peccator* passim nuncupatus, obtento fundo, & dono a viro nobili Nicolao Roberti Davanzatis (de Rubio cognominat Gonzaga) Domicello Florentino prope fontem *della doccia* dictum, diœcesis Fesulanæ in Tuscia, ædiculam sancto Michaeli sacram, & habitaculum sibi, aliisque sociis construxit; uti ex Bulla, quam dabimus in Regesto anno MCCCCXLI. aperte constabit. Illis decedentibus successerunt Patres Conventuales, quibus cum minus arrideret, præfati Nicolai succes-

Gonz. in Prov. Tuscia Con. 14. Conv. S. Michaelis prope Fesulas.

fores, ad quos juspatronatus spectabat, dederunt Observantibus. Hi edito decreto in plenis Comitiis *anno* MCCCCLXXXIII. *die* XVIII. *Aprilis*, Vicario Provinciæ fratri Francisco Aretino, domum acceptarunt, sed aliquando dimiserunt, iterumque reassumpserunt. Obiit hoc in loco frater Petrus de Scarparia plenus dierum, & meritorum, sanctæ opinionis in populo. Celebratur VI. *Martii*, festum consecrationis Ecclesiæ, a quo tamen facta sit, ignoratur.

Conv. Mazyri. *Rodul. fol.* 281. & 282.

XIII. In Provincia Siciliæ, & Custodia Agrigentina Patrum Conventualium refert Rodulphus hoc anno concessum Fratribus Conventum sancti Mazyri in loco asperrimo, & montium cacumine. Similiter in Custodia Drepani ait inchoatum Conventum Zeretanæ, de quibus nihil aliud memorabile occurrit.

Conv. Zeretan.

Gonz. in Prov. Franciæ Parif. Conv. 2.
Conv. Varennarum.

XIV. Ludovicus a Barro (apud Gonzagam corrupte a Baroduce) Cardinalis Portuensis, Caroli Francorum Regis consanguineus, hoc anno inchoavit Fratribus Regularis Observantiæ Conventum ad Occidentalem plagam extra muros oppidi Varennarum, diœcesis Remensis. Sequenti anno hoc factum ait Gonzaga, concessamque facultatem tunc a Joanne XXIII. dato diplomate Bononiæ II. *Idus Septembris*. Sed Joannes ante mensem Septembrem anni sequentis Pontificatu abrogatus est, & carcere detentus, non potuit amplius dare diplomata. Hoc anno *Kalendis Octobris*. Bononia Constantiam decessit, proinde dicendum est, hoc anno facultatem concessisse. Addе quod in decreto Synodi Constantiensis dato IX. *Kalendas Octobris* anni sequentis in favorem Fratrum Observantum, hujus Conventus inter alios mentio habetur: oportuit ergo hoc anno fuisse fabricatum. Brevi tamen tempore eo loco duravit, nam anno MCCCCXVII. translatus est ab eodem Cardinale ad ejusdem oppidi partem Orientalem, translationem confirmante Martino V. Constantiæ. III. *Nonas Januarii*, anno, inquit Gonzaga, sui Pontificatus quinto. Sed adhuc sub illo tempore Martinus non erat Papa, qui non nisi in mense Novembri, die sancti Martini illius anni, assumptus est ad Pontificatum. Diploma datum est anno sequenti, videlicet MCCCCXVIII. sub quo nos illud in Regesto ponemus. Error ergo in numeros irrepsit. Ecclesiam consecravit ipse Cardinalis fundator, sub nomine *sancti Joannis Baptistæ*, Dominica quarta post Pascha.

Conc. Constant. sess. 19.

Conv. Fontiniaci.
Idem in Prov. Turoniæ Pictav. Conv. 5.
Monum. MSS. ejusd. Prov.

XV. In eodem decreto Synodi Constantiensis numeratur inter Conventus Fratrum Observantum alius, *Fontiniaci Comitis* dictus, diœcesis Maleacensis in Pictavia, constructus per nobiles dominos *des Ardennes*, incerto tamen tempore, quia deperditis omnibus monumentis, & Conventu quinquies destructo per hæreticos, nihil potuit certo constare. Ante hanc calamitatem insignis erat Conventus, & doctissimorum virorum ferax. Considerans autem Dominus Baro *de Vignolles* nimiam vicinitatem Conventus ad muros Civitatis, causam fuisse ut toties destrueretur, maxime tempore bellorum, situm remotiorem ab urbe Fratribus concessit, in quo pulcherrimam ædificarunt domum, liberalitate nobilium, & oppidanorum, rem promovente, indefesso studio fratre Francisco Michonio.

Conv. Cerbon.

XVI. In Vicaria Bosnæ extructus hoc anno Conventus juxta Ecclesiam beatæ Mariæ de Novigrado, Cerbonienfis diœcesis, per nobilem virum Nicolaum Vegle, Seniæ Comitem, concessa facultate per Joannem Pontificem Bononiæ *Idibus Junii*. Scripta epistola ad Episcopum Segniensem. Nescio an hic ille Conventus, quem sub nomine *Novi-Castri* numerat Rodulphus in Dulemnæ Custodia.

XVII. Concessit etiam Joannes Pontifex, antequam Bononia decederet,

ret, Ministro, & Fratribus Provinciæ Hiberniæ, ut tres domos, quæ eis ex pia largitione fidelium offerebantur, erigere, & admittere possent, unam videlicet in diœcesi Fernen. apud *Thacineling*, secundam in diœcesi Clonfertensi apud *Clochin Cantualaig* in parochia de *Kyllconnaynne*, & tertiam in eadem diœcesis in *Mylecsinna*: *Sacræ Religionis*. IV. *Nonas Julii*. Duas posteriores ædes reipsa constructas invenio, de quibus nunc agam, primam inter monumenta Hibernica ad me transmissa non comperio. „ Item concessit fratri Antonio Elzogeler posse ab Ordine nostro ad Benedictinum „ transire: *Religionis zelus* II. Kal. Maii. ADDITIO ALIORUM.

XVIII. Kyllconnaynnensis Conventus constructus est in Comitatu Galviæ, loco rurali in via, qua itur Athlonia Galviam, per nobilem dominum Guillelmum magnum O Really, quem liber Capitularis ipsius ædis obiisse refert anno MCCCCXX. die XXIX. Octobris: *faitque*, inquit, *vir magni nominis apud Hibernos, & principalis fundator Conventus*. Domum prius possederunt Patres Conventuales, a quibus transivit ad Observantes procurante domino Malachia ORealy, qui obiit anno MCCCCLXIV. *die* XIX. *Aprilis*. Structura Conventus firma est & solida, perseveratque adhuc bene compactum ædificeinm, licet obvium sit, & subjectum valde Anglorum & hæreticorum incursionibus, stationibusque militum, Deo patentibus signis animadvertente in ædis violatores. Vixerunt hic piissimi Viri, inter quos commendantur frater Ferallus mac Egan, a doctrina, a prudentia, ab assidua oratione, & veneratione in populo; & frater Philippus Cluan, ab humilitate, pietate, & singulari discretione.

Conv. Kylconnaynen. *Monum. MSS. Prov. Hibern.*

Ferallus mac Egan. PhilippusCluan.

XIX. Conventus Mylecsinnensis in provincia Connaciæ, sed in confinibus Momoniæ, & Lageniæ, prope flumen magnum Synnæ, frequenti navigio, & piscium abundantia celebre; constructus per illustrem Dom. O Maddin; nunc autem oppidum & Conventus sunt in potestate Comitis de Clan-Ricard. Diruto majori ex parte ædificio, a longo tempore Fratres illic non habitabant, etsi opportunissimus sit locus, ut inde commercium frequens, & facile habeatur cum reliquis Provinciæ Conventibus, quare reddita Ecclesiæ pace, studium numerosum posset illic institui.

Conv. Mylecsinnen. *Ex iisdem monumen.*

XX. Monasteriis aliquot Clarissarum hoc anno privilegia concessit Joannes. Pragensi, ne amplius possent nobiles mulieres seculares, aliæve personæ septa ingredi Monasterii, per quas paulatim relaxabatur disciplina: *Dispositione divina*. Idibus Junii. Brussordii, Norvicen. diœcesis in Anglia confirmavit unionem parochialis Ecclesiæ de Suton, alias factam ex auctoritate Bonifacii IX. *Pastoralis officii*. IV. Kalend. Octobris. Florentino sanctæ Mariæ Montis-Domini, amplioribus clausulis ratam habuit unionem a se concessam Ecclesiæ parochialis sanctæ Justæ de Monte-Albano, Pistorien. diœcesis: *Sacræ Religionis zelus*. X. Kalendas Augusti. Januen. sancti Pauli, ne Moniales transferri possent ad alia quæcumque Monasteria, sub quovis prætextu, nisi in Ordinis sanctæ Claræ, vel in novorum Monasteriorum ejusdem Ordinis cederet augmentum: *Dispositione divina*. VII. Idus Maii. Eidem ut posit eligere in Visitatorem, quem vellet ex Ordine Minorum, tenereturque Minister Generalis eumdem concedere: *Etsi ex susceptæ servitutis officio*. VII. Idus Maii. Similiter, ut Presbyterum, qui Missas legat, & divina celebret officia, pro Sororum arbitrio posit assumere: *Digna reddimur attentione*. VII. Idus Maii.

XXI. Rogante Antonio Pireto Generali Ministro, confirmavit litteras Alexandri V. quibus omnem scissuram, varietatem habitus, & constructionem novorum Conventuum, qui non subessent integre Ministris Provincia-

cialibus, aliaque hujus generis prohibebat: *His quae pro statu pacifico*. v. Kalend. Augusti. Hae sunt illae Alexandri litterae, quas Concilium Constantiense revocavit, in favorem novae reformationis Gallicanae, uti anno sequenti dicemus. In regno Svetiae judices constituit, qui controversias circa Confessiones excipiendas, conciones habendas ad populum, & sepulturas, pacifice componerent: *Frequentes hactenus*. v. Kalend. Septembris. Fratribus Terrae sanctae omnia confirmavit privilegia, vel a Pontificibus, vel a Principibus concessa: *Cum a nobis petitur*. iv. Kalend. Julii. „ Indulgentias etiam largitus est Visitantibus Ecclesias Conventus Minorum „ Castri Kufmartonalis Ifustach, Janrien. dioecesis: *Dilectos filios*. iv. Kalend. Martii; & Monasterii Monialium Montis Marsani, Aduren. dioecesis: *Licet is*. x. Kalend. Octobris.

ADDITIO ALIORUM.

XXII. Sororibus Tertii Ordinis oppidi Delfensis, dioecesis Trajectensis, confirmavit oratorium, a piis viris pro ipsis constructum, a Friderico Episcopo Trajectensi consecratum, aliaque privilegia adjecit: *Speciosus forma*. ii. Kalend. Aprilis. Declaravit votum castitatis a Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis conventualiter viventium solemne, & personas ipsas reputandas Ecclesiasticas: *Pastoralis officii cura*. ii. Kalendas Aprilis. Declaravit spectare ad Fratres Minores visitationem Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis sancti Erancisci, ex ordinatione Innocentii IV. & consilio Nicolai IV. *Cum de privilegiis*. xvi. Kalend. Junii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litterae Pontificiae. Indic. ex copia.

„ A Joanne Pontifice nonnullas emanasse litteras comperio, ut de eligendis Confessoribus a nostris: *Provenientes ex vestrae &c.* Idibus „ Januarii: pro fratre Martino de Mutina circa ejus transitum ad Benedictinos: *Humilis &c.* iv. Nonas Julii. Fratri etiam Matthaeo de Ulmo, „ sicut etiam fratri Joanni Parenti, sub eodem die vi. Junii datis brevibus: *Religionis zelus &c.* similem transitum ad Benedictinos indulsit; „ & paulo post, scilicet vii. Idus Julii fratri Dionysio de Modena. Fratribus vero Martino de Mutina praedicto, & Francisco Ducio duas beneficiales litteras incipien. *Religionis zelus &c.* direxit, primam iv. Nonas „ Julii; & alteram viii. Kal. Augusti. Scripsit denique ad fratrem Richardum Mulio pro exemptionibus: *His qui relictis &c.* vi. Idus Septembris.

ARGUMENTUM.

In Concilio Constantiensi abrogatur Pontificatus Joannes, deinde cedit Gregorius, Benedicto in suo gradu pertinaciter sistente. Joannes Husi condemnatur & comburitur. Favet Concilium novae reformationi Ordinis Minorum. Henricus Daniae Princeps moritur. Floret Urbini beatus Petrus Hispanus: Recensentur Episcopi. Beatus Albertus Sartianus transit ad familiam Observantum. Hoc genus Instituti maiores rapit vires, & multiplicantur domicilia.

I. REASSUMPTIS consessibus, Patres Concilii Constantiensis habuerunt hoc anno secundam sessionem, die Martis iii. Martii, & continuatis actis, aliis octodecim sessionibus, eisque ad xxi. Novembris, quo celebrata est vigesima, solerter tractatum est de Ecclesiae unione, per abdicatio-

tionem Joannis Pontificis, & competitorum; necnon de fidei integritate contra errores Joannis Hufs, & sequacium. Joannes Pontifex sibi timens, quod in itinere illi prædictum fuit, ne cum Pontifex Constantiam accederet, privatus recederet, die xx. Martii hora nocturna, deposito habitu Pontificio, clam discessit, & fautore Duce Austrio Friderico, abiit in oppidum *Schaffusen*, inde in *Losenberg*, demum *Friburgum*. Inde revocatus est, & retractus per eumdem Fridericum ad Cellam Rodulphi. Tandem curante Concilio, captus, & in custodia detentus est prope Constantiam. Deinde variis sessionibus discussa ejus causa, objectisque variis criminibus, communi Concilii sententia e suo gradu dejectus est die xxix. Maii, ipso approbante, & admittente sententiam, sibi a commissariis die sequenti lectam, & exhibitam. Post hæc ductus est die Lunæ iii. Junii ad palatium Episcopi Constantiensis dimidia leuca distans a civitate, die quinto ejusdem mensis, familiares omnes ablegati sunt, & ipse ductus Heydelbergam, traditus est Custodiæ Ducis Bavariæ. Inde post triennium, pecuniis Martini V. successoris redemptus, Florentiam venit, seque ad Martini pedes supplex abjecit, a quo benigne exceptus, & in Cardinalium Collegium cooptatus, paulo post in eadem urbe morbo consumptus est, xt. *Kalend. Januari anno* MCCCCXIX. & magna funeris pompa in sancti Joannis Templo sepultus. Magnum certe erat fortunæ ludibrium, & ingens rerum vicissitudo videre in fugitivi hominis forma, lacrymabundum, genuflexum, & ad sui olim subditi pedes procumbentem, eum cui Principes, Reges, Imperaturque ipse non modo paruerant, verumetiam cujus pedes venerabundi consueverant deosculari, quique multos ad Cardinalatus honorem evexerat, etiam eorum qui tunc Martino assidebant.

Joannes abrogatur Pontificatu.

II. Gregorius XII. paucis diebus post Joannis abdicationem, ut erat vir bonus, & naturæ mitioris, cum miserum Ecclesiæ statum videret, Religione obstrictus Joannem Dominicum, Cardinalem Ragusinum, Ordinis Prædicatorum, qui ei perpetuo adhæserat, & Carolum Malatestam, virum clarissimum Constantiam misit, nec solum auctoritatem suam interposuit, ac per Legatos Synodum, suo nomine comprobavit; verum etiam per eumdem Carolum, cui hanc rem totam commisit, magna omnium approbatione. iv. *Nonas Julii* Pontificatum deposuit. Accepit ex ea re Concilium eximiam voluptatem, cum videret duas jam partes inter se conjunctas, & Gregorium Cardinalium Decanum, Episcopum Ostiensem, atque agri Piceni Legatum perpetuum instituit, & Cardinales sex ei adhærentes in ceterorum collegium ascripsit, cunctis ejus actibus confirmatis. Obiit post biennium anno MCCCCXVII. ante creatum Martinum V. sepultusque est Recineti in Ecclesia Cathedrali.

Gregorius per internuncios deponit Pontificatum.

III. Tertium supererat hujus monstri caput, omnium perniciosissimum, Petrus de Luna, sive Benedictus XIII. Patres dum longa experientia honoris avidum, & ultra modum elati animi cognoscerent, neque facile cessurum suspicarentur, omnes nervos in eo contenderunt, ut pertinacem animum expugnarent. Quare cum summa esset eo tempore Sigismundi Imperatoris auctoritas, Synodus magnopere rogavit, ut Eclesiæ susciperet patrocinium, atque ipsemet cum Legatis Concili Benedictum adiret, & ad officium cohortaretur; quod si obtinere non posset, Ferdinandum saltem Aragoniæ Regem, qui præter ceteros Benedicto favebat, & alius, qui tamquam verum Pontificem venerabantur, ab illo avertere, atque ad delendam illam insignem maculam, & ad Ecclesiam uno omnium consensu in antiquum statum restituendam conaretur impellere. Fecit, abiit, magno suo incommodo

Agitur cum Benedicto ut velit cedere.

Sed frustra.

Perpinianum pervenit. Apud Minores hoſpitio exceptus, multis initis colloquiis, & oblatis conditionibus Benedicto, cum nihil præter tergiverſationes & verba extorquere poſſet, & Benedictus clam ſe ſubduxiſſet in arcem Peniſcollæ munitiſſimam, ſaltem hoc egit, ut ab omnibus ſibi ſubditis derelinqueretur; reque communicata cum aliis Regibus & Principibus, qui Benedicti partes ſequebantur, prope omnes in ſuam ſententiam duxit, omniumque nomine miſſi ſunt legati Narbonam, ubi Sigiſmundus rei exitum ſperabat, deinde ad ipſum Concilium.

IV. Nihil intentatum reliquit Ferdinandus Rex, qui jam ſuperiori anno hominis probavit duritiam, quam nullo modo flectere, aut frangere potuit, apud Morellæ oppidum, quo convenerunt, admiſſo etiam ſanctiore conſeſſu hominum ſelectiſſimorum, inter quos frater Ferdinandus Illeſcas, Joanni olim Caſtellæ Regi, Ferdinandi genitori, a ſacris Confeſſionibus, de quo nos egimus ſuperius. Cum vero nihil impetraret, nihilque amplius Benedictus de abdicatione, aut de Synodo audire voluiſſet, Legatique Alphonſi Regis, qui in locum patris Ferdinandi, nuper demortui, ſucceſſerat, ac deinceps aliorum Regum, Conſtantiam veniſſent, communi omnium conſenſu, cum videretur ſchiſma magna ex parte ſublatum, cœptum eſt de cauſa Benedicti cognoſci. In jus vocatus contempſit tum Synodum, tum ejus edictum, neque unquam adduci potuit, ut adeſſet, aut quidpiam reſponderet. Quare Synodus hominis inſolentiam graviter ferens, ſervata omni ex parte judiciorum forma, in eum animadvertit, ſententiaque lata de variis criminibus damnatum, atque anathemate mulctatum, omnino de Pontificatu dejecit, anno MCCCCXVII. ad VII. Kal. Auguſti. Ille nihilominus uſque ad ultimum vitæ ſpiritum in ſua obſtinatione permanens, duobus dumtaxat adhærentibus Cardinalibus, obiit menſe Septembri anno MCCCCXXIV. Anti-Pontificatus trigeſimo; ſepultus in eadem Peninſulæ, ſive Peniſcollæ arce: deinde translatus Iglueccam Aragoniæ oppidum, ubi profano loco intra arcem ejus corpus, adhuc inregrum, conſpicitur.

Anno 1398. n. 3.

V. Aliud Patrum ſtudium hoc anno eo tendebat, ut comprimerent Huſſitarum hæreſim, quæ ultra XX. M. hominum infecerat in Boemia. Modis omnibus tentatum eſt ipſum hæreſiarcham ad ſaniorem mentem reducere: ſed cum nihil proficeretur, & ille hoc anno Dominica tertia Quadrageſimæ, in curru ruſticano ſtraminibus undique tectus clam Conſtantia diſcederet, in fuga deprehenſus eſt. In urbem reductus, atque inter populi commotionem elapſus, dum ſecundo fugam tentaret, in Epiſcopium ad Palatium Apoſtolicum ductus, ibi diebus octo aſſervatus, ac diligenter cuſtoditus, tandem in Monaſterio Minorum munitiori cuſtodiæ mancipatur. Conveniebant ad eum, in loco honeſto clementer detentum, Concilii Commiſſarii, Cardinales etiam, & Epiſcopi, ut potiora ſuaderent; inter omnes vero frequentius frater Didacus Minorita gente Caſtellanus: *magnus*, inquit Zurita, *Doctor, & ſolemnis Magiſter in Theologia, cui commiſſum erat, ut rationum, & ſacræ doctrinæ pondere, errantem in viam reduceret veritatis.* Tanti fuit ut in multis convinceret, & in aliis vel nolentem cogeret fateri veritatem, præſertim circa auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Tandem examinatis Joannis Wicleffi erroribus, quos Huſs defendebat, iiſque cum auctoris memoria condemnatis, ad defenſorem converſum eſt, quos cum tueri potius, quam veram Eccleſiæ doctrinam ſequi mallet, licet in principio ſe aſſentiri Synodo velle dixiſſet, atque in ſuis erroribus pertinaciter hæreret, perorante die VIII. Junii contra ipſum ex ma-

Proceditur contra Joann. Huſs. *Cochl. de Huſſitis lib. 2.*

Fr. Didacus Caſtellanus. *Zurita cit. c. 47. Ulric. de Concil. Conſtant. hiſtor. Theuton.*

magno, quo ferebatur in fidei puritatem affectu, ipso Imperatore Sigismundo, in refectorio Fratrum Minorum Constantiæ, quo Patres Concilii convenerant, tamquam hæresiarcha condemnatus est, & mox vivus exustus VI. mensis Julii, in octava SS. Petri & Pauli Apostolorum. Ejus socii Hieronymi Pragensis judicium simile referemus anno sequenti.

Vivus comburitur.

VI. Sub hoc tempus erant contentiones, & schismata inter Fratres in Gallia, ægre ferentibus Ministris Provincialibus, ut per novam illam reformationem subtraherentur eorum jurisdictioni aliquot Conventus in provinciis Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ, quibus Benedictus XIII. dum auctoritate fungebatur in Gallia, & frater Angelus, deinde Joannes Bardolinus Pseudo-Ministri Generales exemptionem concesserunt, ut secundum sua peculiaria statuta viverent, sub obedientia fratris Thomæ de Curte * Vicarii Provincialis, a se instituti, uti superius diximus. Ut morem gereret Ministris, Antonius a Pireto Ordinis Primicerius, & majori præcaveret schismati in Religione, etsi alias huic reformationi faveret, egit cum Alexandro V. ut revocarentur indulta Benedicti & Bardolini, & submitterentur in omnibus hi Fratres strictioris Observantiæ Ministris Provincialibus, neque ullum ad suum sodalitium absque eorum licentia admitterent, & omne vestis discrimen ablegarent. Concessit hæc, uti retulimus, Alexander, quippe sub laxiori disciplina educatus, & diploma partim confirmavit Joannes successor. Hinc turbæ, & scandala, Ministris dissipantibus novellum hoc vitæ genus, inceptoribus, & sectatoribus conservare cupientibus. Re delata ad Joannem XXIII. ex consilio Jordani Protectoris, & partium consensu dedit Fratribus Observantibus secundum Vicarium N. de Britannia. Sed Provinciales Ministri variis artibus demum obtinuerunt etiam hunc revocari, & fratres Observantes a prædicatione suspendi. Tamdem deductis tumultibus ad Patres Concilii Constantiensis, & propositis multis querelis, quæ habentur in monumentis Ordinis, commissa fuit causa prædicto Jordano Cardinali Protectori, Episcopo Albanensi, & Petro Aliaco Cardinali Cameracensi, aliisque doctis, & probis viris, qui valde propenderunt in partem strictioris vitæ professorum: tamdemque ex decreto Concilii *Sess.* 19. edita est hæc constitutio.

Dissensio in Gallia inter Convent. & Observantes.
* *Al.* de Curia.
Ann. 1388. *n.* 5.
Ann. 1409. *n.* 14.
Firmam. 3. *ordin. par.* 3. *fol.* 151.

Dilectis Ecclesiæ filiis, Generali, & Provincialibus Ministris, Custodibus, cæterisque Ordinis Minorum professoribus, salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

VII. *Supplicationibus personarum, quæ voto religionis sunt adstrictæ, illis præsertim libenter annuimus, quas ad finem tendere conspicimus, per quem personæ ipsæ, sub placida tranquillitate, juxta suam professionem quiescant, ac sedulum & tranquillum in humilitatis spiritu Domino reddere valeant famulatum. Nuper siquidem supplicatio pro parte religiosorum virorum, Guardianorum, & Fratrum vestri Ordinis, Conventuum videlicet Sagiensis, de sancto Audomaro, Morinensis diœcesis, de Varennis, Remensis, de Dola, Binsuntin. de la Valle, Cenomanensis, de Elicio, Nannetensis, de Ambasia, Turonensis, de sancto Joanne Angeliacensi, Xantonensis, de Bercorio, de Toleto, & de Fontiniaco communitatis, Malcacensis diœcesis, infra provincias Franciæ, Burgundiæ, & Turonensem, juxta modum dicti Ordinis existentium, nobis humiliter præsentata continebat, quod, divina cooperante clementia, temporibus his novissimis Regularis Observantia vestri jam dicti Ordinis in præfatis Conventibus inceperat vigere,*

Decretum Concilii in favorem Observantium.

sed variis obstantibus impedimentis per Ministros, & Custodes illarum provinciarum eis præstitis, in ipsa stricta Observantia non medioeriter impediebantur, quorum impedimentorum occasione multa scandala pullulabant: humiliter & devote supplicantes, quatenus eis de remedio opportuno providere dignaremur. Nos igitur eorum supplicationibus, tamquam justis, benigne annuentes, cupientesque multa scandala vestri Ordinis tollere, atque unitate in eo conservata, Fratres in pacis dulcedine conservare, statuimus & decernimus eisdem supplicationibus fore providendum, & de facto tenore præsentium eis providemus, juxta formam per Reverendissimos Patres Dominos, videlicet Jordanum Episcopum Albanensem de Ursinis, ipsius Ordinis protectorem, & Petrum tituli sancti Chrysogoni Presbyterum Cardinalem Cameracensem, vulgariter nuncupatos, S. R. E. Cardinales, & alios ex parte hujus sacri Concilii super hoc deputatos, specialiter avisatam, ordinatam, & traditam, atque per religiosum virum fratrem Joannem Rota in sacra pagina professorem, & Vicarium Ministri Generalis antedicti, una cum aliis pluribus Magistris, & discretis Patribus ipsius Ordinis ex una parte, & Fratres prænominatos Conventus repræsentantes ex alia concordatam, videlicet quod Fratres Conventuum prædictorum de cetero, & quousque aliud super hoc per sacrum Concilium generale fuerit Ordinatum, possint & valeant quilibet in sua provincia eligere de sua stricta Observantia unum Fratrem idoneum, quem in scriptis Ministro illius provinciæ præsentatum, ipsum dictus Minister infra triduum post hujusmodi præsentationem suum Vicarium constituere debeat ad ipsos regendum in solidum, loco & vice ejus, & eis providendum in omnibus quibuscumque, & ipsis modis, quibus ipse Minister Provincialis etiam providere potest; ita quod de ipsorum Fratrum regimine in nullo possint se intromittere dicti Provinciales vel Custodes, sed ad ipsos Vicarios cura & correctio eorum omnino pertineat, excepto quod ad suæ superioritatis cognitionem Minister Provincialis ipsos possit, si voluerit, visitare in propria persona, & tunc punire de consensu majorum, & discretorum Conventus, in quo fiet hæc visitatio, quidquid punitione dignum repererit; quem si constituere renuerit modo prædicto, ex tunc constitutio ejusdem præsentati ad Vicarium Ministri Generalis inferius annotatum devolvatur, & pertineat absolute. Qui quidem Vicarii hujusmodi trium Provincialium possint & debeant una cum Fratribus discretis sibi subditis, forma solita in electionibus Ordinis servata, insimul eligere inter se unum alium Fratrem ad hoc sufficientem & idoneum, pro eorumdem Vicariorum correctione, & totius hujus strictæ Observantiæ in prædictis Provinciis meliori regimine, quem per eos in scriptis Ministro Generali Ordinis, qui erit pro tempore, humiliter præsentatum, ipsum Minister super illos suum Vicarium constituere infra triduum post illam præsentationem benigne debeat, & caritative: alioquin ipso triduo transacto, sit, & habeatur Vicarius ipsius Generalis, auctoritate ipsius sacri Concilii constitutus. Qui quidem Vicarius Generalis in sua congregatione, vel alias solus debeat, & possit Vicarios prætactos (quoties opus erit) punire, & ipsis, ac Fratribus aliis sibi subditis providere in omnibus quibuscumque casibus, quibus Minister Generalis eis potuisset providere, ne ipsos, ut sæpius contingit, quoties Generali Ministro indigent, longius oporteat evagari. Et pro hac vice primaria constituimus in præfatum Generalis Ministri Vicarium fratrem Nicolaum Radulphi, apud nos de hac Observantia laudabili, ac diligentia solerti multipliciter commendatum, quem volumus posse deponi, quoties Vicariis, & aliis Fratribus discretis sæpe dictis videbitur expedire. Possit tamen Generalis Minister, qui est, & qui erit pro tem-

tempore, ipsos Fratres, & Conventus in sua persona, quoties voluerit, visitare, prælibato Vicario non obstante, & punire, si quid in dicta visitatione puniendum repererit, sicut moris est in Ordine, & alias facere consuevit. Verumtamen non intendimus quod prædicti Vicarii, propter mortem, depositionem, seu mutationem illorum, quorum vice funguntur, possint a suis officiis removeri, vel in eis impediri, nisi super hoc assensus majorum, & discretorum sibi subditorum, prius intervenerit, ad quos semper eos deponere, & alios eligere, antedictis Generali, Provincialibusque Ministris præsentare modo, & forma præmissis (quoties fuerit opportunum) volumus & decernimus pertinere. Insuper possit, & debeat ipse Generalis Vicarius & sui successores, Conventus sibi pro tempore subditos ad statum dictæ strictæ Observantiæ consonum, juxta declarationes, & statuta Sedis Apostolicæ, & Ordinis reducere, tollendo quascumque superfluitates, sive sint in rebus mobilibus, sive immobilibus, quantum fieri poterit bono modo, habito semper consilio majorum, & discretorum sibi obedientium, eligendo (si opus fuerit) aliquos fideles, qui ipsas superfluitates auctoritate hujus sacri Concilii vendant, commutent, aut alias in piis operibus convertant. Insuper statuimus, quod omnes & singuli Conventus prædictarum Provinciarum, quoties majori, vel saniori parti Fratrum in eis existentium placuerit, ad hanc strictam Observantiam se reducere, & Vicariis antedictis se subdere, hoc libere facere possint, & etiam singuli Fratres cujuslibet Conventus dicti Ordinis, contradictione cujuscumque non obstante, a quorum Vicariorum obedientia, & subjectione nullus exire possit sine speciali licentia Vicarii Generalis antedicti. Non tamen per hoc intendimus, quin Fratres, & Conventus, qui voluerint, possint secundum hanc strictam Observantiam vivere, manendo etiam immediate sub cura Ministrorum Provincialium, exceptis tantum prænominatis Conventibus, & Conventu de Mirabello, Pictaviensis diœcesis, quem volumus expresse, & ordinamus curæ, & regimini prædictorum Vicariorum subesse; & ex causa, ut sicut in eo hæc stricta Observantia regularis in partibus illis sumpsit exordium, ita in illo, tamquam in aliorum speculo, semper elucescat. Ceterum cum juxta sententiam Sapientis, Volatilia ad sibi similia libenter conveniant, statuimus quod Eccl.27.10. *quando Fratres hujusmodi Observantiæ peregrinationis studio, vel alias per mundum proficiscuntur, ad loca Conventus communitatis Ordinis declinent, si voluerint; ad alia vero loca Fratrum in Observantia sibi similium, semper declinare teneantur, juxta quod in statutis Ordinis continetur. Insuper quilibet Provincialis Minister Provinciarum præmissarum Vicario Generali sæpedicto pro præsenti duos Conventus in sua provincia fideliter assignet, aptos ad manendum, munitos libris, & aliis rebus pro cultu divino, quoties ab eodem Vicario per litteras, aut alias in suo provinciali Capitulo fuerit requisitus, eligendos per ipsum Provincialem; ita quod propter hanc assignationem mobilia quæcumque dictis Conventibus pertinentia, quomodocumque sint, non debeant abigi, seu segregari, secundum dispositionem Cardinalis Protectoris vestri Ordinis. Et si contigerit quod Ministri Provinciales, & Custodes, vel alii expulerint, vel ejecerint Fratres hujusmodi Observantiæ ab aliquo, seu aliquibus Conventuum prænominatorum a quindecim mensibus citra violenter, & alios loco eorum ibidem collocaverint, vel mobilia ad ipsos Conventus, vel aliquem ipsorum spectantia deportaverint: volumus & mandamus districte, prædictos Fratres indilate recedere, & exire a dicto Conventu, mandantes tenore præsentium prælibato Vicario Generali, quatenus, auctoritate nostra omnibus modis, quibus fieri poterit honeste, & licite,*

ipsos

ipsos exire, & prædicta bona restituere compellat per censuras Ecclesiasticas, & alios Fratres, & subditos suos ibidem de novo collocando, omnibus quibuscumque districte prohibendo, ne quis eum super hoc impedire præsumat sub excommunicationis pœna, sed magis ei præbeat unusquisque super hoc requisitus per ipsum potius auxilium, & juvamen. Statuentes ulterius, ne deinceps Fratres hujusmodi strictæ Observantiæ fiant Capellani honoris, vel maneant continuo in domibus secularium, causa confessionis, vel alia, citra tamen aliorum Fratrum vestri Ordinis præjudicium, ne forsan fræno obedientiæ laxato, vel profana conversatione, fervor devotionis eorum tepescat. Præcipimus insuper, & mandamus districte, in virtute sanctæ obedientiæ, omnibus & singulis Fratribus Conventuum prædictorum, & aliis in futurum sub cura, & regimine prætactorum Vicariorum constitutis, quatenus ipsis firmiter obediant, & pareant cum effectu in omnibus, in quibus Fratres illius Ordinis suis Generalibus, & Provincialibus Ministris obedire debent, aut tenentur. Ceterum cum prædicta sint de voluntate partium (sicut præfertur) per nos statuta & ordinata, districtius inhibemus omnibus & singulis Ministris, & Custodibus, qui sunt, & erunt in futurum, & aliis Fratribus vestri Ordinis, ne occasione controversiæ prius super his motæ, aut prosecutionis in præsenti Concilio factæ, aut alia quavis causa, Fratres de hac Observantia præsentes, vel futuros inquietent, molestent, vel affligant, seu eorum Vicarios, vel de secta nova, vel reprobata quomodolibet vocent. Nec etiam Fratres dictæ Observantiæ, alios Fratres vestri Ordinis infament, aut eleemosynas, aut oblationes sibi dandas impedire præsumant. Quod si de cetero alii aliis facto circa præmissa, aut eorum aliquid, hinc inde injuriati fuerint, manus violentas in eis ponendo, eos incarcerando, arrestando, libris spoliando, aut alias maculam hæresis falso imponendo, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant injuriatores, a qua non possint, articulo mortis excepto, absolvi, nisi per eumdem Cardinalem, qui pro tempore hujus Ordinis erit Protector. De ceteris vero levioribus injuriis verbalibus, omnes quicumque fuerint in hoc culpabiles deprehensi, per eorum Prælatos puniantur circa præmissa, sententiarum fulminationibus, aut appellationibus interpositis, & litteris felicis recordationis Alexandri Papæ Quinti, & earum confirmatione non obstante, quas tenore præsentium revocamus, cassamus, & annullamus, ac nullius roboris, vel momenti declaramus, & aliis quibuscumque statutis Apostolicis, vel hujusmodi Ordinis in contrarium editis non obstantibus. Nulli ergo &c. Datum Constantiæ, IX. Kalendas Octobris, anno a Nativitate Domini MCCCCXV. *Apostolica Sede vacante.*

Quædam observatur circa prædictum decretū.

VIII. Aliqua occurrunt hic notanda; primum nomina Conventuum in codice Conciliorum editionis Biniæ, qua utor, & in libris nostris Monumentorum, & Firmamenti, valde corrupta legi, quæ sic restituo, omissis diœcesibus: *Sagiensis, de sancto Audomaro, de Varennis, de Dola, de la Valle, de Clissio, de Ambasia, de sancto Joanne Angeriæ, de Bercorio, de Choletto, de Fontiniaco Comitis, & de Mirabello.*

IX. Secundum, errare nostros codices in anno, qui communiter subscribunt annum MCCCCXIV. Apostolica Sede vacante, cum neque sub illo tempore fuerit depositus Joannes XXIII. neque etiam adhuc inceptum fuerit Concilium.

X. Tertium, in eo errare Marianum, quod asserat Joannem de Roccha, sive de Rota, in decreto nominatum, Vicarium fuisse Fratrum Observantium, & pro eis pugnasse, cum nihil minus fecisset, sed contra egisset,

set, tamquam Vicarius Ministri Generalis, institutus pro toto corpore Religionis, & ibi Constantiæ relictus; dum ipse Minister alio ad negotia Religionis obeunda recederet.

XI. Quartum, errare eos, qui ante hoc tempus Vicarium Generalem habuisse Fratres Observantes in Gallia contendunt; cum ipsum Concilium asserat fratrem Nicolaum Rodulphi a se nominatum, primum fuisse. Fuerunt quidem alii duo Vicarii frater Thomas de Curte, & N. de Britannia, sed non *Vicariorum Generalium nomine* censebantur.

XII. Quintum, non minus hallucinari eos, qui constitutionem hanc ad universum Ordinem extendunt, & pro omnibus Provinciis editam affirmant, cum pro tribus dumtaxat supra nominatis fuerit promulgata. Ultimum demum, ab hoc decreto initium, & fundamentum habuisse nomen: *Regularis Observantiæ*.

XIII. Hoc anno tertio Idus Martias Perusiæ obiisse Henricum, sive Ericum Principem, filium Haquini Regis & Margaritæ, Tertii Ordinis sancti Francisci professorem, scribunt Marianus Florentinus, & Marcus Ulyssipponensis in hunc modum.

Moritur beatus Henricus Danus. *Marian. citat. c.8.* *Marc. lib. 1. c. 31.*

XIV. A pueritia rebus divinis addictus, neque a matre Margarita, neque a Proceribus regni adduci potuit, ut a morte patris sui, & Fratris Olavi (uti addit Marianus) sceptrum regium capesseret, aut procreando successori uxorem acciperet, quin potius, ut molestas ea de re interpellationes effugeret, in quamdam abditam solitudinem aufugit, & Tertium sancti Francisci Ordinem amplexus, complures annos in extrema rerum inopia vixit, exercitiis spiritualibus, orationi, & meditationi rerum cœlestium intentns. Tamdem a suis diligentissime conquisitus, repertus, & in regnum reductus, miraculo insigni sanctitatem vitæ illustravit. Proceres volebant illum Reipublicæ administrandæ admovere: mater sive quod nollet administratione regni cedere, sive quod illum filium suum esse minime crederet (adeo vultum illius aspera pœnitentia immutaverat) captum, in ignem maxime accensum conjici imperavit. In eo stetit aliquanto tempore illæsus, spectante, & suspiciente prodigium populo universo. Istud divinæ potentiæ argumentum contra matrem pro successione urgere non curavit, sed regno iterum egressus, austeritatemque vitæ prosecutus, longa peregrinatione suscepta in Italiam, ad visenda Apostolorum limina, & sancti Fraucisci sepulcrum venerandum venit; cumque apud Perusiam esset, febri correptus, ubi, quis esset, manifestasset, animam Deo reddidit. In ejus obitu campanæ Ecclesiæ vicinioris sancti Andreæ juxta portam, quæ sanctæ Susannæ nuncupatur, nullo trahente sonuerunt. Episcopus re perspecta, una cum Clero universo accurrit, inque prædicto sancti Andreæ templo proximiore, ubi etiam sanctitatis signum pulsu campanarum editum est, corpus honorifice condidit, miraculis illustre. Sigismundus Imperator post aliquot annos Romam veniens, dum Perusia transiret, atque hæc audiret, templum subiit, sepulcrum osculatus, reliquias adoravit, seque sancti Viri meritorum rogavit fieri participem. Adhuc corpus integrum perseverat.

XV. Hæc candida auctorum istorum narratio, cui Abrahamus Bzovius objicit ex Alberto Krantzio & Erpoldo Lindenbruchio, Haquinum unum solum genuisse ex Margarita unica conjuge Olavum filium, & hunc morte præmatura defunctum. Mortuo etiam Haquino, regni administrationem ad Margaritam recidisse hi auctores affirmarunt, quæ cum & Daniæ, & Norwegiæ, & Sveciæ regna prudenti consilio moderaretur, inventus est tamen juvenis corpore, & habitu simillimus (ait Krantzius) filio ejus Olavo, qui se

Quorumdam objectio contra ejus historiam. *Krantz. lib. 7. Daniæ. c. 41. & lib. 6. Norveg. c. 8.* *Erpold. in historia Daniæ.*

se Olavum mentiretur, effingens fabulam, quomodo pro se alius tumulatus sit regio funere, & ipse fuga elapsus. Multa Reginæ secreta noverat, multa puerilium actorum recordabatur, instructus a nutrice dicti Olavi. At sagacissimam Reginam, quæ certa fuit de funere sui filii, fallere non potuit. Unde factum est, ut detecta falsitate, & omni techna patefacta, publico condemnatus judicio, in Falsterbode concremaretur.

XVI. Dubius & anceps hærebit hic lector. Hinc candidi viri, a fallacia alieni, quorum primus Henrico ferme coævus, qui sæpe lustravit Umbriæ regionem, & Perusii commoratus, beati Viri sepulcrum conspexit & adoravit; illinc scriptores præcipui rerum Danicarum, quibus comperta magis erat, vel esse debuit Regum series, & genealogia. His adhibenda videtur fides circa res Franciscanas, illis non videtur deneganda in historiis suarum gentium, quas serio scribunt. At quis erit conciliandi modus, dum nostri Henricum Haquino filium tribuunt, illi negant; nostri ex solitudine ductum dicunt, ut regnet, illi sponte accessisse ut fallat; nostri oblatum, & obtrusum respuisse regnum, illi dolose ambiisse; nostri tamdem inter incendii flammas exultasse, illi periisse conscribunt?

Diluitur.

XVII. In re adeo perplexa, quæ extra controversiam sunt, & omnium oculis patent, primo præmittam, deinde circa controversa quid sentiam, exponam. In Perusii urbe, inter Italos celeberrima, & apud exteros notissima, in prædicta Ecclesia sancti Andreæ corpus beati Henrici reverenter haberi tam manifestum est, ut nihil magis. Non enim sub terra conditum, aut in latebris occultum, vel subterraneo specu ab hominum conspectu remotum, sed in Templi capite, loco conspicuo, solemni deposito, omnium patet venerationi. Henrici autem Dani Principis corpus esse, & vera dixisse nostros auctores in supradicta narratione comprobabunt quæ hic subjungo ex illius Ecclesiæ tabulis, Perusinis monumentis constantique populi traditione. Ad dextram altaris præcipui, concamerato pariete, in lignea capsa ad artem dolata, conspicitur integrum corpus, habitu, & pallio Tertii Ordinis absque capitio amictum, rosarium collo appensum, baculum ad latus appositum, concha marina, uti peregrinis assuetum, pallio adsuta. Capillamentum habet oblongum, intonsum, barbam promissam & canam, in capite regiæ dignitatis symbolum, ferream inauratam coronam. Loculo obducta est ad armarii modum exterior custodia, cui a parte superiori adpicta est imago corporis inclusi, circumductis capiti radiis, sanctitatis indiciis, unico hoc carmine subscripto.

Qualis B. Henrici sepultura & veneratio Perusii.

Henrici hic corpus: spiritus ante Deum.

XVIII. Ut corpus videatur aperto primo ostio demittitur tabula anterior arcæ, in qua servatur, atque in hac tabula ex parte interiori, scilicet dum suis nexibus reliquæ capsæ cohæret, sed exteriori dum demittitur, inscripti sunt aureo charactere hi versus impoliti:

Qui potuit cælum precibus contingere sacris,
Qui potuit Daciæ regna tenere tria.
Qui jam paupertatis amator, cultor & urbis
Istius, veniens huc peregrinus obit.
Quique iter ad cælum demonstrat, quique salutis;
Hic nunc æthereo det regione frui.

XIX. Sanctitati adstipulantur affixa, & circumpensa donaria, & votivæ tabellæ, tum antiquæ, tum modernæ, perpetua populi veneratio, vetustus in illa Ecclesia cultus. Olim supra ipsum altare majus, seu templi præcipuum, colebatur corpus, donec circa annum MDLXX. jubente Episco-

po

po Calliensi Visitatore Apostolico, inde amotum est, & postea ex constitutione Vincentii Herculani Episcopi Perusini, ex Ordine Prædicatorum assumpti, collocatum est reverenter in eo loco, quem diximus. Omnia hæc constant ex libro Visitationum Neapoleonis Comitoli, prædictæ urbis Episcopi, qui anno MDXCIV. prædictam visitavit Ecclesiam. In veteri Missali ejusdem Ecclesiæ, impresso anno MCCCCXCIX. ad diem XIII. Martii, adnotatur charactere impresso, festum sanctæ Eufrasiæ Virginis, & statim adnectuntur charactere vetusto MSS. hæc verba: *Et beati Henrici, cujus corpus est in hac Ecclesia*. In festo sancti Andreæ Apostoli, illius Ecclesiæ patroni, sive Titularis, exponitur populo venerandum beati Viri caput a busto dissectum, quod reliqua anni parte in eadem capsa suo situ reponitur corpori conjunctum. Anno MDIV. die XVI. Junii, Rector, & Parochiani prædictæ Ecclesiæ sanctæ Susannæ rogaverunt Magistratum, Priores, & Camerarios urbis Perusinæ, ut pro decentiori deposito, seu prout illi in libello supplici loquuntur, *pro fiendo uno tabernaculo, & in eo reponendo corpus beati Erigi** necessariam pecuniæ summam conferrent. Priores autem, & Camerarii facile assenserunt, *considerantes*, inquiunt in decreto, *quod pro conservatione tanti doni, & boni, quod in hac nostra civitate habemus, &c.* & ter in eodem constituto repetitur nomen *beati Erigi* absque aliqua mentione, aut insinuatione patriæ. Unde mirum est. Pompejum Pellinum in sua historia Perusina decretum istud referentem, dixisse ibi indicari, Henricum hunc fuisse nobilem Anglum, cum ne verbulum quidem de hac re legatur, nec aliqua tunc fuerit de patria quidquam obtrudendi occasio. Demum in codice veteri MSS. Conventus Minorum Montis-Morcini * breviter adnotantur Henrici in Perusiam adventus, infirmitas, mors, scripturæ, quas deferebat, ex quibus agnitum nomen, & qualitas, referturque miraculorum ab eo patratorum multitudo, quam ex scripturis authenticis ait manifeste constare. Postremo nostris auctoribus adstipulantur Maurus Abbas Montis-Olivetani, in suo Prato Florido, Philippus Ferrarius in suo catalogo novo Sanctorum, Pellinus citatus. Hieronymus Combonus de Viris sanctitate conspicuis tertii Ordinis sancti Francisci, Antonius de Sillis, & Brulius totiusque populi Perusini perpetua firmaque traditio.

Fol. 198. & 199.

Habetur in Cancellaria Perus. in lib. consil. ann. 1504. fol. 124.
* *Italice Latine.*

Pellin. l. 2. par. 3. ad ann. 1504.

* *Fortassis Auctor Montem sancti Francisci cum Monte Morcino confundit.*

Maur. par. 2. l. 6. c. 4.
Ferrar. ad 13. Mart.
Combon. cap. 105.
Sitis in c. 2. reg. 3 Ord.
Brul. de Antiq. Perus. pag. 525.

XX. Hæc extra controversiam sunt, & omnibus manifesta. Corpus, hoc anno illic honorifice conditum, in veneratione haberi, miraculis coruscasse, Henrici Dani Principis æstimari. Reliqua etiam absque controversia forent, si quæ apud se moriens habebat suæ fidei argumenta, & scripturas, in urbis archivum translata, non periissent post quinquennium, anno videlicet MCCCCXX. totius tabularii, seu archivi incendio. Huic itaque historiæ, bonorum auctorum consensu, totque adminiculis summe probabili, quid solidum ex adverso possit opponi, haud sane aspicio. Scilicet Albertus Krantzius, Isacius Pontanus, Henrici secundo geniti Margaritæ, haud meminerunt, & Erpoldus Lindembruchius eam unicum filium Olavum genuisse affirmat: & quod de adolescente in ignem immisso refertur, id Krantzius, & Pontanus de impostore recensent. De horum auctorum fide & auctoritate nunc mihi agendum est.

XXI. Krantzius istorum primus, post annum MD. scripsit, annis ferme centum post Henrici mortem, quippe historiam Danicam, ut ipse in fine ejusdem animadvertit, non nisi, anno MDIV. absolvit. Erpoldus, & Pontanus sunt nostræ ætatis scriptores; duo posteriores hæretici, primus Pontificiis, & Religiosis, præsertim Mendicantibus, passim infensus, & proinde in Indice expurgandorum librorum sæpe stylo expunctus. Facile itaque re-

Examinatur auctoritas ex adverso.

centes historicos subterfugere potuit notitia adolescentis, summo studio se occultantis, ab aula in juventute ad latibula secreta fugientis, nec quidquam præclarum, aut ambitiosum facinus, historia dignum, ante secessum perpetrantis. Adde matrem negantem, & filium repulsum, hosque auctores in mulieris laudem diffusos. Holsatici, & Sveci eam multis criminibus incusant, palam condemnant, &, vel Erpoldo teste, crudelissimam, & Inferno dignam proclamant. Dani e contra mirifice commendant, & ad cœlos usque extollunt. Facile itaque hi affectui cedere potuerunt, & quem mater, sive dominandi libidine, sive ex difformi, vel transformata effigie, filium negavit, a regia stirpe proscribere, quemque illa comburi jussit, combustum asseverare, & figmento idoneos adaptare colores. Adde, auctores rei Romanæ, & Monasticæ non adeo propitios, imo posteriores duos omnino adversos, ex composito occolturos quæ rem utramque possent commendare, vel pœnitentiæ, Eremicolatus, peregrinationis, aliave opera pietatis contra Novatores stabilire.

XXII. Quod si hæc non plene satisfaciant, sed adhuc urgeat scrupulus circa unicam Margaritæ prolem, amplius adhuc expendo horum scriptorum fidem, & auctoritatem infringo. Circa hunc ipsum Olavum, unicum quem dicunt filium, mira inter se discrepant narrationis inconstantia. Natum ait Erpoldus anno MCCCXLI. Ingenti quidem, & prorsus inaudito miraculo, inversoque rerum ordine, ut filius nasceretur antequam ipsa genitrix lucem aspiceret. Margaritam enim anno MCCCLIX. scribit Pontanus Haquino desponsatam, annos tum circiter septem natam, & nonnisi anno MCCCLXIII. Dominica in Albis Hafniæ celebrata nuptiarum solemnia. Probabilius natum Olavum asserit ipse Pontanus anno MCCCLXV. Eum regnasse in Dania annis circiter undecim, electumque a Regni Ordinibus anno MCCCLXXVI. habet Pontanus, sed obiisse nondum accepto Regno affirmat Erpoldus, cui Krantzius accedere videtur. Ignota morte periisse anno MCCCLXXXIV. Erpoldus, defunctum apud Falsterboenses anno MCCCLXXXVII. narrat Pontanus, eumdemque annum præscribit Krantzius. Christophorus Helvicus in sua Chronologia, mortis annum præfigit MCCCCXXV. Addo, Pontanum non solum ab aliis, verum etiam a seipso discrepare, circa Olavi ad regna Daniæ, & Norvegiæ assumptionem. Mortuo Waldemaro, avo materno, Daniæ Rege anno MCCCLXXV. ait anno sequenti ab Electoribus Olavum hunc ex Margarita nepotem ad Regnum adscitum, & anno MCCCLXXX. e vita migrantem Haquinum Regem Norvegiæ reliquisse Olavo filio hæreditariam Regni possessionem. At in Epicedio, quod exscripsit, & in Sarano Cœnobio ad Olavi tumulum appositum recenset, ita legitur: *Olavus illustrissimæ trium Borealium Reginæ Margaritæ filius, ex Haquino Norvagorum Rege genitus, qui primum Norvagiæ regnum jure hæreditario ex morte Patris obtinuit, regnante Matre: cum vero defuncto avo materno Waldemaro, & mater in Daniam ob heroicas animi dotes revocata esset ad imperium. præstantissimæ Dominæ beneficio, Danorum Rex in adolescentia, accepto a proceribus Regni juramento, designatur & declaratur &c.* Ab epitaphio etiam Krantzius in sua Norvegia non dissentit. Mirabilis sane circa omnia Olavi gesta istorum historicorum varietas. Nihil constans aut firmum circa nativitatem, circa regnum, aut regnorum ordinem, circa mortem. Omnia fluctuant, omnia nutant. Quid ergo solidum, aut irrefragabile in horum scriptione? Si sibi non constant de rebus Olavi præcipuis, si circa ortum, & interitum ejus dissentiunt, quam merebuntur fidem circa Henrici funus, & natalitia? si quid dicant nesciunt circa personam notissimam, quamque solam admit-

Erpol. cit. n. 98.
Pont. lib. 7. pag. 487.
Ibid. pag. 492.
Lib. 8. pag. 503.
Pag. 510.
Pag. 501.
Krantz. in Dania lib. 7. c. 40.
Lib. 9. pag. 502.
Krant. lib. 6. c. 9.

mittunt, quid expectandum circa adolescentulum minus celebrem, studiose latentem, a matre repulsum? Æqui & candidi lectoris hic exposco judicium.

XXIII. Amplius aliquid addiderim, ipsam horum fluctuantem narrationem, incertamque Olavi mortem fundamentum præbere, ut probabili conjectura suspicari quis possit omnem nostram Henrici historiam Olavo posse convenienter adaptari. Incerta morte in adolescentia periisse Olavum non solum asserit Erpoldus, sed neque tunc periisse, sed ab aulæ conspectu evanuisse, & alio dilapsum indicat Krantzii toties repetita narratio de juvene, habitu, & corpore Olavo per omnia simillimo, qui Olavum se esse, neque prorsus Olavum, uti dicebatur, obiisse contendebat, atque hunc a Margarita rejectum, ignique adjudicatum. Ita refert primo in historia Danica, secundo in Norvegica, tertio in Vandalica. Hanc effičti, sive veri Olavi apparitionem, annis quindecim post prætensum Olavi obitum, anno scilicet MCCCCII. contigisse refert Pontanus, atque in Epitaphio secundo, carmine conscripto ad tumulum appenso, quod etiam Pontanus in suam historiam transcripsit, idipsum narratur. Unde non immerito ipse Pontanus hanc subjungit animadversionem: *Eos versus non nisi adulto jam Margaritæ imperio conscriptos inde colligere est, quod de excessu Olavi variatum per id tempus, nec defuisse, qui vivere eum fingerent, crederentque, undecimus prioris epigrammatis versus injiciat: nam in annum Margaritæ decimumquintum, id est a nato Christo* MCCCCII. *id incurrisse, suo referemus loco.*. Quomodo ergo si vere vita functus erat Olavus, & regio tumulo in Sorano Cœnobio sepultus, post annos quindecim potuit dubitari, aut variari circa ejus mortem? aut quomodo non defuerunt, qui fingerent, vel crederent eum adhuc superesse?

Alia via verificandi historiam.

Lib. 8. c. 41.
Lib. 6. c. 8.
Lib. 10. c. 7.
Lib. 9. pag. 534.
Lib. 8. pag. 511.

XXIV. Alii fortassis probabilius & verosimilius dicent, regnandi spreta majestate Olavum clam se subduxisse, in eremum vitæ tranquillioris, & sanctioris cupidine abiisse, atque inde post aliquot annos non tam rediisse, quam a Proceribus, Margaritæ pertæsis, & varias ob causas, quas vel ipse Pontanus passim enarrat, eidem infensis, ad sceptrum revocatum, a genitrice repulsum, & tamquam impostorem ad ignem damnatum, sed ab incendio, vel Procerum industria, vel cœlesti ope liberatum, & inde ad pristinu m vitæ genus regressum, sub Pœnitentum, seu Tertii Ordinis habitu, & mutuato, ut securius lateret, Henrici nomine in Italiam venisse, ac Perusii feliciter obiisse.

XXV. Uno itaque ex his duobus modis recte persistere poterit nostrorum auctorum narratio, præferendo scilicet piorum hominum fidem & concordiam nobilissimæ urbis, in qua ipsum conspicitur corpus, constanti traditioni per omnia conformem, suspectorum, & corruptæ fidei scriptorum inconstantissimæ varietati: vel asserendo Olavum hac pia metamorphosi in Henricum conversum, atque ita Olavum vere Haquini & Margaritæ filium, qui Daniæ potuit (uti est in Epitaphio Perusino) regna tenere tria, videlicet Danicum, Norvegum, & Svecum, quod postremum illi debitum usurpavit Albertus Dux Magopolensis, & postea Margarita genitrix armis viriliter recuperavit, in pia illa peregrinatione sancte sub Henrici nomine Perusii obiisse.

XXVI. Hoc eodem tempore prædicti nostri auctores floruisse scribunt alterum Tertii Ordinis professorem, beatum Petrum Hispanum in Umbria, non longe ab Urbino, in quadam ædicula ab urbe P. M. remota, tanta sanctitatis opinione, ut cives & accolæ circumviciniores maximam ei ve-

Floret Beatus Petrus Hispanus.
Marian. citat.
Marc. cit. c. 33.

venerationem detulerint, vel præcipue propter istud mirandum. Aliquando tam ingens nix deciderat, ut omnes aditus ad tuguriolum & urbem præcluserit. Non erat quod Petrus famelicus manducaret; nemo erat, qui cibum per id impedimentum adferret. Adfuit per miraculum cerva ex urbe cicur, quæ moribundum præ fame gestibus, & insolitis motibus ad exeundum, seque sequendum invitavit, ac ferme invitum ad urbem tuto itinere adduxit, ubi stipe emendicata vitæ prospexit. Urbinates eo prodigio permoti, intra mœnia concesserunt eidem Ecclesiunculam Societatis, sive Confraternitatis sancti Joannis Baptistæ, in qua rudibus, & puerulis instruendis se totum addixit. Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & reliqua rudimenta Christianæ doctrinæ callentes munusculis afficiebat, nescientes docebat tanto studio, & pietatis affectu, ut inter infantulos aliquando meruerit Christum videre. Tamdem plenus dierum & meritorum fatis concessit, nemine presente. Altero ab ejus obitu die repertum est cadaver erectum in genua, conjunctas, elevatasque manus in cœlum, quemadmodum orare consueverat, protendens. Signum hoc certissimum reputarunt omnes, qui ad spectaculum convenerant, illum in contemplatione decessisse, sepelieruntque cum honore subtus altare, ubi in hunc diem integro corpore, capillamento, & barba hærentibus conspicitur.

Fr. Joan. Episc. Mazarien.

XXVII. Duo, vel tres dumtaxat hoc anno mihi occurrunt Episcopi Minoritæ, primus frater Joannes a Calatagirono, sacræ Theologiæ Magister, celeberrimus concionator, Joanni XXIII. familiaris & carus, a quo assumptus est ad Ecclesiam Mazariensem in Sicilia, sub Archiepisc. Panormitano. Ejus insignia videntur adhuc super portam præcipuam Templi Cathedralis. Longo tempore sedisse fertur, & anno MCCCCXLVIII. Romæ decessisse.

Fr. Herman. Actonen.

Secundus, frater Hermannus Burburonde Episcopus Actonensis, sub Archiepisc. Naupactensi, per obitum Theodorici, alias G. Fabri. II. *Nonas Martii:*

ADDITIO ALIORUM.

„ Hunc Hermannum electum fuisse Actonensem Episcopum non „ II. Nonas, sed II. Idus Martii, Pontificatus Joannis anno V. ex ejusdem „ Brevi: *Sinceræ devotionis*, quod nos ex Archivo Vaticano transcriptum „ Regesto addidimus, compertum sit. Eadem etiam die Pontifex ei facul„ tstem facit, ut a quolibet Catholico Antistite possit consecrari: *Cum nos* „ *pridem &c.* „

Fr. Stephanus Sterillacen.

Tertius, frater Stephanus Chaillet, Episcopus Sterillacensis, per obitum fratris Guillelmi de Nojeto. *Kalendis Februarii.*

B. Albertus Sartianus transit ad Observantes. Marian. citat. Vita Alb. MSS.

XXVIII. Hoc anno frater Albertus a Sartiano, Clusinæ diœcesis in Tuscia oppido, Pii III. patria, ad Observantes a Patribus Conventualibus transivit, annos natus triginta. Latine egregie doctus, Guerrino viro insigni præceptore, & Græce sub Emanuele Chrysolora; utraque lingua erudite scripsit, & utriusque gentis studuit conversioni. Novellum hoc Institutum multifariam adjuvit suis doctissimis scriptis, quæ apud me sunt, ab impugnatoribus liberavit, vocatis e seculo adolescentulis auxit, multiplicatis ædibus, & optimis præscriptis legibus, firmavit. Ipse in summo vitæ rigore, & disciplinæ severitate pauperem vitam transigens, omnes cupiebat Christo lucrifacere, vel assidua oratione, vel efficacissima prædicatione. Erat verbum Domini in ore ejus tamquam gladius acutus, vitia resecans, carnales affectus abscindens. Faciem nullius respiciebat, neque divitum potentiam timebat, quin minus Dei verbum libere proponeret, & quod absonum erat, redargueret. Id tamen tanta fecit dexteritate & eloquentia, ut prædicatorum sui temporis *Rex* diceretur. Sæpissime de hoc viro sanctissimo & doctissimo nobis offeretur occasio loquendi; multa enim præstitit egregie in sui Ordinis, & fidei Catholicæ incrementum.

XXIX. Re-

ANNO CHRISTI 1415.	SEDIS VACANTIS. ANNO 1.	SIGISMUNDI IMP. ANNO 5.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 208.

XXIX. Regularis Observantia in Italia hoc anno majores vires suscepit, firmioremque spem conceperunt Patres stabiliendi Instituti ex decreto Constantiensi supra relato, pro domibus Gallicanis concesso. Triginta quatuor erant humiles ædiculæ in Italia, quibus hoc anno accessit totius Ordinis primæva, a sancto Francisco commendatissima, domus sanctæ Mariæ Angelorum in agro Assisiate, *Portiuncula* nuncupata. Concessit hanc Minister Generalis, annuentibus Patribus provinciæ sancti Francisci, maxime iis, qui habitabant ad sacrum Conventum Assisii, ubi sancti Patriarchæ corpus honorifice colitur, reservatis tamen sibi quotidianis & amplis oblationibus, & pecuniariis eleemosynis, quæ in ædicula multis miraculis, gloriosæ Virginis apparitionibus, & diuturno sancti Francisci incolatu celeberrima, a numeroso concurrente populo fiebant.

Domus Portiunculæ ad eosdem transfertur.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ XXX. Etsi vero nullus prudenter inficiari possit, ædem hanc Or-
„ dinis fuisse primævam, fuit tamen qui ægerrime tulerit, & indignabunde
„ conquestus sit, quod ego alias scripsi, scilicet Gregorium IX. gravi re-
„ scripto voluisse, ut amplissima & magnifica domus intra urbem Assisii con-
„ structa, & in qua sancti Francisci corpus mirifice requiescit, totius Or-
„ dinis caput haberetur, & mater, adjecta tamen hac mea observatione,
„ quod vere antiquitate caput est Conventus sanctæ Mariæ Angelorum,
„ & mater ex instituta primitus ibi religione; nobilissimum tamen illud
„ Cœnobium Pontificio privilegio, utrumque (scilicet capitis, & matris
„ titulum) habere dignitate, auctoritate, & ex condito thesauro præcel-
„ lere: hoc inquit ille, est primitatem quærendo novæ congregationis,
„ paucioribus ab hinc annis erectæ, blandiri: hoc inquit, est sub antiqui-
„ tatis nomine primitatem dividere, & veritatem adumbrare, dum ger-
„ manæ matri hæreditarium limitantes titulum alteri Ecclesiæ proprio nutu,
„ & sinuoso motu dispartiuntur: atque hinc non levem confusionem in or-
„ dinem invehi affirmat, dum subditæ Ecclesiæ maternum nomen, & vicem
„ attribuentes, membrum cum capite promiscue, & sine lege confundunt,
„ totumque Ordinem quasi monstruosum afficiunt, ubi multa hujusmodi
„ acriori calamo compingit, addens eos, qui ita scribunt, videri non esse
„ Ordinis Franciscani, & quod ædes aut congregationes Franciscanæ, quæ
„ huic capiti non subsunt & copulantur, quasi acephalæ jacent, sine vigore
„ vitæ, sine gratia venustatis, & quasi sine decore truncus, aut sine capite
„ corpus.

Gabr. Faber. in panegyr. Assisien. Eccles. c.2. & 1. Ann.1210. n. 2.

Quæ sit prima Ordinis Ecclesia.

„ XXXI. Deus bone, quantus hominis ardor? quanta bile vehemen-
„ ter efferbuit? & quousque in dicendo processit? mihi integrum esset ad
„ mensuram respondere, & calamum acuere, sed religiosius duxi lenire,
„ paucisque verbis meliorum auctorum rem totam absolvere: & ii quidem
„ sunt ipse Ordinis institutor Franciscus, & restaurator Bonaventura. Hic
„ in vita sancti Præceptoris cap. 2. de Cœnobio Portiunculæ loquens ait:
„ *hunc locum Vir sanctus amavit præ ceteris mundi locis. Hic etenim hu-*
„ *militer cæpit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit, hunc in morte*
„ *Fratribus, tamquam Virgini carissimum, commendavit.* Infra. *Hic est lo-*
„ *cus, in quo Fratrum Minoram Ordo a sancto Francisco per divinæ revelatio-*
„ *nis instinctum incboatus est*, & cap.4. *Post hæc*, inquit, *pusilli gregis pa-*
„ *stor Franciscus ad sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum*
„ *Fratrum numerum, superna gratia præeunte deduxit, ut ubi meritis Ma-*
„ *tris Dei Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis*
„ *incrementum.*
„ XXXII. An non etiam hac conditione domum istam a Patribus Be- *Vide Annal. ann. 1210. n.7.*
ne-

„ oedictinis accepit Vir sanctissimus, ut si aliquando illius sodalitium amplius & copiosius excresceret, huic loco tamquam primo, & capiti id nominis tribueret? Ao non ratum & firmum Vir sanctus habuit hoc pactum? lætusque rediit ad suos, quod primam sui Ordinis pauperculam ædem ipsa obtinuerit mendicitate. Nonoe summis elogiis Vir sanctus istam extulit domum? nonne tenerrime sub mortem Fratribus commendavit? *Hic*, inquit, *cum pauci essemus augmentavit nos Dominus Altissimus. Hic luce sapientiæ suæ illuminavit animas pauperum suorum. Hic igne sui amoris nostras voluntates accendit.*) Uode antiquus liber, cui titulus *Speculum vitæ sancti Francisci*, in pio metrico, quod de hac domo habet, elogio inter alia, hæc ejus profert encomia.

Vide collet. 28. S. Francisci. — *Specul. cap. 87.*

„ *Hoc intra Templum genitus fuit Ordo Minorum,*
„ *Divi Patris exemplum sectatur turba virorum.*
„ *Clara Dei sponsa fuit hic primaria tonsa,*
„ *Pompis exuta mundi, Christumque secuta;*
„ *Sic partum clarum Fratrum simul, & Dominarum,*
„ *Sacra parens fudit, Christum, quibus orbe refudit.*

„ XXXIII. Ad singula hæc quid bonus iste vir respondebit? an hoc est blandiri novæ congregationi, ante paucos annos exortæ, an vero rem ipsam ob oculos ponere? Certe qui huic capiti subsunt, non sunt acephali, nec sine capite corpus, etsi magno & sacro Assisiati Cœnobio Conventualium non se submittant. Hoc illud caput Franciscus præscripsit, post Francisci obitum, illud aliud caput emersit. Atqui hoc geminum caput isthoc anno ad Observantes transivit, quorum origo per aliquot annos præcessit. Non ergo adeo pauci elapsi sunt anni postquam ista congregatio accepit exordium, ut non jam effluxerunt anni plusquam ducenti quadraginta. Redeo autem ad felices progressus hujus Instituti, rectorumque in gubernandis Cœnobiolis prudentiam.

Tenue adhuc Observantiæ initium.

XXXIV. Ex his prædictis Cœnobiolis tria erant in valle Reatina, & provincia Romana, videlicet Fontis Columbæ, Grætii, & Podii Busconis, reliqua in Umbria & Tuscia. Numerus Fratrum per omnia dispersorum erat exiguus, neque sufficiebat ministerio domestico. Inter ducentos circiter paucissimi erant Sacerdotes, ita ut in ædiculis Reatinis, alternis vicibus unus sacra perageret, & in nocte Nativitatis Dominicæ primam Missam Grætii, secundam ad Fontem Columbæ, tertiam in Podio celebraret. Pauci etiam erant docti ante adventum quatuor cœlestium præconum Bernardini Senensis, Joanois Capistranensis, Alberti a Sartiano, & Jacobi Piceni. Hi cultum, regiminis normam, & litterarum studium invexerunt. Primi satores Instituti, viri abjecti, humiles, rerum agendarum, & scientiæ expertes, in solitudinibus, in cavernis, & eremitoriis a mundo semoti, non tam alienas, quam suas curabant animas, rerum cœlestium contemplationi, & pietati incessanter addicti. Horum virtutem & qualitates Nicolaus Farensis beati Joannis Capistrani socius ita describit: *Patres nostri pauci erant numero, humiles, & abjecti in conspectu hominum, sed magni, & accepti in conspectu Dei, religione insignes, fide præcipui, paupertate divites, sub humilibus, & paupereulis habitaculis degentes, caritate ferventes, castitate nitidi, orationi supra modum instantes, crebro jejunantes, vilia comedentes, æmula humilitate se invicem superantes, facie squallidi, pedibus nudi, pannosi, demissi, pavidi, trementes, exangues, egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, sola paupertate locupletes.*

Faren. in vita B. Capistrani.

XXXV.

XXXV. Horum eremicolarum Vicarius, quem ſupra diximus, Joannes a Stronconio prudenter agebat, provinciarum trium, ſancti Franciſci, Tuſciæ, & Romanæ, in quarum diſtrictu domos regebat, Miniſtros plurimo obſequio, & placido regimine habebat propitios. Ita turbas & ſcandala evitabat, diſſidia & lites procul faciebat, & placido, licet lento incremento, ſuam familiam dilatabat. Præſtat ſane ita facere, quam civilibus diſcordiis, inteſtinis odiis, publiciſque tumultibus novas reſpublicas feſtina eruptione, & odioſa ſciſſura meditari. Si religioſe, ſi modeſte, ſi debito modo Dei opus proponatur, ipſe ſtabiliet. Prælati, etſi laxioris vitæ, etſi durioris notæ & conditionis, ſincero virtutis exercitio vincuntur, & religioſa humilitate manſueſcunt, præſtantioremque pietatem, aut ſanctioris vitæ genus, non niſi aliunde quæſito colore audebunt condemnare. Illinc contra facile & animoſe impugnabunt, ſi ſibi inſultari viderint, ſi inobedienter refragari, ſi aperta ſchiſmata intentari, ſi peregrinas novitates induci. Diu duratura lente creſcunt, & occulto ſtabiliuntur incremento. Id ſua manſuetudine, & humilitate obtinuerant Paulutius Fulginas, & Joannes iſte ſucceſſor, ut Miniſtri Generales & Provinciales quidquid opus erat huic augendæ Congregationi, ſponte conceſſerint, ut congregationes, ſeu Comitia particularia celebrarent, Vicarium ſibi eligerent, privatis legibus regerentur, domos erigerent, Fratres quo vellent, deſtinarent, vel a ſeculo, vel a communitate Ordinis admitterent. Poterant Miniſtri per ſe Cœnobiola viſitare, ſed faciebant eo ſuæ poteſtatis temperamento, ut majora pietatis incrementa non vetare, ſed promovere viderentur, quis enim virtutem, etſi occulte odiat, publice condemnet? nullum ad ſe revocarent, omnes pacifice arctiori committerent regulæ Obſervantiæ. *Ann. 1390. n. 4.* Placidum incrementum Obſervantiæ.

XXXVI. Stronconius Inſtitutum propagaturus, relicto, qui ſuas vices ſubiret, Nicolao Uzano, per Umbriæ fines tranſivit ad provinciam ſancti Angeli inter Aprutinos, & hoſpitio receptus in urbe Aquila a Paulo Pauli, cive locuplete de Colle Brimano, tantam ipſe cum ſociis aſſecutus eſt opinionem, ut ſe, ſuaque illis juvandis, & Sodalitio promovendo ultro offerret. Actum eſt ſtatim de conſtruendo prope urbem habitaculo, dumque ſitum luſtrarent prope ſanctum Angelum de Ocria, neque hic arrideret propter nimiam diſtantiam ab urbe, deinde apud ſanctum Laurentium viderent e cœlo dilabi in vallem adverſam, parvumque nemus globum igneum, qui ædis conſtruendæ locum deſignaſſe videbatur D. P. ab urbe diſtantem: *Illic*, inquit Joannes adſtantibus, *Deo placet ut habitemus*, admotiſque operi manibus, brevi domum, ſub ſancti Juliani invocatione conſtruxit, expenſis pii viri Nuntii a Fonte, ædiſque præfectum conſtituit fratrem Dominicum Genuenſem. Domus eſt religioſiſſima, ornaturque tribus beatorum Patrum corporibus, Apollonii, Maſchii, & Vincentii Aquilanorum, de quibus alias ſermo redibit. *Gonza. in Prov. S. Bernard. Con. 2.* Conv. S. Juliani prope Aquilam.

XXXVII. Ejuſdem ferme temporis, ejuſdemque viri partus eſt Conventus ſancti Onofrii, prope Calenam in Apulia, ad ingreſſum cujuſdam refertiſſimæ ſilvæ, & radices montis conſtructus, ex vicinorum populorum eleemoſynis. Locus eſt amœnus, ſolitarius, abſque ſtrepitu ſeculari, in quo tirones informantur opportune. Jacent hic beatus Joannes Aragonius, Friderici Aragonii Siculorum Regis nepos, & Juſtus Calenus, viri miraculis clari, quod ſuis temporibus amplius oſtendemus, & præter hos alii a pietate & virtute commendatiſſimi. Conv. S. Onofrii prope Calenam. *Idem in Provin. S. Angeli Con. 1.*

XXXVIII. Conventus item ſancti Nazarii, ad Moroni oppidum in eadem regione a Dominis de Caraffa, quibus oppidum ſubeſt, conſtructus. Conv. Moroni. *Indid. Conv. 2.*

La-

Laboravit in structura, & præfuit operi quidam frater Constantinus laicus, vir pius, qui ibidem cum aliis religiosissimæ notæ sodalibus; Modesto de civitate, Bonaventura de Colle-obtorto, aliisque requiescit. Sed præ omnibus in veneratione habetur sepulcrum beati Guillelmi a Castillione, laici multis miraculis illustris.

Conv. Tribuli.

Idem in Provin. Concept. Con. 16. Monume. MSS. ejusdem Provinc.

XXXIX. In Hispania M. VI. P. a Vallisoleti urbe, beatus Petrus a Villacretio devotissimam, & religiosissimam domum construxit ex fidelium eleemosynis in horto Tribuli, vulgo *Abroio*, a pio viro Alvaro Diaz Villacretio sibi liberalissime concesso, ad Durii fluminis ripam, prope nemus, domumque recreationis Regum Hispaniæ. In magna veneratione habetur hæc ædes apud omnes Principes & Heroes, propter tot, tantosque viros scientia illustres, moribus graves, religione, & pietate insignes, quos continuo producit. Hinc Philippus II. Rex prudentissimus frequenter evocabat, quos regiæ proli educandæ præficeret. Floruerunt hic in tanta copia Viri optimi, ut difficile fuerit eos enumerare. Recentiores aliquot enarrabo: Joannem Zumarragam Cantabrum, primum Mexicanum Archiepiscopum, Bernardinum Arevalensem, Joannem Calagurritanum, Joannem Henriquez, de quibus suis temporibus agetur diffusius. Claustrum ornavit nobili sacello beatæ Mariæ Virginis immaculate conceptæ Henricus Henriquez, ex Eremita Augustiniano Episcopus Placentinus, absolvitque egregio opere, anno MDCXX. in quo cum suo genitore requiescit.

Conv. Pozæ.

Idem in Provin. Burgen. Conv. 5.

XL. Paulo post hoc tempus Marchiones de Poza, non longe ab oppido Pozæ domum construxerunt strictioris vitæ sectatoribus, ita procurante beato Lopetio de Salinis. Remota est a seculi turbis, & propterea Recollectis Patribus deservit. Prius spectabat ad provinciam Burgensem, modo vero ad Cantabricam. Mentionem invenio in quibusdam Bullis Indulgentiarum hoc anno concessarum incolis Conventuum Friburgi, Constantiensis diœcesis, Kusmartani alias Sustach, diœcesis Jauriensis in Hungaria, & Norwicensis in Anglia, in quo collocari præ aliis Fratres nativos, seu Norwico oriundos, Pontifex præcepit Provinciali, qui per alios Conventus Custodiæ Cantabrigæ eos passim dispergebat, non sine civium querelis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Euphrasia Vidua Tertii Ordinis floret.

Chronic. Provin. Bavar.

„ I. EUphrasia Vidua, Fabriani clarissimi oppidi ad Æsim fluvium in „ Umbria Domina, & Neptis Baptistæ Varanæ, ibidem in Mona„ sterio sancti Lucæ, insigni sanctitate florebat, ut scripsit Jacobillus in „ libro de Episcopis, & Sanctis Fulginatibus. Moniales autem Pitrichianæ „ Monachii Tertii Ordinis sancti Patris Francisci, sub invocatione sancti „ Christophori Martyris Ecclesiam hoc anno consecratam habuere: nomen„ claturam nihilominus, quam a suis primis Fundatoribus de Pitrich assum„ pserant ab initio, perennant, cum virtutum odore.

„ II. Septam, Exilissam prius, nunc Ceutam nuncupatam, Urbem „ Episcopalem in Mauritania Tingitana, ad mare apud Abylam Montem, „ Herculis columnam, contra Calpem alteram columnam in Hispania, an„ gusto intercurrente Herculeo, Joannes I. filius naturalis Petri Regis „ Portugalliæ, qui suo Patri in Regno successit, valida classe transfretatus, „ hoc anno die XIV. Augusti suo subjugavit Imperio, & firmissimum „ Christianorum propugnaculum constituit. Aderat Regi frater Joannes „ Xira ex nostris ejusdem Confessarius, qui Maurorum mesquitam in Tem„ plum Christianorum commutavit: indeque postea asportatas duodecim per-

„ perpulchras marmoreas columnas, in Oratorio sanctæ Catarinæ a Carno-
„ ta ab Alenquerio duobus M. P. inter præruptas rupes, & densas silvas,
„ pro nostris paupertatem & solitudinem affectantibus, ad preces fratris
„ Didaci Arias Asturicensis, erecto, pro gratiarum actione aucto Templo
„ Rex collocavit. Hic piissimus æquæ ac fortissimus Heros nostræ Religio-
„ nis amantissimus, jussit ut deinceps, ad imitationem Castellæ, relicta
„ æra Cæsaris, in Lusitaniæ Regno annorum computus a Nativitate Christi
„ fieret: fuitque Regum primus, cui mos esset solemnioribus diebus an-
„ ni in publico sedere. At hoc eodem anno alter Joannes Britanniæ Dux
„ Religiosis nostris pariter addictissimus, viam universæ carnis ingressus,
„ apud Minoritas Guingampenses tumulatus fuit.

Wadd. ad ann. 1408. n. 6.

Bernar. Justino l. 3. fol. 227.

ARGUMENTUM.

In Concilio Constantiensi agitur de causa Hieronymi Pragensis, & condemnatur. Beatus Jacobus Picenus recipitur ad Ordinem, in quo multis floret virtutibus. Referuntur Episcopi. Floret Guillelmus Holmus. Ædificantur Cœnobia.

I. Fidei causam prosecutura Synodus Constantiensis, auditis & mature discussis omnibus, quæ Hieronymo Pragensi, Joannis Huss damnati hæresiarchæ sectatori & defensori, a promotore fidei objiciebantur, & qualiter post abjuratas hæreses, & emissam integre fidei professionem, ille iterum ad pristinos errores reversus, publice in Patrum conspectu ausus sit Wicleffi, & Hussi doctrinam defendere, tulit in eum dignam sua pertinacia sententiam, ut eodem quo suus magister Huss, ignis afficeretur supplicio. Acta sunt hæc in sess. 21. die penultima mensis Maii, universo approbante Concilio. Sessionem hanc præcessit congregatio generalis, in qua lectæ fuerunt conditiones, quæ proponebantur a Ferdinando Rege Aragonum, ut ille adhæreret Concilio, & se suosque retraheret ab obedientia Benedicti XIII. Admissæ ferme sunt omnes, & subscriptæ ab universis Patribus Concilii, inter quos numerantur frater Antonius a Pireto, nostri Ordinis Minister Generalis, & frater Joannes de Corello conventus Parisiensis Regens, & Procurator fratris Joannis Evingonelli provinciæ Franciæ Ministri, qui doctissimam habuit orationem ad Patres Concilii, in die Nativitatis beatæ Virginis Mariæ. Aliæ quinque sessiones habitæ circa modum recipiendi ad unionem Concilii residuos Reges & Principes, & qualiter agendum esset contra Benedictum, sive Petrum de Luna, in sua scandalosa ambitione pertinacissimum.

Condemnatur Hieronim. Pragensis.

II. Magnum hoc anno accessit Instituto Regularis Observantiæ ornamentum & incrementum, per admissionem Jacobi Piceni nunc per orbem celeberrimi. In oppido Montis-Prandoni, Asculanæ diœcesis natus mense Septembri MCCCXCI. (uti narrat ejus individuus comes Venantius Fabrianensis, licet alii annum enumerent MCCCXCIII.) Patrem habuit Antonium Gangalam Rubeum, matrem Antoniam, corrupte Tonam, humilis fortunæ, sed Christianæ pietatis consortes. In ipso ortu futuræ sanctitatis apparuit indicium, exorto in auroræ crepusculo, quo nascebatur, ingenti & mirabili fulgore, qui domum universam irradiavit. Dominicus in Baptismo vocatus, & septennis patre orbatus, a Fratribus, quorum copiosum numerum habebat, deducendis ovibus addictus, feri lupi aspectu quotidie terre-

Ortus B. Jacobi Piceni.

Marian. cit. c. 3. Mar. cit. l. c. Vita MSS. a socio Venantio.

Pueritia.

batur (quem a Deo immissum, ut ab illo vitæ genere fugaretur, ipse postea sæpissime sociis persuasit) neque periculum potuit declinare mutato agro, lupo semper (absque ulla tamen ovium rapina) insequente. Discrimine, in quo versabatur fratribus patefacto, fugit Offidam, & benevolum invenit receptorem, Presbyterum quemdam consanguineum, qui pueruli indolem suscipiens, litteris imbuendum judicavit. Puerilibus rudimentis instructum Asculum misit, ubi Latinæ linguæ, deinde Perusiam, ubi utriusque juris peritiæ solerter incubuit. Hinc Florentiam abductus a nobili cive Perusino, cujus filios instruebat, officio donatur vindicis gravaminum.

III. Post aliquot menses mundi vanitates exosus, decrevit universas procul facere, & Religionis fidæ stationi se committere. Carthusianis exposito desiderio, neque statim approbato, statuit in patriam reverti, rebusque cum Fratribus compositis, Deo, quo vellet vocanti obtemperare. Assisio transiturus accessit ad templum sanctæ Mariæ Angelorum, paulo antea Fratribus Regularis Observantiæ concessum, multisque precibus obtinuit a fratre Nicolao Uzano, vices gerente, uti diximus, Joannis Stronconii, ut ad Sodalitium reciperetur. Die sancti Jacobi Zebedæi habitu religioso suscepto, sancti Apostoli patrocinium & nomen suscepit; tirocinium religiosissime explevit in Cœnobiolo Carceris, in monte Subasio. Revocatus ad ædem, in qua religiosam vestem induit, solemnem emisit professionem. Statim tamquam lucerna super candelabrum cœpit omnibus prælucere, virtutum factus exemplar. Nullus eo promptior ad obediendum, nullus humilior, nullus continentior, omnibus omnia factus, omnium sibi conciliavit voluntates. In Etruriam missus sacros suscepit Ordines, primamque habuit concionem ad populum in die sancti Antonii Patavini, quarto anno ab ingressu in Religionem.

Initiatio inter Observantes.

Ann. 1415. n. 36.

IV. Munus hoc prædicandi tanto fervore ex Superiorum præcepto subivit, tantaque sollicitudine prosecutus est, ut quadraginta septem annis quotidie ferme sermonem habuerit ad populum. Ne tamen, juxta Apostoli cautionem, cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur, perpetuis vigiliis, oratione, & jejuniis carne mortificata, spiritum promptum exhibebat divinis obsequiis. Tres, vel quatuor horas dumtaxat dormiebat, reliquas insumebat in divinis laudibus, donec Fratres ad matutinas preces exurgerent, quibus persolutis, remanebat in choro usque ad auroram in pedes erectus, divinam clementiam erga genus humanum, aliaque mysteria cœlestia humiliter expendens. Prorumpebat postea in lacrymas, nostram erga Deum ingratitudinem incusans, deinde asperis flagellis a se, tamquam si solus peccasset, vindictam repetebat. Annis duodeviginti super nudam carnem loricam gestavit ferream, quam postea ex Confessarii consilio, aspero commutavit cilicio. Triginta annis carnem, aut ova non manducavit, donec laxato stomacho, ingravescente ætate, & aucto prædicationis, variarumque functionum labore, ex sancti Bernardini præcepto aliquando, sed raro, cibos istos, aliosve admittebat. Quando rus proficiscendum erat, ut per vicos & castella prædicaret (omnes enim circumvicinas regiones perlustrabat, & die uno frequenter in tribus, vel quatuor castris prædicabat) nocte præcedenti duras fabas aquæ immittebat, diluculo deinde panem, & cepe in perula coacervabat, habitoque sermone, ista dumtaxat edebat, & aquam frigidam bibebat. Septem quadragesimis, quibus sanctus Franciscus perpetuo ferme jejunio totius anni tempora distinxit, rigide jejunabat, ita ut universa vitæ periodus perpetua videretur abstinentia. Ultra meditationes nocturnas, officium, & coronam beatæ Virginis recitabat; quotidie celebrabat, torque ora-

Prædicatio.

1. Cor. 9. 27.

Vitæ asperitas.

orationes adjiciebat, ut rebus aliis nullum supereſſe tempus videretur.

V. Caſtitatem tanto ſtudio colebat, ut mulieri nulli, niſi maxima urgente neceſſitate, demiſſis etiam oculis, loqueretur, paucisque verbis colloquium abſolveret. Nullam dicebat ſe in faciem reſpexiſſe, neque ex vultu cognoviſſe, tantoque timore maculandæ puritatis contremiſcebat, ut neque aliorum manus, aut propriam carnem auderet attingere. Nihilominus perpetuo exercitio, & meritorum profectui, datus eſt ei ad inſtar Apoſtoli Pauli, ſtimulus carnis, angelus Satanæ, qui eum aſſidue colaphizaret, duravitque hæc moleſta colluctatio, neque expedire ſe potuit ab importuno & domeſtico hoſte, donec ad aram beatæ Virginis Lauretanam, inter ſacri myſterii ſolemnia enixius oravit, ut jam tamdem liberaretur ab occulto hoc inſidiatore. Cui piiſſima Virgo apparens benigniſſime promiſit protinus ab iſta moleſtia liberandum, quod ipſo probavit effectu; neque enim ullam deinceps ſenſit tentationem. *Caſtitas.* *Tẽtatio aſſidua. 2. Cor. 12. 7.*

VI. Paupertatis Evangelicæ ſtudioſiſſimus, nihil ſuperfluum, nihil molle in veſtibus, nihil curioſum in libris, aliiſve rebus neceſſariis admittebat, non luxui, ſed meræ indulgens inopiæ. Humilitate & obedientia perquam mirabili omnibus præfulſit; non citius apud ipſum facto dictum, neque opus erat examine, ut obediret, cœco parutus obſequio, quod præcipiebatur, non præcepti qualitatem, ſed præcipientis auctoritatem humiliter expendens. Semper etiam in ultima ſenectute jam apud ſuos, & apud exteros maximoſque Principes & Reges in veneratione habitus, hanc reverentiam detulit Superioribus, quantumvis vel officio, vel qualitate humilibus. Nihil non præclarum & excelſum in hoc viro ſanctiſſimo; cujus virtutes breviter hic delibavimus, comprobationem earumdem, & præclara quæque facta in ſua tempora reſervantes. Laborandum certe nobis erit in ſingulis recenſendis, tot enim tantaque ſunt illuſtria ejus opera, & adeo frequentia miracula, ut multis proceſſibus, quos apud me habeo, comprehendi non potuerint, neque vitæ bene deſcribendæ multi ſuffecerint Scriptores. Ex omnibus ſeligam potiora & veriora, reliquis præferam abſque cujuſquam injuria hiſtoriam a ſociis conſcriptam, & quæ ex commiſſione Apoſtolica per teſtes ſolemniter in actis inveniuntur comprobata. *Paupertas.* *Humilitas & obedientia.*

VII. Quatuor prudentiſſimis viris Bernardino Senenſi, Joanne Capiſtrano, Alberto Sartianenſi, & Jacobo iſto Piceno in conſortium admiſſis, jam videbatur regularis Obſervantia tamquam quatuor columnis, & totidem petris angularibus ſecure fulciri, tamquam quatuor propugnaculis firmiter muniri, & totidem veluti aurigis per ſecuras ſemitas deduci. Omnes enim eamdem ſuo modo rexerunt, omnes ab adverſariis defenderunt, omnes vitæ ſanctitate, atque apud Principes & Pontifices auctoritate fulcierunt. Licebat prius viros pauperculos & inermes impetere, licebat abjectos deſpicere, & fluctuantis Inſtituti leges revocare: at poſtquam tales obtinuit propugnatores, & ex ea pendebant hujuſmodi clypei, omniſque armatura fortium, non adeo facile, aut integrum erat ulteriores moleſtias inferre. Tanta erat uniuſcujuſque horum apud omnes opinio, tanta inter Principes reverentia, ut Pontifices præclariſſima per univerſam Italiam, & in remotiſſimis regionibus illis munia commiſerint, univerſique ferme Principes peculiares miſerint Oratores, ut ſuas ditiones vel doctrina, vel ſaltem præſentia bearent. Adeo magna & multa ſuperſunt de præclariſſimis his Viris enarranda, ut ingentem perhorream laborem, & rem operoſiſſimam eſſe apprehendam ſingula per ſuos annos diſtribuere, vel præcipua ſaltem delibare capita rerum ab ipſis geſtarum, quæ integra volumina complerent. *Bernardino Senenſ. & ſociis munita regulare Obſervantia.*

Capitulum Generale Obser. in Gallia.

VIII. Nicolaus Rodulphi a Patribus Concilii Constantiensis institutus Vicarius Generalis super Conventus regularis Observantiæ provinciarum Franciæ, hoc anno convocavit ad Comitia Superiores, & præcipuos Patres prædictorum Cœnobiorum, iisque congregatis in Conventu Bercorii provinciæ Turoniæ, multa constituit huic novæ reformationi stabiliendæ necessaria, quæ nos suis locis in opere de Capitulis & Statutis generalibus, Deo favente, aliquando componendo, dabimus opportunius. Expletis Comitiis, acta transmisit ad singulos Conventus, præmissa hac inscriptione: *Dilectissimis in Christo Patribus, & Fratribus Rectoribus, ceterisque Conventuum Fratrum Minorum de sancto Audomaro, de Sagio, de Varennis provinciæ Franciæ, de la Valle Guidonis, de Mirabello, de Clissio, de Choleto, de Fontinioco Comitis, de Barchorio, de Ambasia provinciæ Turoniæ, de Dola, de Ciriaco provinciæ Burgundiæ, frater Nicolaus Rodulphi super eosdem Conventus, & quosdam alios in præfatis provinciis, Reverendissimi Patris Ministri, Ordinis Minorum, Generalis Vicarius, salutem & pacem in Domino sempiternam.*

Hist. Comen. par. 2. Fr. Anton. Episc. Comen.

IX. Invenio hoc anno Episcopum fuisse Comensem in Lombardia fratrem Antonium Minoritam nobili familia Turcona oriundum, ante aliquot annos a Capitularibus electum sub Gregorio XII. a quo tamen non potuit obtinere confirmationem, quia ipse Episcopum alterum delegerat Guillelmum Pusterlam Mediolanensem. Hunc ab urbis ingressu, & omni Pontificia functione prohibuit Franchinus Rusca, urbis Princeps, atque Antonium a Capitulo electum, voluit reditibus gaudere. In Concilio Pisano deposito Gregorio, confirmavit electionem Alexander V. sed anno hoc MCCCCXVI. Luthero Rusca Franchini filio qui urbi dominabatur, eamdem tradente in potestatem Philippi Mariæ Viceconitis Ducis Mediolanensis, mortuoque Pusterla, Dux ægre ferens Pusterlam olim rejectum, contendebat haud legitimum fuisse Episcopum Antonium, curavitque alium Minoritam Franciscum Crivellum, Ministrum, uti superius diximus, Mediolanensis Provinciæ, (*An. 1409. n. 20.*) electorum suffragiis eidem opponi. Deducta lite ad Patres Concilii Constantiensis, commissaque causa Placensi, Pistoriensi, & Vaurensi Episcopis, (*Vide sess. 19. in fine.*) tamdem decisa est in favorem Antonii; non potuit tamen ad Episcopatum redire, Duce prohibente. Obiisse Venetiis anno IX. a sua electione, & Christi MCCCCXVII. scribit Auctor historiæ Comensis. Sed anno MCCCCXXII. adhuc vixisse, & renuntiato suo Episcopatu, ad suam religionem rediisse ostendam eo anno ex Diplomate Pontificio. Alium exhibet Petrus Rodulphus (*Rodul. fol. 271.*) Episcopum Venetiarum Marcum Landum, quem etiam sub hoc anno recenset Leander Albertus in catalogo Venetorum Episcoporum, licet Institutum reticeat.

Fr. Guillelmus Holmus. *Pits. de Scriptor. Angl.*

X. Floruit in Anglia hoc tempore Guillelmus Holmus ex familia Regularis Observantiæ, a virtutis, pietatis, & bonarum litterarum studiis, sed in primis Christianæ pietatis nomine quamplurimum commendatus. Ut non solum ægris hominum animabus, sed etiam infirmis corporibus mederi salubriter posset, exemplo sanctorum Cosmæ & Damiani, nec non & sancti Lucæ Evangelistæ privato studio rei medicæ operam dedit, exitu perquam felici. Hausit enim medicinæ peritiam singularem ex naturalium rerum cognitione, quam in Philosophia optime apprehendit. Sed quod rei caput est, uti ex effectis colligere licet, acceperat a Deo donum curationis. Erat igitur in omni praxi mire felix, morbos, qui videbantur aliis incurabiles, curavit sæpissime; nullius vel vilissimi hominis refugit tenuitatem, divites & pauperes, summos & infimos, quæ erat ejus caritas, indifferenter admi-

fit,

sit, pari sollicitudine pro cujusque infirmitate, quemque tractavit, & omnes quos potuit, gratis curavit. His nominibus erat non solum populo, sed etiam Proceribus, ipsisque regni primis Principibus mire gratus & acceptus. Et ne posteros sua scientia fraudaret, sed potius & mortuus alios mortis periculis eriperet, usque vitam prorogaret, egregium opus elaboravit, & sub hoc titulo in lucem emisit, *De simplicibus medicamentis*.

XI. Inter Avenionem & Aquas Sextias, in monte amœnissimo, irriguo, atque arboribus consito, Episcopus Aquensis, & Capitulares Cathedralis Ecclesiæ per hoc tempus concesserunt Fratribus Observantiæ Prioratum quemdam derelictum, quem in religiosum, meditationi, atque orationi opportunum habitaculum converterunt. Ecclesia titulum habet sancti Petri de Canone, & sepulcra multorum nobilium Rupis-Martinæ.

> Conv. S. Petri de Canone. *Gonz. in Prov. S. Ludov. Conv. 26.*

XII. Hoc anno vir pius Ferdinandus a Rota, ad stadium XVI. ab urbe Cordubensi, eisdem Fratribus Conventum sub invocatione sancti Francisci de Arizafa construxit, assentiente Benedicto XIII. cujus partes etiam hoc anno sequebantur adhuc proceres Castellani. Cum vero eo derelicto, ubique obtineret Martinus V. ab hoc itidem confirmari voluit erectionem. Demum ipse Fratribus nomen dedit, & sub eodem tecto a se constructo religiosissime vitam transegit. Hic initiatus est beatus Didacus a sancto Nicolao, a Sixto V. in Sanctorum numerum magna solemnitate relatus.

> Conv. Arizafæ. *Idem in Prov. Granaten. Con. 5.*

XIII. Ad mille passus a civitate Dertosana in Catalonia, Guillelmus a sancto Miniato Archidiaconus ædiculam sancti Barnabæ sacram, sub annum MCCCXLVI. in quadam sua possessione pro Canonicorum sodalium recreatione ædificari curavit, quam post aliquot annos Petrus a Garreto U. J. Doctor, & sacelli Rector, tradidit religiosis Patribus Matthæo Thamos, & Raymundo Manresæ, consentientibus Vicario Othonis Dertosanorum Episcopi, atque Eduardo Monticatino Canonico infirmario, nomine sui Capituli. Dertosani cives omnem præstiterunt operam prædictis Fratribus, ut eo in loco religiosum construerent domicilium, & ex communi ærario præstitis impensis, opitulantibus Serenissimis Regibus Alphonso V. & Maria conjuge, qui sub hunc annum regnare cœperunt. Brevi absolutum est ædificium. Cum vero post annos multos quidam ex Capitularibus donationem infirmare, & possessionem turbare intentarent, Eugenius IV. suis litteris ad Episcopum Ilerdensem datis anno IX. sui Pontificatus, quas dabimus in Regesto, factum confirmavit. Post annorum centuriam adjudicatus est hic Conventus Fratribus Recollectis, quorum tanta est in populo virtutis & pietatis opinio, ut liberalissime Dertosani cives omnia necessaria subministrent. Vixerunt hic viri religiosissimi, qui magnum vitæ sanctæ transactæ specimen præbuere.

> Conv. Dertos. *Idem in Prov. Catalon. Con. 6.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» IN Annalibus Tholosanis Bertrandi memorabilem casum in Ecclesia nostri Cœnobii anno MCCCCXVI. accidisse legimus, ut sequitur. Cum in » Ecclesia Fratrum Minorum unus Religiosus Missam celebraret, post sacri » Corporis & Sanguinis elevationem, & ad momentum, quo genuflectebat, stupefactus, rigidus, ac detentus factus fuit, nec cecidit, sed in ipsa » flectione genu, elatis & apertis oculis immotus permansit; cumque per » longum temporis spatium in eodem statu & figura fuisset, minister eum » voluit movere, ac a tam longa meditatione revocare, sed cum ter aut » quater excitatus, vel pulsatus non responderet, magnus rumor in Ecclesia

> Mirabilis casus.

„ sia factus est, & adstantes crediderunt quod in extasim raptus esset, & in-
„ clamaverunt, *miraculum miraculum*. Fama velox hujus rei sparsa est
„ per totam Tolosæ Civitatem, unde magni populi concursus, ac tota Ec-
„ clesia brevi temporis repleta est populo. Dominus Bartholomæus Natalis
„ insignis Medicus, Catalepsi morbo occupatum dixit. Catalepsis autem
„ Medicis est affectus cerebri, & potissimum posterioris ejus partis, proce-
„ dens ab humoribus frigidis, cerebri ventres, præcipue posteriores occu-
„ pantibus, respiratione tamen integra manente, oculisque ut in vigilia,
„ apertis. Cum ergo omnia hæc signa concurrerent in patiente, facile Na-
„ talis illud judicium protulit. Sed contrarius Medico eventus fuit, nam
„ cum Medici jussu inde asportatus esset ille Religiosus, & alter ipsi suffectus
„ ad absolvendam Missam, Oratione Dominicali dicta, obriguit ut alter, &
„ pariter immobilis factus est, qua de causa firmius creditum est miraculum,
„ nam hi duo Religiosi probi erant. Tertius tamdem oblatus & admissus,
„ feliciter Missam persolvit. Istud monumentum vetus exaratum est manu
„ Domini de Bardin in suprema Curia Tholosana Senatoris.

Chron. Prov. Aquit.

ARGUMENTUM.

Patres Concilii Constantiensis, toto orbis consensu & exultatione, Papam renuntiarunt Martinum V. In eodem Concilio fit honorifica mentio aliquorum Fratrum Minorum, virorum clarissimorum. Memorantur Episcopi, & nova domicilia.

I. PAtres Concilii Constantiensis, multis habitis hoc anno Sessionibus circa varias causas quorumdam Episcoporum, circa audiendos & admittendos ad unionem Oratores Joannis Regis Castellæ, Catarinæ Reginæ ejusdem Regis genitricis, Henrici Infantis Aragoniæ, ac Ordinis sacræ militiæ sancti Jacobi de Spata Generalis Magistri, Caroli Regis Navarræ, & Fuxi, atque Armeniaci Comitum, eousque Petro de Luna adhærentium, circa præscribendas leges conclavis, electionisque futuræ Pontificis, circa reformationem ecclesiasticam a Pontifice curandam, aliaque hujus generis gravissima, maxime vero circa depositionem Benedicti XIII. tamdem deputatis electoribus, additisque cœtui Cardinalium, ipsis consentientibus, ex quatuor nationibus aliis triginta, ut omnium gentium suffragiis universo orbi unus jam tamdem Pontifex daretur. III. *Idus Novembris*, die sancti Martini, Ottonem Columnam in Pontificem Romanum assumpserunt. Maxima fuit omnium gratulatio, quasi post densas dissidiorum tenebras, unitatis, ac pacis splendore succedente, eoque sincerior lætitia, quod omnia suffragia in unum conspirarunt, linguis, institutis, moribus, studiis discrepantium. Ob reverentiam & affectum in sanctum Martinum Turonensem, in cujus festo die ad tantam dignitatem evectus est, Martinus voluit appellari. Hujus nominis quintum communiter recensent, cum revera tertius fuerit computandus; nam ex quatuor quos *Martini* nomine nuncupant, duo erant Marini, non Martini. Hic porro die Sabbati x. *Kalendas Septembris*, per Joannem Cardinalem Ostiensem in Presbyterum ordinatus est, & sequenti die Dominico ab eodem Cardinale in Episcopum consecratus. Coronationis insignia suscepit ante fores Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis, per manus Raynaldi Brancatii S. R. E. Archidiaconi, toto ferme astante Concilio, & ex omni natione viris primariis. Demum solemni equi-

Eligitur Martinus V.

equitatu per urbem perrexit, equi Pontificis frænum ex utroque latere tenentibus Sigiſmundo Imperatore, & Friderico Marchione Brandemburgenſi, ſacri Romani Imperii Archicamerario, & electore.

Fr. Joannes de S. Jacobo.

II. In Seſſione XXXV. & XXXVIII. occurrit mentio fratris Joannis de ſancto Jacobo, ſacræ paginæ profeſſoris Ordinis Minorum, qui fuit Procurator, & Orator miſſus ad Concilium cum aliis viris clariſſimis ab Henrico Infante Aragoniæ & Siciliæ, Ordinis ſancti Jacobi de Spata Magiſtro. Antequam Conſtantia decederent, ſub finem hujus anni III. *Kalend. Januarii*, invenio conceſſum ei diploma a Martino Pontifice, ut auctoritate Provincialis, qua fungebatur Provinciæ Caſtellæ, Fratres ſibi ſubditos ab omnibus cenſuris, quibus fortaſſis ratione ſchiſmatis innodabantur, abſolvi faceret a Confeſſariis pro arbitrio deligendis. Succeſſit in miniſteriatu Martino a Valliſoleto. In Seſſione XXXVI. honorifice commemoratur frater Ferdinandus de Illeſcis, appellaturque Joannis Caſtellæ & Legionis Regis Conſiliarius & Orator, de quo nos alias ſæpe locuti ſumus. Occurrit etiam in Hiſtoriis Luſitanorum mentio fratris Joannis Xiræ, Joannis I. Regis Confeſſarii, qui eidem aſtitit in expugnatione Septæ urbis Mauritaniæ, & Maurorum Meſquitam in templum Chriſtianorum commutavit.

Fr. Ferdinandus de Illeſcis. *Vide Zurit. to. 3. lib. 12. c. 66.*

Fr. Joannes Xiræ.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Rub. in hiſt. Raven. lib. 7. ſub anno 1417. & 1418.*

Fr. Nicol. Ariminen. nuncius ad Martinum Pontificem. Obizo Polentan. Ordini addictiſſimus.

„ III. Obizo Polentanus vir potens, & Vicarius Pontificius apud Ra-
„ vennates, cum accepiſſet Martinum Pontificem Conſtantiæ electum, ſuæ
„ partis eſſe judicavit ad eum deſtinare, qui ſuo, & urbis nomine aſſumptioni
„ gratularetur. Miſit autem fratrem Nicolaum Ariminenſem, domus Ra-
„ vennatis Præfectum, eruditum Theologum, pro quo anno ſequenti di-
„ ſceptandum fuit cum Miniſtro Provinciæ Bononienſis Bartholomæo, qui
„ Nicolaum ſecundo præfecturæ anno, magna auctoritate ſunctum, e gradu
„ removit. Cum vero nullis precibus Obizo impetrare poſſet, ut reſtitue-
„ retur, ſcripſit ea de re ad Antonium Perrectum Generalem Miniſtrum,
„ affirmans majores omnes ſuos in divi Franciſci æde, illius indutos Ordinis
„ habitu, ad ſepulturam dari conſueviſſe, ſe totum eſſe divi Franciſci filium,
„ maxime in illius Ordinem, ac Socios propenſum, ſtuduiſſe, aſſidueque
„ ſtudere, ne quid in victu, in libris, in ipſa domo deeſſet, ſcribereque ſe
„ ad provincialia eorum Comitia ſingulis annis, ut Fratres moribus, ac do-
„ ctrina inſignes darent. Ipſum Nicolaum magna religione ac cura divi-
„ num in eo Cœnobio cultum auxiſſe, ac ceteras partes optimi Præfecti
„ præſtitiſſe: eſſe illum Patrem ſuum, & conſolationem pene omnem ſuam:
„ itaque tanto ſtudio petere, ut majore non poſſet, ne abdicare illum pri-
„ ſtina auctoritate vellet, ac potius reſtitueret, & in Magiſtratu confirma-
„ ret: quia anno proximo: *Ex devotione*, inquit, *quam ad Ordinem gero,*
„ *& ad laudem Dei, & S. P. noſtri Franciſci, & ad expoſcendam veniam*
„ *& ſalutem mei, meorumque, & requiem Defunctorum, Parentum, &*
„ *Fratrum, omniumque de domo mea, quam precibus Fratrum Minorum*
„ *obtinere ſpero, hic provinciale Capitulum tenere unum intendo; cujus præ-*
„ *parationem & curam, ſeu onus dicto Magiſtro Nicolao dimiſi.*

Fr. Jacob. Episc. Tergeſtinus.

IV. Epiſcopi occurrerunt Minoritæ, Tergeſtinus dictus Jacobus de Balardis Laudenſis, qui huic interfuit Concilio. Ex catalogis duobus, quos habeo MSS. Epiſcoporum Tergeſtinæ Eccleſiæ, unus Franciſcani, alter Dominicani facit Inſtituti, & Magiſtrum ſacri Palatii. Sed inter auctores, qui de Epiſcopis Ordinis Prædicatorum, aut de Magiſtris ſacri Palatii egerunt, nullus eſt, qui hunc inter alterutros reponat. Aſſiſias alter frater Benedictus Nurſinus hoc anno a Capitularibus electus, & a Martino V. anno ſequenti confirmatus. Ita catalogi duo hujus Eccleſiæ. Sed in Concilio Con-

Fr. Benedictus Aſſiſias.

Constantiensi invenio hoc anno, & sequenti inter reliquos nominatum, & publicas functiones obeuntem Nicolaum Episcopum Assisinatensem. Quid si hic curæ renunciaverit, aut Ecclesiam in aliam transtulerit, retento sibi etiam titulo Assisinatis? quod frequenter fit, & quotidie exempla habemus, ut renuncians, & qui possidet, ejusdem Ecclesiæ se subscribant Episcopos.

Fr. Nicolaus Fulgin.

Tertius Fulginas, frater Nicolaus Nardi de Fieragatto, Bettonio, Umbriæ oppido natus, sacræ Theologiæ Magister, a Capitularibus postulatus, & a Pontifice, per Friderici obitum creatus: *Apostolatus officium*, XIII. *Kalend. Januarii*. Anno MCCCCXIX. die III. Aprilis possessionem accepisse populo applaudente, & pie prudenterque rexisse, scribit Jacobillus, sed Institutum ignoravit, & in creationis anno erravit, non hunc, sed sequentem assignans.

Fr. Joan. Lucen.

Quartum sub hoc tempus mortuum comperio fratrem Joannem Episcopum Lucensem in Hispania, sub Archiep. Compostellano. Confirmat enim Pontifex legatum, quod in suo testamento reliquit Monasterio Clarissarum Toletano, asseritque Ordinis fuisse Minorum.

Conv. Pedis-Luci. *Rodul. fol. 254.* Conv. Diensis.

V. Hoc anno in Provincia Spoletana, & Custodia Narniæ, in oppido Pedis-Luci constructum ab oppidanorum universitate Minoritis Cœnobium, scribit Rodulphus. Fratres Conventus Diensis in Provincia Burgundiæ, & Custodia Viennensi, ut liberarentur a variis incursibus hostium & prædonum, quibus extra urbis muros siti subjiciebantur, decreverunt domicilium in urbem invehere. Obtinuerunt facultatem a Benedicto XIII. ita faciendi; sed dum faciunt impediuntur a Capitulo & Canonicis urbis. Recurrunt ad Martinum, ut obstacula removeat, ejusque impetrant litteras ad Officialem Gratianopolitanum, ut controversiam expendat: *Exhibita nobis* XIII. Kalendas Januarii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litteræ Pontif.

Gregorius XII. obit.

„ I. CUm Fratricellorum profana hæresis, semper damnata, nondum „ esset extincta, imo pluribus in locis, præsertim Italiæ, schisma- „ tis & bellorum occasione succrevisset, & nostris plurimum infesta esset, „ contra hujusmodi Fratricellos ad Ecclesiarum Prælatos litteras Pontifex „ expedivit: *Ad ineffabilis &c.* XVIII. Kal. Decembris: & alias ad Archie- „ piscopum Narbonensem pro fratre Poncio Minorita hæreticæ pravitatis „ Inquisitore: *Accedens ad præsentiam &c.* Nonis Decembris. Grego- „ rius XII. interea ante creatum Martinum V. obiit, sepultus Recineti in „ Ecclesia Cathedrali.

Memorabilis casus.

„ II. Monasterii Ridleriani Sororum Tertii Ordinis S. P. Francisci, „ Monachii in Bavaria, Annales manuscripti prodigiosam sub hoc anno rem „ enarrant his verbis. Devota quædam Virgo nomine Maria, patre Andrea „ Wrenharet, professione Sculptore, & matre Barbara, Monachii orta, quo- „ tidiana Sanctimonialium Monasterii Ridleriensis consuetudine adeo de- „ lectabatur, ut firmum propositum præfatarum Ordinem ingredi mente „ conceptum, in votum emiserit: verum a parentibus contra suam volunta- „ tem juveni pictori desponsata, plurimas cordis angustias patiebatur. Jam „ vero desponsationis & nuptiarum dies imminebat, ac tum ipsa majori æstu „ succensa, ardentissimis precibus Deum exorabat, ut citius sese mori per- „ mitteret, quam virginitatis thesauro vel corona privari. Annuit votis „ clementissimus Deus, qui liliis illibatæ castitatis plurimum delectatur, & „ exauditis precibus, desideranti abire casta, tempora vitæ abbreviavit: pri- „ die nuptiarum infirmatur desponsa, & nocte sequenti circa præcordia tri-

plici

Anno Christi 1417.	Sedis Vacantis anno 3.	Sigismundi Imp. anno 7.	Religionis Minorum anno 210.

,, plici apostemate pestifero (nulla tunc in urbe vel circum erat hujusmodi
,, morborum suspicio, sed cuncta bene valebant) invaditur: accersitis Patre
,, & Sponso (nam Mater paulo ante obierat) vale dicto utrique ait: *Jam*
,, *misericors & Altissimus meis votis annuens, his, quæ inspicitis, virginita-*
,, *tem meam, quam illi despondi, tutatur. Igitur, Sponse, Deo in statu reli-*
,, *gioso deservire contende, vanum carnis amorem fortiori Christi dilectione*
,, *devince: me quam deperibas sine fructu, morti proximam intueris: Deum*
,, *super omnia cole, a quo tantum æternæ gloriæ fructus expetere potes; vana*
,, *sunt quæ mundus dat, ac transitoria nimis, quæ inter seculi illecebras im-*
,, *modica cura demetuntur. In Religione metes longe facilius, quæ cum usura*
,, *in horreum æternitatis reportes.* His & similibus Sponso dictis non surdo,
,, Patrem jam ætate grandævum adorsa, precibus induxit, ut omnia bona
,, sua in pauperes, atque præfatum Monasterium erogaret, velletque se pro-
,, xime morituram habitu Sanctimonialium Tertii Ordinis S. P. Francisci
,, dignari, & defunctam ad præfatas Moniales Ridlerianas, quas toto corde
,, peramabat, sepelire. Monitis uterque paruit: Juvenis suæ Sponsæ opti-
,, mo exemplo devictus, in Austria Ordinem sancti Dominici professus est.
,, Pater vero voluntatem filiæ, quam unice diligebat, edoctus, quæ ipsa vi-
,, vens desideraverat, post ejus mortem dolens opere complevit.
,, III. Supervixit piissima Virgo tribus diebus, in quo temporis spatio
,, plures, & crebras revelationes supernarum rerum, quibus dignabatur, ad-
,, stantibus enarrabat: inter alia, se plures sibi notos in Paradiso vidisse af-
,, firmabat, & brevi se illis associandum fore: nec opus esse, sive dum adhuc
,, viveret, sive post mortem quemquam suum morbum exhorrescere, aut
,, sibi ex eo pertimescere malum, quod nulli quidquam sinistri eventurum
,, foret, ac ita rei probavit eventus. Tamdem tridui appropinquante hora
,, suprema, sanctis Ecclesiæ Sacramentis munita, obdormivit in Domino, & *Mors servæ Dei.*
,, ut petierat, Tertii Ordinis habitu induta, apud præfatas Moniales decen-
,, tem sepulturam nacta est XII. Novembris anno MCCCCXVII.
,, IV. Post ejus obitum Pater, quam ei perpulchram Crucifixi imagi-
,, nem effinxerat, ejusdemque virgineis crinibus ornaverat, dono Monast.
,, dedit, quæ in magno semper honore habita est, quod diversis & pluribus
,, necessitatem patientibus adjutorio fuerit. Tradiderunt quoque de hac ima-
,, gine antiquiores Monasterii Sorores, quod capitis Christi Crucifixi crines,
,, sæpius abscissi creverint. Id vero diu silentio occultatum, piæque devo-
,, tioni earum, quæ eos crevisse viderant, attributum. At pluribus tamdem
,, post annis, anno scilicet MDCI. Domicellæ quædam Nobiles, familia &
,, nomine plurimum in urbe notæ eam Crucifixi imaginem contemplatæ,
,, rei, quæ dicebatur, certitudinem exploraturæ, dextri lateris totum cri-
,, nem ad caput usque derasere, quem postea a præfatis Domicellis Elisabe- *Chron. Prov. Bav. de eo Monast.*
,, tha Bavariæ Ducissa habitum, inter pietatis & devotionis gazas reposuit,
,, & sub vitro perlucido eamdem imaginem diligenter custoditam voluit, ac
,, attente observata imagine detunsa, ad instar viventis, visi crines excre-
,, visse, majorem in omnibus devotionem excitarunt, pluraque beneficia
,, exinde piis emanarunt. In Choro vero hæc miraculosa Imago servatur,
,, quam devote volentibus venerari Moniales exhibent.

REGESTUM
PONTIFICIUM.

REGESTUM PONTIFICIUM.

GREGORII XI.

ANNO CHRISTI 1377. PONTIFICATUS ANNO 7.

BULLA I.

Indulgentia pro Ecclesia Stronconii. Regest. Vatic. fol. 210.

Universis Christifidelibus.

LIcet is &c. Cupientes igitur, ut Ecclesia beatæ Mariæ loci Fratrum Minorum Stronconii, Narnien. diœcesis, congruis honoribus &c. de omnipotentis Dei &c. omnibus &c. qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis Domini nostri Jesu Christi, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, & in Nativitate Joannis Baptistæ, & Apostolorum Petri, & Pauli festivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, & per prædictarum festivitatum octavas, Ecclesiam prædictam devote visitaverint annuatim centum, & per octavas quinquaginta dies de injunctis eis pœnitentiis, misericorditer relaxamus; præsentibus post decennium minime valituris. *Vide Constit. 78. Innoc. VI.*

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem. XV. Kalend. Junii, anno VII.

II.

Indulgentia pro sacello Ecclesiæ Lucan. Ibid. fol. 208.

Universis Christifidelibus.

LIcet is de cujus munere &c. Cupientes igitur, ut Capella beatæ Luciæ, per quondam Franciscum de Omniliis civem Lucan. in Ecclesia domus Fratrum Ordinis Minorum Lucan. fundata, congruis &c. & ut Christi fideles eo libentius &c. de Omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis &c. necnon in Nativitatis &c. beatæ Mariæ Virginis &c. ac beatæ Luciæ, in cujus honorem dicta Capella est constructa &c. devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum & celebritatum, centum, octavarum vero &c. quinquaginta dies de injunctis eis &c. relaxamus, præsentibus post decennium minime valituris. Volumus autem quod si alias &c. aliqua indulgentia &c. hujusmodi præsentes &c. *Vide ut supra.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum VII. Kalend. Decembris, anno VII.

III. *Con-*

III.

Confirmat loca & privilegia concessa Fratribus Hungariæ. Regest. Vatic. fol. 229.

Dilectis filiis Generali, & aliis Ministris, ac Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, per Hungariam constitutis.

§. I. SOlet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri.

§. II. Exhibita siquidem &c. continebat, quod licet vos quinquaginta loca dumtaxat vestri Ordinis cum Ecclesiis &c. & aliis necessariis &c. quæ dudum in provincia Hungariæ, secundum morem dicti Ordinis, tam ex piis largitionibus fidelium, de aliquibus eorum vobis factis, quam ex justis aliis titulis acquisitis, obtineatis & possideatis pacifice & quiete: tamen quia litteræ & instrumenta, scripturæ, & alia monumenta super acquisitionibus locorum ipsorum confecta, quædam illorum videlicet combusta, quædam vero vetustate corrosa, & quædam etiam sunt amissa, de acquisitionibus hujusmodi docere, vel alias fidem facere non potestis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut ne propterea super locis eisdem possitis in posterum molestari, providere vobis super hoc, de benignitate &c.

§. III. Nos igitur sinceræ devotionis affectum, quem ad nos, & Romanam geritis Ecclesiam, honestatem quoque mentis, qua in humilitatis spiritu gratum Deo exhibetis obsequium, attendentes, & volentes propterea vos ac Ordinem ipsum favore prosequi gratioso speciali; hujusmodi &c. inclinati, acquisitiones, & loca præfata, necnon libertates omnes, & immunitates a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris per privilegia, vel alias indulgentias, vobis & eisdem locis concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Christifidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis, & per vos, auctoritate Apostolica, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum XIV. Kalendas Februarii, anno VIII.

IV.

Ut possint recipere Conventum in oppido Madropsi. Ibid. fol. 226.

EISDEM.

Vide Const. 215. Clementis VI.

SAcræ vestræ Religionis &c. annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra &c. quod in oppido de Madropso, Corban. diœcesis, quod prope schismaticos & infideles situm est, & quod per unam dietam nullus locus Fratrum ipsius vestri Ordinis existit; & quod propterea dilectus filius nobilis vir Stephanus Comes Serviæ, de propria salute cogitans, & cupiens terrena &c. commutare, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, & pro sua & progenitorum suorum animarum remedio & salute, quemdam locum cum Ecclesia &c. & aliis necessariis &c. in dicto suo oppido ad opus vestrum, in honorem, & sub vocabulo sancti Francisci fundavit, pariter & instruxit, illumque cum omnibus juribus & pertinentiis vobis intendit pia liberalitate donare. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis excipiendi locum ipsum, inibique morandi licentiam con-

concedere dignaremur. Nos igitur qui vos, & Ordinem ipsum gerimus &c. volentes vos, consideratione carissimæ in Christo filiæ nostræ Elisabethæ Reginæ Hungariæ illustris, nobis super hoc humiliter supplicantis, favore &c. inclinati, vobis recipiendi locum ipsum, cum Ecclesia &c. & aliis officinis prædictis, dummodo duodecim Fratres &c. congrue sustentari, auctoritate &c. plenam elargimur: non obstan. fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum. XIV. Kalendas Februarii, anno VIII.

V.

Confirmat privilegium Benedicti XII. de non solvendis decimis, aut exactionibus. Ibidem.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Mariæ de Veteribuda, Ordinis sanctæ Claræ, Vesprimien. diœcesis.

§. I. Vestræ devotionis sinceritas &c. gratiam admittamus. Tenorem igitur cujusdam privilegii felicis recordationis Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri Dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis & Sororibus Monasteriorum Ordinis sanctæ Claræ, secundum Regulam ipsius Ordinis, a felic. record. Urbano IV. prædecessore nostro institutam, viventibus, concessi, quod incipit: *Sacra vestra*. Quem quidem tenorem in registro ipsius Benedicti prædecessoris repertum, piæ memoriæ Innocentius Papa VI. prædecessor noster, in quibusdam suis litteris, quas inspici & examinari fecimus diligenter, & quæ veræ repertæ sunt, inseri fecit, quod eo, sicut asseritis, privilegium ipsum, ex eo forsan quod perditum, vel vetustate consumptum est, alibi reperire nequitis, ac vos, & Monasterium ipsum concernit, & eo indigetis, de verbo ad verbum, ad vestræ supplicationis instantiam, præsentibus annotari fecimus qui talis est. *Vide Constit. 79. Innoc. VI.*

§. II. *Benedictus Episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis & Sororibus Monasteriorum Ordinis sanctæ Claræ, secundum regulam ipsius Ordinis, ab Urbano Papa IV. prædecessore nostro institutam viventibus, tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Sacra vestra religio, sub qua devotum Creatori vestro famulatum impenditis, promeretur, ut Apostolica Sedes favorabilem se vobis exhibeat, & in vestris opportunitatibus gratiosam. Hinc est quod nos congruum, & pium reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quæ vestris necessitatibus fore conspicitur opportuna, vobis, auctoritate præsentiam, indulgemus, ut ad præstationem decimarum de quibuscumque possessionibus, & aliis omnibus bonis vestris, quæ in præsentiarum habetis, & justis modis præstante Domino acquisiveritis in futurum, vel ad exhibendum annuum reditum, seu censum vestris diœcesanis Episcopis, seu pedagia, telonia, & alias exactiones quibusvis regibus, seu personis aliis secularibus, vel etiam ad dandum procurationes aliquas Legatis, vel Nuntiis Apostolicæ Sedis, sive ad decimam, vel aliam personam, aut subventionem aliquam de vestris proventibus cuiquam exhibendam, vel ad contribuendum in exactionibus, vel collectis, seu subsidiis aliquibus minime teneamini, nec ad id per litteras Sedis ejusdem, vel Legatorum ejus, aut quorumcumque aliorum, etiamsi in eisdem dictæ Sedis litteris contineatur expresse, quod ad quævis exempta, vel non exempta loca, & Monasteria se extendant, & aliqua eis, cujuscumque tenoris existat, ipsius Sedis indulgentia non obstat; nisi forsan dictæ litteræ Se-*

Sedis ejuſdem de indulto hujuſmodi, & Monaſteriis ipſis, plenam & expreſſam fecerint mentionem. At nihilominus a juriſdictione & poteſtate Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, diæceſanorum veſtrorum, & quorumcumque aliorum eximimus vos, & loca & Monaſteria veſtra, de gratia ſpeciali; nos enim ex nunc irritas &c. interdicti, ſuſpenſionis &c. ſententias, ſi quas in vos, vel aliquas veſtrum, aut loca & Monaſteria veſtra, ſeu quoſcumque alios, occaſione veſtri, præmiſſorum prætextu, contra hujuſmodi conceſſionis, & exemptionis noſtræ tenorem per quemcumque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, exemptionis, & conſtitutionis &c. Datum Peruſii VI. Idus Junii anno I.

§. III. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, hujuſmodi privilegium, auctoritate Apoſtolica, innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus vobis, vel dictæ Abbatiſſæ, & Sororibus de novo acquiri volumus, ſed antiquum, quod vigore ipſius privilegii, vobis & dictis Abbatiſſis, & Sororibus competit, tantummodo confirmari. Nulli ergo &c. noſtræ annotationis & conſtitutionis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum XIV. Kalendas Februarii, anno VIII.

VI.

Ut recipere poſſint locum in oppido de Aracha. Ibidem.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & aliis Fratribus Ordinis Minorum.

Vide Conſtitut. 125. Clem. VI.

§. I. SAcræ veſtræ Religionis &c. favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod cariſſima in Chriſto filia noſtra Eliſabetha Regina Hungariæ illuſtris, quæ Eccleſiam ſancti Nicolai de Aracha, Cenad. diœc. quæ diruta, & deſtructa longo tempore extiterat, prout erat, & quæ tanto tempore vacaverat, quod de contrario memoria hominum non exiſtebat, nec ſciebatur ad quem ſpectabat jus patronatus illius, reparari, & reædificari fecit opere ſumptuoſo; cuique propterea venerabilis frater noſter Epiſcopus Cœnadien. jus patronatus ejuſdem Eccleſiæ præfatæ Reginæ conceſſit, hujuſmodi jus patronatus præfatus Epiſcopus, ad ipſius Reginæ requiſitionem, & Eccleſiam ipſam vobis donare proponunt. Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut vobis recipiendi Eccleſiam, & jus patronatus hujuſmodi licentiam concedere dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui vos, & Ordinem veſtrum gerimus in viſceribus caritatis, volentes vos, conſideratione dictæ Reginæ ſuper hoc humiliter ſupplicantis, favore proſequi gratioſo, hujuſmodi &c. inclinati, vobis recipiendi Eccleſiam, & jus patronatus hujuſmodi, cum campanili &c. & aliis neceſſariis officinis: dummodo duodecim Fratres ipſius Ordinis inibi moram continue ducere valeant, & congrue ſuſtentari, auctoritate &c. plenam &c. elargimur: non obſtan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. prohibente ne Religioſi &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum XIV. Kalend. Februarii, anno VIII.

UR-

URBANUS VI.

Succeſſit Gregorio XI. electus IV. *Idus Aprilis anno* MCCCLXXVIII. *ſed deperdito ejus Regiſtro, fere nulla occurrerunt monumenta.*

Urbano in ſchiſmate oppoſitus eſt Clemens VII. electus XIII. Kal. Octobris ejuſdem anni, cujus Regiſtri aliquot tomi ſuperſunt. Ex his Bullas aliquas miniſtrabimus ad rerum geſtarum memoriam, ſecluſa perſonæ auctoritate.

ANNO CHRISTI 1379.	URBANI VI. ANNO I. & 2.	CLEMENTIS VII. ANTIP. ANNO I. & 2.

I.

Fit Patriarcha Conſtantinopolitan. Reg. Vat. lib. I. fol. 110.

CLEMENS VII.

Venerabili fratri Guillelmo olim Epiſcopo Urbinat. in Patriarcham Conſtantinopolitan. electo.

§. I. EX paternæ caritatis officio, Eccleſiarum, eccleſiaſticarumque perſonarum, præſertim pontificali dignitate præditarum, libenter ſubvenimus, eiſque incumbentia, quantum cum Deo poſſumus, onera ſublevamus.

§. II. Nuper ſiquidem Eccleſia Conſtantinopolitana, ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos dilectum filium noſtrum Jacobum S. R. E. Presbyterum Cardinalem, tunc Patriarcham Conſtantinopolitanum licet abſentem, a vinculo quo ipſi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ &c. abſolventes ipſum ad Cardinalatus Ordinem duximus aſſumendum; Nos conſiderantes, quod tu qui regimini Eccleſiæ Urbinaten. hactenus laudabiliter præfuiſti, præfatæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ eſſe poteris quamplurimum fructuoſus, ac Eccleſiam ipſam Conſtantinopolitanam ſcies & poteris, auctore Domino, ſalubriter gubernare, te a vinculo quo dictæ Eccleſiæ Urbinaten. tenebaris, de ipſorum Fratrum &c. & Apoſtolicæ &c. abſolventes, te ad præfatam Eccleſiam Conſtantinopolitanam tranſtulimus, teque illi præfecimus in Patriarcham, & paſtorem; curam &c. committendo.

§. III. Cum igitur, prout hujuſmodi Patriarchatus tui ſtatus exigit, ex proventibus ipſius Conſtantinopolitanæ, necnon Ydruntin. quam etiam nuper tibi, ex certis rationabilibus cauſis, conceſſimus in commendam, Eccleſiarum ſufficientem, & condecentem proventuum non habeas facultatem, & propterea congruum æſtimantes fore tuis opportunitatibus providen. omnes fructus, reditus, & proventus, obventiones, jura, & bona, ac debita quæcumque a te ratione olim menſæ tuæ Epiſcopalis Urbinaten. tuo nomine percepta, ſeu recollecta uſque ad diem, quo ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam præfatam aſſumptus fuiſti; nec non arreragia, ſeu alia quæcumque jura & bona, quæ tibi, ratione menſæ Epiſcopalis Urbinaten. prædictæ, uſque ad præfatum diem a quibuslibet debebantur, tibi, auctoritate Apoſtolica, concedimus, & donamus: illis bonis dumtaxat exceptis, quæ Eccleſiæ Urbinaten. prædictæ, divinis & aliis uſibus opportunis dedicata fuerint, vel etiam deputata. Volentes, & tibi, tenore præſentium concedentes, quod

quod ad recuperationem dictorum arreragiorum, & quorumlibet jurium, & bonorum, quæ tibi usque ad diem hujusmodi assumptionis tuæ ad Ecclesiam Constantinopolitanam præfatam a quibuslibet debebantur, per te, & procuratores tuos, non obstan. quod Ordinis Minorum professor existis, & constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque, libere agere valeas, tibique super eis soli, & in solidum competant actiones, sicut cum dictæ Ecclesiæ Urbinat. regimini præsidebas: & eo amplius, ut in recuperationibus, & actionibus hujusmodi inchoandis, exercendis, & ad finem debitum de jure, aut consuetudine deducendis, dilectorum filiorum Capituli ejusdem Ecclesiæ Urbinat. tibi necessarius minime sit consensus; concessionem & donationem hujusmodi de illis bonis solum intelligi volumus, quæ iis, quæ fuerint necessaria pro sustentatione futuri Episcopi Urbinat. usque ad novos fructus, ac custodia fortalitiorum dictæ Ecclesiæ, si qua sint, congrue reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse.

Datum Fundis, x. Kal. Februarii, anno 1.

II.

Ut transferant domum suam intra muros civitatis. Ibid. fol. 89.

CLEMENS VII.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Vasaten.

§. I. Quia nostra potissime versatur intentio circa cultum divini nominis ampliandum, in quo Ordinis Fratrum Minorum devota sinceritas, & sincera devotio jugiter delectantur, hujusmodique dicti Ordinis pium propositum favorabiliter prosequentes, illa vobis libenter concedimus, per quæ animarum considerato profectu, ad Dei laudem & gloriam, in locis præsertim insignibus, in quibus ex eis fructus uberior expectatur, animarum lucrum, quo nihil Deo est acceptius, per bona Fratrum Ordinis ipsius fructuosa studia & exempla laudabilia, valeat, annuente divina gratia, provenire.

§. II. Oblata siquidem nobis vestræ petitionis series continebat, quod propter discrimina guerrarum, quæ dudum in Ducatu Aquitaniæ viguerunt, dictæ diœcesis Vasaten. pars non modica, infra cujus limites dictorum Fratrum locus erat situatus, destructa fuit, & incendio combusta, dictusque locus ex hujusmodi discrimine divinis ornamentis spoliatus, pari fuit devastatione collapsus; quodque ejusdem loci reædificatio in loco pristino si fieret, discriminoso consimili periculo subjaceret. Quare nobis humiliter supplicastis, ut locum ipsum infra dictæ Civitatis fortalitium, & clausuram de novo recipiendi, complantandi, & ædificandi, cum nullus alius dictorum Fratrum locus habeatur ibidem, de speciali gratia, concedere dignaremur.

§. III. Nos cupientes, quod tam pia, & sancta religio in eadem Civitate salubriter propagetur, vestris supplicationibus inclinati, accipiendi locum aptum & Religioni convenientem in Civitate præfata, & infra ejus fortalitium & clausuram; jure tamen Diœcesani, & parochialium Ecclesiarum, & quorumcumque aliorum in omnibus semper salvo. Constitutione fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. non obstan. liberam vobis licentiam, auctoritate præsentium, impertimur. Nulli ergo &c.

Datum Fundis, XII. Kal. Februarii, anno 1.

III. *Ut*

III.

Ut faciat Minoribus Vasaten. restitui ablata. Ibid. fol. 111.

CLEMENS VII.

Dilecto filio Officiali Burdegallen.

§. I. Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum Ordinis Minorum Vasaten. petitio continebat, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, Apostolicas & alias litteras authenticas, & instrumenta publica, necnon libros tam ecclesiasticos, quam alios, cruces, calices, Sanctorum reliquias, ac sacerdotalia, & alia indumenta, & ornamenta Ecclesiastica, & nonnulla alia bona eidem Guardiano, & Fratribus in eleemosynam erogata, temere & malitiose occultare, & occulte detinere præsumunt, non curantes ea præfatis Guardiano & Fratribus exhibere, in animarum suarum periculum, & dictorum Guardiani, & Fratrum non modicum detrimentum. Quare pro parte dictorum Guardiani, & Fratrum nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc, de benignitate &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur hujusmodi &c. discretioni tuæ per &c. mandamus, quatenus omnes & singulos hujusmodi occultos detentores litterarum, instrumentorum, & bonorum prædictorum, ex parte nostra, publice in Ecclesiis, coram populo moneas, ut infra competentem terminum, quem eis præfixeris, ea præfatis Guardiano & Fratribus a se debita restituant, & revelent, & de ipsis plenam, & debitam satisfactionem impendant; & si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem ad hoc eis duxeris præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas, & eam facias ubi, & quando expedire videris, usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari.

Datum Fundis, XI. Kal. Martii, anno 1.

IV.

Ut possint suam domum transferre. Ibidem fol. 190.

CLEMENS VII.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Ordinis Minorum prope Ebredunum.

§. I. Inter Ecclesiasticos Ordines &c. Sane nuper accepimus, quod propter pericula guerrarum, de quibus in illis partibus sæpius dubitatur, pro majori tuitione civitatis Ebredunen. locus vester prope ipsam Civitatem existens, destructus fuit, adeoque in eo non potestis ulterius habitare. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc de opportuno &c. dignaremur. *Habes integram formulam in Const. 18. Urb. V.*

§. II. Nos igitur gerentes vos, & Ordinem vestrum in visceribus caritatis, hujusmodi vestris &c. inclinati, recipiendi infra dictam civitatem Ebredunen. Diœcesani loci, ac dilectorum filiorum Cleri dictæ Civitatis, & alterius cujuscumque licentia minime requisita, alium locum pro usu & habitatione vestris, videlicet infra Parochiam sancti Marcellini Ebredunen. in do-

Anno Christi 1379.	Urbani VI. anno 1. & 2.	Clementis VII. Antip. anno 1. & 2.

domo & juxta domum quondam Arnulphi Salvati Bafterii, tamquam in loco ad hoc congruo & honefto, fi vobis pia largitione fidelium concedatur, aut alias per vos legitime acquifitus fit, feu etiam acquiratur; ac etiam ibidem ædificandi, conftruendi Ecclefiam, aut Capellam &c. & aliis neceffariis officinis, loco loci præfati veftri antiqui, necnon vendendi, & alienandi præfatum locum antiquum, ac pretium, & quidquid inde perceperitis in conftructionem hujufmodi convertendi: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. jure tamen parochialis &c. & cujuslibet &c. femper falvo, plenam & liberam, auctoritate Apoftolica, licentiam elargimur. Provifo quod Ecclefia, feu oratorium, ac cœmeterium dicti veftri antiqui loci ad prophanos ufus velut hæreditas minime transferatur: & quod in ipfa Ecclefia, feu oratorio, per aliquem Presbyterum idoneum deferviatur perpetuo laudabiliter in divinis, & nihilominus, præfentium tenore, vobis concedimus, quod vos in præfato loco novo gaudeatis indulgentiis, privilegiis &c.

Datum Avenione, VIII. Idus Octobris, anno I.

Anno Christi 1380.	Urbani VI. anno 2. & 3.	Clementis VII. Antip. anno 2. & 3.

V.

Fit Vicarius Ecclefiæ Capuanæ. Ex lib. 3. Reg. Urbani, *fol. 59.*

URBANUS VI.

Dilecto filio Gregorio Miniftro Provinciali Provinciæ Aprutin. Ordinis Fratrum Minorum fecundum morem dicti Ordinis Vicario in fpiritualibus, & temporalibus, in Archiepifcopatu Capuano per Sedem Apoftolicam deputato.

CUm Ecclefia Capuana, per obitum bonæ memoriæ Stephani Archiepifcopi Capuan. vacare nofcatur, ad menfam Archiepifcopalem Capuan. fpectantia, donec eidem Ecclefiæ per nos fuerit de Paftore provifum, nomine Cameræ Apoftolicæ falubriter gubernetur, ac de tuæ probitatis induftria fpecialem in Domino fiduciam obtinentes, te in Archiepifcopatu Capuano nomine dictæ Cameræ, in fpiritualibus, & temporalibus Vicarium, & collectorem fructuum, redituum, & proventuum ad menfam prædictam fpectantium, nomine ejufdem Cameræ, quoufque per nos de dicta Ecclefia fuerit aliter ordinatum, facimus, conftituimus, & etiam deputamus, dantes, & concedentes tibi regendi, & gubernandi, tam in fpiritualibus, quam etiam in temporalibus eamdem Ecclefiam, nomine dictæ Cameræ, & pro ejus bonis & juribus agendi & defendendi, ac experiendi in judicio & extra judicium, ac etiam pro ejus fructibus & reditibus & proventibus, prout expediens fuerit, & illos a quibufcumque perfonis levandi, petendi, & exigendi, ac de illis dumtaxat, quos receperis, perfonas illas folventes quietandi, abfolvendi, & liberandi, plenam & liberam poteftatem: contradictores per cenfuram Ecclefiafticam &c.

Datum Romæ apud fanctum Petrum, VII. Kal. Augufti, anno III.

VI. *Ut*

VI.

Ut concedat Conventui sancti Amabilis Ordinis sancti Augustini, fundum vetusti domicilii Ordinis Minorum. Reg. Clem. fol.211.

CLEMENS VII.

Dilecto filio Abbati Monasterii Maresiaci, Claromonten. diœcesis.

§. I. VOtis fidelium &c. exhibita &c. pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventus Monasterii sancti Amabilis de Riamo Ordinis sancti Augustini, Claromonten. diœc. petitio continebat, quod, cum dudum dilecti filii Guardianus & Fratres domus Fratrum Ordinis Minorum villæ de Riamo, dictæ diœc. de quodam loco, quem prope muros dictæ villæ tunc habebant, ad alium locum infra muros ipsos & limites Parochiæ Ecclesiæ dicti Monasterii existen. de licentia Sedis Apostolicæ se vellent transferre; & propterea inter Abbatem & Conventum ex una parte, ac Guardianum & Fratres præfatos ex altera, orta fuisset materia quæstionis, tamdem inter eos extitit concordatum, quod dictus locus extra muros ipsos, quoad partem, in qua Ecclesia & cœmeterium existebant, deinceps ad Abbatem & Conventum supradictos, si ad id dictæ Sedis accederet assensus, perpetuo pertineret. Quare pro parte Abbatis & Conventus prædictorum, nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum ipsi in eodem loco, in quo sicut asserunt, cadavera animalium, & multæ aliæ immunditiæ projiciuntur, pluraque inhonesta & turpia perpetrantur, si per nos eis concedatur, unam Capellam, & unum Hospitale fundare & ædificare, ipsamque Capellam de bonis sibi a Deo collatis sufficienter dotare proponunt, eis locum dare, ac inibi fundandi & construendi Capellam & hospitale prædictum, licentiam concedere, de benignitate &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur eorum pium & laudabile propositum plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ &c. committimus &c. quatenus, si est ita, dictique Abbas & Conventus dotem pro dicta Capellania sufficientem assignent, eis locum præfatum contra muros prædictos, quoad pattem hujusmodi, auctoritate Apostolica, perpetuo dones & concedas. Et nihilominus fundandi & ædificandi Capellaniam & Hospitale præfatum, eadem auctoritate, licentiam largiaris, jure tamen dictæ Ecclesiæ semper salvo.

Datum Avenione, VI. Idus Augusti, anno II.

VII.

Unit Monasterio Clarissarum de Amiliano, Prioratum sancti Amantii. Ibid. *fol.* 185.

CLEMENS VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. PRudentes virgines, quæ mundanis &c. suffragio dignoscuntur. Sane petitio pro parte dilectarum Abbatissæ & Conventus Monasterii de Amiliano Ordinis sanctæ Claræ, Ruthenen. diœc. quibus licet habere proprium in communi, ex privilegio Sedis Apostolicæ speciali, nobis nuper exhibita, continebat, quod Monasterium ipsum, quod progenitores dile-

dilecti filii nobilis viri Joannis Comitis Armaniaci, ut aſſeritur, fundaverant, eſt adeo in ſuis proventibus diminutum, quod ipſæ ex eis non poſſunt congrue ſuſtentari. Quare pro ipſarum parte nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Prioratum ſine cura ſecularis, & ruralis, necnon Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Amantii de Troſſico prope Amilianum, prædictæ dioec. eiſdem Abbatiſſæ & Conventui, ac Monaſterio incorporare, annectere, & unire in perpetuum, de benignitate &c. dignaremur.

§. II. Nos itaque præfatum Prioratum, qui Dignitas, vel Perſonatus non exiſtit, & ad quem quis per electionem non conſuevit aſſumi, etiamſi generaliter, vel ſpecialiter diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervatus exiſtat, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis præfatis Abbatiſſæ & Conventui, ac Monaſterio in perpetuum, auctoritate &c. incorporamus, annectimus & unimus; ita quod cedente, vel decedente Priore dictæ Eccleſiæ, qui nunc eſt, vel Prioratum ipſum alias quomodolibet dimittente, liceat eiſdem Abbatiſſæ & Conventui dicti Prioratus, juriumque, ac pertinent. ipſius corporalem poſſeſſionem, auctoritate propria, per ſe, vel alium, ſeu alios earum nomine apprehendere, & etiam retinere, omneſque fructus, reditus, & proventus ipſius Prioratus in ſuos, & dicti Monaſterii uſus convertere, Dioeceſani loci, vel alterius cujuſcumque licentia minime requiſita: non obſtan. ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Prioratibus, aut aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint: etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas litteras, & proceſſus, earumdem auctoritate habitos, ad dictum Prioratum volumus non extendi: ſed nullum per hoc eis ad aſſecutionem Prioratuum, ac beneficiorum &c. & quibuslibet privilegiis. Proviſo quod dictus Prioratus debitis obſequiis non fraudetur. Nos enim ex tunc irritum &c. Nulli ergo &c. noſtræ incorporationis, annexionis &c. infringere &c.

Datum Avenione, vi. Kal. Septembris, anno ii.

VIII.

Fit Epiſcopus Aquen. non obſtante defectu ætatis. Ibidem fol. 188.

CLEMENS VII.

Dilecto filio Conrado Malaſpina Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

§. I. Divina ſupereminens largitas nonnumquam ſic in multis ſuæ gratiæ dona diffundit, quod etiam in annis minoribus conſtituti, per ſuarum virtutum merita defectum ſupplentes ætatis, ad dignitatum merentur culmina promoveri.

§. II. Cum itaque Eccleſiæ Aquen. Paſtoris regimine ad præſens ſolatio deſtitutæ, de perſona tua propter grandia dona virtutum, quibus perſonam ipſam, prout teſtimoniis fide dignis accepimus, Altiſſimus inſignivit, intendamus hodie providere, tuque patiaris in ætate defectum, cum in vigeſimo ſeptimo tuæ ætatis anno conſtitutus exiſtas. Nos ſperantes, quod tu per hujuſmodi tua merita, quibus circumfultus exiſtis, & alia tibi affutura ſuffragia, eris eidem Eccleſiæ, auctore Domino, multipliciter fructuoſus, tecum ut defectu prædicto, ac Lateranen. Concilii, & quibuſcumque aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus ipſius Eccleſiæ contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia robo-

ANNO CHRISTI 1380.	URBANI VI. ANNO 2. & 3.	CLEMENTIS VII. ANTIP. ANNO 2. & 3.

roboratis, nequaquam obstan. curam, regimen, & administrationem ejusdem Ecclesiæ recipere libere, illamque in spiritualibus & temporalibus gerere, & exercere licite valeas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium dispensamus. Nulli ergo &c. nostræ dispensationis infringere &c.

Datum Avenione, III. Idus Septembris, anno II.

IX.

Præscribitur numerus recipiendarum Monialium. Ibid. fol. 33.

CLEMENS VII.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Avenionen. Ordinis ejusdem Sanctæ.

EXigit vestræ devotionis sinceritas &c. Exhibita &c. continebat, quod licet reditus & proventus Monasterii vestri, in quo viginti Moniales, seu Sorores existunt de præsenti, adeo sint tenues & exiles, quod vos, quibus ex privilegio Sedis Apostolicæ, licet habere proprium in communi, non potestis exinde commode sustentari, & onera vobis incumbentia supportare, cum nonnullæ puellæ litteratæ, auctoritate diversarum litterarum Apostolicarum, eis super hoc ab Apostolica Sede concessarum, petant se recipi in Moniales, seu Sorores Monasterii antedicti, vosque propterea multipliciter inquietare, & molestare nituntur, in magnum vestrum & ipsius Monasterii præjudicium & gravamen. Quare pro parte vestra nobis &c. supplicatum, ut providere vobis super hoc &c. Nos igitur hujusmodi &c. inclinati, vobis, quod donec ad viginti Monialium, seu Sororum numerum redactæ fueritis, aliquam in Monialem, seu Sororem ejusdem Monasterii, auctoritate quarumcumque litterarum Apostolicarum impetratarum, seu impetrandarum in posterum, quorumcumque tenorum existant &c. ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneamini, nec ad id compelli &c. possitis invitæ, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, indulgemus; districtius inhibentes &c. Nulli ergo &c. *Vide Constit. 10. Innoc. VI.*

Datum Avenione, IV. Idus Novembris, anno II.

ANNO CHRISTI 1381.	URBANI VI. ANNO 3. & 4.	CLEMENTIS VII. ANTIP. ANNO 3. & 4.

X.

Ut componat controversiam inter Archipresbyterum, & Fratres oppidi Bermei. Reg. Vat. fol. 157.

CLEMENS VII.

Dilecto filio sanctæ Mariæ in Cosmedin. Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato.

§. I. SAcrum Ordinem Fratrum Minorum, divinitus institutum, gerentes in visceribus caritatis, & attendentes fructus uberes, quos in Ecclesia sancta Dei produxit hactenus, & producit; ad illa libenter intendimus, per quæ professores ipsius a molestiis releventur; & ut eo devotius, quo quietius Domino famulari valeant, ac in salutem populorum se utilius exercere. *Ordinis Encomia.*

§. II. Sa-

§. II. Sane cum dudum inter dilectos filios, Archipresbyterum, & Clericos Parochialis Eccleſiæ loci de Bermeo, Calaguritan. diœceſis ex una parte, & Fratres prædicti Ordinis, loci prædicti ex altera, Archipresbytero, & Clericis, locum, quem iidem Fratres pro Conventu ibidem conſtruendo receperant, eis non licere recipere. Fratribus vero prædictis præmiſſa vera non eſſe aſſerentibus, excitata quæſtio verteretur, fel. rec. Gregorius XI. prædeceſſor noſter partium compatiens laboribus & expenſis, ad dirimendam materiam quæſtionis hujuſmodi, ordinavit & voluit, quod locus prædictus receptus ab ipſis Fratribus cum Eccleſia & cœmeterio, domibus & officinis competentibus eis remaneret, ipſaque inhabitarent, & Conventum facerent in eiſdem, ſecundum morem, & Inſtituta Ordinis ſupradicti: quodque in eodem Conventu ſexdecim Fratres exiſterent Conventuales Ordinis prælibati, & ex eis, qui ad hoc idonei forent, prædicare, & quatuor ex eiſdem Fratribus confeſſiones audire poſſent & deberent; & non ſolum in loco de Bermeo præfato, verum etiam in vicina patria prædicarent verbum Dei, procurantes ſalutem animarum, ſicut eis Deus gratiam miniſtraret; & quod infra Eccleſiam dicti loci ipſi Fratres oblationes non reciperent, niſi cum funere apud eos ſepeliendo, vel ſeptenaria, novena, ſeu tricenaria, aut anniverſaria agenda pro mortuis offerrentur: de iis tamen & quibuſcumque aliis, de quibus juxta conſtitutionem fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Super cathedram*. Fratres ipſi quartam dare tenebantur, Archipresbytero, & Clericis ſupradictis, medietatem dare & ſolvere tenerentur, quod ſi quis Frater contra faceret, Guardianus, qui erat, & eſſet pro tempore contra facientem, juxta qualitatem delicti puniret infra menſem, poſtquam ſibi conſtaret, in quo ſi Guardianus negligens foret, incurreret ſententiam excommunicationis ipſo facto; & ſi hujuſmodi excommunicationis ſententiam per menſem ſuſtineret, locus Fratrum ſuppoſitus eſſet Eccleſiaſtico interdicto, & quod Fratres Forenſes per locum tranſeuntes eumdem, ultra dies quatuor non morarentur in ipſo, niſi neceſſitas incumberet diutius morandi, & quod in dicto Conventu, ſeu loco Fratrum Capitulum generale, ſeu provinciale ipſius Provinciæ minime celebraretur, prout in ipſis prædeceſſoris ſuper hoc confectis litteris plenius continetur.

Greg. XI. in favorem FF. decernit.

Cõfeſſiones præſcriptæ.

§. III. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Fratrum petitio continebat, ordinationes & alia ſupradicta, in non modicum dictorum Fratrum detrimentum redundent, & ex eis plura diſſenſiones & ſcandala, inter Archipresbyterum & Clericos ex una parte, ac Fratres præfatos quotidie oriantur, & oriri præſumantur veriſimiliter in futurum; ac circa locum de Bermeo præfatum, uſque ad unam diætam aliquis locus Fratrum Ordinum Mendicantium non exiſtat, pro parte dictorum Fratrum Ordinis Minorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ordinationes, & alia ſupradicta moderari, & ordinationes in conſtitutione præfata, quæ incipit: *Super cathedram*, comprehenſas, in quantum jus parochialis Eccleſiæ prædictæ concernunt, & ſuper exercendo prædicationis officio, ac confeſſionibus audiendis per Fratres prædictos obſervari; eiſdemque Fratribus, quod in dicto loco Fratrum ipſorum, Fratres dicti Ordinis Minorum quot inibi congrue ſuſtentari poterunt, commorari, ac Fratres tranſeuntes per locum eumdem quamdiu opportunum fuerit, ſtare; necnon generale & provinciale provinciæ Caſtellæ, ſecundum morem dicti Ordinis, Capitula ibidem celebrari valeant, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Fratres petunt ab oneribus abſolvi.

§. IV. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac volen-

Moderatio Cardinali commiſſa.

ANNO CHRISTI 1381.	URBANI VI. ANNO 3. & 4.	CLEMENTIS VII. ANTIP. ANNO 3. & 4.

lentes eorumdem Fratrum quieti salubriter providere, hujusmodi &c. inclinati, circumspectioni tuæ per &c. committimus &c. quatenus per te, vel alium, seu alios eisdem Fratribus, auctoritate Apostolica, concedens, quod locus ipsorum prædictus eis remaneat, & quod inibi possint perpetuo morari, circa alia præmissa, eadem auctoritate, modereris, & alias statuas & ordines, prout salubri statui Fratrum ipsorum tibi videbitur expedire. Et si forsan moderationem hujusmodi, juxta ordinationes prædictas in præfata constitutione contentas, fieri per te contingat, & ex ea nimium sæpe dicta parochialis gravetur Ecclesia, aliqualem recompensationem aliam, de qua tibi videbitur, facias per Fratres eosdem, eisdem Archipresbytero & Clericis exhiberi: contradictores &c. non obstan. si eisdem Archipresbytero &c.

Datum Avenione iv. Idus Septembris, anno iii.

ANNO CHRISTI 1382.	URBANI VI. ANNO 4. & 5.	CLEMENTIS VII. ANTIP. ANNO 4. & 5.

XI.

Ut ædificare possit Conventum Sezensiaci. Reg. Vat. ann. 5. fol. 76.

CLEMENS VII.

Dilecto filio nobili viro Joanni de Armanaco Comiti Convennarum.

§. I. Tuæ nobilitatis & devotionis merita, quibus in sinceritate mentis & fidei, æterno Regi placere desideras, non immerito promerentur, ut tuis desideriis, illis præsertim quæ divini cultus augmentum, & tuæ salutem animæ respicere dignoscuntur, opportunis favoribus annuamus.

§. II. Ex tenore siquidem petitionis tuæ nobis nuper oblatæ percepimus, quod tu piæ devotionis & sinceritatis fervore accensus, ac de salute propria cogitans, cupiensque terrena in &c. commutare, ob præcipuæ devotionis fervorem, & sinceræ dilectionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, quem continuum suscipere desideras incrementum, & ad personas ejusdem Ordinis gessisti hactenus, & etiam adhuc gerere comprobaris, unum Conventum Fratrum dicti Ordinis Minorum, in loco nuncupato de Vico Sezensiaci, Auxitan. diœcesis, in loco ad hoc congruo & honesto, cum Ecclesia &c. & aliis necessariis officinis, de bonis tuis propriis, fundare & construi facere, ac ædificare proponis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut faciendi præmissa tibi licentiam &c. dignaremur.

§. III. Nos itaque tuum laudabile propositum &c. fundandi, ædificandi & construendi præfatum Conventum, cum Ecclesia &c. & aliis necessariis &c. in loco præfato, ut præfertur, ad hoc tamen congruo & honesto; jure parochialis &c. dum tamen dilectorum filiorum Archipresbyteri & Capituli dicti loci de Vico intervenerit consensus, pariter & assensus, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. devotioni tuæ, tenore præsentium, licentiam elargimur &c.

Datum Avenione, iv. Kal. Januarii, anno v.

XII.

Ut poſſit commorari cum Monialibus Monaſterii de Laguiche. Ibid. fol. 32.

CLEMENS VII.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Iſabellæ, relictæ quondam Ludovici Vicecomitis Thovaren. viduæ, Mimaten. diœceſis.

§. I. MAgnæ tuæ devotionis ſinceritas, qua nos & Romanam Eccleſiam revereris, promeretur, ut quæ a nobis ſuppliciter poſtulas, affectu tibi benevolo concedamus.

§. II. Cum itaque, ſicut accepimus, tu ad Ordinem ſanctæ Claræ geras ſpecialis devotionis affectum, cupiaſque in Monaſterio Monialium incluſarum de Laguiche Ordinis ejuſdem Sanctæ, Cimoten. alias Mimaten. diœceſis, in habitu, ſeu ſtatu ſeculari, quamdiu vitam duxeris in humanis, infra clauſuram dicti Monaſterii, cum eiſdem Monialibus commorari, ac inibi virtutum Domino perpetuo famulari.

§. III. Nos cupientes te, pro qua etiam dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Maria Duciſſa Calabriæ & Andegaven. nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, in hujuſmodi tuo laudabili propoſito confovere, hujuſmodi ipſius Duciſſæ, ac tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu etiam cum quinque mulieribus honeſtis, dictum Monaſterium, quibuſcumque conſtitutionibus nequaquam obſtantibus, ingredi, & inibi, quamdiu in ſtatu vixeris viduali, commorari, & honeſte etiam in habitu ſeculari, cum eiſdem Monialibus converſari; & demum quoties tibi placuerit, Monaſterium ipſum exire, & ad illud reverti, ac inibi remanere libere & licite valeas, devotioni tuæ, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo &c.

Datum Avenione, XVII. Kal. Februarii, anno V.

ANNO CHRISTI 1384.	URBANI VI. ANNO 6. & 7.	CLEMENTIS VII. ANTIP. ANNO 6. & 7.

XIII.

Conceditur ei cubiculum in domo Pariſien. Reg. Vat. fol. 114.

CLEMENS VII.

Venerabili fratri Adæ, Epiſcopo Eugubin.

§. I. SIncere devotionis affectus &c. Sane petitio pro te nobis nuper exhibita continebat, quod bon. memor. Guillelmus Archiepiſcopus Cambaliacen. tunc Ordinis Fratrum Minorum profeſſor, & germanus tuus, dum viveret, bonis ſibi a Chriſtifidelibus elargitis, in domo Fratrum Minorum Pariſien. quamdam cameram, quam per certum tempus inhabitaſti, conſtrui & ædificari fecit. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut tibi morandi in dicta camera, ſicut ante proviſionem tuam ad Eccleſiam Eugubin. tunc vacantem, morari poteras, licentiam &c. dignaremur.

§. II. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, ut dictam cameram totam habitare, & in ea morari, ac eam tenere, & habere ſicut ante proviſionem hujuſmodi poteras, quamdiu tibi placuerit, & viſum fuerit expedire, abſque eo quod ab ea valeas per quemcumque amoveri, aut expelli ab ea, qui-

quibuscumque statutis &c. nequaquam obstan. tibi tenore præsentium, auctoritate Apostolica, indulgemus &c.

Datum apud villam novam, Avenionen. diœcesis II. Kalend. Augusti, anno VI.

Anno Christi	Urbani VI.	Clementis VII. Antip.
1385.	anno 7. & 8.	anno 7. & 8.

XIV.

Ut ad ministeria hospitalis Hierosolymitani aliquas destinet personas. Ex Bulla originaria.

URBANUS VI.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus domus Fratrum Ordinis Minorum de Monte Sion Hierosolymitanis &c.

§. I. AD ea, quæ piorum locorum & pauperum Christi commoditatem respiciunt, libenter intendimus, & eis, quantum cum Deo possumus, favorem Apostolicum impertimur.

§. II. Cum itaque, sicut accepimus, vos & pauperes & infirmi, qui continue confluunt ad hospitale de Monte Sion, prope domum vestram consistens, opportunorum copia servitiorum carere noscantur; Nos cupientes super hæc de opportuno remedio providere, vobis dandi licentiam decem personis Deum timentibus, & compassionem ad ipsos pauperes & infirmos habentibus, quæ ad illas partes de licentia Apostolicæ Sedis accesserint, & quarum quælibet quadragenarium annum ætatis suæ excesserit, hac vice dumtaxat in eodem hospitali & domibus contiguis, seu vicinis eisdem pro servitiis vestris, ac dictorum infirmorum pauperum omni fraude cessante, ad tempus de quo vobis expedire videbitur, remanendi; prohibitionibus & constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque non obstantibus, plenam & liberam concedimus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem.

Datum Neapoli, apud majorem Ecclesiam Neapolitan. III. Idus Junii, anno VII.

XV.

Ut construere possit Monasterium Clarissarum. Reg. Vatic. an.7. fol.144.

CLEMENS VII.

Dilecto filio nobili viro Honorato Comiti Fundarum.

§. I. DEvotionis tuæ, quam ad nos &c. favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua &c. tu pro tuæ, & parentum tuorum animarum salute, in Ecclesia Archipresbyterali beatæ Mariæ Fundarum, cujus fructus, reditus, & proventus, certis ex causis, Ecclesiæ Fundan. hodie duximus in perpetuum uniendos, unum Monasterium Monialium construere & fundare proponas, pro parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut tibi Monasterium ipsum fundandi, & construendi licentiam concedere, ac statuere, & ordinare, quod Moniales ipsæ similem habitum deferant, sicut faciunt Moniales Monasterii sanctæ Crucis *Vide Const. 118. Clem. VI.*

Neapolitan. & de eleemosynis vivere debeant, ac sub cura Fratrum Ordinis Minorum non existant, sed dumtaxat dicti Fratres annuatim bis singulis mensibus possint pro confessionibus ipsarum audiendis ad præfatum Monasterium se conferre, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi Monasterium ipsum in eadem Ecclesia fundandi & construendi, cum domibus & aliis &c. præsentium &c. elargimur: ac volumus, statuimusque, ac etiam ordinamus, quod Moniales ipsius Monasterii illum gerant habitum, qui in dicto Monasterio sanctæ Crucis geritur & habetur, ac de eleemosynis vivere debeant, & sub cura hujusmodi dictorum Fratrum non existant, sed dumtaxat iidem Fratres annis singulis, bis singulis mensibus ad præfatum Monasterium se conferant, pro confessionibus dictarum Monialium audiendis, & hujusmodi confessionibus diligenter auditis, eis pro commissis injungere valeant pœnitentiam salutarem. Nulli ergo &c.

Datum Avenione Idibus Junii, anno VII.

XVI.

Confirmat compositionem initam in controversia terminorum. Ibid. fol. 81.

CLEMENS VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vide Constit. 49. Urb. V. §. I. His quæ pro pace, & tranquillitate personarum quarumlibet, illarum præsertim, quæ mundanis abjectis &c. muniminis firmitatem. Exhibita &c. pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum domus de Secusia, Taurinen. diœc. petitio continebat, quod, cum dudum inter eos ex una parte, & dilectos filios Fratres domus dicti Ordinis de Camera, Maurianen. diœc. super nonnullis terminis, in quibus ipsi Fratres quæstas facere prætendebant, excitata, fuisset in diversis Capitulis generalibus Fratrum dicti Ordinis quæstio ventilata: tamdem per nonnullos Fratres ipsius Ordinis Auditores causarum, quæ inter dicti Ordinis Fratres motæ fuerunt, de consensu Fratrum ipsius Ordinis, tunc in civitate Gebennen. Capitulum generale celebrantium, discussum, & irrevocabiliter determinatum extitit, quod dicti termini ab antiquo pertinebant, ac ex tunc, & semper de jure pertinent ad dictos Fratres domus de Secusia supradictos, prout in quibusdam patentibus litteris inde confectis, ipsius Ordinis sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum &c. Quare pro parte dictorum Fratrum ipsius domus de Secusia, nobis extitit &c. ut discussioni, & determinationi præfatis robur confirmationis adjicere, de benignitate &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur discussionem & determinationem supradictas, ac omnia & singula in eisdem litteris contenta, rata habentes & grata, illa, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; mandantes omnibus & singulis Presbyteris, Curatis &c. quod præfatos Fratres domus de Secusia, ad verbum Domini prædicandum, & ad quæstas hujusmodi faciendas gratiose recipiant & admittant, ac eis districtius inhibentes ne prædictos ipsius domus de Camera, & alios quosvis Fratres ipsius Ordinis, provinciæ Burgundiæ ad illa recipere, & admittere quoquo modo præsumant. Tenor vero dictarum litterarum talis est.

§. III.

§. III. *Dilectis in Christo universis Fratribus Minorum provinciæ Burgundiæ, frater Angelus Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister & servus, salutem & pacem in Domino sempiternam. Cum dudum inter Fratres loci Secusiæ, provinciæ Januæ, & Fratres loci Cameræ, provinciæ Burgundiæ, de certis terminis quæstarum existen. in Pedemontis Cenisii usque ad Aurelam inclusive, in variis Capitulis generalibus quæstio fuerit ventilata; & nuper in Capitulo generali Gebennensi ultimate celebrato, per Auditores causarum, videlicet per Fratres Nicolaum de Betonia Ministrum provinciæ sancti Francisci, sacræ Theologiæ Magistrum, Petrum Ministrum Hispaniæ sacræ Theologiæ Magistrum, Joannem de Sarcuto Ministrum Franciæ sacræ Theologiæ Magistrum, Leonardum Ministrum Alemaniæ superioris, sacræ Theologiæ Magistrum, sufficienter præfata quæstio fuit ventilata, & discussa, auditis rationibus & allegationibus utriusque partis, & testibus fide dignis examinatis, & in publicum coram generali Capitulo recitatis, & allegatis: & tamdem de consensu præfati Capituli discussum & irrevocabiliter determinatum, quod præfati termini ab antiquo pertinere debeant, & ex nunc pro semper de jure pertineant ad locum præfatum Secusiæ; taliter quod Fratres præfati loci possint in dictis terminis evangelizare, & ibidem velut Christi pauperes humiliter mendicare, ut videlicet a monte Cenisii usque ad sanctum Andream inclusive: hinc est quod vobis & singulis Fratribus provinciæ Burgundiæ, tenore præsentium, mando ad meritum obedientiæ, ac etiam sub pœna carceris, & excommunicationis, a qua nonnisi per Generalem Ministrum possitis absolvi, quatenus nullus vestrum provinciæ Burgundiæ præfatos terminos pro quæsta facienda, minime intrare præsumat: & si (quod absit) aliquis vestrum contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis ex nunc pro tunc noverit se incurrisse, a qua per nullum inferiorem possit minime absolvi. Mandans insuper Fratribus universis provinciæ Januæ per obedientiam salutarem, sub pœna carceris & excommunicationis, ut supra; quatenus ultra sanctum Andream superius nominatum, pro quæsta facienda, minime intrare præsumant, & si (quod absit) aliquis eorum contrarium attentare præsumpserit, ex nunc, prout ex tunc eamdem sententiam incurisse. In cujus rei testimonium &c. Datum Gebennis tempore nostri Capituli generalis ibidem celebrati, anno Domini* MCCCLXXXV. *Nulli ergo &c.*

Datum Avenione, Idibus Junii, anno VII.

Anno Christi 1386.	Urbani VI. anno 8. & 9.	Clementis VII. Antip. anno 8. & 9.

XVII.

Indulgentia pro visitantibus Capellam sancti Sepulcri Tholosan. Reg. Vat. ann.8. fol.30.

CLEMENS VII.

Universis Christifidelibus.

SPlendor paternæ gloriæ &c. Cupientes igitur ut Capella in honorem sepulcri Dominici, in Capitulo dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum, Tholosan. civitatis fundata de novo, congruis &c. de Omnipotentis &c. omnibus &c. qui in Nativitatis, Circumcisionis &c. necnon in Nativitatis &c. beatæ Mariæ Virginis &c. sanctorum Francisci, Antonii Paduani, *Habes Formulam in Constit. 149. Clem. VI.*

ni, Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, ac ſanctarum Catarinæ, & Claræ virginum, ac ipſius Capellæ dedicationis feſtivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, & quinta die poſt dictam feſtivitatem Reſurrectionis Dominicæ, necnon per ipſarum Nativitatis &c. octavas &c. dictam Capellam devote &c. annuatim tres annos, & tres quadragenas de injunctis &c.

Datum Avenione, IV. Idus Februarii, anno VIII.

XVIII.

Confert ſubſidium ædificando Conventui ſanctæ Columbæ. Ibid. fol. 132.

CLEMENS VII.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus loci ſanctæ Columbæ Viennen. Ordinis Fratrum Minorum.

Vide Confirmat. 7. Innoc. VI.

RELigionis veſtræ ſub qua &c. conſpicimus fore opportuna. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro &c. continebat, quod vos clauſtrum veſtri loci de ſancta Columba Viennen. quod dudum incœpiſtis opere plurimum ſumptuoſo, pro eo quod eſtis tanta paupertate gravati, perficere non poteſtis, niſi vobis abunde ſuccuratur; & quod quondam Antonius de Magnie, tum ipſius loci habitator, in ſua ultima voluntate condens teſtamentum, inter cetera voluit, & etiam ordinavit, quod ſi dilectum filium Joannem Regis, nepotem ſuum, quem in ſuis bonis univerſalem hæredem inſtituerat, abſque liberis de ſuo corpore proprio, & de legitimo matrimonio procreatis, mori contingeret, quædam domus ipſius Antonii, ſita in loco de ſancta Columba prædicto, ab una cum hortis domus veſtræ, & ab anteriori cum platea ſanctæ Columbæ, & ab alia cum domo liberorum quondam Petri Aymari de ſancta Columba, & ab alia partibus cum carreria publica, tendente de dicta platea verſus Eccleſiam ſanctæ Claræ Viennen. confrontata venderetur, & quod quarta pars pretii quod ex ipſa haberi poſſet, Chriſti pauperibus erogaretur. Quare pro parte veſtra &c. ſupplicatum, ut pro hujuſmodi incœpti operis perfectione, dictam quartam partem hujuſmodi pretii concedere, & alias vobis ſuper hoc &c. dignaremur. Nos igitur cupientes ut hujuſmodi opus, dante Domino, celeriter compleatur, ac volentes vobis ad hoc de alicujus ſubventionis auxilio providere, hujuſmodi &c. inclinati, diſcretioni veſtræ petendi, exigendi, & recipiendi, auctoritate noſtra, ab executoribus dicti teſtamenti, aut aliis ad quos pertinuerit, quartam partem pretii hujuſmodi, quod ex dicta domo habebitur, ſi eam, ut præfertur, vendi contingat; necnon a Chriſtifidelibus utriuſque ſexus de rebus & bonis, perſonis incertis civitatis & diœceſis Viennen. legatis ad pias cauſas, ſummam cc. Florenorum auri, ſemel dumtaxat, in hujuſmodi operis perfectione, & aliis ædificiis, dicti loci veſtri reparationibus, & non in uſus alios convertendos, plenam & liberam, auctoritate &c. concedimus, tenore præſentium, facultatem.

Datum Avenione, VII. Idus Julii, anno VIII.

XIX.

XIX.

Confirmatur in officio Provincialatus Mediolanen. Regest. Vatic. anno 9. fol. 180.

CLEMENS VII.

Dilecto filio Bartholomæo de Iporegia, Ordinis Fratrum Minorum, Ministro eorumdem Fratrum, Provinciæ Mediolanen.

Religionis zelus &c. Sane exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, quod olim officio Ministeriatus Fratrum Minorum, Provinciæ Mediolanen. secundum morem ejusdem Ordinis, per obitum quondam Joannis de Listate, dictæ Provinciæ Ministri vacan. Dilectus filius Angelus dicti Ordinis Generalis Minister, de te plenam in Domino gerens fiduciam, de multorum Magistrorum discretorum & proborum Fratrum dicti Ordinis consilio & assensu, te in Ministrum Fratrum dicti Ordinis, Provinciæ prædictæ instituit, prout in ipsius Ministri Generalis litteris inde confectis, suo sigillo sigillatis, quarum tenorem præsentibus, de verbo &c. continetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut institutioni hujusmodi robur confirmationis adjicere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, institutionem prædictam, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *Vide Constit. 13 Innoc. VI.*

Datum Avenione, Idibus Januarii, anno IX.

XX.

Fit Pœnitentiarius Pontificius. Regest. Vatic. anno 9. fol. 51.

CLEMENS VII.

Dilecto filio Mattheutio de Civitate regali, Ordinis Fratrum Minorum Professori, Pœnitentiario nostro.

Religionis zelus &c. Hinc est quod nos de persona tua &c. te in Pœnitentiarium nostrum in Urbe constituimus, & etiam assignamus, tenore præsentium committentes, ut hujusmodi officium Pœnitentiariæ in dicta Urbe, sicut alii nostri in dicta Urbe Pœnitentiarii, ibidem gerere, & exercere consueverunt, diligenter &c. exequaris. Volumus autem quod tu, priusquam officium ipsum incipias exercere &c. præstes corporaliter juramentum &c. *Vide ut supra.*

Datum Avenione XV. Kalendas Julii, anno IX.

XXI.

Ut ædificare possint domicilium circa villam Branzani. Ibidem anno 10. fol. 104.

CLEMENS VII.

Dilectis filiis Ministro, & Fratribus Ordinis Minorum, provinciæ Provinciæ, secundum morem dicti Ordinis.

Vide Constit. 18. Urbani V. §. I. INter Ecclesiasticos Ordines in domo Domini militantes &c. Sane dudum pro parte vestra fel. record. Gregorio Papæ XI. prædecessori nostro exposito, quod in valle quadam, Ebredunen. diœcesis, quæ *Vallispluta* vocabatur, hæreticorum habitabat non modica multitudo. Idem prædecessor vobis recipiendi in eadem valle, vel prope ipsam unum locum, quem dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marci Præsbyter Cardinalis, tunc Archiepiscopus Ebredunen. ad hoc duceret eligendum; & in eo oratorium, cum campanili &c. & officinis necessariis pro Conventu saltem duodecim Fratrum dicti Ordinis, fundandi & ædificandi, per suas litteras facultatem concessit.

§. II. Cum autem &c. pro parte vestra &c. continebat, nullum vigore litterarum ipsarum, propter assumptionem dicti Archiepiscopi ad Cardinalatus honorem, locum receperitis, ac duæ domus infra muros villæ Branzani, subtus rupem dictæ diœcesis consistentis, vobis ad construendum locum, ibidem donatæ existant: nos, qui lucrifieri Christo animas cupimus, ac libenter loca vestra in diversis orbis partibus propagamus, sperantes in illo, cui per decantationem laudum devotum impenditis famulatum, quod quanto latius loca ipsa diffundimus, tanto abundantius spiritualis odoris aromata, vestris bonis operibus, sentiemus, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis recipiendi dictas domos ad vestrum, & Fratrum dicti vestri Ordinis opus & usum, & inibi Ecclesiam, seu oratorium, cum campanili, & aliis necessariis &c. construendi & ædificandi: jure parochialis &c. cujuslibet &c. salvo, fel. record. Bonifacii &c. auctoritate Apostolica, plenam licentiam, tenore præsentium, elargimur. Nulli ergo &c.

Datum Avenione IV. Nonas Februarii, anno x.

Finis Bullarum Clementis VII. Antipapæ.

XXII.

Indulgentia pro visitantibus Ecclesiam Minorum Tudertin. Ex Regest. Bonifacii IX. fol. 19. anno 1.

Universis Christifidelibus.

Vid. Constit. 129. Clemen. VI. SPlendor paternæ gloriæ &c. Cupientes igitur ut Ecclesia domus Fratrum Ordinis Minorum Tudertin. quæ sub vocabulo sancti Fortunati fundata, & ædificata existit, & ad quam, sicut accepimus, gentes illarum partium ab antiquo habuerunt, prout habent magnam devotionem, & devotionis hujusmodi causa, magna ibidem confluit populi multitudo, in qua etiam

etiam Ecclesia ejusdem sancti Fortunati, ac beatorum Callixti, & Cassiani Martyrum, olim Episcoporum Tudertin. necnon beatarum Dignæ, & Romanæ Virginum corpora requiescunt, congruis honoribus &c. quo ex hoc ibidem dono cœlestis &c.de omnipotentisDei &c.omnibus vere &c.qui a secundis vesperis festivitatis Pentecostes, usque ad vesperas feriæ secundæ subsequentis, Ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, illas indulgentias & remissionem peccatorum etiam elargimur, quas fel. record. Romani Pontifices prædecessores nostri fidelibus ipsis Ecclesiam Urbevetan. in Corporis Domini nostri Jesu Christi, & sancti Brixii festivitatibus, visitantibus concesserunt. Volumus autem, quod si alias visitantibus &c. sancti Fortunati, vel ad ejus &c. seu alias aliqua alia indulgentia &c. præsentes &c. nullius sint roboris, vel momenti.

Datum Perusii III. Kalend. Maii, anno XI.

BONIFACIUS IX.

Electus est IV. *Nonas Novembris, anno* MCCCLXXXIX.

Anno Christi 1390. Bonifacii IX. anno I.

I.

Conceditur indulgentia visitantibus Ecclesiam sancti Fortunati Tudertin. & auctoritas absolvendi a casibus. Regest. Vatic. anno I. fol. 136.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Apostolicæ Sedis pietas, & circumspecta benignitas, salutem animarum desiderans, illa libenter concedere consuevit, per quæ salus prædicta valeat provenire.

§. II. Dudum siquidem fel. record. Urbanus Papa VI. prædecessor noster, cupiens ut Ecclesia domus Fratrum Ordinis Minorum Tudertin. quæ sub vocabulo sancti Fortunati Confessoris fundata & constructa existit, & ad quam populorum illarum partium ab antiquo, magna ex devotione, multitudo confluebat, & in qua ejusdem sancti Fortunati, & beatorum Callixti, & Cassiani Martyrum olim Episcoporum Tudertin. necnon beatarum Virginum Dignæ, & Romanæ corpora, ut asseritur, venerabiliter requiescunt, congruis honoribus &c. confluerent ad eamdem &c. de Omnipotentis Dei &c. omnibus vere &c. qui a secundis Vesperis festivitatis Pentecostes &c. Et deinde exposito eidem Urbano prædecessori, quod ab eisdem secundis Vesperis, usque in dictas sequentes Vesperas ad eamdem Ecclesiam sancti Fortunati causa devotionis, magna multitudo populi confluebat, ob reverentiam dicti Sancti, idem Urbanus prædecessor, ut Christifideles ad eamdem Ecclesiam dicto tempore confluentes conscientiæ pacem, & animarum salutem, Deo propitio, consequerentur, & indulgentiæ hujusmodi melius participes esse possent, benignius agere volens, dilectis filiis Guardiano dictæ domus, & Rectori parochialis Ecclesiæ sancti Stephani Tudertin. qui tunc erant, & cuilibet eorum, absolvendi, ea vice tantum, auctoritate prædecessoris ejusdem, illas ex personis, quæ dictam Ecclesiam sancti Fortunati a dictis secundis Vesperis dictæ festivitatis Pentecostes proxime tunc futuræ, usque ad vesperas ejusdem secundæ feriæ, tunc immediate sequentis inclusive, devote visitarent, & vellent alterutri dictorum Guar-

diani, & Rectoris alterutra confiteri peccata, confessionibus earum diligenter auditis, pro commissis, eisdem personis absolutionem debitam impendendi, ac injungendi eis pro modo culpæ, pœnitentiam salutarem, nisi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica necessario esset consulenda, plenam, & liberam concessit, auctoritate Apostolica, potestatem, prout in diversis ejusdem Urbani prædecessoris litteris plenius continetur.

§. III. Nos itaque, qui, eodem prædecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio, divina favente &c. Apostolatus assumpti, ipsius Urbani prædecessoris in hac parte vestigiis inhærentes, ut Guardianus ejusdem domus pro tempore existens, vel deputandi per eum dilecti filii Fratres, etiam per dilectos filios Capitulum provincialæ Provinciæ sancti Francisci, secundum ipsius Ordinis morem, de qua quidem Provincia Ecclesia, & domus prædictæ existunt, ad audiendum confessiones, juxta formam constitutionis fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri in Viennen. Concilio innovatæ, quæ incipit: *Super Cathedram*, in ipsa domo pro tempore deputandi; necnon Rector prædictæ parochialis Ecclesiæ pro tempore existens, omnium Christifidelium visitantium eamdem Ecclesiam sancti Fortunati, per duos dies ante dictam festivitatem Pentecostes, ac in die ejusdem festivitatis, eisdem Guardiano, vel Fratribus, ut præmittitur, deputandis, & Rectori præfato volentium confiteri, confessiones audire, eisque absolutionem debitam, auctoritate Apostolica, impendere, ac injungere ipsis pro modo culpæ &c. nisi talia forent propter quæ sit &c. consulenda, libere & licite valeant, plenam &c. licentiam elargimur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Idus Februarii, anno 1.

II.

Ut in civitate Sibinicen. fiat Monasterium Clarissarum. Ibidem ex lib. 7. anno 2. fol. 64.

Carissimo in Christo filio Sigismundo Regi, & carissimæ in Christo filiæ Mariæ, ejus uxori Reginæ Hungariæ illustribus.

§. I. MAgnæ devotionis & sinceritatis affectus, quem ad nos, & Romanam Ecclesiam, non sine magno laudis præconio, gerere comprobamus, non indigne meretur, ut votis vestris, illis præsertim, quæ ex fervore devotionis prodire conspicimus,& per quæ divinus cultus adangeri valeat, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum in civitate Sibinicen. infra fines Regni vestri, quædam Ecclesia sub vocabulo S. Salvatoris sit constructa, apud quam nonnullæ mulieres, non tamen alicujus Regulæ approbatæ professæ, resident; vosque zelo devotionis accensi, ac etiam cupientes terrena &c. commutare, de bonis vobis a Deo collatis dictam Ecclesiam in Monasterium, sub vocabulo beatæ Catarinæ Ordinis sanctæ Claræ, cum campanili &c. & aliis necessariis officinis erigere, ipsumque Monasterium per viginti Moniales, cum Abbatissa dicti Ordinis, quæ Domino possint perpetuo famulari, sufficienter dotare proponatis, & etiam intendatis, pro parte vestra nobis &c. supplicatum, ut vobis præmissa faciendi licentiam &c. dignaremur.

§. III. Nos igitur &c. inclinati, vobis, ut dictam Ecelesiam in hujusmodi Monasterium, ut præfertur, erigi, ædificari, & construi facere, cum campanili &c. & officinis hujusmodi; necnon Monasterium ipsum dotare pro hujusmodi viginti Monialibus & Abbatissa, ac earum Ministris, ac dictum Mo-

Monasterium cum juribus & pertinentiis suis dicto Ordini sanctæ Claræ, donare libere & licite valeatis, Diœcesani loci, & cujuscumque &c. minime requisita, auctoritate &c. indulgemus : jure tamen parochialis &c. salvo : sic tamen quod mulieres prædictæ, si in dicto Monasterio, Ordinem ipsum profitendo, voluerint perpetuo Domino reddere famulatum, & ad id fuerint idoneæ, in Moniales & Sorores ejusdem Monasterii recipiantur, & etiam admittantur. Si vero hujusmodi mulieres, sive earum aliqua, vel aliquæ nolunt, aut volunt dictum Ordinem profiteri; nihilominus de fructibus, reditibus, & proventibus ipsius Ecclesiæ, si qui sint, necessaria dum vixerint, ministrentur eisdem. Et insuper cum prædictum Monasterium erectum, & sufficienter per vos dotatum fuerit, ut præfertur, volumus quod Abbatissa,& Moniales ipsius Monasterii pro tempore existentes omnibus &c. Monialibus, & earum prælatis dicti Ordinis in aliis Monasteriis, atque locis ejusdem Ordinis degentibus, ab Apostolica Sede concessis, fundatis sub vocabulo sanctæ Claræ, & Ordinis prædicti, gaudeant & utantur, constitutionibus &c. non obstan. quibuscumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum 11. Kalendas Januarii, anno 11.

ANNO CHRISTI 1391. BONIFACII IX. ANNO 2.

III.

Confirmat gesta per Haliciam nobilem Clarissam. Ex lib. 3. anno 2. fol. 114.

Venerabili fratri Archiepiscopo Burdegallen. & dilectis filiis Decano Ecclesiæ Burdegallen. ac officiali Burdegallen.

§. I. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Præfatio.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Soldici de Trabe, Baronis de Arbenatio, Burdegallen. diœcesis petitio continebat, Petitionis tenor. quod olim quondam Bernardus de Andengia, ac de Canali, & de Comptali, necnon de Campariano, & de Ornone Baroniarum, dictæ diœcesis Baro, condens de suis bonis in sua ultima voluntate testamentum, quondam Bernardum ejus natum domicellum, sibi universalem hæredem in prædictis Baroniis, & earum pertinentiis, ac aliis bonis suis, sub hac conditione in eodem testamento instituit, ut si dictus Bernardus Domicellus absque Et testamenti filiis, quondam Maria nata dicti testatoris domicella, & si forte ipsam Ma- conditiones. riam similiter absque prole legitimis ex eorum corporibus descendentibus, per eumdem domicellum mori contingeret, dilecta in Christo filia Halicia Monialis Monasterii de Neyraco Ordinis sanctæ Claræ, Condomien. diœcesis, soror dicti Bernardi testatoris, tunc domicella agens in seculo, in prædictis Baroniis & bonis; & si etiam prædicta Halicia sine prole legitima decederet, præfatus Soldicus in de Aldengia, necnon & in de Canali specialiter, & etiam, ut a nonnullis asseritur, in aliis Baroniis & bonis eisdem succederet, & quod subsequenter idem Bernardus domicellus, postquam hæreditatem dicti genitoris sui tunc defuncti adivit, & omnes Baronias, & etiam bona hujusmodi aliquamdiu possedit, similiter ad mortem veniens in ejus voluntate ultima, ad instar dicti patris sui ordinavit & voluit, quod dicta Maria domicella in omnibus Baroniis, & bonis suis similiter succedere deberet : quodque si forte ipsa Maria domicella absque prole legitima ex suo corpore, ut præmittitur, descendente, decederet, ille hæres esset, qui se-

secundum jus & consuetudinem patriæ alias deberet succedere in omnibus Baroniis & bonis hujusmodi, per eumdem Bernardum domicellum tunc relictis; quodque etiam prædicta Maria cum omnibus Baroniis, & bonis hujusmodi, tam ex testamento genitoris sui, & ordinatione præfatis domicelli prædictorum, per eumdem Bernardum domicellum, ut præmittitur, relictis, quam quidem domicellus, nullo per eum filio ex suo corpore descendente relicto legitimo, decessit, successisset, ac Baronias, & bona hujusmodi aliquandiu tenuisset, similiter veniens ad mortem, in ejus ultima voluntate disposuit, & mandavit etiam ad instar hujusmodi Bernardi domicelli præfati, scilicet, quod ille hæres esset, qui secundum jus, & juxta consuetudinem prædicta, succedere deberet in bonis & hæreditate præfatis, ipsaque Maria postea prole aliqua ex suo corpore descendente non relicta, vita functa, præfata Halicia, quæ dictum Monasterium fuit ingressa, & in eo professionem per Moniales dicti Monasterii emitti consuetam emiserat; & quæ postea ad Monasterium ejusdem Sanctæ Burdegallen. Ordinis prædicti, ex certis causis legitimis, transivit, & in quo ex tunc conversata fuit & conversatur, similiter de omnibus Baroniis, & bonis hujusmodi se intromittens, omnes Baronias, & bona hujusmodi, paucis tamen ex eisdem bonis sibi retentis, ac omne jus sibi in eis, seu ad ea sibi quomodolibet competens, præfato Soldico libere donavit & concessit, ac pure & irrevocabiliter, quantum fuit in ipsa, transtulit in eumdem.

Baroniæ superius recensitæ sunt feuda.

§. III. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, omnes Baroniæ præfatæ sint feuda nobilia, seu militaria, ac Regi Angliæ, seu Duci Aquitaniæ pro tempore existentibus, a quibus, seu quorum altero tenentur in capite illi, qui dictas Baronias pro tempore tenent in feudum, præstare homagium, ac exercitibus, & bellis pro defensione patriæ, quibus ceteri Barones, & nobiles ejusdem patriæ intersunt, aut interesse contingit, seu oportet, etiam interesse teneantur: & quod ipse Soldicus tam ex eodem testamento, post obitum prædictæ Haliciæ, saltem in de Andengia, & in de Canali præfatis, quam juxta jus, & consuetudinem prædicta, etiam in aliis Baroniis, & bonis hujusmodi deberet, successisse credatur & asseratur: ipse tamen Soldicus super Baroniis & bonis eisdem, seu eorum aliquibus, pro eo quod dicta Halicia dictum Ordinem ante donationem, concessionem, & translationem præfatas, professa fuit, ut præfertur, timet se per Abbatissam pro tempore existentem, & Conventum dicti Monasterii de Neyraco, in quo degentes tempore transitus adhæserunt, & adhuc adhærent iniquitatis alumno Roberto, olim Basilicæ duodecim Apostolorum Presbytero Cardinali, tunc & nunc Antipapæ, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominat, vel per alias personas ejusdem Ordinis, occasione professionis prædictæ, per eamdem Haliciam in eodem Monasterio de Neyraco, ut præmittitur, emissæ, ac occasione donationis, concessionis, & translationis prædictarum, posse in posterum molestari, pro parte dicti Soldici, asserentis etiam quod prædictæ Baroniæ, seu earum aliquæ certis partibus & terris, quas quidem potentes schismatici, & rebelles dicto Regi, seu Duci occupant, vindice, ac Rectore indigent fideli & potente, qui viriliter schismaticis, ac rebellibus ipsis resisteret, & Baronias ipsas teneret, & conservaret manu forti, prout ipse facere est paratus, fuit nobis humiliter supplicatum, ut donationi, concessioni, translationi præfatis, robur Apostolicæ firmitatis adjicere de benignitate &c. dignaremur.

Haliciæ ante donationem Ordinem Clarissarum professa.

Opus est fideli Rectore, qui recensita bona defendat.

Pontifex donatione confirmat, & defectus supplet.

§. IV. Nos hujusmodi &c. inclinati, donationem &c. prædictas, ac omnia inde secuta rata habentes & grata, ipsa auctoritate &c. ex certa scientia, confirmavimus, & aliarum nostrarum litterarum patrocinio communivimus, sup-

ſupplentes omnem defectum, ſi quis forſan intervenitſet in eiſdem, dicto Conventui de Neyraco, & quibuſcumque aliis ejuſdem Ordinis profeſſoribus, ſuper Baroniis, & bonis hujuſmodi perpetuum ſilentium, per alias noſtras litteras duximus imponendum, auctoritate præfata, decementes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his &c. attentari.

§. V. Quocirca diſcretioni veſtræ per &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, eumdem Soldicum, vel procuratorem ſuum ejus nomine, in corporalem poſſeſſionem Baroniarum, & bonorum hujuſmodi, juriumque & pertinentiarum ſuarum univerſarum inducatis, auctoritate noſtra, & defendatis inductum, quibuslibet detentoribus amotis, ab eiſdem facientes eidem Soldico de ipſorum Baroniarum, & bonorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi: ac hujuſmodi per nos conceſſa prædictas Abbatiſſam & Conventum, & quaſvis alias perſonas obſervare: non obſtantibus tam fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem &c. ſeu ne ſi judices &c. quam aliis conſtitutionibus, privilegiis &c. contrariis quibuſcumque. Aut ſi præfatis Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii de Neyraco, vel quibuſvis aliis &c. quod interdici &c. vel extra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes &c. hujuſmodi mentionem, contradictores &c. Archiepiſcopo, & aliis defenſio commiſſa.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Idibus Julii, anno II.

IV.

Ut poſſint admittere domum intra Provinciam Argentinam. Ex lib.6.fol.152.

Dilectis filiis Marquardo Miniſtro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Argentinæ, ſecundum morem dicti Ordinis.

SAcræ Religionis ſub qua &c. favorabiliter annuamus. Veſtris igitur in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis recipiendi unum locum pro uſu, & habitatione veſtris, infra Provinciam Argentin. ſecundum morem Fratrum Ordinis veſtri, Diœceſani loci, vel alicujus alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ſi locus ipſe vobis alias canonice concedatur, vel locum ipſum alias juſto titulo poteritis adipiſci, & in eodem loco, dummodo ad hoc ſit congruus & honeſtus, & ibidem alia domus dicti Ordinis non exiſtat, de novo fundandi, ædificandi, & conſtruendi Eccleſiam, cum cœmeterio &c. & aliis neceſſariis officinis, ac locum ipſum perpetuo habendi, & retinendi: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ne Fratres &c. domos, vel loca quæcumque &c. de inhibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia conſtitutione contraria non obſtante: jure tamen parochialis &c. plenam &c. elargimur. Nulli ergo &c. *Vide Conſt. 115. Clem. VI.*

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, XVII. Kal. Septembris, anno II.

V.

Indulgentia pro Eccleſia Clariſſarum ſancti Laurentii in Panis-perna, intuitu ſanctæ Birgittæ ibidem defunctæ. Ex lib. 4. fol.6.

Univerſis Chriſtifidelibus.

SPlendor paternæ gloriæ &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monialium ſancti Laurentii in Panis-perna de Urbe Ordinis ſanctæ Claræ, in quo beata Birgitta aliquibus diebus, dum vitam ageret in humanis, devote per- *Vide Conſt. 119. Clem. VI.*

man-

mansit, ac debitum naturæ persolvit, & ejus corpus sepultum extitit, & in quo postmodum plurimis miraculis claruit, & multæ ex ejus reliquiis devotissime venerantur, a Christifidelibus congruis honoribus &c. devotionis causa confluant &c. de omnipotentis Dei &c. omnibus vere &c. qui dictam Ecclesiam in festivitate sanctæ Birgittæ, videlicet x. Kalendas Augusti, & in die canonizationis de ea per nos in præsenti die factæ, & per octo dies festivitatem, ac diem canonizationis hujusmodi immediate sequen. visitaverint, annuatim, pro singulis festivitatis, ac canonizationis, ac octo dierum prædictorum diebus, quibus dictam Ecclesiam visitaverint, annuatim, ut præfertur, septem annos, & septem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis &c. relaxamus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Non. Octobris, anno II.

VI.

Alia similis Indulgentia. Ex lib. 5. fol. 227.

Universis Christifidelibus.

Vide ut supra. SPlendor paternæ gloriæ &c. Cupientes igitur ut Ecclesia Monasterii Monialium sancti Laurentii in Panis-perna de Urbe Ordinis sanctæ Claræ, in qua corpus beatæ Birgittæ humatum extitit, & nonnullæ ipsius reliquiæ venerabiliter requiescunt, a Christifidelibus congruis &c. de omnipotentis Dei &c. omnibus vere &c. qui dictam Ecclesiam in festivitate sanctæ Birgittæ, videlicet x. Kalendas Augusti, & in die canonizationis ejusdem, de ea per nos in præsenti die factæ, devote visitaverint, annuatim, illam indulgentiam, videlicet septem annos, & totidem quadragenas singulis festivitatis, & canonizationis prædictorum diebus concedimus, quam sepulcrum ejusdem sanctæ Birgittæ apud Monasterium Monialium in Vascena Ordinis sancti Augustini, Lincopen. diœc. ad quod ipsum corpus a dicta Ecclesia ipsius Monasterii sancti Laurentii translatum extitit, in dicta festivitate, & in die ipsius translationis, videlicet v. Kal. Junii visitantibus, hodie duximus concedendam.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Non. Octobris, anno II.

ANNO CHRISTI 1392. BONIFACII IX. ANNO 3.

VII.

Ut domicilium possint mutare in urbe Forosimpronien. Ex lib. 6. an. 3. fol. 126.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Marchiæ Anconitan. secundum morem dicti Ordinis.

Vide ut supra Const. 4. §. I. SAcræ vestræ Religionis, sub qua &c. favorabiliter annuamus. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Caroli Pandulphi Malatestæ, & Galleotti de Malatestis domicellorum Ariminen. ac Præpositi & Capituli Ecclesiæ Forosimpronien. nobis nuper &c. continebat, quod dudum certis necessitatibus incumbentibus, locus, quem tunc habebant in civitate vestra Forosimpronien. per quosdam Romanæ Ecclesiæ Officiales ob tutelam ipsius Civitatis extitit demolitus, & quod post demolitionem hujusmodi Fratres Ordinis, & loci vestri prædicti, se ad Monasterium S. Mauxentii in Burgo Forosimpronien. Ordinis S. Benedicti transtulerunt, ac inibi aliquandiu habitaverunt, & resederunt, licet de facto. Quare pro parte Caroli &c. prædictorum fuit nobis &c. ut Ecclesiam sancti Georgii Forosimpronien.

nien. cui cura animarum actu non imminet de præsenti, & ad dictos Præpositum & Capitulum dicitur pertinere, cum ejus domibus, & contiguis, quæ satis apta, & accommodata pro uno loco vestri Ordinis ædificando existit, & in qua commodæ & honestæ habitationes possent vobis, pro usu & habitatione vestra &c. pro recompensatione dicti loci vestri, ut præfertur, demoliti, de benignitate &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur qui divini cultus &c. inclinati, vobis hujusmodi Ecclesiam sancti Georgii cum ejus domibus, & contiguis pro usu, & habitatione vestris, auctoritate &c. concedimus & donamus. Et insuper vobis ædificandi & construendi apud eamdem Ecclesiam locum, pro hujusmodi usu & habitatione vestris cum claustro, campanili &c. & aliis necessariis officinis, & ibi perpetuo habitandi: jure tamen Capituli prædictorum, & parochialis &c. semper salvo, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. non obstan. plenam &c. elargimur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idibus Januarii, anno III.

VIII.

Ut præscribatur numerus quadraginta Monialium in Monasterio Papien. Ex lib. 1. an. 3. fol. 23.

Venerabili fratri Episcopo Papien.

§. I. Regimini universalis &c. attendamus, ut personarum in eis Altissimo famulantium sufficiens numerus existat, ne propter earum paucitatem dignum Deo servitium subtrahatur. *Ut in Const. 116. Clem. VI.*

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Catarinæ Comitissæ Virtutum, petitio continebat, quod fructus, reditus, & proventus Monasterii sanctæ Mariæ de Annuntiata Papien. Ordinis sanctæ Claræ, olim per quondam Blancham, dilecti filii nobilis viri Galeaz Comitis Virtutum genitricem, de licentia Sedis Apostolicæ, fundati, & pro una Abbatissa & triginta Monialibus inibi Domino servientibus, de bonis sibi a Deo collatis sufficienter dotati, gratia divina suffragante, adeo abundantes existunt, quod ex eis hujusmodi Abbatissa & quadraginta Moniales possint congrue sustentari. Bona Monasterii sufficiunt pro 40. Monialibus.

§. III. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ipsa Comitissa gerat ad Monasterium præfatum singularem devotionis affectum, cupiatque, ut in eodem Monasterio hujusmodi quadraginta Monialium numerus existat; & si pro sustentatione congrua hujusmodi Abbatissæ, & quadraginta Monialium, fructus, reditus, & proventus prædicti non sufficiant, illos de bonis sibi a Deo collatis, velit sufficienter augmentare. Quare pro parte ipsius Comitissæ nobis fuit humiliter supplicatum, ut hujusmodi quadraginta Monialium numerum in dicto Monasterio statuere, & numerum ipsum de personis idoneis ad nominationem ipsius Comitissæ hac vice dumtaxat, simul, vel successive recipiendis, etiamsi hujusmodi nominandæ personæ, vel earum aliqua invicem, vel cum aliquibus de jam receptis in dicto Monasterio Sorores carnales, aut alias consanguineæ, vel affines existerent, compleri, mandare de benignitate &c. dignaremur. Præfatus numerus postulatur.

§. IV. Nos igitur hujusmodi &c. inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his specialem in Domino &c. committimus &c. quatenus si vocatis dilectis in Christo filiabus Abbatissa & Conventu dicti Monasterii, & aliis qui fuerint evocandi, tibi constiterit, quod facultates ejusdem Monasterii ad congruam sustentationem Abbatissæ, & quadraginta Monialium hujusmodi suppe- Et conceditur.

petant, dictaque Comitissa de propriis bonis hujusmodi facultates sufficienter suppleat, hujusmodi quadraginta Monialium numerum in dicto Monasterio perpetuis futuris temporibus observandum, auctoritate nostra, statuere, & ordinare procures.

Recipiantur idoneæ etiam consanguineæ.

§. V. Et nihilominus si per te hujusmodi numerum inibi statui, & ordinari contingat, ut præfertur, tot personas, alias tamen idoneas, quas ipsa Comitissa simul, vel successive duxerit nominandas, etiamsi hujusmodi nominandæ, vel earum aliquæ invicem, vel cum aliquibus de jam receptis in præfato Monasterio sorores carnales, aut alias consanguineæ, vel affines fuerint, ut præfertur, donec ad quadragenarium numerum hujusmodi Monialium cum receptis deveniatur, cupientes in dicto Monasterio una cum prædictis Abbatissa, & Conventu sub regulari habitu virtutum Domino famulari, dummodo aliud canonicum non obsistat, in eodem Monasterio, auctoritate prædicta, hac vice dumtaxat, recipi facias in Moniales & Sorores; eisque, juxta ipsius Monasterii consuetudinem, regularem habitum exhiberi; ac hujusmodi recipiendarum singulis de ipsius Monasterii proventibus, sicut uni ex aliis ejusdem Monialibus integre provideri, ipsasque ibidem sincera in Domino caritate tractari. Contradictores &c. non obstantibus quibuscumque &c. Monasterii, & Ordinis prædictorum contrariis, juramento &c. vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si pro aliis in dicto Monasterio scripta Apostolica forsan sint directa; seu si Abbatissæ, & Conventui prædictis, vel quibusvis aliis communiter &c. quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici &c. de indulto hujusmodi mentionem: & qualibet alia &c. per quam præsentibus non expressam &c. effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, IV. Idus Martii, anno III.

IX.

Confirmantur litteræ Apostolicæ Innocentii IV. & Bonifacii VIII. Ex lib.6. ann.3. fol.173.

Dilectis filiis Ministro Generali, & universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Ad hoc libenter intendimus, ut Ecclesiasticarum personarum præsertim sub Religionis habitu Domino famulantium, quieti, quantum cum Deo possumus, favorabiliter consulamus, & eo vigilantius illarum procuramus augmentum, quanto nobis præstantior facultas extitit cœlitus attributa.

§. II. Dudum siquidem fel rec. Innocentius IV. quasdam, & successive Bonifacius VIII. Romani Pontifices prædecessores nostri quasdam alias litteras vobis, & Ordini vestro, auctoritate Apostolica, concesserunt, quarum tenores de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, & sunt tales: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Ministro Generali Ordinis Minorum salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut te accepimus intimante &c. ut in bulla* XXXVI. *Innocentii IV. in Regesto Tomi secundi. Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Ministris, ac universis Fratribus Ordinis Minorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad augmentum continuum Religionum &c. ut in Bulla* IV. *Bonifacii VIII. in Regesto tom.5. pag.561.*

§. III. Nos

§. III. Nos igitur cupientes, ut vos a quibuslibet gravaminibus relevemini, & Ordo ipse reformationem recipiat salutarem, ac Professores prædicti Ordinis, per quos Dei Ecclesia non mediocriter illustratur, quietius conservetur, & in humilitatis spiritu devotius Domino famulentur, concessiones ipsorum prædecessorum, & alia in prædictis litteris contenta, rata habentes, & grata, illa, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Kal. Aprilis, anno III.

X.

Confirmat litteras Gregorii XI. Ibid. fol. 192.

Ad futuram rei memoriam.

TEnorem cujusdam constitutionis fel. rec. Gregorii Papæ XI. prædecessoris nostri, in Registro ipsius prædecessoris repertum, ad instantiam dilectorum filiorum Ministri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum, asserentium se eadem constitutione indigere, de Registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus, quæ talis est: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad Romani Pontificis providentiam circumspectam &c. ut in Tomo* VIII. *Annal.* 1373. *num.* 28. Ceterum ut ejusdem constitutionis, seu facti, certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim, eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales litteræ dicti prædecessoris, si apparerent super eadem constitutione confectæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, & ubicumque, sive in judicio, sive alibi, ubi fuerit exhibitus, vel ostensus, & eidem stetur firmiter in omnibus, sicut iisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, IV. Nonas Maii, Pontificatus nostri, anno III.

XI.

Suspendit judicium in causa sepulturæ Comitis de Pembroek. Ex lib. I. fol. 226.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. DUdum pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus Ordinis Minorum Londonien. nobis exposito, quod licet quondam Joannes Hastyngt Comes de Pembrock, dum ageret in humanis, voluisset & ordinasset corpus suum post ejus obitum, in Ecclesia dictæ domus sepeliri debere, ibique propriam elegisset sepulturam, tamen postmodum dicto Comite, voluntate & ordinatione hujusmodi minime revocatis, ab hac luce subtracto, dilecti filii Prior & Fratres domus Fratrum Ordinis Prædicatorum Hereforden. contra voluntatem & ordinationem easdem, corpus præfati Comitis in ipsorum Ecclesia sepeliri fecerant, seu sepulturam dicti corporis in eadem Ecclesia sua factam, ratam & gratam habuerant, & habebant tunc, in animarum suarum periculum, ac prædictorum Guardiani & Fratrum Minorum, & eorum Ecclesiæ prædictæ non modicum præjudicium & gravamen; ac pro parte dictorum Guardiani & Fratrum Minorum no-

nobis humiliter supplicato, ut providere ipsis super præmissis de opportuno remedio dignaremur.

§. II. Nos venerabilibus Fratribus nostris Londonien. & Lichefelden. Episcopis nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi, vel alter eorum, vocatis dictis Priore & Fratribus Ordinis Prædicatorum, & aliis, qui forent evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum foret, summarie, de plano, sine strepitu & figura judicii, appellatione remota, decernerent, facientes quod decrevissent per censuram &c. firmiter observari, prout in dictis &c. continetur.

§. III. Nos igitur statum hujusmodi, ac omnium aliarum causarum, quæ super præmissis, & earum occasione coram Episcopis prædictis, seu altero eorum, aut forsan coram quibuscumque aliis judicibus ordinariis, vel delegatis communiter vel divisim, Apostolica, vel quavis alia auctoritate pendent indecisæ, necnon tenores litterarum quarumcumque Apostolicarum super præmissis forsan a Sede Apostolica emanatarum, habentes pro expressis, ipsasque causas, ex certis causis ad id animum nostrum moventibus, ad nos advocantes, Episcopis, & judicibus prædictis, & quibuscumque aliis, tenore præsentium, districtius inhibemus, ne de cetero in causis hujusmodi procedant, seu quidquam contra inhibitionem nostram hujusmodi attentare præsumant: decernentes irritum &c. contigerit attentari: non obstantibus quibuscumque indulgentiis, privilegiis &c. quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa &c. impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus quorumque totis &c. mentio specialis. Nulli ergo &c. advocationis, inhibitionis, & constitutionis infringere &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, XVII. Kal. Decembris anno III.

XII.

Ut Fratres Assisiates peregrinis libere Eucharistiæ ministrent Sacramentum.
Ex ipso Autographo.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. MAgnæ devotionis affectus, quem dilecti filii Custos, & Fratres domus Ordinis Minorum sancti Francisci Assisinatis, ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobantur, merito promeretur, ut votis eorum, illis præsertim per quæ saluti animarum Christifidelium consulatur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Custodis, & Fratrum petitio continebat, in prima die mensis Augusti, singulis annis, ad Ecclesiam prædictæ domus, in qua corpus dicti sancti Francisci requiescit, de diversis mundi partibus magna confluat populi multitudo, & sæpe contingat quod personæ peregre ad eamdem Ecclesiam, ut præmittitur, confluentes, eadem die ex devotione vellent ibidem ab eisdem Fratribus recipere Eucharistiæ Sacramentum; pro parte ipsorum Custodis & Fratrum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis ministrandi hujusmodi Sacramentum personis peregrinis prædictis illud petentibus, licentiam concedere dignaremur, de benignitate Apostolica.

§. III. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, Custodi & Fratribus domus prædictæ, qui sunt & erunt pro tempore, ministrandi libere hujusmodi Sacramentum Eucharistiæ peregrinis personis prædictis illud petentibus, etiam cujuscumque licentia super hoc minime requisita, ple-

plenam & liberam, tenore præsentium, licentiam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Perusii, VI. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno III.

XIII.

Ut recipiant domicilium in terra Spinatiolæ. Ex lib. I. ann. 3. fol. 129.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Minorum provinciæ Apuliæ, secundum morem dicti Ordinis.

§. I. Sacræ vestræ Religionis sub qua &c. favorabiliter annuamus. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper &c. continebat, quod Ordo vester in terra Spinatiolæ, Venusin. diœcesis, quæ quidem terra satis populosa, & alias ad hoc sufficiens existit, nullum locum dicti Ordinis habere dignoscitur, & quod dilecti filii Universitas, & incolæ terræ prædictæ pie desiderant, quod in eadem terra ad laudem divini nominis, ac reverentiam & honorem beati Francisci Confessoris, ex eorum & aliorum Christifidelium piis suffragiis, unus locus pro usu &c. Fratrum dicti Ordinis fundetur, & etiam construatur. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis recipiendi, ac fundandi & construendi in dicta terra locum hujusmodi, cum etiam cœmeterio &c. aliisque necessariis officinis, præsertim cum ad id, ut asseritur, diœcesani loci accedat assensus, licentiam &c. dignaremur. *Habes formulam in Constitut. 115. Clem. VII.*

§. II. Nos itaque &c. inclinati, vobis recipiendi, fundandi, & construendi locum ipsum, in loco tamen ad hoc &c. terræ præfatæ, qui vobis pia fidelium largitione traditur, aut illum alias justis titulis potestis adipisci pro usu & habitatione præfatis, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. qua inhibetur ne Fratres &c. loca ad habitandum &c. jure tamen parochialis &c. licentiam elargimur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Non. Decembris, anno III.

ANNO CHRISTI 1393. BONIFACII IX. ANNO 4.

XIV.

Concedit facultatem Fratribus Assisii, ut peregrinorum Confessiones excipiant. Ex ipso Autographo.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Apostolicæ Sedis circumspecta solertia ad id libenter intendit, ut Sedis ejusdem privilegia, rationabilibus ex causis concessa, si forsan vetustate, aut negligentia consumantur, cum illud debite requiritur, innovatione restauret, & auctoritate fulciat innovata.

§. II. Sane dudum fel. rec. Alexander Papæ IV. prædecessor noster, Custodi Fratrum Ordinis Minorum, in domo Fratrum dicti Ordinis sancti Francisci Assisinatis pro tempore existenti, per suas litteras concessit, ut eorum omnium, qui de remotis partibus ad Ecclesiam dictæ domus, causa devotionis accederent, & suorum nequirent habere copiam Sacerdotum; cum dictus Custos ab ipsis requisitus foret, ipse, & Fratres prædicti Ordinis, tam in ipso loco morantes, quam etiam venientes undecumque, quibus id du-

duceret committendum, confessiones audire valerent, & eis pro commissis injungere pœnitentiam salutarem; nisi forte talia commisissent, propter quæ Sedes prædicta esset merito consulenda, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quare pro parte dilectorum filiorum Custodis & Fratrum domus ejusdem, nobis fuit humiliter supplicatum, ut, cum hujusmodi litteræ incipiant vetustate consumi, eas innovare de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictas litteras, quas in nostra Cancellaria diligenter conspici, & quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum cuiquam de novo jus acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Tenor vero dictarum litterarum talis est: *Alexander Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Custodi Fratrum de Ordine Minorum Ecclesiæ sancti Francisci Assisinatis, salutem & Apostolicam benedictionem. Pro reverentia beati Francisci Confessoris, ad quem devotionis affectum gerimus specialem, tuis votis libenter super his annuimus, quæ pietati conformia, & animarum profectui esse percipimus opportuna. Hinc est quod nos tuis, & dilectorum filiorum Fratrum Ecclesiæ ipsius Sancti de Assisio supplicationibus annuentes, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut eorum omnium, qui de remotis partibus ad Ecclesiam ipsam causa devotionis accesserint, & suorum nequiverint habere copiam sacerdotum, cum ab ipsis requisiti fueritis, tu, & Fratres Presbyteri tui Ordinis, tam in ipso loco morantes, quam etiam venientes undecumque ad solemnitatem prædictam, quibus id duxeris committendum, eorum omnium confessiones audire valeatis, & sibi pro commissis injungere pœnitentiam salutarem, nisi talia commiserint, propter quæ Sedes Apostolica sit merito consulenda. Datum Viterbii,* VI. *Kal. Octobris, Pontificatus nostri, anno* IV. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam innovationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Assisii, v. Kal. Septembris, Pontificatus nostri, anno IV.

XV.

Modum præscribit in solvendis funeralibus. Ex ipso Autographo.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. DUm ad merita beati Francisci, cujus Ordo sacer, videlicet Fratrum Minorum, in pomerio militantis Ecclesiæ, divinæ providentiæ dispositione plantatus, ab ipso primordio uberes, & commendabiles fructus produxit semper, & producet, dante Domino, in futurum, dum etiam ad eximiam devotionem suam fidelis populus Christianus ad Ecclesiam ejusdem Sancti, in qua ... ipsam, necnon domum Fratrum dicti Ordinis prope sitam ..... specialibus prærogativis & favoribus prosequamur, rigorem juris mansuetudine temperantes, ut dilecti filii ..... Custos & Fratres dictæ domus præsentes, & posteri a contentionum turbinibus, & litigiorum anfractibus segregati, quietius Deo servire, & habilius onera valeant incumbentia supportare.

§. II. Hinc est, quod nos dictorum Custodis, & Fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, eisdem Custodi & Fratribus, de speciali gratia, au-

auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut de cetero dicti Custodes, & Fratres præsentes, & posteri ratione obvenientium omnium, tam funeralium, quam quorumcumque, & quomodocumque relictorum, distincte, vel indistincte, ad quoscumque certos determinatos usus, necnon datorum, vel qualitercumque donatorum in morte, seu in mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodocumque directe, vel indirecte præfatis Custodi & Fratribus, vel aliis pro eisdem per eos, seu ratione funerum eorum, quos ad eamdem Ecclesiam seu domum, sepulturam eligere, vel apud illos contigerit sepeliri, non prædictorum, quartam partem juxta constitutionem fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris super hoc editam, quæ incipit: *Super Cathedram*, & quam piæ recordationis Clemens Papa V. prædecessor noster in Viennæ Concilio innovavit, sed prout iidem Custos, & Fratres in similibus casibus cum Episcopo pro tempore existente, & dilectis filiis Capitulo Assisinat. necnon Rectoribus parochialium Ecclesiarum Civitatis ejusdem, se facere hactenus asserunt consuevisse, quam tamen consuetudinem minime approbamus, medietatem dumtaxat ceræ, quæ in funeribus eorum, qui apud ipsam Ecclesiam, seu domum sepulturam elegerint, & apud illas sepulti fuerint, ut præfertur, obvenerit loco quartæ, seu canonicæ portionis humandi parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis, de quorum parochiis eligentes, & sepulti hujusmodi fuerint, integre solvere teneantur, & hujusmodi medietate dictæ ceræ eosdem parochiales sacerdotes, Ecclesiarum Rectores, & Curatores loco dictæ quartæ, seu canonicæ portionis, volumus esse contentos, prædicta, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque; quoslibet processus & sententias contra præsentem nostram constitutionem, & concessionem, & voluntatem, quavis auctoritate forsitan habendas & ferendas, ex nunc decernimus irritas & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Assisii, v. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri, anno IV.

XVI.

Concedit Indulgentiam pro Ecclesia Minorum Tyburtin. Ex ipso Autographo.

Universis Christifidelibus.

§. I. Gloriosus Deus in Sanctis suis, & in ipsorum glorificatione congaudens, in veneratione beatæ Mariæ semper Virginis eo jucundius delectatur, quo ipsa, utpote mater ejus effecta, meruit altius sanctis ceteris in cœlestibus collocari.

§. II. Cupientes igitur, ut altare majus Ecclesiæ Conventus beatæ Mariæ Majoris Tyburtin. Ordinis Fratrum Minorum congruis honoribus frequentetur, & ut ipsi fideles eo libentius, causa devotionis, ad ipsam confluant, quo ibidem ex hoc dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in festivitate Nativitatis ipsius beatæ Mariæ, & per ejusdem festivitatis octavam, altare prædictum devote visitaverint annuatim, pro singulis festivitatis, & octa-

octavarum prædictarum diebus, quibus ipſum altare viſitaverint, ut præfertur, illam indulgentiam & remiſſionem peccatorum concedimus, quam Eccleſiam beatæ Mariæ de Angelis de Aſſiſio, prima die Auguſti viſitantes, quomodolibet conſequuntur. Volumus autem, quod ſi alias aliqua alia indulgentia viſitantibus prædictum altare, perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris, vel momenti.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, VI. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno III.

XVII.

Ut admittant domum in diœceſi Patavina. Ex lib. I. ann. 4. fol. 228.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali & Fratribus Ordinis Minorum, provinciæ ſancti Antonii, ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. Humilibus & honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim, per quæ divinus cultus augeri, & veſtra Religio propagari valeat, favorabiliter annuimus, & ad proſecutionem eorum, quantum nobis ex alto permittitur, libenter apponimus diligentiæ noſtræ partes. Sane petitio dilecti filii Henrici de Gallis, civis Paduani nobis nuper exhibita continebat, quod ipſe olim pie conſiderans quod Capella ſancti Petri Apoſtoli de Viminario, Paduan. diœc. quæ in pertinentiis villæ Peuminiæ, dictæ diœceſis, & in loco ſatis ſolitario conſiſtit, diu ante vacaverat, & in qua etiam divina officia a longis retro temporibus celebrata non erant, præcipue ob reverentiam beatæ Virginis Mariæ, & prædicti Apoſtoli, ſumptibus ſuis reparari & reædificari fecit, & etiam ibidem unam domum, cum campanili &c. & aliis neceſſariis officinis, canonice de novo conſtrui facere, ipſamque domum libris, vaſis, & paramentis ad cultum ipſum neceſſariis, necnon lectiſterniis, & aliis rebus, quæ ad hoc requiruntur, pro uſu & habitatione unius Guardiani, & aliquorum aliorum Fratrum Ordinis veſtri, qui ibidem reſideant, ac Domino in divinis hujuſmodi deſerviant, decenter ornare, ſeu fulcire proponit, abſque tamen præjudicio Rectoris moderni prædictæ Capellæ, ſi quis exiſtat: ita tamen quod cedente, vel decedente ipſo Rectore, vel prædictam Capellam alias quomodolibet dimittente, poſſeſſiones, & bona prædictæ Capellæ, eo ipſo transferantur, & libere cedant parochiali Eccleſiæ prædictæ villæ, tamquam ipſi Capellæ magis vicinæ, ac propinquæ, quodque ex tunc ipſa Capella beneficium Eccleſiaſticum de cetero eſſe deſiſtat, & uſibus veſtris perpetuo etiam libere debeat remanere pro hujuſmodi cultu per Guardianum & Fratres prædictos, quos ibidem reſidere contigerit, ut præfertur, inibi peragendo: & quæ quidem domus de provincia veſtra ſancti Antonii, ſecundum morem dicti Ordinis, eſſe debeat, ipſique Guardianus & Fratres, quos in eadem domo pro tempore reſidere contigerit, Miniſtro Provinciali dictæ provinciæ qui erit pro tempore, immediate ſubeſſe debeant in omnibus & per omnia, ad inſtar aliarum domorum dictorum Fratrum conſiſtentium infra provinciam antedictam, & degentium pro tempore in eiſdem, ſi ad hoc Sedis Apoſtolicæ accedat aſſenſus. Quare prædictus civis nobis humiliter ſupplicavit, ut ei perficiendi præmiſſa, & ea, prout per ipſum provide concepta ſunt, ut promittit, effectum ſortiri decernere, & alias circa ipſa ſalubriter diſponere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur.

Capella S. Petri de Viminatio vacat.

Henricus de Gallis eam reſtaurat.

Et Minoritis aſſignat.

Facultatem a Sede Apoſtolica poſtulat.

§. II. Nos itaque hujuſmodi &c. inclinati, eidem civi conſtruendi domum

mum ipsam cum campanili &c. & officinis eisdem juxta prædictam Capellam, in loco tamen ad hoc congruo & honesto, necnon illam libris, vasis, paramentis ad eumdem cultum, ac etiam lectisterniis, & aliis rebus eisdem pro usu & habitatione hujusmodi, & aliis ad hoc necessariis, seu accommodis, ut præfertur, fulciendi & ornandi, vobisque dictam domum cum hujusmodi campanili &c. & officinis, postquam constructa fuerit, ut præfertur, recipiendi, & in usus vestros pro habitatione unius Guardiani, & aliorum Fratrum prædictorum, ut præfertur, ibidem commorando, perpetuo retinendi, & habendi: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua &c. ad habitandum domos, vel loca &c. absque Sedis ejusdem licentia speciali, faciente plenam, & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis constitutione contraria non obstante: jure tamen parochialis &c. semper salvo, plenam &c. elargimur. Volentes & auctoritate &c. statuentes, quod cedente, vel decedente dicto Rectore, si quis nunc sit, ut præfertur, vel alias dictam Capellam quomodolibet dimittente, hujusmodi possessiones, & bona immobilia, si quæ sint ejusdem Capellæ, eo ipso plenarie cedant eidem Ecclesiæ parochiali villæ prædictæ, & debeant esse, ac de proprietate illius cum omnibus juribus, & pertinentiis eorumdem perpetuo censeantur, ac domui ædificandæ præfatæ, ac Guardiano, & Fratribus ipsis, qui inibi pro tempore residebunt, remaneat etiam libere Capella prædicta, quæ deinceps in beneficium Ecclesiasticum alicui conferri nequeat quoquo modo: & quod etiam ipsa domus, postquam constructa fuerit, & ipsi Guardianus & Fratres pro tempore, qui in eadem domo constructa moram traxerint, eidem Ministro Provinciali subesse pro tempore debeant, ut præfertur, & quod etiam prædicti Guardianus & Fratres, qui in ipsa domo construenda, ut præmittitur, residebunt pro tempore, gaudeant omnibus privilegiis &c. quibus vos gaudetis, & etiam reliqui Fratres ejusdem Ordinis ex concessionibus Apostolicis gaudent, seu etiam quomodolibet potiuntur. Nulli ergo &c.

Concéditur.

Cedente Rectore, bona Ecclesiæ Parochiali assignantur.

Datum Fulginei, Non. Septembris, anno IV.

Anno Christi 1394. Bonifacii IX. anno 5.

XVIII.

Ut fratrem Nicolaum Neapolitan. benigne habeat. Ex lib. 2. an. 5. fol. 87.

Dilecto filio Ministro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Terræ-laboris.

Cupientibus vitam ducere regularem &c. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Nicolaus de Neapoli Ordinis Fratrum Minorum professor, officio Coadiutoriæ venerabilis fratris nostri Joannis Episcopi Accerrarum per Sedem Apostolicam sibi commisso, ex certis rationabilibus causis ad id suum &c. & ob frugem vitæ melioris dimisso, desideret in ipso Ordine, ut prius, virtutum Domino famulari. Nos volentes ipsum Nicolaum in hujusmodi suo laudabili proposito confovere, ac loco, honoribus, prærogativis ipsius Ordinis, quibus ante commissionem hujusmodi gaudebat, gaudere, discretioni tuæ per Apostolica &c. mandamus, quatenus ipsi Nicolao aliquem Conventum ipsius Ordinis, quem ipse in provincia Terræ-laboris duxerit eligendum, assignes, ipsumque inibi recipi facias, & sincera &c. tractari, & sicut unum ex aliis &c. provideri: ipsumque nihilominus loco, ac omnibus & singulis honoribus, privilegiis, & prærogativis hujusmodi, sicut præ-

præsens faciebat, libere gaudere facias & procures, constitutionibus &c. & consuetudinibus Ordinis &c. prædictorum, & aliis contrariis non obstan. &c. Contradictores &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum XII. Kalendas Octobris, anno V.

ANNO CHRISTI 1395. BONIFACII IX. ANNO 6.

XIX.

Confirmat litteras Martini IV. de institutione Syndicorum. Ex lib. 5. an.6. fol.129.

Dilectis filiis Generali, ac Provincialibus Ministris & Custodibus universis Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. VEstræ sacræ Religionis, & devotionis meritis inducimur, ut petitionibus vestris, quæ vestrorum, & Ordinis vestri jurium conservationem respiciunt, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane nuper pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras super concessione, seu constitutione per fel. rec. Martinum Papam IV. prædecessorem nostrum, in vestrum, & Ordinis vestri favorem vobis concessas, quæ incipiunt vetustate consumi, quarum tenorem de verbo ad verbum annotari fecimus, innovare, de benignitate Apostolica, dignaremur; quarum quidem tenor talis est: *Martinus Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Ministris, ac Custodibus universis Ordinis Fratrum Minorum salutem & Apostolicam benedictionem. Exultantes in Domino quod sacri vestri Ordinis professores in Dei beneplacito confirmati promptitudine devotionis, & operis &c. vide in Regesto tom.5. fol.*485. *Bulla* 7. *Martini IV.* Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, prædictas litteras, quas in Cancellaria nostra inspici fecimus diligenter, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus vobis volumus de novo acquiri, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, XIV. Kalendas Martii, anno VI.

XX.

Deputat Conservatores Minorum in Germania. Ibid. fol.131.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscop. Moguntino, ac Argentinen. & Basilien. Episcopis.

§. I. DIlectorum filiorum Generalis, & Provincialium Ministrorum, & Custodum universorum Ordinis Fratrum Minorum religionis & devotionis meritis inducimur, ut petitionibus eorum, quæ ipsorum, & Ordinis sui jurium conservationem respiciunt, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane nuper pro parte eorumdem Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras super concessione &c. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios eisdem Ministris & Custodibus in præmissis efficacis & opportunæ defensionis auxilio, auctoritate Apostolica, assistentes, hujusmodi concessionem faciatis eisdem Ministris & Custodibus ab omnibus firmiter observari, non permittentes eos contra hujusmodi concessionis tenorem, per aliquos vexari de cetero, seu quomodolibet molestari. Molestatores ipsos, & contradictores quoslibet & rebelles per censu-

furam Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus, si aliquibus communiter, aut divisim a Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum ut supra.

XXI.

Confirmat litteras Benedicti XI. circa exemptionem Minorum. Ex lib. 5. fol. 143.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Ministris, ac universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

Meritis vestræ devotionis inducimur, ut petitionibus vestris, quæ vestrorum, ac Ordinis vestri jurium conservationem respiciunt, favorabiliter annuamus. Nuper siquidem pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras per fel. record. Benedictum Papam XI. prædecessorem nostrum vobis concessas, quæ incipiunt vetustate consumi, quorumque tenorem de verbo ad verbum fecimus annotari, innovare de benignitate Apostolica dignaremur, quarum litterarum tenor talis est: *Benedictus Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Ministris, & universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Inter ceteros Ordines, quos cælestis agricolæ summa benignitas in horto plantavit Ecclesiæ, sacrum vestrum Ordinem jam per Orbis Provincias, superna gratia propagante, diffusum &c. vide in Regesto Tom. VI. fol. 445. sub Benedicto XI.* Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, dictas litteras, quas in Cancellaria nostra inspici fecimus diligenter, auctoritate Apostolica, tenore præsentium innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus vobis de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Nonis Junii, anno VI.

XXII.

Confirmat unionem quarumdam Ecclesiarum ab Episcopo Zwerinen. factam in gratiam Clarissarum Zuerinen. Ex lib. 5. fol. 164.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Sacræ Religionis, sub qua dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus Monasterii in Ribenize, Ordinis sanctæ Claræ, Zwerinen. diœcesis sedulum & devotum exhibent Domino famulatum, promeretur honestas, ut votis earum, illis præsertim, quæ ipsarum & dicti Monasterii utilitatem concernunt, libenter & favorabiliter annuamus.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsarum Abbatissæ, & Conventus petitio continebat, quod dudum venerabilis frater noster Rodulphus Episcopus Zwerinen. ad hoc dilectorum filiorum Decani, & Capituli Ecclesiæ Zwerinen. accedente consensu, ex certis rationabilibus causis tunc expressis Zwam & Rabenitze, ac Marlaw. parochiales Ecclesias, Zwerinen. diœcesis, quarum viginti prædicto Monasterio, cujus quinquaginta Marcharum argenti fructus, reditus, & proventus secundum communem existimationem, valorem annuum non excedunt, quæ de jure patronatus

dicti Monasterii tunc existebant, prout existunt, auctoritate ordinaria, incorporavit, annexuit, & univit perpetuo, prout in litteris authenticis inde confectis, Episcopi, ac Decani & Capituli prædictorum sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Episcopi, ac Abbatissæ, & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut hujusmodi incorporationem, annexionem, & unionem . . . . prædictas ratas habentes & gratas, illas auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes, auctoritate prædicta, omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Tenor vero dictarum litterarum talis est.

§. III. *Rodulphus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zwerin. & Dux Magnopolen. Dilectis in Chrifio religiosis filiabus Sanctimonialibus, & Conventui Monasterii Ordinis sanctæ Claræ inclusarum in Ribeintze, nostræ Zwerin diœcesis, ad perpetuam rei memoriam, salutem in Domino sempiternam. Suscepto pastoralis officii baculo, nos quotidiana cura sollicitat, & nostris insistit præcordiis præcipue pulsans, ut saluti animarum nostro commissarum regimini, ac divinorum officiorum augmento, nostrorum subditorum, & Ecclesiarum, seu sacrorum locorum necessitatibus, & utilitatibus, juxta earum qualitates, quantum cum Deo possumus, pervigili & sollicito studio curemus salubriter providere. Nuper siquidem, pro parte vestra nobis fuit sufficienter exhibitum, licet alias notorium nobis constitit, & constet veritate clariori, quod propter guerrarum, & pestilentiarum strages, & turbines, quæ terram partium hujusmodi dudum multipliciter adeo, proh dolor! agitando concusserunt, ut Monasterium vestrum, Ecclesia, in qua obsequia divina Deo vigilanter reddi deberent, careat condecenti, ceterisque habitationibus congruis, & necessitati in ruinam urgente, paupertate nimia depressis, & destructis, quare per vos commode, vel tute inhabitari, & divina inibi celebrari non possunt, in maximam divini cultus, quæ dolenter referimus, diminutionem. Quodque ex felici consecrationis puritate agnum, quocumque ierit, immaculatum subsequentes castitatis in thorum ipsum habitaculi vestri, terrenum paradisum replendo suavitatis odore, Regna mundi contemnitis, Deo psallentes perpetuo inclusæ, absque spe exeundi mendicatis, vel pro necessitatis victu, & vestitu decentibus ad externa terrestria, quæ propter Dei amorem, quæ contemplando gaudetis, dereliquistis, redire ad seculum, quærere panem non possitis, neque debeatis; Nobis humiliter, & devote supplicastis, quatenus vobis de remedio opportuno, pietate paterna, providere, ac parochiales Ecclesias in Ribemzi, Syvvam, & Marlevvo oppidorum dictæ nostræ diœcesis, quarum juspatronatus, seu præsentandi ad vos dumtaxat legitime pertinet, & spectat, seu quælibet earum cum omnibus juribus, pertinentiis, fructibus, reditibus, & proventibus earumdem, vobis Abbatissæ, Sanctsmonialibus, & Conventui, seu mensæ vestræ exili, & tenui incorporare, unirc, & annectere in perpetuum dignaremur. Nos igitur tanto vigilantius in divini cultus augmentum animum nostrum dirigimus, quanto ad ideas utiliores, graviores, & necessarias conspicimus, visceribus commoti pietatis, vestris supplicationibus rationabilibus non immerito inclinati, de expressis consensu & assensu venerabilium virorum nobis dilectorum Joannis Decani, Bernards Thesaurarii, Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ nostræ Zwerin. Capitulariter congregatorum, servatis servandis, præmissis tractatu, & deliberatione maturis & solemniter, ac ceteris cognitionibus, & informationibus inde per, & super omnibus & singulis præmissis præhabitis, ad relevandum vos de notoria paupertatis inopia, & ad cultum divinum*

& officii sacrum augendum, suadente utilitate, & exigente necessitate, omnibus melioribus via, jure, modo, causa, & forma quibus possumus & debemus, confisi, de omnipotentis Dei misericordia, & gratia Sedis Apostolicæ, nostræque Pontificalis auctoritate Ordinaria, in Dei nomine in his scriptis, præfatas Ecclesias parochiales in Ribenitze, Sywan, & Marlewo oppidorum nostræ diœcesis cum omnibus juribus, pertinentiis, fructibus, proventibus, juribus, & obventionibus earum, singulis vobis Abbatissæ, Sanctimonialibus, & Conventui Monasterii in Ribenitze, dictæ nostræ diœces. ac mensæ vestræ, & vobis succeden. in perpetuum, annectimus, unimus, & incorporamus; ita quod cedentibus, vel decedentibus, seu resignantibus ipsarum, & cujuslibet earum Rectoribus existen. de præsenti, aut aliter quovis modo vacantium, vel proximo vacaturarum, vobis liceat, & vestris succedentibus corporalem, & realem possessionem, vel quando ipsarum, & cujuslibet earum Ecclesiarum parochialium prædictarum unitarum, annexarum, & incorporatarum, seu fructuum, reditaam, proventuum, obventionum, censuum, officiorum, pertinentiarum, & attinentiarum earumdem, auctoritate & potestate propria per vos, vel vestros procuratores ad hoc constitutos, apprehendere, ingredi, & in perpetuum retinere, & eas titulo hujusmodi possidere, in contrarium non obstantibus quibuscumque, & si secus factum fuerit, illud ex nunc prout ex tunc irritum decernimus, & inane, decreto interposito sub excommunicationis sententiæ pœna in his scriptis latæ, contradictorum firmiter inhibemas juribus nostris, diœcesis, & aliorum ordinati immediate, necnon congrua portione pro Vicariis instituendis, & divinis ministrandis Sacramentis, per seculares idoneos Presbyteros, quibus eorum curæ committitur, necnon omnibus aliis, & singulis oneribus ipsarum Ecclesiarum, & cujuslibet supportandis semper salvis, reservatis, quas, quos, & quæ præsentibus reservamus. In quorum omnium evidens testimonium, præsentes has nostras litteras per discretum virum Joannem Moller Notarium, & Scribam infrascriptum conscribi, & in publicam formam redigi, ipsiusque solito, & consueto signo signari mandamus, & sigilli majoris, una cum sigilli majoris Capitali nostri præfati Zwerin. appensione, fecimus communiri. Datu, acta, & decreta sunt hæc in Castro nostro Butzoowun. in majori Camera, pro Capitulo servando constituta, anno Domini MCCCXCII: *Indictione* XV. *mensis Januarii die* IX. *hora* IX. *vel quasi, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, ac Domini nostri Domini Bonifacii divina clementia Papæ IX. anno* III. *Præsentibus honorabilibus, & discretis viris, Dominis Reymare de Plawe perpetuo Vicario in Ecclesia Collegiata Castrow. Petro Pore, Rectore Ecclesiæ parochialis in Mudritze, Vareo Rettelenghe Presbyteris, Cameyzwer. & Osnaburgen. diœcesis, ac pluribus aliis fide dignis testibus, ad præmissa vocatis, & rogatis; & nos Joannes Decanus, Bernardus Thesaurarius, Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Zwernien. prædictæ, quia præmissis omnibus, & singulis expositioni, propositioni, productioni, examinationi, tractatui, deliberationi, decreto, consilio, interfuimus, ac unionem, annexionem, & incorporationem præfatarum Ecclesiarum parochialium, & cujuslibet earum per Reverendum Patrem Dominum nostrum Rodulphum Episcopum Zwernien. mensæ præfatæ Abbatissæ, Sanctimonialium, & Conventus Monasterii in Rebenitze, prædictæ diœcesis, & succedentibus ipsis, perpetuo ex notorum justitia, & utilibas causis, factis, & consummatis, auctoritate, & decreto, & certa scientia capitulariter consensimus, & expresse præsentibas consentimus; ideoque ad perpetuam rei memoriam prædictorum, ac notitiam, firmitatem, & fidem pleniorem, majus sigillum nostri Capituli Zwer &c. una cum sigillo dicti Domini nostri D. Rodulphi Episcopi, præsentibus litteris est appensum,*

fum, loco, anno, Indictione, menfe, die, hora, Pontificatu, & teftibus quibus fupra, præfentibus in evidens teftimonium omnium, & fingulorum præmifforum.

Nulli ergo &c. noftræ confirmationis, communitionis, & fuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud fanctum Petrum, Nonis Junii anno VI.

XXIII.

Ut poffit inftituere, & deftituere Provinciales. Ibid. ex lib. 1. fol. 213.

Dilecto filio Henrico, Ordinis Fratrum Minorum, Generali Miniftro.

§. I. INjunctum nobis licet immeritis, Apoftolatus officium nos crebro follicitat & inducit, ut obfervantia Regularis noftris temporibus augeatur, quodque illis, qui conceffa licentia abutuntur, fic opportunis remediis obvietur, ne quibus præffendo, falutis commoda afferre tenentur, modeftiæ fræno laxato, difpendia, & gravamina procurent, aut poffint inferre.

§. II. Sane nuper ad noftrum, non fine difplicentia, pervenit auditum, quod nonnulli Miniftri Provinciales Ordinis tui, per Sedem Apoftolicam deputati, aliquorum in hac parte fuorum complicum fulfulti potentia, non juxta Regularem Obfervantiam, ac Inftituta Ordinis prædicti, fed tyrannice, ac malitiofe Provincialatus officia per Sedem Apoftolicam eis decreta, exercere non verentur, unde vigor regularis non mediocriter lentefcit hujufmodi, & in eodem Ordine fcandala fufcitantur plurimum, ac etiam animarum difpendia procurantur. Nos fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecefforis noftri veftigiis inhærentes, volentes huic morbo, ut tenemur, congruo fubvenire antidoto, ac tranfgredientium aufus hujufmodi refrænare, tibi hujufmodi, & quofcumque alios Miniftros Provinciales dicti Ordinis, etiamfi fuerint per eamdem Sedem deputati, ac deputandi, qui officia prædicta, juxta Obfervantiam & Inftituta prædicta, & alias debite non exercuerint, aut circa illa negligentes extiterint, feu remiffi, prævia ratione quotiefcumque tibi videbitur, & opportunum extiterit, auctoritate noftra, deponendi, & deftituendi, & alios ejufdem Ordinis profeffores, fcientia, & vita approbatos, in Regulari obfervantia hujufmodi, & lege Domini eruditos loco depofitorum, feu deponendorum, per te prædictorum in prædictis Provinciis, in Provinciales Miniftros, fecundum morem Ordinis prædicti, conftituendi, & deputandi, fuper quibus etiam tuam confcientiam oneramus, qui quidem deputandi omnia & fingula gerere, exercere, profequi, & facere poffint, quæ ad Provincialatus hujufmodi Provinciæ, feu Provinciarum fpectant officium, & quæ Provinciales Miniftri earumdem Provinciarum, qui fuerunt pro tempore, gerere, exercere, & profequi, ac facere licite potuerunt feu etiam debuerunt, ac mandandi univerfis, & fingulis quorum intereft, intererit, aut intereffe poteft, ut eifdem Mininiftris Provincialibus quos deputaveris, in iis, quæ ad hujufmodi Provincialatus fpectant officium, plene pareant & intendant. Contradictores quoque, & rebelles cenfura Ecclefiaftica & aliis, juxta Inftituta prædicta compefcendi, auctoritate prædicta, ufque ad noftrum beneplacitum, plenam & liberam, tenore præfentium, concedimus facultatem. Nos enim pœnas & fententias, quas rite tuleris in rebelles, faciemus, auctore Domino, ufque ad fatisfactionem condignam inviolabiliter obfervari.

Datum Romæ apud fanctum Petrum VII. Kalendas Julii anno VI.

XXIV.

XXIV.

Deputat in Ecclesia Tyburtina Apostolicos Pœnitentiarios. Ibid. fol. 262.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD ea curis excitamur continuis, & libenter dirigimus studia mentis nostræ, per quæ animarum salus per nostrum ministerium procuretur. Cum autem nos dudum de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum &c. confisi, omnibus vere &c. qui in festivitate Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, & per ejusdem festivitatis Octavas, altare majus Ecclesiæ domus, seu Conventus beatæ Mariæ Majoris Tyburtin. Ordinis Fratrum Minorum devote visitaverint annuatim, illam indulgentiam, & remissionem peccatorum concesserimus, quam Ecclesiam beatæ Mariæ de Angelis Assisinaten. prima die Augusti annuatim visitantes, quomodolibet consequuntur, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Et sicut accepimus, ad ipsam Ecclesiam in dicta festivitate, & per ejus festivitatis Octavas, causa devotionis, hominum utriusque sexus confluat multitudo. Nos cunctorum Christifidelium, prout ex debito pastoralis officii tenemur, salutem intensis desideriis appetentes, ac desiderantes, ut ipsi Christifideles ad ipsam Ecclesiam in dicta festivitate, & per dictas ejus octavas confluentes, & ipsam Ecclesiam devote visitantes, conscientiæ pacem, & animarum salutem, ac hujusmodi Indulgentiam, Deo propitio, & cum effectu consequantur, volumus, & auctoritate Apostolica, tenore præsentium ordinamus & concedimus, quod dilecti filii Custos, Guardianus, & Conventus dictæ domus ipsius Ordinis, Provinciæ Romanæ ad hoc idoneos, & major Pœnitentiarius noster pro tempore existens, alios quatuor ex minoribus Pœnitentiariis in Urbe, aut in Romana Curia residentibus, annuatim valeant deputare, qui quidem sic deputati a primis Vesperis prædictæ festivitatis, usque ad octavas ipsius festivitatis inclusive, confessiones quorumcumque fidelium ad præfatam Ecclesiam in dicta festivitate, & per ejus octavas annuatim confluentium audire, & ipsis diligenter auditis, pro commissis eisdem fidelibus debitam absolutionem, prout minores Pœnitentiarii in dicta Urbe, vel Romana Curia residentes possunt, impendere, & injungere valeant pœnitentiam salutarem. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Kal. Augusti, Pontificatus nostri, anno VI.

XXV.

Jubet ne Fratres Conventus Waren. prætergrediantur limites sibi statutos in quæstibus. Ex lib. 5. fol. 4.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. MAgnæ devotionis affectus, quem dilecti filii Custos, Guardianus, & Fratres domus Ordinis Fratrum Cantabrigiæ, Elien. diœcesi. ad nos, & Romanam gerunt Ecclesiam, promeretur, ut votis eorum, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsorum Custodis, Guardiani, & Fratrum petitio continebat, quod olim ipsi propter studium generale, quod in loco Cantabrigiæ, dictæ diœcesi. viguit, prout viget, solebant, prout solent, diversarum regionum & Provinciarum, juxta morem præfati Or-

Ordinis, maximam multitudinem Fratrum ejufdem Ordinis in dicta domo recipere, eifque victus, & cetera alia neceffaria, fignanter ex eleemofynarum procurationibus, de limitibus dictæ domus, juxta hujufmodi morem ipfius Ordinis, miniftrare, quodque prope limites hujufmodi in villa de Ware, Londonien. dioec. feu prope villam ipfam, quædam parva domus dicti Ordinis fundata exiftit, cujus Fratres, cum eorum fautoribus, limites fuarum procurationum verfus prædictum locum Cantabrigiæ, & alias partes ad tantam diftantiam extendere, & ampliare præfumunt, quod exinde hujufmodi multitudo dictorum Fratrum, & ftudentium in præfata domo Cantabrigiæ maxima damna incurrunt, & in futurum nimium gravabuntur, nifi eis celeriter fuccurratur de remedio opportuno. Quare pro parte dictorum Cuftodis, Guardiani, & Fratrum domus Cantabrigiæ nobis fuit humiliter fupplicatum, ut providere eis fuper hoc de hujufmodi opportuno remedio, de benignitate Apoftolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujufmodi fupplicationibus inclinati, auctoritate Apoftolica, tenore præfentium, diftrictius inhibemus, ne Fratres dictæ domus de Ware, qui pro tempore fuerint pro eleemofynarum procurationibus, vel prædicationibus faciendis, poffint, vel debeant verfus aliquas partes, quæ olim ante hujufmodi fundationem dictæ domus de Ware, de dictis limitibus domus Cantabrigiæ effe folebant, ultra quinque milliaria, juxta computum illius regni, directe, vel indirecte, præter quam ad villam de Pakerich, dictæ Londonien. dioecef. fuos limites extendere, aut hujufmodi eleemofynarum petendarum, vel procurationum, feu prædicationum faciendarum, aut aliud jus dicti Ordinis fibi quomodolibet vindicare præfumant. Nulli ergo &c. noftræ inhibitionis infringere. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud fanctum Petrum, 11. Kal. Septembris, anno VI.

Simili modo: *Venerabilibus Fratribus Eboracen. & Londonien. ac Amonitan. Epifcopis, falutem.*

MAgnæ devotionis affectus, quem dilecti filii Cuftos, Guardianus, & Fratres domus Minorum Cantabrigiæ, Elien. dioecef. &c. Quocirca Fraternitati veftræ per Apoftolica fcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veftrum per vos, vel alium, feu alios, non permittatis hujufmodi Fratres dictæ domus de Ware, pro tempore exiftentes, contra hujufmodi noftram inhibitionem, pro eleemofynarum procurationibus, aut prædicationibus faciendis, feu aliis juribus dicti Ordinis quomodolibet vendicandis, verfus aliquas partes, quæ, ut præfertur, olim ante dictam fundationem præfatæ domus de Ware, de dictis limitibus ipfius domus Cantabrigiæ erant, ultra hujufmodi quinque milliaria fuos limites extendere, præterquam ad villam de Pakerich fupradictam. Contradictores per cenfuram ecclefiafticam &c. Non obftantibus conftitutionibus Apoftolicis, ac ftatutis, & confuetudinibus dicti Ordinis contrariis quibufcumque, feu fi hujufmodi Fratribus dictæ domus de Ware, vel quibufvis aliis communiter, vel divifim, a Sede Apoftolica fit indultum, quod interdici, fufpendi, vel excommunicari non poffint per litteras Apoftolicas non facientes plenam, & expreffam de verbo ad verbum de indulto hujufmodi mentionem.

Datum ut fupra.

XXVI.

XXVI.

Ut domum admittant in urbe Cajetana. Ibid. fol. 44.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Terræ-laboris, secundum morem dicti Ordinis.

§. I. SAcræ vestræ Religionis, sub qua devotum, & sedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, in his præsertim, quæ divini cultus augmentum conspiciunt, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane vestra, & dilectorum filiorum Communis Civitatis Cajetan. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi commune de salute propria cogitantes, & cupientes terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis eis a Deo collatis prope oratorium sanctæ Agathæ, Cajetan. diœcef. omni prorsus dote carens, in qua nonnulli Fratricelli prætendentes se in Eremitagio vivere, & vitam ducentes admodum dissolutam, actu morantur, unam domum cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis necessariis officinis pro uno Guardiano, & aliquibus Fratribus vestri Ordinis ibidem pro tempore moraturis construere, & ædificare proponunt. Quare pro parte vestra, & communis prædictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem communi faciendi præmissa, & vobis domum hujusmodi recipiendi licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos itaque carissimæ in Christo filiæ Margaritæ Reginæ Siciliæ Illustris, nobis super hoc humiliter supplicantis, ac vestris, & communis prædictorum hujusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, eisdem Communi apud oratorium prædictum, domum hujusmodi cum cœmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis necessariis officinis pro hujusmodi Guardiano, & aliquibus Fratribus ibidem, ut præfertur, Altissimo servituris, construendi, & ædificandi, vobisque domum hujusmodi recipiendi, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, XVIII. Kal. Decembris, anno VI.

XXVII.

Ut possint ædificare domum in urbe Camerte. Ibid. fol. 46.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum provinciæ Marchiæ Anconitan. secundum morem dicti Ordinis.

§. I. SAcræ Religionis vestræ, sub qua devotum, & sedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, in iis præsertim, quæ divini cultus augmentum conspiciunt, favorabiliter annuamus. Sane petitio vestra nobis nuper exhibita continebat, quod vos de bonis vobis pià largitione fidelium acquisitis, ac etiam acquirendis, in civitate nostra Camerinen. seu ejus territorio, unam domum cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis necessariis officinis pro uno Guardiano, & aliquibus Fratribus vestri Ordinis, ibidem pro tempore moraturis, construere & ædificare proponitis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis faciendi præmissa, & domum

mum hujusmodi recipiendi pro usu & habitatione prædictis, licentiam concedere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis in civitate, vel territorio prædictis, loco tamen ad id congruo & honesto, domum hujusmodi cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis necessariis officinis, pro Guardiano, & aliquibus Fratribus prædictis, ibidem, ut præfertur, Altissimo servituris, construendi & ædificandi, vobisque domum hujusmodi pro usu & habitatione prædictis recipiendi, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente &c. Fratres dicti Ordinis potiuntur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, x. Kal. Januarii, anno vi.

Anno Christi 1396. Bonifacii IX. anno 7.

XXVIII.

Ut Minoritæ castri Silam domum transferant. Ex lib. 2. ann. 7. fol. 225.

Dilecto filio Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum provinciæ Tusciæ, secundum morem dicti Ordinis.

§. I. Humilibus & honestis supplicum votis, illis præsertim, quæ ad Religionis propagationem, & divini cultus augmentum cedere valeant, libenter favorem benevolum impertimur.

§. II. Hodie siquidem pro parte dilectorum filiorum habitatorum castri Silam, Vulteran. diœcesis nobis exposito, quod olim ipsi considerantes, quod ad parochialem Ecclesiam sancti Joannis, *Plebem* nuncupatam, prope dictum castrum, infra cujus limites ipsum castrum consistit, & quæ in nemoribus situata, & pro majori parte diruta erat, prout est, & in futurum, ut præsumebatur, totaliter ruitura extiterat, propter guerrarum discrimina, & alia diversa impedimenta, pro Ecclesiasticis sacramentis recipiendis commode accedere non poterant, quamdam Ecclesiam in honorem, & sub vocabulo sancti Bartholomæi, infra dictum castrum, loci Ordinarii, ac Rectoris ipsius Ecclesiæ sancti Joannis, qui tunc erat, ad hoc accedente assensu, pro uno rectore, qui ipsis habitatoribus, & ceteris parochianis dictæ Ecclesiæ sancti Joannis pro tempore prædicta ministraret Sacramenta, prout ministrabat, & alias animarum ipsarum curam gereret, prout gerebat, & in qua quidem Ecclesia sancti Bartholomæi corpora mortuorum dictorum parochianorum sepelirentur, prout, ut plurimum sepeliebantur, canonice fundaverint, & fundari fecerint, prædictam Ecclesiam sancti Joannis habendo quodammodo pro derelicta, quodque dilectus filius nobilis vir Grisius de Silano, domicellus dictæ diœcesis, verus patronus dictæ Ecclesiæ sancti Joannis, & hujusmodi Rector ejusdem Ecclesiæ sancti Joannis, qui tunc erat, ad hoc suum libenter præstiterat assensum, quod dicta Ecclesia sancti Joannis omnibus insigniis parochialibus, possessionibus, juribus, privilegiis, & immunitatibus suis destitueretur, & prædicta Ecclesia sancti Bartholomæi de cetero *Plebs* nuncuparetur; nos venerabili fratri nostro Episcopo Vulteran. per nostras litteras commisimus & mandavimus, ut de præmissis omnibus, & eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra, se diligenter informaret, & si per informationem hujusmodi reperiret ita esse, dictique Grisius, & Rector suum ad hoc præstarent assensum, eamdem Ecclesiam sancti Joannis omnibus insigniis parochialibus, possessionibus, juribus, privilegiis, & immunitatibus suis antedictis, auctoritate nostra, destitueret, ipsamque Ecclesiam sancti Bartholomæi, in parochialem erigeret, & sibi

Ecclesia S. Joannis diruta.

Alia Ecclesia S. Bartholomæo dicata construitur.

Et parochialibus juribus insignitur.

Episcopo Vulterano pro executione facta commissio.

& sibi pro parochia præfatos limites cum insigniis parochialibus, possessionibus, juribus, privilegiis, & immunitatibus supradictis, eadem auctoritate, concedere & assignare curaret, ac statueret & ordinaret, quod eadem Ecclesia sancti Bartholomæi ex tunc perpetuis temporibus *Plebs* nuncuparetur, jure patronatus, & præsentandi Rectorem ad dictam Ecclesiam sancti Bartholomæi, quoties vacaret, præfato Grisio, & hæredibus ejus in perpetuum reservato, ac proviso quod dicta Ecclesia sancti Joannis, ad profanos usus, velut hæreditas, minime redigeretur, prout in ipsis litteris plenius continetur. Antiqua Ecclesia non debet redigi ad profanos usus

§. III. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, præfatus Griiius cupiat pro suæ, & suorum parentum animarum salute, quod ipsa Ecclesia sancti Joannis, cujus ipse verus patronus, ut præfertur, existit, vobis assignetur, & ad hoc jus patronatus prædictus sponte, & libere donare, & alias pro reparatione ipsius Ecclesiæ sancti Joannis, & ædificatione loci habitationis eorumdem Fratrum propo ipsam Ecclesiam sancti Joannis, cum campana, campanili, hortalitiis, & aliis necessariis officinis, de bonis suis sibi a Deo collatis, ultra trecentos florenos auri contribuere, & quod etiam ultra hoc conjunctim alii contribuant, ordinare proposuerunt: pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis dictam Ecclesiam sancti Joannis, & locum prope eam, pro hujusmodi habitatione, recipiendi & retinendi concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Minoritis conceditur.

§. IV. Nos igitur, qui Religionem propagari, & hujusmodi cultum augeri nostris temporibus, ferventibus desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis præfatam Ecclesiam sancti Joannis, postquam hujusmodi insigniis parochialibus destituta, ejusque possessiones, bona, jura, & privilegia hujusmodi ad dictam Ecclesiam sancti Bartholomæi translata fuerint, ut prædicitur, cum loco pro vestra habitatione hujusmodi prope eam, recipiendi & retinendi, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, seu castro, villa, vel loco alio quocumque domos, vel loca quæcumque ad habitandum de novo recipere, seu recepta hactenus mutare præsumant, absque Apostolicæ Sedis licentia speciali, faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujusmodi mentionem, & qualibet alia constitutione Apostolica nequaquam obstantibus, plenam & liberam, tenore præsentium licentiam elargimur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, VII. Idus Januarii anno VII.

XXIX.

Unit eorum Monasterio Ecclesiam parochialem. Ex lib. I. fol. 282.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Claræ Colimbrien. Ordinis ejusdem &c.

§. I. Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis, quibuslibet personis divinis laudibus deditis, nos esse deceat favorabiles & benignos, mulieribus tamen, quæ sub sacra Religione virtutum Domino famulantur, tanto propensiori nos convenit auxilio subvenire, quanto pro fragilitate sexus fœminei, majoribus dignoscuntur auxiliis indigere.

§. II. Hinc est quod nos vestris, & carissimi in Christo filii nostri Joannis Portugalliæ & Algarbii Regis illustris, nobis super hoc humiliter supplicantis, in hac parte supplicationibus inclinati, ut incumbentia vobis, &

Monasterio vestro onera commodius supportare valeatis, de alicujus subventionis auxilio vobis providere volentes, parochialem Ecclesiam beatæ Mariæ de Penatona, Conimbrien. diœcesis, quæ de jure patronatus ipsius Regis, ut asseritur, fuerat, & nunc ipsius Monasterii existit, cujusque ducentorum prædicto vestro Monasterio, cujus mille librarum Turonen. parvorum fructus, reditus, & proventus, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, incorporamus, annectimus perpetuo, & unimus, ipsumque jus patronatus de ipsius Regis consensu in vos, & dictum Monasterium transferimus, ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Ecclesiæ ad præsens existente, vel eam alias quomodolibet dimittente, liceat vobis, per vos, vel alium, seu alios, corporalem possessionem ipsius Ecclesiæ, propria auctoritate, apprehendere, & in usus vestros, & dicti Monasterii vestri perpetuo retinere, ac ipsius fructus, reditus, & proventus hujusmodi in supportationem prædictorum onerum, & alias in vestram, & dicti Monasterii utilitatem integraliter committere, & etiam deputare, diœcesani loci, & alterius cujuscumque licentia, seu consensu super hoc, minime requisitis, reservata tamen de ipsis fructibus, reditibus & proventibus ipsius Ecclesiæ pro perpetuo Vicario, per vos ad eam, quoties vacaverit, loci Ordinario præsentando, per eumdem Ordinarium in ea perpetuo instituendo, congrua portione, de qua ipse Vicarius commode sustentari, Episcopalia jura solvere, & alia sibi incumbentia onera valeat supportare; non obstantibus quibuscumque Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon privilegiis statutis & consuetudinibus Monasterii, & Ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis in illis partibus, speciales, vel generales Apostolicæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras, & processus habitos per eosdem ad Ecclesiam hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem bonorum aliorum prajudicium generari, & quibuslibet litteris, Indulgentiis, & privilegiis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum haberi debeat in nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Nonis Julii, anno VII.

Anno Christi 1397. Bonifacii IX. anno 8.

XXX.

Ut uniantur duo Monasteria Monialium Assisii. Ex lib. I. ann. 8. fol. 31.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Ad ea, quæ cultum divini nominis, & religiosarum personarum, etiam in sexu fragili virtutum Domino, sub religionis habitu devote famulantium, commoditatem & quietem respiciunt, libenter intendimus, illisque favorem benevolum impertimur.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Conventus sancti Sebastiani de Cameraria, Assisinaten.

ten. diœcesis, & Marinellæ de Assisio Monialis sancti Nicolai de horto extra muros Assisinaten. quod ad præsens Abbatissa caret, Monasteriorum Ordinis sanctæ Claræ petitio continebat, quod olim dicta Monasteria aliquandiu insimul unita fuerunt, sed postmodum quidam Minister provincialis Fratrum Ordinis Minorum, provinciæ sancti Francisci, secundum morem ejusdem Ordinis, Monasteria prædicta ab invicem separavit, & quod sancti Sebastiani Monasterium in Ecclesia muris, & parietibus est totaliter dirutum, ac sancti Nicolai Monasterium, quod etiam tendit ad ruinam, adeo desolatum existit, quod in eo prædicta Monialis sola remansit, & remanet de præsenti, & de ipsorum Monasteriorum reparatione, cum sint extra loca tuta situata, spes verisimilis non habetur, quodque dicta Abbatissa, & Conventus, ac Monialis infra mœnia vestræ civitatis Assisinaten. unum locum ad id congruum & honestum, qui eis tradatur pia largitione fidelium, aut quem alias justo titulo poterunt adipisci, recipere, & in eo unum Monasterium dicti Ordinis, ad quod se transferre, & in quo simul habitare valeant, cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, & aliis necessariis officinis de novo fundare, & construere proponunt. Quare pro parte dictarum Abbatissæ, & Conventus, ac Monialis nobis fuit humiliter supplicatum, ut, ne ipsæ in religionis vilipendium & contemptum mendicare, & per mundum vagari cogantur, Monasteria prædicta insimul in perpetuum unire, annectere, & incorporare, ipsisque alia præmissa faciendi, licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui divinum cultum nostris temporibus augeri, & animarum saluti, ac religionis honestati consulere intentis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, sancti Sebastiani, & sancti Nicolai Monasteria præfata, quorum fructus, reditus, & proventus octoginta florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, insimul in perpetuum unimus, annectimus, & incorporamus. Ita, quod liceat præfatis Abbatissæ, & Conventui, ac Moniali, auctoritate propria, & alicujus super hoc licentia minime requisita, possessionem dictorum Monasteriorum, juriumque, & pertinentiarum earumdem apprehendere, & perpetuo retinere, & nihilominus eisdem Abbatissæ, & Conventui, ac Moniali hujusmodi locum recipiendi, & in eo unum Monasterium cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, & aliis officinis hujusmodi, fundandi, & construendi, ac pro eorum usu, & habitatione perpetuo retinendi, seque ad illud, postquam fundatum & constructum fuerit, totaliter transferendi, & in eo perpetuis futuris temporibus remanendi, jure tamen parochialis Ecclesiæ, & alterius cujuslibet semper salvo, plenam & liberam, auctoritate Apostolica, de speciali gratia, per præsentes licentiam elargimur; proviso quod Ecclesiæ, & cœmeteria hujusmodi antiquorum Monasteriorum ad profanos usus, velut hæreditas minime transferantur, constitutionibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, & Ordinis prædictorum, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c. nostræ unionis, concessionis, & constitutionis infringere &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, XI. Kal. Aprilis, anno VIII.

XXXI.

Ut quatuor Moniales transeant Januam ad aliarum instructionem. Ex lib. 1. fol. 189.

Dilectis in Christo filiabus Joannæ Abbatissæ, & Conventui Monasterii sancti Laurentii Panis-pernæ de Urbe, Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. AD ea, quæ Religionis obſervantiæ propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Catarinæ, quondam Zachariæ de Nigrono, Theodoræ, quondam Joannis de Gentilibus, Blanchinæ, quondam Comadi Grilli, Blanchinæ, quondam Petri de Aurea, & Homellinæ, quondam Baptiſtæ de Lercariis laicorum relictarum viduarum Januen. Nobis expoſito, quod ipſæ, ac etiam nonnullæ aliæ nobiles mulieres Januen. zelo devotionis accenſæ, de propria ſalute recogitantes, & cupientes terrena in cœleſtia, ac tranſitoria in æterna, felici commercio commutare, de bonis eis a Deo collatis, pro ipſarum animarum ſalute, unum Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ, ac ſub regula, & obſervantia Sororum Minoriſſarum, ad honorem Dei, pro uſu & habitatione, uſque ad numerum quinquaginta Monialium ejuſdem Ordinis, quæ ſub perpetua clauſura vivere deberent, in civitate Januen. vel prope illam, fundare & conſtrui facere, ac ſufficienter dotare proponant. Nos venerabili fratri noſtro Epiſcopo Vigintimillien. ejus proprio nomine non expreſſo, noſtris dedimus litteris in mandatis, ut eiſdem viduis & mulieribus fundandi Monaſterium hujuſmodi, & conſtrui faciendi cum Eccleſia, ſeu oratorio, campanili, campana, & dormitorio, refectorio, & cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, domibus, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione prædictis, licentiam, auctoritate noſtra, concederet, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictarum viduarum petitio continebat, ipſæ Monaſterium præfatum, quod pro parte fundatum eſt, ingredi, & inibi regularem profeſſionem emittere proponant, ac vehementer affectent, ut aliquæ Moniales dicti Ordinis, quæ eas, & alias perſonas, quæ Monaſterium ipſum pro tempore ingredientur, in regulari obſervantia inſtruant, ad hujuſmodi Monaſterium transferre ſe poſſint: &, ſicut accepimus, nonnullæ ex Monialibus veſtri Monaſterii, ex prædicta cauſa, ad hujuſmodi novum Monaſterium deſiderent ſe transferre; Nos cupientes ut hujuſmodi viduæ, & mulieres, & perſonæ aliæ, quæ in dicto Monaſterio pro tempore morabuntur, in hujuſmodi obſervantia & diſciplina, aliiſque moribus dicti Ordinis debite inſtruantur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus quatuor ex Monialibus dicti veſtri Monaſterii ad id aptis & voluntariis, de dicto veſtro Monaſterio ad hujuſmodi novum Monaſterium tranſeundi, & illuc ſe transferendi, & regularem profeſſionem emittendi, ac perpetuo remanendi, plenam & liberam ſtudeatis, auctoritate noſtra, licentiam elargiri. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, & veſtri Monaſterii prædictorum, ac aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, III. Nonas Junii anno VIII.

XXXII.

XXXII.

Unit earum Monasterio Ecclesiam parochialem. Ibid. fol. 165.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissae, & Conventui Monasterii Sororum Minorissarum, Ordinis sanctae Clarae, extra Algate Londonien. &c.

§. I. Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis, quibuslibet personis divinis laudibus deditis, nos esse deceat favorabiles & benignos, mulieribus tamen, quae sub sacra Religione virtutum Domino famulantur, tanto propensiori nos convenit auxilio subvenire, quanto pro fragilitate sexus foeminei majoribus dignoscuntur auxiliis indigere. *Pastoralis erga Moniales sollicitudo Pótificia.*

§. II. Hinc est, quod vestris, & carissimi in Christo filii nostri Richardi Regis Angliae illustris, nobis super hoc humiliter supplicantis, in hac parte supplicationibus inclinati, ut incumbentia vobis onera supportare commodius valeatis, de alicujus subventionis auxilio vobis providere volentes, parochialem Ecclesiam de Potton. Linconien. dioecesis, in qua jus patronatus, (ex concessione dilectorum filiorum Prioris, & Conventus domus, seu Prioratus sancti Andreae de Northampton. Cluniacensis Ordinis, dictae dioecesis, ad quos ipsum jus patronatus ipsius Ecclesiae tunc, ut asseritur, pertinebat, vobis, ut asseritis, facta, quam ratam & gratam habemus, & eam, ac quaecumque inde sequuta, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem) obtinetis, cujusque septuaginta praedicto vestro Monasterio cujus centum & triginta Marcharum Sterlingorum fructus, reditus, & proventus secundum communem existimationem, valorem annuum, ut asseritis, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, eadem auctoritate, tenore praesentium, incorporamus, annectimus, & perpetuo unimus, ita quod cedente, vel decedente Rectore dictae Ecclesiae ad praesens existente, vel eam alias quomodolibet dimittente, liceat vobis, per vos, vel alium, seu alios corporalem possessionem ipsius Ecclesiae, propria auctoritate apprehendere, & in usus vestros, & dicti Monasterii perpetuo retinere, ac ipsius fructus, reditus, & proventus hujusmodi in supportationem onerum praedictorum, & alias in vestram, & dicti Monasterii utilitatem, integraliter convertere, ac etiam deputare, dioecesani loci, & cujuscumque alterius licentia, seu consensu super hoc minime requisitis, reservata tamen de ipsis fructibus, reditibus, & proventibus ipsius Ecclesiae pro perpetuo Vicario in ea perpetuo instituendo, congrua portione, de qua ipse Vicarius commode sustentari; Episcopalia jura solvere, & alia sibi incumbentia onera valeat supportare. *Annuit Monialium, & Regis Angliae supplicationibus.* *Unio Ecclesiarũ cum quibusdam clausulis.*

§. III. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon privilegiis, statutis, & consuetudinibus Monasterii, Prioratus, & Ordinum praedictorum contrariis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales Apostolicae Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras, & processus habitos per easdem, ad parochialem Ecclesiam hujusmodi volumus non extendi: sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praejudicium generari, & quibuslibet litteris, Indulgentiis, & privi- *Alia in contrarium edita non obstare declaratur.*

vilegiis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumcumque totis tenoribus, ac de verbo ad verbum haberi debeat in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nos enim ex tunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Non. Julii anno VIII.

XXXIII.

Ut liberent Fratres a variis moleſtiis. Ibid. fol. 2.

Venerabilibus Fratribus Caminen. & Zwernien. ac Razeburgen. Epiſcopis.

Rectorum ſecularium quidā in Fratres falsā doctrinam prædicant.

§. I. EXhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri, & Cuſtodum, Guardianorum, Terminariorum Fratrum Ordinis Minorum provinciæ Saxoniæ, ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod nonnulli plebani, Rectores Eccleſiarum, eorumque Capellani dictæ provinciæ, quandoque palam prædicant, & etiam ad partem in privatis colloquiis ſuggerunt, quod dicti Fratres quandocumque per Superiores ſunt electi, & Ordinariis locorum poſt electionem præſentati, non poſſunt infra limina, ſeu extra, in vita, & mortis articulo ſine parochialium ſacerdotum licentia, libere & licite audire confeſſiones, abſolvere pœnitentes, & iiſdem pœnitentias injungere ſalutares.

Aliaque eis gravamina inferunt.

§. II. Nonnulli etiam dictos Fratres dudum præſentatos, & ſemel admiſſos gravant laboribus & expenſis, quoties voluerint, amovent eos, & ad Diœceſanos mittunt pro litteris afferendis ad officium antedictum. Nonnulli etiam ex eiſdem plebanis, Rectoribus, ac eorum Capellanis publice prohibent Fratres terminarios, ne in vita, & mortis articulo audiant confeſſiones ſibi confiteri volentium, dicentes ſe adjutorio non indigere eorumdem, ſed per ſe ſufficere ad dictum officium exercendum, & ſi parochiani ipſorum dictis Fratribus confeſſi fuerint, & per eos abſoluti exiſtant, juxta formam Eccleſiæ conſuetam, eos excommunicant, & anathematizant, ac eis infirmis in extremis, & mortis articulo poſitis, denegant Euchariſtiæ Sacramentum. Inſuper ſi contingat eos quandoque Sacramenta confeſſis Fratribus miniſtrare, irreverenter non ſolemnizando exhibent, & ut eo amplius infirmi deſperent, ſymboli propoſitionem cum articulis fidei, ipſis negare non verentur. Quare pro parte dictorum Fratrum fuit humiliter ſupplicatum, ut providere ipſis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur.

Gravati recurrunt ad Apoſtolicam Sedem.

Remedium opportunum præſcribitur.

§. III. Nos igitur attendentes prædicta fore contra conſtitutionem dudum per fel. rec. Clementem IV. prædeceſſorem noſtrum ſuper hoc editam, & cupientes cunctos orthodoxos fidei profeſſores, & viros præſertim Eccleſiaſticos, ſic ad invicem etiam quoad alios converſari, quod ex eorum verbis, ſeu geſtis, nullius offendatur juſtitia, nullumque animarum detrimentum proveniat, nec etiam cuiquam ſcandali materia præparetur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, dicti Ordinis Provinciæ Saxoniæ ſupradictis Fratribus confeſſis, ut præmittitur, eiſdem efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, & facientes conſtitutionem eamdem, quoad omnia ejus capitula, plenarie, prout jacet, firmiter, & inviolabiliter obſervari, non permittatis con-

contra tenorem ip'ius memoratos Fratres, & confessos eisdem infra limina, seu extra, a prædictis plebanis, Rectoribus, & clero, sive aliis molestari, & Sacramenta eisdem confessis in vita, & mortis articulo, quoquomodo denegari, vel eis gravamina per discursus inutiles, & periculosos ad Diœcesanos, aut alias injurias quomodolibet irrogari; sed infirmis confessis Fratribus, uti decet, cum consueta solemnitate reverenter Sacramenta exhiberi, facturi prædictis, & cuilibet prædictorum de illatis, & inferendis vexationibus, molestationibus, & injuriis, ac gravaminibus, contra tenorem eumdem, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii; in aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, justitiæ complementum, ita quod officium, potestas, & jurisdictio vestra ex nunc perpetua censeatur: molestatores, & injuriatores hujusmodi, necnon contradictores & rebelles, quandocumque, & quotiescumque expedierit, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus tam de duabus diætis in Concilio Generali, quam fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quarum prima cavetur, ne quis nisi in certis exceptis casibus extra suam civitatem & diœcesim; secunda vero ne reus alterius diœcesis ultra unam diætam a finibus ejusdem diœcesis ad judicium evocetur, & aliis quibuscumque constitutionibus, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de judicibus delegatis, & Conservatoribus, quam aliis editis, quæ vestræ possent in hac parte jurisdictioni, & potestati ejusdemque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communniter, aut divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, & litteris Apostolicis quibuscumque, & in quacumque verborum forma concessis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, vestræ jurisdictionis, sive potestatis explicatio possit quomodolibet impediri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, ac decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Tenor vero dictæ constitutionis talis est. *Aliis Constitutionibus non obstantibus.*

§. IV. *Clemens Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali Ministro, & Fratribus universis, Ordinis Fratrum Minorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quidam temere sentientes &c.* Vide in Regesto tom. 4. Bullam 5. Clementis IV. *Clementis IV. Constitutio.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum, xv. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri, anno VIII.

XXXIV.

Confirmat, & ampliat Ordinis privilegia. Ibid. fol. 121.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Ministris, ac universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Provisionis nostræ debet provenire præsidium, ut jus suum cuilibet conservetur. Sane pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut privilegium dudum per fel. rec. Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, vobis concessum, quod incipit: *Virtute conspicuos &c.* & incipit vetustate consumi, innovare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, privilegium ipsum, quod

quod in Cancellaria nostra diligenter inspici, & cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, auctoritate Apostolica innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus vobis de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habetis, tantummodo conservari. Tenor vero dicti privilegii talis est.

§. II. *Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Minirtris, ac universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Virtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores &c.* ut in Bulla 98. Alexandri IV. usque ad, *quoad præmissa omnimoda libera facultate. In electionibus quoque Generalis, & Provincialium Ministrorum ipsius Ordinis, Fratribus, qui debent electionem hujusmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus super hoc a jure statutum non currat, nec ipsi in hac parte ullis hujusmodi regulis coarctentur. Custodes vero, & Guardiani, qui secundum statuta ejusdem Ordinis aliter, quam per electionem instituuntur, post institutionem ipsam, seu provisionem de ipsis factam, curam animarum Fratrum sibi subditorum ipsius Ordinis habeant, ipsosque ligare, & solvere possint, iuxta ipsius Ordinis instituta. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundum constitutiones ipsius Ordinis Conventibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cujusdam alterius licentia libere in domibus prædicti Ordinis legere, & docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus, ut Magister solemniter incipere consuevit. Et quia prohibente regula vestra, nulli Fratrum vestrorum est licitum prædicare, nisi a Generali Ministro vestri Ordinis examinatus, & approbatus fuerit, sibique prædicationis officium ab ipso concessum: nos, ut prædictorum Fratrum laboribus, & periculosis evitandis discursibus, animarum salus possit inde facilius provenire, super prohibitione hujusmodi opportunæ provisionis remedium apponentes, ut singuli Provinciales Ministri in suis provinciis cum Diffinitoribus in Provincialibus Capitulis congregatis, Fratres in sacra pagina eruditos examinare, ac approbare, & eis officium prædicationis, Deum habendo præ oculis, committere valeant, sicut ex forma Regulæ Minister poterat generalis, plenam, auctoritate præsentium, concedimus facultatem. Et quia ejusdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis ejusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, & approbatos a vobis Fratres facitis ad Ordines promoveri, liceat vobis ordinandos Fratres ejusdem Ordinis, quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus, communionem, & gratiam Apostolicæ Sedis habentibus, præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos a vobis Fratres, sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni permissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum, ad Ordines promovere. In locis quoque, in quibus degitis, liceat vobis habere oratoria, in quibus cum altari portatili possitis Missarum solemnia, & alia divina officia celebrare, ac etiam Ecclesiastica recipere Sacramenta. Et quia vos patientes extremam pro Christi nomine paupertatem, exhortationis piæ studio, bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc, & etiam quando per ipsos vos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeatis, nisi & id fuerit vobis interdictum. Generalis quoque, & singuli Provinciales Ministri, & eorum Vicarii, ac etiam Custodes in provinciis, & Custodiis sibi commissis, prædictis Fratribus constitutis ibidem, necnon, & Fratribus aliis ejusdem* Or-

Ordinis, interdum ad eos declinantibus undecunque, absolutione & dispensatione indigentibns, sive priusquam intraverint Ordinem, sive post in casibus excesserunt, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrant sententias, a jure, vel a judice generaliter promulgatas, & hujusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati, notam irregularitatis incurrant, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impertiri, nisi adeo gravis, & enormis excessus fuerit, quod sint ad eamdem Sedem merito destinandi. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos, Generalis, & Provinciales Ministri, necnon & vices vestras gerentes, ac etiam Custodes in proprios habueritis confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cum expedit, ut valeant impertiri, juxta formam concessionis super absolutione, & dispensatione Fratrum ejusdem Ordinis superius vobis factæ. Ad hæc volentibus vestro aggregari consortio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis a jure, vel ab homine promulgat is generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium, observata forma canonica, impertiri, ipsosque in Fratres recipere, ac eos qui post assumptum habitum, vel professionem emissam recoluerint se talibus in seculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam vos Generalis, & Provinciales Ministri, ac præfati Custodes, ac vices vestras gerentes, valeatis absolvere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis divina præsumpserint officia celebrare, vel ordines receperint. Ita tamen, quod si aliqui ex hujusmodi eisdem sententiis propter debitum sunt astricti, satisfaciant, ut tenentur. Volumus autem, quod nihil omnino ..... quod hujusmodi volentes vestro aggregari consortio, nisi mox postquam fuerint absoluti, ordinem vestrum intraverint, etiam si super hoc eis indulgentiæ a Prælatis ejusdem Ordinis concedantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos totaliter absolvi contigerit, relabantur. Ceterum vestra discretio caute prævideat, ut Apostolicæ Sedis Legatorum, & Ordinariorum locorum in absolutionibus hujusmodi scandalum evitetur. Porro qnieti vestræ providere volentes, quod per litteras Apostolicæ Sedis, aut Legatorum, seu Delegatorum ipsius conveniri a quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inviti per litteras ipsius Sedis de cetero impetrandas, quodque nullus vestrum correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis officium, Monasteriis, vel Ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium, & denunciationes sententiarum interdicti, vel excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum, illis dumtaxat exceptis, quæ in vestris regula, vel constitutionibus continentur, aut quæ fuerint de mandato Apostolicæ Sedis exceptæ, teneantur per litteras Apostolicas impetratas, vel impetrandas in posterum, nisi hujusmodi Apostolicæ litteræ de hoc indulto, & ordine vestro expressam fecerint mentionem, auctoritate Apostolica, vobis indulgemus. Concedimus etiam, ut ad visitanda aliqna Monasteria Monialium cujuscumque Ordinis, illis exceptis, quæ, sicut præmittitur, in vestris regula, vel constitutionibus continentur, aut quæ fuerint de mandato Apostolicæ Sedis exceptæ, vel ad audiendum confessiones earum, compelli aliquatenus non possitis, aut ad recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executiones, vel alia contingentia causas ipsas, per litteras præfatæ Sedis: in quibus facta vero fuerit de indulgentia hujusmodi mentia specialis, sive per Legatos, vel Delegatos ipsius .... Nullus insuper Archiepiscopus &c. ut in Bulla 98. Alexandri IV. usque ad nullus autem legatus, nisi de latere nostro missus, auctoritate litterarum Sedis Apo-

Apostolicæ, specialem de hoc indulto, & ordine vestro non facientium mentionem. Nullusque Prælatus etiam Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, nec aliqua persona religiosa vel secularis, de Fratribus ejusdem Ordinis, ad sua, seu Ecclesiarum negotia procuranda, vel secum manendum aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis, vel Provincialis Minister ipsorum, tamquam idoneos, & discretos sibi duxerit assignandos, quos etiam subjacere volumus Ordinis disciplinæ. Illos autem ipsius Ordinis Fratres, qui ad prædicandam Crucem, vel inquirendum contra pravitatem hæreticam, seu ad alia hujusmodi negotia sunt, vel fuerint ubicumque a Sede Apostolica deputati, tu fili Generalis Minister, tuique successores removere, seu revocare pænitus, transferre, ipsisque quod supersedeant injungere, aliosque substituere, cum expedire videritis, libere, & licite valeatis, & in eos, si contravenerint, censuram Ecclesiasticam exercere, ac quilibet Minister Provincialis, vel ejus Vicarius ejusdem Ordinis id ipsum in sua præsentia, circa Fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit. Non obstantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis Apostolicis impetratis, vel etiam in posterum impetrandis, quæ de hoc indulto non fecerint mentionem. Inhibemus quoque, ne quis post professionem in Ordine vestro factam, sine Generalis, vel sui Provincialis licentia, discedat ab ipso, discedentem vero absque cautione litterarum alterius ipsorum, prætextu privilegii alicujus Apostolicæ Sedis, nullus audeat retinere: quodsi forte retinere præsumpserit, vobis Generalis, & Provinciales Ministri dumtaxat, & vestris, seu Provinciarum Vicariis licitum sit in ipsos discedentes Fratres excommunicationis sententiam promulgare; detinentes vero eosdem secum, vel in Monasteriis, aut Ecclesiis suis, nisi eos rejecerint, postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententiæ volumus subjacere. Non obstant. quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Si vero aliqui de Fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiam a Sede prædicta, aut a vobis ad Religionem aliam transeundi, infra duos, vel tres menses ad illam Religionem suæ saluti congruam se non contulerint, & ipsius Religionis habitum regularem non susceperint, licitum sit vobis, Generalis, & Provinciales Ministri, ac vices vestras gerentibus, contra ipsos tamquam contra alios Ordinis vestri Apostatas procedere, secundum quod honestati ipsius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptum habitum alterius Religionis infra tempus probationis, nulla professione facta, inde præsumpserint resilire, aut etiam si post professionem hujusmodi ad Religionem laxiorem, seu minorem Ordinem transiverint, vel, quod absit, ad seculum revertantur, volumus vos contra ipsos rigorem vestri Ordinis exercere. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias subdere disciplinæ rigori possitis per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu eos contigerit inveniri, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Inhibemus etiam, ne Fratres, quos ab Ordine vestro pro suis culpis per Generalem, seu Provinciales Ministros, aut Custodes expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, prædicare, confessiones audire, seu docere præsumant, nisi ad alium Ordinem, in quo licite hujusmodi officia exerceantur, transierint, de vestra, vel dictorum Ministrorum licentia speciali. Quod si forte ipsi contra hujusmodi inhibitionem nostram, aliquid super præmissis attentare præsumpserint, Ministri, & Custodes, ac eorum Vicarii in illos, quos infra fines suarum Provinciarum, & Custodiarum, juxta consuetudinem Ordinis vestri, distinctos invenerint talia præsumentes, monitione præmissa, auctoritate nostra,

ex-

excommunicationis sententiam valeant promulgare. Ejectos autem de Ordine vestro, vel egressos, qui receptione in eodem Ordine, suis culpis exigentibus, reddiderint se indignos, & alios Fratres ejusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos, præter quam ad beati Augustini, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, ad vitandam occasionem evagandi, Generalis, vel Provinciales Ministri cum suis testimonialibus litteris, auctoritate nostra, licentiandi, liberam habeant facultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere, seu retinere præsumant, absque licentia speciali Sedis Apostolicæ faciente de hoc plenariam mentionem. Inhibemus etiam, ut nulli, sive sit in Religionis Ordine, sive extra Ordinem constitutus, habitum vestrum, aut ita consimilem, quod propter eum Frater Minor credi possit, deferre liceat absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Et ut dicta inhibitio majorem consequatur effectum, statuimus, ut hi, qui habitum vestrum, vel sibi prædicto modo consimilem deferre præsumpserint, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorum, cum a vobis requisiti fuerint, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur. Ceterum cum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terræ, nihil præter domos, & hortos cum virgultis ad simplicem tantummodo facti usum, præmiorum obtentu cœlestium, duxerit reservandum. Nos pie volentes, quod illorum fructus integre vestræ paupertatis usibus applicetur, ut de dictis hortis, & virgultis nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præsentium, indulgemus, districtius inhibentes, ne quis a vobis de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumat. Quia vero nonnulli vestræ Religionis habitum assumentes, diversis personis, quæ sciri, & inveniri non possunt, aliqua bona interdum restituere tenentur, vobis Ministris & Custodibus, ac Vicariis prædictis concedimus, ut singuli vestrum in locis sibi commissis bona ipsa in pios usus convertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire. Sepulturam quoque in locis, cœmeteriis, & Ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam esse censemus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati illis, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publice usurarii fuerint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumentur, districtius inhibentes, ut nulli Religiosi, vel sæculares vobis invitis aliquorum corpora defunctorum in vestris cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, sine vestro assensu, & voluntate præsumant. Inhibemus insuper universis Fratribus vestri Ordinis, ne aliquis eorum, nisi necessitatis urgente articulo, aliis, quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel aliis ejusdem Ordinis Sacerdotibus, secundum Regulam, & ipsius Ordinis Instituta. Universis autem Ecclesiarum Prælatis, & aliis inhibemus, ne confessiones vestras vobis invitis audire, vel compellere vos ad Synodos, seu convocationes suas accedere, vel cum eis extra Civitates, vel intra processionaliter exire, aut suis constitutionibus subjacere, vel Capitula, & inquisitiones in locis vestris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & manualem obedientiam a Ministris & Custodibus, vel Guardianis vestris exigere, aut de ipsorum institutione & destitutione, sive de statutis vestri Ordinis, se aliquatenus intromittere, sea prohibere, ne ad Civitates, vel villas ubi religiose, & honeste commorari possitis, a populo evocati audeatis accedere, ibique pro vestris usibus construere ædificia, Ecclesias, seu oratoria, aut in accedentes Fratres, seu constituentes hujusmodi, vel receptatores ipsorum, excommunicationis sententias perferre præsumant. Concedimus quoque vo-

vobis, ut de iis, quæ in ornamentis, vel pro his, aut libris, fabrica, aut luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo, sive aliis ad perpetuum cultum divinum, sen pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solationem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur, vel de domibus, prædiis, & hortis, aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, ac de his quæ pro hujusmodi domibus, prædiis, hortis, & locis emendis, vobis legantur, dummodo præmissa non convertantur in usus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione, vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis a vobis, & ultimarum executoribus voluntatum, seu decedentium heredibus, de præmissis, aut de his, quæ vobis in ultimis voluntatibus absolute legantur, vel alias pro vestris necessitatibus conferuntur, aliquid exigere, vel extorquere præsumat, districtius inhibemus. Ad hæc, liceat Fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferrunt, tam ædificia, seu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt, dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis, libros, & calices, & paramenta secum ad alia loca transferre, ac ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Ecclesias, per personas ad hoc a Sede Apostolica deputatas, vendere, ipsorumque prætium in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres se transferunt, ædificationem, seu alias in eorum utilitatem commutare, secundum quod eis melius videbitur expedire, cum ipsa priora, & alia loca Fratrum ad nos, & Apostolicam Sedem specialiter, & immediate pertinere noscantur. Et ne aliqui Archiepiscopi, vel Episcopi, vel alii Ecclesiarum Prælati, seu quævis alia persona Ecclesiastica, seu secularis prædicta loca, seu bona occupare, vel usurpare, aut quoquomodo sibi vendicare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali, districtius inhibemus. Indulgemus vobis, ne ad præstationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nunciorum ipsius, seu Diœcesanorum locorum, aut exactionum, & collectarum, seu subsidiorum, vel provisionum quorumcumque minime teneamini, nec ad ea solvenda per litteras dictæ Sedis, aut Legatorum, vel Nunciorum, seu ejusdem Rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ impetratas, seu etiam in posterum impetrandas, cujuscumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam, & expressam de hujusmodi indulto, & dicto Ordine fecerint mentionem. Ceterum cum fel. record. Innocentius Papa IV. prædecessor noster olim duxerit statuendum, ut exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus authentici, de quo contra ipsos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc, suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere. Nos vobis, ut occasione constitutionis hujusmodi nullum libertatibus, & immunitatibus vobis, & Ordini vestro per privilegia, & indulgentias ab Apostolica Sede concessis, & in posterum concedendis, præjudicium generetur, aactoritate præsentium, indulgemus; decernentes vos, seu personas vestri Ordinis in prædictis casibus Ordinariis ipsis minime subjacere. Decernimus ergo irritum, & inane quidquid contra tenorem concessionum, constitutionum, & inhibitionum hujusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem, in vos, vel vestrum aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros, vel executores, aut heredes prædictos in posterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo &c. nostræ concessionis, constitutionis, & inhibitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum III. *Idus Novembris, anno* 1.

Nul-

Nulli ergo &c. nostræ innovationis, communitionis, & voluntatis infringere. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Kalendis Decembris anno VIII.

XXXV.

Ut Fratrum privilegiis uti possit, etiam in statu Pontificio. Ex lib. 2. an. 9. fol. 241.

Venerabili fratri Joanni Episcopo Caffen.

§. I. PErsonam tuam nobis, & Apostolicæ Sedi devotam, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, per quæ inter Christifideles salutis fructus crescat, ac etiam, quæ tuæ commoditati fore conspicimus opportuna.

§. II. Tuis igitur supplicationibus inclinati, tibi, qui Ordinis Fratrum Minorum professor existis, ut in civitate Caffen. in partibus Tartarorum, verbum Dei coram populo, ac confessiones Christifidelium tibi confiteri volentium audire, & eis pro suis peccatis, quæ tibi confitebuntur, salutarem pœnitentiam injungere valeas, ut Fratres dicti Ordinis possunt, & in illis partibus injungere consueverunt, quodque etiam tu quibuscumque privilegiis, quibus Fratres hujusmodi Ordinis illarum partium utuntur, & gaudent, uti, & gaudere possis, ac si Pontificali dignitate minime præditus existeres, constitutionibus Apostolicis, & aliis quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis infringere &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno IX.

XXXVI.

Præficitur Ecclesiæ Clonferten. Ex lib. 1. anni 9. fol. 285.

Dilecto filio David Corre Electo Clonferten. salutem &c.

ADDITIO ALIORUM.

„ APostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini præsidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, solliciti reddimur, & solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem Dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint, & valeant, Duce Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum siquidem Nos venerabilem fratrem Willelmum olim Archiepiscopum Tuanen. a vinculo, quo Ecclesiæ Tuanen. cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Ecclesiam Clonferten. tunc vacantem duximus, auctoritate Apostolica transferendum, præficiendo ipsum eidem Clonferten. Ecclesiæ in Episcopum, & Pastorem. Cum autem postmodum idem Willelmus Episcopus super hujusmodi translatione, & præfatione, ut præfertur, de ipso per nos factas litteras Apostolicas intra tempus debitum, juxta quamdam ordinationem per nos factam, facere confici non cu-

" curavit; & propterea secundum eamdem ordinationem ipsa Ecclesia
" Clonserten. adhuc vacare noscatur, nos ad provisionem ejusdem Eccle-
" siæ Clonserten. celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice
" se intromittere potuit, neque potest, pro eo quod diu ante vacationem
" hujusmodi dictæ Clonserten. Ecclesiæ, provisiones omnium Ecclesiarum
" Cathedralium tunc vacantium, & in posterum vacaturarum per transla-
" tiones per nos in posterum faciendas de Prælatis earum ubilibet constitu-
" tis ad Ecclesias tunc vacantes, & antea vacaturas, ordinationi, & dispo-
" sitioni nostræ duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum, & ina-
" ne, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate scienter, vel
" ignoranter contingeret attentari: & ad provisionem ipsius Clonserten.
" Ecclesiæ celerem & felicem, ne longæ vacationis exponeretur incommo-
" modis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem,
" quam de præficiendo eidem Clonserten. Ecclesiæ personam utilem, &
" etiam fructuosam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad
" te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio constitutum,
" de cujus Religionis zelo, litterarum scientia, vitæ munditia, honestate mo-
" rum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, ac aliis
" multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur,
" convertimus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione
" pensatis, de persona tua nobis, & eisdem Fratribus, ob dictorum tuo-
" rum exigentiam meritorum accepta, eidem Clonserten Ecclesiæ de dicto-
" rum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica providemus, te-
" que illi præficimus in Episcopum, & Pastorem, curam & administratio-
" nem ipsius Clonserten. Ecclesiæ tibi in spiritualibus, & temporalibus ple-
" narie committendo, in illo qui dat gratias, & largitur præmia confidentes,
" quod eadem Clonserten. Ecclesia per tuæ circumspectionis industriam,
" & providentiam circumspectam, sub tuo felici regimine, dextera Domini
" tibi assistente propitia, salubriter dirigetur, ac grata in eisdem spirituali-
" bus, & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tuæ per
" Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus
" regiminis dictæ Clonserten. Ecclesiæ suscipias reverenter, sicque te in
" ejus cura salubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam fructuosum
" quod Ecclesia ipsa gubernatori provido, & fructuoso administratori gau-
" deat se commissam, tuque proinde, præter æternæ retributionis præ-
" mium, nostram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde ube-
" rius consequi merearis.

" Datum Romæ apud sanctum Petrum XIII. Kalendas Aprilis, Pontifi-
" catus nostri anno IX.

XXXVII.

Ut mittat reformatores in Provinciam sancti Jacobi. Ex lib. I. fol. 35.

Dilecto filio Ministro Provinciali Provinciæ Angliæ, Ordinis Fratrum Minorum, secundum morem ejusdem Ordinis.

Procemium. §. I. Quamvis, prout ex injuncti nobis pastoralis officii debito tenemur, salutem cunctorum fidelium affectantes, pro ipsorum fidelium statu pacifico & tranquillo conservando, diligenti cura vigilemus; circa illos tamen, qui alios non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare tenentur, reddimur eo amplius solliciti, quo ex ipsorum studio piæ vitæ fidelibus ipsis majores fructus dignoscimus provenire.

§. II.

§. II. Sane nuper ad nostrum pervenit auditum, quod in Provincia sancti Jacobi, Ordinis Fratrum Minorum, secundum morem ejusdem Ordinis, propter nonnullas discordias & controversias inter dilectos filios Ministrum Provincialem, & Fratres dictæ Provinciæ dudum exortas, solita fidelium illarum partium, quam ad dictum Ordinem, ejusque personas gesserunt, tepescit devotio, periculosi errores pullulant, & gravia scandala hactenus sunt exorta, & in futurum verisimiliter exoriri formidantur, in grave animarum periculum, regularis disciplinæ enervationem, ac Ordinis & Provinciæ prædictorum enormem læsionem, & jacturam. Et licet nos dudum postquam præmissa nobis innotuerunt, dilecto filio Henrico Ministro Generali dicti Ordinis nostris dederimus litteris in mandatis, ut dictam controversiam audiret, eamque judicio, vel concordia terminaret; idem tamen Minister Generalis, quamvis hujusmodi litteræ ad ejus indubitatam notitiam pervenerint, id hactenus efficere non curavit, neque curat; immo nonnullas postmodum libertates, & privilegia Fratribus ipsis præjudicialia prædicto Ministro Provinciali duxit concedenda, propter quæ dilecti filii nonnulli Fratres dictæ Provinciæ, & præsertim duarum Custodiarum, videlicet Colimbricen. & Ulisbonen. Ordinis, & Provinciæ prædictorum, Magistri videlicet, ac Baccalauri, & Lectores in sacra pagina, sentientes ab eodem Generali indebite se gravari, tam ab ipsius jurisdictione, quam etiam a nonnullis aliis gravaminibus, ipsis per eosdem Generalem, & Provincialem Ministros illatis, dicuntur ad Sedem Apostolicam appellasse.

Scandala in Provincia S. Jacobi exorta.

Quibus Minister Generalis obviare non curat.

Duo FF. ad Sedem Apostolicã appellant.

§. III. Nos igitur nolentes, prout nec velle debemus, præmissa sub dissimulatione pertransire, discretioni tuæ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus duobus Fratribus dicti Ordinis ad id sufficientibus, & idoneis, ac vita, & moribus approbatis, quos de tua Provincia duxeris eligendos, ut habentes præ oculis solum Deum, tam in capite, quam in membris, omnia, & singula loca ejusdem Ordinis in dicta Provincia sancti Jacobi consistentia, tam Fratrum, quam Monialium Ordinis sanctæ Claræ, sub cura, & secundum instituta Fratrum eorumdem Minorum, eorumque personas visitare, reformare, corrigere, & pacificare, ac in eis quandoque correctionis, & reformationis ministerio cognoverint indigere, necnon contra delinquentes inquirere, ipsosque juxta ipsorum demerita punire, citra tamen privationem, seu revocationem dicti Ministri Provincialis, & nihilominus ea, quæ per eosdem duos Fratres facta, ordinata, diffinita, & sententiata fuerint, quomodolibet, vel peracta, executioni debitæ demandare, eadem auctoritate valeant, atque possint, auctoritate nostra, concedas plenam, & omimodam potestatem.

Ut Reformatores designet facultas conceditur.

§. IV. Contradictores per censuram Ecclesiasticam &c. non obstantibus quibuscumque constitutionibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Ordinum, & locorum hujusmodi contrariis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si eisdem Ordinibus a dicta sit Sede indultum, quod personæ ipsorum Ordinum ad judicium trahi, aut suspendi, seu excommunicari, seu ipsi, aut dictorum Ordinum loca interdici, aut visitari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, tuæ, & dictorum tuorum Fratrum jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quæ quoad hoc, ipsis nolumus aliqualiter suffragari.

Pœnæ in contradicentes.

Datum Romæ apud S. Petrum, Nonis Octobris, Pontific. nostri anno IX.

XXXVIII.

XXXVIII.

Commendatur el Monafterium pingue Benedictinum. Ibid. fol. 278.

Dilecto filio Rofe Stephani de Marchal, Ordinis Fratrum Minorum profeffori, Monafterii fancti Martini de Sacro-monte, Romanæ Ecclefiæ immediate fubjecti, Ordinis fancti Benedicti, Januen. diœcef. in fpiritualibus, & temporalibus Adminiftratori, per Sedem Apoftolicam deputato.

§. I. AD Ecclefiarum, & Monafteriorum omnium, præfertim Romanæ Ecclefiæ immediate fubjectorum, profperum & felicem ftatum utiliter dirigendum, paterna follicitudine vigilantes, eorum profectibus libenter intendimus, & quantum cum Deo poffumus, eorum incommodis obviamus.

§. II. Nuper fiquidem quondam Stephano Abbate Monafterii fancti Martini de Sacro-monte eidem Romanæ Ecclefiæ immediate fubjecti, Ordinis fancti Benedicti regimini ipfius Monafterii præfidente. Nos cupientes eidem Monafterio, cum illud vacare contingeret, utilem & idoneam per Apoftolicæ Sedis providentiam, præfidere perfonam, provifionem ipfius Monafterii ordinationi, & difpofitioni noftræ refervantes, decrevimus ex tunc irritum & inane fi fecus fuper his per quofcumque, quavis auctoritate, fcienter, vel ignoranter contingeret attentari.

§. III. Cum itaque poftmodum præfatum Monafterium per obitum ipfius Stephani Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem claufit extremum, vacaverit, & vacet ad præfens; Nos volentes dicto Monafterio de gubernatore fecundum cor noftrum utili & idoneo, per quem Monafterium ipfum utiliter regi, & falubriter gubernari valeat, providere, ac fperantes quod tu, qui Capellanus cariffimi in Chrifto filii noftri Sigifmundi Regis Hungariæ exiftis, & prout idem Rex etiam nobis fignificare curavit, eidem Monafterio effe poteris admodum utilis, & etiam multipliciter fructuofus, te adminiftratorem ejufdem Monafterii fic vacantis, ac omnium jurium, & pertinentiarum ipfius, ufquæ ad Apoftolicæ Sedis beneplacitum, tam in fpiritualibus, quam in temporalibus, de Fratrum noftrorum confilio, auctoritate Apoftolica, tenore præfentium, conftituimus, ac etiam deputamus, curam, regimen, gubernationem, & adminiftrationem plenam, & liberam ipfius Monafterii tibi in fpiritualibus & temporalibus plenarie committentes, alienatione tamen bonorum immobilium, & pretioforum mobilium ipfius Monafterii tibi penitus interdicta; non obftan. quod Ordinis Fratrum Minorum Profeffor exiftis, ac conftitutionibus Apoftolicis, necnon ftatutis, & confuetudinibus Monafterii, & Ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoftolica, vel quacumque firmitate alia roboratis.

§. IV. Volumus autem, quod cultus divinus, & folitus Monachorum, & miniftrorum numerus in eodem Monafterio fervetur; quodque debitis, & confuetis ipfius Monafterii, & ejus Conventus oneribus fupportatis, de refiduis fructibus & proventibus dicti Monafterii, hujufmodi beneplacito durante, libere & licite difponere, & ordinare valeas, ficut veri Abbates ipfius Monafterii, qui pro tempore fuerunt, de illis difponere & ordinare potuerunt, feu etiam debuerunt. Quocirca difcretioni tuæ per Apoftolica fcripta mandamus, quatenus curam, regimen, gubernationem & adminiftrationem prædicta, hujufmodi beneplacito durante, fic geras follicite, fideliter, & prudenter, quod Monafterium ipfum utili gubernatori gaudeat fe commif-

fum,

sum, tuque præter æternæ retributionis præmium, nostram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, x. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno ix.

Anno Christi 1399. Bonifacii IX. anno 10.

XXXIX.

Ut prope Fesulas domum possint accipere. Ex lib. 3. an. 10. fol. 153.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum, Provinciæ Tusciæ.

§. I. Sacræ Religionis, sub qua devotum, & sedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, in his præsertim, per quæ divinus cultus augeri, vesterque Ordo in Domino feliciter propagari valeat, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane petitio pro vestra, & dilecti filii Guidi Thomæ civis Florentin. parte nobis exhibita continebat, quod ipse Guidus de propria salute recogitans, & cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna, felici commercio commutare, ob Dei reverentiam, & ad honorem beatæ Mariæ Virginis, & sancti Francisci, de bonis sibi a Deo collatis, Ecclesiam sanctæ Mariæ Delfiore, Fesulan. diœcesis, tamen sitam infra territorium Florentin. quæ multipliciter est collapsa, & ad hoc locus congruus, & honestus existit, decenter reparare, & prope ipsam Ecclesiam unam domum cum campanili, campana, cœmeterio, & aliis necessariis officinis de novo construere, ipsamque domum libris, paramentis, sacris vasis, lectisterniis, & aliis requisitis decenter fulcire proponit pro usu, & habitatione perpetuis unius Guardiani, & nonnullorum Fratrum vestri Ordinis, & hoc sine præjudicio Rectoris dictæ Ecclesiæ, si quis est; ita tamen, quod Rectore hujusmodi cedente, vel decedente, vel Ecclesiam ipsam alias quomodolibet dimittente, ipsa Ecclesia ex integro cedat dictæ domui, & de cetero in beneficium Ecclesiasticum nequeat assignari, & etiam ejus possessiones stabiles, si quæ sunt, eidem Ecclesiæ non contiguæ, parochiali, quæ hujusmodi alteri Ecclesiæ magis propinqua fuerit, in perpetuum applicentur. Quare pro vestra, dictique Guidi parte, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi faciendi præmissa, & vobis domum hujusmodi, postquam constructa, ædificata, & fulta fuerit, dictaque Ecclesia reparata, recipiendi, & pro usu, & habitatione vestris perpetuo retinendi licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum nostris temporibus augeri, dictumque Ordinem propagari intensis desideriis affectamus, prædictum laudabile propositum ejusdem Guidi plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfato Guido dictam Ecclesiam reparandi, necnon hujusmodi domum de novo fundandi, & construendi, & hujusmodi requisitis fulciendi, illamque cum campanili, campana, cœmeterio, & aliis officinis supradictis vobis donandi, vobisque domum ipsam cum dictis officinis pro vestris usu,& habitatione perpetuis retinendi, fel.rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente &c. Ceterum Guardiano, & Fratribus ejusdem Ordinis, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, prædicta auctoritate, concedimus, quod omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & indulgentiis uti, & gaudere possint, quibus alii Fratres

dicti Ordinis in aliis eorum domibus commorantes, gaudere &c. quomodolibet potiuntur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, VI. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno X.

Anno Christi 1400. Bonifacii IX. anno 11.

X L.

Ut admittere poſſint domum in diœceſ. Tudertina. Ex lib. 4. fol. 65.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ ſancti Franciſci, ſecundum morem dicti Ordinis.

Præfatio.

§. I. Sacræ Religionis, in qua ſub jugo voluntariæ paupertatis devotum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, in his præſertim, per quæ cultus divini nominis augeatur, & Ordo veſter proſperis ſucceſſibus gratuletur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus.

Commune Tuderti vult Minoritis aſſignare Eccleſiam.

§. II. Dudum ſiquidem pro parte veſtra & dilectorum filiorum Communis Civitatis noſtræ Tudertin. & univerſorum patronorum laicorum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Plano portus, Tudertin. diœceſis, ut aſſerebatur, ſine cura, nobis expoſito, quod Commune, & patroni prædicti pro augmento divini cultus, & ex ſpeciali devotione, quam ad dictam Eccleſiam gerebant, ac pro animarum ſuarum ſalute, cupiebant quod apud Eccleſiam ipſam, quæ omnino tendebat ad ruinam, ejuſque fructus, reditus, & proventus duodecim florenorum auri, ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum, ut aſſerebatur, non excedebant, unus locus ejuſdem Ordinis, cum Eccleſia hujuſmodi, campanili, campana, cœmeterio, & aliis neceſſariis officinis fundaretur, & conſtrueretur, quodque ex poſſeſſionibus ejuſdem Eccleſiæ quoddam beneficium Eccleſiaſticum, ſine cura ſeculari, clerico ſeculari conferendum, & ad præſentationem hujuſmodi patronorum pertinens inſtitueretur, in quo quidem beneficio Epiſcopus Tudertin. pro tempore exiſtens, haberet jus inſtituendi clericum ſecularem, ei pro tempore præſentandum, prout habebat in Eccleſia ſupradicta, quodque Guardianus, & Fratres dicti Ordinis in loco hujuſmodi pro tempore moraturi, ratione ſitus ejuſdem loci, ut præmittitur, conſtruendi, unam libram ceræ ſingulis annis in ſignum recognitionis, & perpetuum cenſum menſæ Epiſcopali Tudertin. ſolvere, & aſſignare proponebant, ac pro parte dilectorum filiorum Miniſtri, & Fratrum, necnon Communis, & patronorum nobis humiliter ſupplicato, ut eis faciendi præmiſſa licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur.

Petitio fit apud Apoſtolicam Sedem.

Priori S. Nicolai demandatur commiſſio.

§. III. Nos dilecto filio Priori ſancti Nicolai Tudertin. ejus proprio nomine non expreſſo, noſtris dedimus litteris in mandatis, quatenus eiſdem Miniſtro, & Fratribus dictæ Provinciæ, ſi ad id diœceſani Epiſcopi voluntas accederet, fundandi, & conſtruendi locum hujuſmodi apud dictam Eccleſiam ad opus, & uſum perpetuum hujuſmodi Fratrum dicti Ordinis, cum Eccleſia prædicta, campanili, campana, cœmeterio, domibus, & aliis neceſſariis officinis, alterius cujuſcumque licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, licentiam largiretur, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

§. IV. Poſtmodum vero, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio

tio continebat, idem Prior vobis, auctoritate litterarum ipsarum, de consensu & voluntate bonæ memoriæ Stephani tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, tunc Administratoris in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ Tudertin. per Sedem Apostolicam deputati, locum hujusmodi fundandi & construendi licentiam concessit, vosque locum, vigore licentiæ, & concessionis hujusmodi alias juxta tenorem dictarum litterarum, cum nonnullorum Christifidelium suffragiis fundastis, & etiam construxistis, ibidemque ex tunc per septem annos, vel circa, Guardianus, & Fratres nonnulli dicti Ordinis moram traxerunt, prout trahunt de præsenti. Construendi Cœnobium licentia conceditur.

§. V. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, eidem Ecclesiæ sanctæ Mariæ cura immineat animarum, licet ultra sex parochianos non habeat, qui a viginti annis elapsis dictam parochiam reliquerunt, nec in illa habitarunt; vosque, propterea quod venerabilis frater noster Antonius Episcopus Tudertin. asserens litteras ipsas subreptitias fore, super fundatione & extructione hujusmodi molestat, seu etiam inquietat, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis super hoc providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Episcopus se opponit.

§. VI. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, volumus, & Apostolica vobis auctoritate concedimus, quod prædictæ litteræ, ac omnia, quæ circa præmissa, earum vigore, gesta sunt, perinde valeant, ac si in eis, quod eidem Ecclesiæ sanctæ Mariæ hujusmodi cura immineret animarum, fuisset expressum, necnon fundationem, & constitutionem hujusmodi, auctoritate prædicta, ratificamus, & etiam approbamus, & nihilominus, ut vos in dicto loco moram pacifice, & quiete trahere, ipsamque Ecclesiam possidere, & iidem parochiani sibi vicinam, vel aliam, quam maluerint, parochiam eligere, cujus parochiani esse perpetuo censeantur, libere & licite valeatis & valeant, vobis, & eisdem parochianis, auctoritate præfata, licentiam elargimur. Et insuper Episcopo præfato, omnibusque aliis, & singulis, cujuscumque status, gradus, conditionis existant, ne vos, præmissorum occasione, de cetero molestare præsumant, in virtute sanctæ obedientiæ, districtius inhibemus. Necnon quoscumque processus & sententias, quos & quas contra vos super præmissis haberi contigerit, seu etiam promulgari, irritos decernimus & inanes. Nulli ergo &c. nostræ voluntatis, concessionis, ratificationis, approbationis, inhibitionis, & constitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Pontifex facultatem plenariam largitur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, v. Idus Februarii, anno XI.

XLI.

Ut accipiant domum in castro Capranicæ. Ibid. fol. 159.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Romanæ, secundum morem dicti Ordinis.

§. I. Piis & honestis supplicum votis, illis præsertim, quæ ad divini cultus augmentum, & sacræ Religionis, sub qua devotum, & sedulum exhibetis Domino famulatum, propagationem cedere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

§. II. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Francisci, & Nicolai Comitum Anguillariæ, nobis nuper exposita continebat, quod licet Ecclesia sancti Laurentii extra muros castri Capranicæ, Sutrin. diœcesis, quod quidem castrum ipsorum Comitum dominio temporali subjectum fore dignoscitur, Collegiata existat, & in ea certus Canonicorum nu- Comitum Anguillariæ petitio.

numerus, & præbendarum distinctio habeatur, tamen Archipresbyter, & Canonici ipsius Ecclesiæ, a longis retroactis temporibus, propter guerrarum turbines, & alias calamitates, quæ in partibus illis, præteritorum temporum causante malitia, diutius viguerunt, in eadem Ecclesia residentiam non fecerunt, prout nec faciunt de præsenti, sed in Ecclesia sancti Joannis infra dictum castrum sita, & ab eadem Ecclesia sancti Laurentii dependente per ipsos Archipresbyterum, & Canonicos divina officia peraguntur.

Ecclesiam sancti Laurentii cupiũt Minoritis assignare.

§. III. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, præfati Comites de propria salute recogitantes, ac cupientes terrena in cœlestia, & transitoria in æterna, felici commercio commutare, ob singularem devotionis affectum, quem gerunt ad beatum Franciscum Confessorem, desiderent Ecclesiam sancti Laurentii prædictam, quæ de jurepatronatus ipsorum Comitum existit, vobis assignare, ac pro usu & habitatione unius Guardiani, & Fratrum vestri Ordinis deputare, ejusque habitationes, & ædificia, quæ pro magna parte diruta existunt, propriis sumptibus, ac etiam hominum dicti castri piis eleemosynis, restaurare proponant, pro parte ipsorum Comitum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis faciendi præmissa, vobisque condendi Ecclesiam sancti Laurentii cum campanili, campana, cœmeterio, claustro, hortalitiis, habitationibus, domibus, & aliis officinis necessariis factis, & fiendis, ac cum territorio sito in ipsius Ecclesiæ sancti Laurentii circuitu, a porta sancti Antonii, usque ad pontem juxta rocham dicti castri existentem, & quibusdam hortalitiis, sementis unius salmæ, vel circa seminis, juxta eamdem Ecclesiam situatis, recipiendi, & retinendi licentiam concedere, dictamque Ecclesiam sancti Joannis in Collegiatam erigere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

Ecclesia S. Joannis in Collegiatam erigitur, & illa S. Laurentii Minoritis conceditur.

§. IV. Nos igitur Comitum eorumdem devotionem, & opera plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatam Ecclesiam sancti Joannis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, in Collegiatam erigimus, ac prædictis Comitibus præmissa faciendi, & adimplendi, vobisque eamdem Ecclesiam sancti Laurentii, cum campanili, campana, cœmeterio, claustro, hortalitiis, domibus, habitationibus, & officinis hujusmodi constructis & construendis, necnon cum territorio supradicto recipiendi, ac pro vestro usu & habitatione perpetuo habendi & retinendi, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri &c. nequaquam obstant. plenam & liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur, jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Volumus insuper, & vobis, de uberioris dono gratiæ, eadem auctoritate, concedimus, quod Guardianus, & Fratres hujusmodi, qui in dictis domibus pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis &c. gaudent, seu quomodolibet potiuntur. Per hoc autem Archipresbytero, & Canonicis hujusmodi, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, nullum volumus præjudicium generari, quin fructus, reditus, proventus, jura, obven. & emolumenta Archipresbyteratus, ac Canonicatuum, & Præben. hujusmodi libere & integre, sicut prius, perpetuis temporibus, percipere valeant & habere. Nulli &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, x. Kal. Novembris, anno xi.

XLII.

XLII.

Ut quatuor admittant loca in finibus Hungariæ. Ex lib. 2. fol. 262.

Dilectis filiis Bartholomæo de Alverna Vicario, & Fratribus Ordinis Minorum professoribus, in Vicaria Bosnæ, secundum morem dicti Ordinis.

§. I. SAcræ vestræ Religionis, sub qua mundanis abjectis illecebris, cum adjectione voluntariæ paupertatis, etiam inter infidelium barbaras nationes verbum Dei, ac Evangelicæ veritatis mysteria, vestris eloquiis, ac prædicationibus, ad lucrifaciendas viventi Deo animas, ut fidei pervigiles, jugiter vigilantes, devotum & sedulum, cum humilitatis spiritu, exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, iis præsertim, quæ divini cultus augmentum, & vestræ Religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, cum propter terribiles impetus, quos illis partibus & aliis effera gens Turcarum, Christiani nominis inimica, præteritis temporibus intulit, & inferre non desinit, vastando loca in divini laudem nominis dedicata, Vicariæ in regionibus illis sint ut plurimum desolatæ, vos desideretis unum in Utila Dalmatiæ, in territorio Ragusinorum, aliud in villa Billich in Hungariæ Provinciis, aliud in Insula, seu territorio Cursulæ, & unum aliud in illa parte, de qua vobis videbitur pro Fratrum dicti Ordinis refugio, & tutela, loca pro usu, & habitatione vestris habere. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis, quod in Provinciis, villis, territoriis, insula, & partibus prædictis hujusmodi quatuor loca in partibus idoneis, & vobis accommodis, pro usu & habitatione vestra, si vobis pia largitione fidelium concedantur, recipere possitis, licentiam concedere dignaremur, de benignitate Apostolica.

§. III. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis dicta quatuor loca in locis ad hoc idoneis, in Provinciis, & territoriis, insula, & partibus supradictis, si vobis, ut supra præfertur, pia largitione fidelium concedantur, vel aliis justis modis poteritis adipisci, pro usu & habitatione vestris, libere recipiendi, & licite retinendi, ac in ipsis locis Ecclesias, seu oratoria cum campanilibus, campanis, cœmeteriis, domibus, hortalitiis, & aliis necessariis officinis, juxta morem dicti Ordinis ædificandi, & construendi, ac in eis perpetuo commoradi, jure tamen parochialium Ecclesiarum, & quorumcumque aliorum in omnibus semper salvis; fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri inhibente &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, IV. Kalen. Novembris anno XI.

XLIII.

Ut accipiant domum in urbe Cotroni. Ex lib. 5. an. 11. fol. 179.

Dilecto filio Ordinis Fratrum Minorum professori in Provincia Bosnæ, secundum morem dicti Ordinis, Vicario.

§. I. PIa mater fidelium &c. præsertim concernentia Religionis divinique cultus augmentum, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illaque favoribus prosequimur opportunis.

§. II. Sane dilecti filii nobilis viri Nicolai Ruffi de Calabria, Comitis Ca-

Catanzari, petitio nobis nuper exhibita continebat, quod ipse ad laudem, & honorem beatarum Margaritæ, & Birgittæ, pro animæ suæ salute, in pertinentiis Civitatis Cotron. intra muros, de Apostolicæ Sedis licentia, quemdam locum cum Ecclesia, & aliis necessariis officinis adjacentibus, sub vocabulo earumdem Beatarum, ut ibidem habitare, & commorari possint Fratres Ordinis tui, construi facere proponit, prout sibi Dominus ministrabit, in quo devotos, & idoneos Fratres ejusdem Ordinis, per te, vel successores tuos Vicarios in Provincia Bosnæ, secundum morem dicti Ordinis pro tempore existentes, desiderat pro ejus regimine, & gubernatione deputari, & quod hujusmodi Fratres atque locus, post dilectum filium Generalem Ministrum ejusdem Ordinis, etiam pro tempore existentem, sub tui, & hujusmodi Sociorum tuorum cura regantur. Quare pro dicti Marchionis parte nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi, & successoribus prædictis, aliquos Fratres dicti Ordinis, prædictæ tuæ Vicariæ in construendo loco hujusmodi, pro ejus gubernatione, & regimine deputandi, & loco illorum alios Fratres, de quibuscumque Conventibus ipsius Ordinis, quos tu, & successores tui hujusmodi, aut a se, seu dictis successoribus ad hoc deputandi, duxeritis eligendos, qui tecum, & cum dictis successoribus tuis ad hoc deputandis, ad prædictum hujusmodi Vicariatum transire voluerint, in dicto Vicariatu, absque suorum Superiorum licentia petita, vel obtenta, libere recipiendi licentiam largiri, & alias super præmissis de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujusmodi pium propositum prædicti Marchionis plurimum in Domino commendantes, ac volentes illud favoribus Apostolicis confovere, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, & eisdem successoribus præmissa faciendi, quibuscumque privilegiis, indulgentiis prædicto Ordini, seu ejus Fratribus a Sede prædicta concessis, necnon statutis, & consuetudinibus ejusdem Ordinis nequaquam obstantibus, jure tamen dicti Ministri in omnibus semper salvo, plenam, & liberam concedimus, tenore præsentium, facultatem, tibi & eisdem successoribus, de uberioris dono gratiæ, concedentes, quod hujusmodi locus, & Fratres per te, & successores tuos hujusmodi ipsi loco deputandi, ut præfertur, post dictum Generalem Ministrum dicti Ordinis pro tempore existentem, sub tui, & successorum tuorum cura regantur, & etiam conserventur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis infringere &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Kalend. Novembris anno xi.

Anno Christi 1401. Bonifacii IX. anno 12.

XLIV.

Multa statuit circa Tertiarios, diœcesis Trajecten. Reg. Vatic. lib. 5. an. 12. fol. 107.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. His, quæ divini cultus augmentum, & sacræ Religionis propagationem conspiciunt, libenter intendimus, illaque favoribus prosequimur opportunis.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum in Christo filiorum Fratrum, & dilectarum in Christo filiarum Sororum Ordinis sancti Francisci *de Pœnitentia* nuncupati, in civitate & diœcesi Trajecten. in communi vita degentium, petitio continebat, quod propter morum, perso-

ſonarumque ejuſdem Ordinis deformitatem, diverſa diverſis temporibus pericula, & ſcandala ſunt exorta.

§. III. Cupientes igitur eiſdem ſcandalis & periculis obviare, noſtrum duxerunt ſuper hoc conſilium, & patrocinium humiliter implorare.

§. IV. Nos vero conſiderantes, quod morum uniformitas pacem & concordiam foveat, & etiam repræſentet, devotis ipſorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut Miniſtri Fratrum & Sororum hujuſmodi pro tempore aliquem ex ſupraſcriptis ad certum tempus in ſuum poſſint eligere Superiorem, qui cum perſonis, quas ſingulæ domus ad hoc deputaverint, ſingulis annis Capitulum celebret generale, cum plenaria poteſtate ſtatuendi, corrigendi & reformandi, quæ ſecundum Deum, pro conſervatione Religionis hujuſmodi viderit expedire, nullum tamen ex ipſis Miniſtris, Fratribus & Superioribus, ſi contra ordinationem dicti Capituli egerunt, ad culpam obligari volumus, ſed ad pœnam, & ut quælibet perſona dicti Ordinis ad manus ſui Miniſtri, cum aliis obſervantiis Ordinis etiam ſolemne votum perpetuæ continentiæ, ſi velit, emittere valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, indulgemus.

§. V. Verum cum Regula dicti Ordinis abdicationem proprietatis non contineat, quod quilibet Clericus hujus Ordinis, dictæ diœceſis beneficium Eccleſiaſticum, ſine cura etiam conſuetum ab olim Clericis ſecularibus aſſignari, cujus fructus quatuor marcharum argenti, ſecundum &c. non excedunt, obtinere & aſſequi, ac eidem deſervire valeat, dummodo ejus Prælato, vel Superiori loci, ubi hujuſmodi beneficium conſiſtit, obediat, præſentibus indulgemus.

§. VI. Ceterum cum perſonis dicti Ordinis alias meminimus, auctoritate Apoſtolica conceſſiſſe, quod unum alicujus approbatæ Religionis profeſſorem, in eorum Viſitatorem, & informatorem eligere valeant, prout in aliis noſtris litteris ſuperinde confectis plenius continetur, illud etiam ad Sacerdotes unius Religionis profeſſores, alias tamen ad hoc ſufficientes & idoneos, auctoritate Apoſtolica, extendi volumus, & extendimus per præſentes: conſtitutionibus & ordinationibus &c. Quocirca venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Trajecten. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſos Fratres & Sorores de dicto Ordine, pro conſequendo effectu, ſolerti cura confovere ſtudeat, nec ipſos in præmiſſis quomodolibet moleſtari permittat: moleſtatores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, xv. Kal. Februarii, anno xii.

XLV.

Ut permittant cohabitare ſecum Guillelmum, Epiſcopum Petragoricenſem. Ibidem lib. 4. anni 12. fol. 132.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Ordinis Fratrum Minorum Burdegalen.

Licet nos nuper de perſona dilecti filii Guillelmi Fabri Electi Petragoricen. veſtri Ordinis & Conventualis veſtræ domus, Magiſtri in Theologia, nobis & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, Eccleſiæ Petragoricen. tunc vacanti, de ipſorum Fratrum conſilio, duxerimus, auctoritate Apoſtolica, providendum, præficiendo ipſum eidem Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris in-

inde confectis litteris plenius continetur: tamen volumus, & dicto Guillelmo Electo concedimus, præſentium tenore, quod, donec poſſeſſionem adminiſtrationis bonorum, aut majoris partis dictæ Eccleſiæ fuerit aſſecutus, pacifice poſſit una vobiſcum, in dicta domo commorari, in camera ejus ſolita, vel alia, ſecundum temporalis dignitatis decentiam, & cum uno Fratre dicti Ordinis, quem ad hoc duxerit eligendum &c. non obſtantibus quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, VIII. Kal. Februarii, anno XII.

XLVI.

Conſtituit Conſervatores, & Protectores Minorum in regno Boemiæ. Ibidem lib. 2. fol. 69.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Pragen. & Tracomen. & Olomucen. Epiſcopis.

Eccleſiarum Rectores falſa contra Fratres prædicant.

§. I. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Miniſtri, Cuſtodum, & Guardianorum, locorum & terminariorum Fratrum Ordinis Minorum, provinciæ Boemiæ & Poloniæ, ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod nonnulli Plebani, Rectores Eccleſiarum parochialium, eorumque Capellani dictæ provinciæ quandoque palam prædicant, & etiam in privatis colloquiis ad partem ſuggerunt, quod dicti Fratres, quantumcumque per Superiores ſuos ſint electi, & Ordinariis locorum poſt electionem eorum præſentati, non poſſint infra limina, ſeu extra, in vita, & mortis articulo, ſine parochialium Sacerdotum licentia, libere & licite audire confeſſiones, abſolvere pœnitentes, & eiſdem pœnitentias injungere ſalutares.

Eoſque laboribus gravant, aliiſque moleſtiis.

§. II. Nonnulli etiam dictos Fratres dudum præſentatos, & ſemel admiſſos gravant laboribus, & expenſis, quoties voluerint, amovent eos, & ad Diœceſanos mittunt pro litteris afferendis ad effectum antedictum. Nonnulli etiam ex eiſdem Plebanis, Rectoribus, ac eorum Capellanis publice prohibent Fratres, Miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos, Lectores, necnon terminarios prædictos, ne in vita & mortis articulo audiant confeſſiones ſibi confiteri volentium, dicentes ſe adiutorio non indigere eorumdem, ſed per ſe ſufficere ad dictum officium exercendum. Et ſi parochiani eorum dictis Fratribus confeſſi fuerint, & per eos abſoluti exiſtant, juxta formam Eccleſiæ conſuetam, eos excommunicant, & anathematizant, ac eis infirmis, & in extremis, & mortis articulo poſitis denegant Euchariſtiæ Sacramenta: aliquando vero confeſſis Fratribus irreverenter non ſolemnizando exhibent: ac ut eo amplius infirmi deſperent, ſymboli propoſitionem cum articulis fidei ipſis negare non verentur. Quare pro parte dictorum Fratrum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ipſis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur.

§. III. Nos igitur attendentes præmiſſa fore contra conſtitutionem dudum per fel. rec. Clementem Papam IV. prædeceſſorem noſtrum ſuper hoc editam, & cupientes cunctos orthodoxæ fidei profeſſores, viros præſertim Eccleſiaſticos, ſic ad invicem, etiam quoad alios converſari, quod ex eorum verbis, ſive geſtis, nullius offendatur juſtitia, nullumque animarum detrimentum proveniat, nec etiam cuiquam ſcandali materia præparetur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, dicti Ordinis provinciæ Boemiæ, ſu-

Conſervatores eliguntur & de remedio providetur.

pra-

prædictis Fratribus confessis, ut præmittitur, eisdem efficacis defensionis præsidio assistentes, ac facientes Constitutionem eamdem, quoad omnia ejus capitula plenarie, prout jacet, firmiter & inviolabiliter observari, non permittatis contra tenorem ipsius, memoratos Fratres & confessos eisdem infra limina, seu extra, a prædictis Plebanis, Rectoribus Ecclesiarum, & Clero, sive aliis molestari, & Sacramenta eisdem confessis in vita, & mortis articulo quoquo modo denegari, vel eis gravamina per discursus inutiles & periculosos ad Diœcesanos pro hujusmodi litteris, aut alias injurias quomodolibet irrogari; sed infirmis confessis Fratribus, uti decet, cum solemnitate consueta reverenter Sacramenta exhiberi, facturi prædictis, & cuilibet prædictorum de illatis, & inferendis vexationibus, molestationibus, & injuriis, ac gravaminibus contra tenorem eumdem, in illis, videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, justitiæ complementum: ita quod officium præsens, & jurisdictio vestra ex nunc perpetuata censeantur: molestatores & injuriatores hujusmodi, necnon contradictores & rebelles, quandocumque, & quotiescumque expedierit, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

§. IV. Non obstantibus constitutionibus tam de duabus dietis in Concilio generali, quam piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, quarum prima cavetur, ne quis, nisi in certis exceptis casibus, extra suam civitatem & diœcesim; secunda vero, ne reus alterius diœcesis ultra unam dietam a fine diœcesis ejusdem ad judicium evocetur, & aliis quibuscumque constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conservatoribus, quam aliis editis, quæ jure possent in hac parte jurisdictioni, & potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare &c. Tenor vero dictæ Constitutionis talis est: *Clemens Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali Ministro, & Fratribus universis Ordinis Fratrum Minorum &c. Quidam temere sentientes &c. ut in Regesto Clementis IV. Bull. 5. Datum Perusii, XII. Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno I.* Aliis Constitutionibus non obstantibus. *Vide Regest. tomi 4. fol. 531.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum, IX. Kalendas Martii anno XII.

XLVII.

Instituitur Inquisitor per triennium in Tuscia. Ibidem fol. 112.

Dilecto filio Michaeli Bonacursi de Figbino, Ordinis Fratrum Minorum Professori, in sacra Theologia Magistro, ac in provincia Tusciæ hæreticæ pravitatis Inquisitori.

§. I. Licet ubilibet Apostolicæ Sedis diligentia circumspecta adversus hæreticæ pravitatis labe respersos, quorum nequitia serpit ut cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundant, remedium libenter adhibeat opportunum; in provincia tamen Tusciæ, ad quam, & incolas ejus affectum gerimus specialem, præcipue cupimus, ut negotia fidei jugi profectu, elisis omnino & eradicatis erroribus, prosperentur, fidesque Catholica fortius invalescat.

§. II. Affectantes itaque ad hujusmodi negotium fidei ibidem efficaciter promovendum, talem deputare personam, cujus honesta conversatio exemplar tribuat puritatis, ejusque labia eructent doctrinam sapientiæ salutaris, ut ejus ministerio omninò fermentum exinde labis expurgetur hujusmodi. Tamdem ad personam tuam, quam religionis zelo, sinceritate fidei,

fidei, maturitate morum, litterarum ſcientia, & multarum aliarum virtutum donis earum largitor Dominus inſignivit, dirigentes intuitum noſtræ mentis, te, qui hujuſmodi officio hactenus pro certo tempore præfuiſti, prout præes etiam de præſenti, & in ipſo tam fideliter, quam laudabiliter exercuiſti totius diligentiæ tuæ curas, ſicut fide dignorum teſtimonio clare cognovimus, & propterea ad hujuſmodi officium ſufficientem & idoneum non immerito reputantes, uſque ad triennium a die, qua ipſum offici um juxta ordinationem electionis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, VII. Idus Aprilis, anno XII.

XLVIII.

Inſtituitur Provinciæ ſancti Franciſci Miniſter. Ibid. fol. 33.

Dilecto filio Nicolao Ricoli de Peruſio, Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori, in ſacra pagina Magiſtro, Provinciæ ſancti Franciſci, ſecundum morem ipſius Ordinis, Provinciali Miniſtro.

§. I. TRaditæ tibi a Domino virtutes, ex quibus laudabilium fructus operum producuntur, nobis præbent fiduciam, quod ea, quæ tuæ ſollicitudini duxerimus committenda, diſcrete tractentur, agantur utiliter, & fideliter proſperentur.

§. II. Hinc eſt, quod nos ex certis cauſis animum noſtrum moventibus, & ex certa ſcientia, quemcumque alium Provincialem Miniſtrum Ordinis, & provinciæ prædictorum, per nos, ſeu auctoritate noſtra, ſeu alia quacumque, hactenus quomodolibet factum, conſtitutum, ſeu deputatum, a regimine, adminiſtratione, & cura dicti officii, & ab ipſo, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, protinus & realiter amoventes, ſibique ſuper regimine & exercitio dicti officii ſilentium imponentes, te provinciæ ſancti Franciſci, ſecundum morem Ordinis Fratrum Minorum, cujus profeſſor exiſtis, Provincialem Miniſtrum, uſque ad noſtrum beneplacitum, auctoritate prædicta, tenore præſentium, facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, tibi omnia & ſingula gerendi, exercendi, proſequendi, exequendi, & faciendi, quæ ad Provincialatus dictæ provinciæ ſpectant officium, & quæ Provinciales Miniſtri ejuſdem provinciæ, qui fuerunt pro tempore, facere potuerunt, ſeu etiam debuerunt, auctoritate prædicta, facultatem plenam & liberam concedentes, ac mandantes univerſis & ſingulis, quorum intereſt, ut tibi in his, quæ ad hujuſmodi Provincialatus ſpectant officium, plene pareant & intendant: alioquin ſententias, ſive pœnas, quas rite tuleris in rebelles, ratas habebimus, atque gratas, ac faciemus, auctore Domino, inviolabiliter obſervari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Nonas Decembris, anno XII.

XLIX.

XLIX.

Ut possint ædificare Conventum Fratrum Minorum. Ibid. lib. I. ann. 13. fol. 5.

Dilectis in Christo filiabus Claræ Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Mariæ Nonen. Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. SAcræ Religionis, sub qua &c. in his præsertim, quæ divini cultus augmentum respiciunt, favorabiliter annuamus. Sane petitio vestra nobis nuper exhibita continebat, quod vos, dum confiteri peccata vestra cupitis, caretis multoties idoneo Confessore, & ideo de bonis a vobis pia largitione fidelium acquisitis, & etiam acquirendis intra mœnia civitatis Nonen. unam domum, cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis necessariis officinis pro uno Guardiano, & aliquibus Fratribus Ordinis Minorum ibidem pro tempore moraturis construere, & ædificare proponitis, ut dictis Fratribus, cum vobis expediet, possitis peccata vestra habilius, & magis congrue confiteri. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis faciendi præmissa, & domum hujusmodi recipiendi pro usu & habitatione prædictis licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur. *Vide in Regesto Tomi 8. Constit. 49. Innoc. VI.*

§. II. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis in civitate prædicta, in loco tamen ad id congruo & honesto, domum hujusmodi cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, dormitorio, refectorio, & aliis hujusmodi officinis, pro Guardiano, & aliquibus Fratribus prædictis, ibidem, ut præfertur, Altissimo servituris, construendi, & ædificandi, & pro usu & habitatione hujusmodi recipi faciendi: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur; jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius semper salvo. Et insuper Guardiano, & Fratribus ibidem moraturis, de uberioris dono gratiæ concedimus, quod omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus gaudeant & fruantur, quibus alii Fratres dicti Ordinis in aliis domibus ejusdem Ordinis commorantes gaudent, seu quomodolibet potiuntur. Volumus autem, quod Monasterium & domus hujusmodi, ac Fratres ibidem commorantes subsint, & in omnibus penitus obedire teneantur Vicario Bosnen. dicti Ordinis secundum institutionem Ordinis antedicti. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Idus Decembris, anno XIII.

L.

Ut permittant Minoribus mendicare. Ibidem fol. 36.

Venerabilibus Fratribus Signin. & Corbaren. Episcopis.

§. I. DIgnum est, ut qui non solum sua, verum etiam semetipsos salubriter abnegantes, carnem suam pugnando cum meris jejuniis & abstinentiis crucifigunt, in claustris se claudendo, ut eorum victum a Christifidelibus mendicando procurent, gratis attollantur favoribus, & congruis præsidiis muniantur, ut eo devotius, quo quietius virtutum Domino famulentur.

§. II. Sane nuper pro parte dilectorum filiorum Guardianorum, & Conventuum domorum sancti Francisci Signin. & de Modustria Corba-

 ren.

rcn. diœcefum Ordinis Minorum petitio nobis exhibita continebat, quod, licet eis tam per indulta Apoftolica, quam per ipforum Ordinis inftituta diutius pacifice obfervata, permiffum fuerit, & quietiffime obfervatum, quod dicti Ordinis Fratres, & Converfi libere, & licite poffint, & valeant ubilibet a Chriftifidelibus eleemofynas, & pia fuffragia pro eorum fuftentatione & victu quærere mendicando: tamen vos Fratribus dictarum domorum contradicitis, opponitis, inhibetis, & etiam repugnatis, quatenus in civitatibus, & diœcefibus veftris a Chriftifidelibus commorantibus in eifdem, hujufmodi eleemofynas, & fuffragia querant, ex quibus fe valeant fuftentare, & pacis famulari Auctori. Quare pro parte dictorum Guardianorum, & Conventuum nobis fuit humiliter fupplicatum, ut eifdem fuper hoc providere falubriter, de benignitate Apoftolica dignaremur.

§. III. Nos autem hujufmodi fupplicationibus inclinati, confiderantes, quod necare videntur, qui denegant alimenta; cum Fratres dicti Ordinis non habeant proprium, nec aliquid, ex quo vitam ipforum ducere valeant, & Altiffimo defervire, nifi eleemofynaliter fibi querant, Fraternitati veftræ in virtute fanctæ obedientiæ, & fub pœna fufpenfionis ab Ecclefiarum ingreffu, quibus ipfo facto, fi contrafeceritis, volumus fubjacere, præcipiendo mandamus, quatenus Fratres, & Converfos dictarum domorum per civitates & diœcefes veftras mendicare, & eleemofynas, ac pia fuffragia ad ipforum victum quærere, & a Chriftifidelibus & orthodoxis recipere, libere & abfque impedimento, vel cnntradictione aliqua permittatis, nec vos per vos aut alios eifdem in hoc quomodolibet repugnetis.

Datum Romæ apud fanctum Petrum XVI. Kalend. Januarii anno XIII.

Anno Christi 1402. Bonifacii IX. anno 13.

LI.

Ut poffint admittere domum in civitate Militen. Ibidem fol. 66.

Dilectis filiis Miniftro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum provinciæ Calabriæ, fecundum morem dicti Ordinis.

Vide Conftit. fequent.

§. I. Sacræ Religionis, fub qua devotum, *&c.* favorabiliter annuamus. Sane petitio pro veftra, & dilectæ in Chrifto filiæ Guillæ de Marolis Comitiffæ Militen. parte, nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipfa Comitiffa de propria falute recogitans, & cupiens terrena in cœleftia, & tranfitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis fibi a Deo collatis, pro fuæ, fuorumque animæ falute, in civitate Militen. in loco ad id congruo & honefto, quamdam Capellam fub vocabulo *beatæ Mariæ de Mifericordia*, & unum hofpitale, juxta eamdem Capellam pro fufceptione, recreatione, & fuftentatione, & ufu peregrinorum, ac pauperum & infirmorum, Diœcefani loci accedente confenfu, fundavit & conftruxit, feu conftrui, & fundari fecit, ac utrumque fufficienter dotavit, dictumque hofpitale lectis, & aliis rebus neceffariis communivit, ac voluit & ordinavit, quod in dicta Capella effet certus numerus Fratrum Ordinis veftri, qui quidem Fratres per Miniftrum Provincialem provinciæ Calabriæ, fecundum morem dicti Ordinis pro tempore exiftentem deputandi victum & veftitum a Priore dicti hofpitalis, qui pro tempore erit, reciperent & haberent. Quare pro parte veftra, & ejufdem Comitiffæ nobis fuit humiliter fupplicatum, ut vobis Capellam recipiendi, & perpetuo retinendi, ac ibidem domum cum cœmeterio, campanili, campana, & aliis officinis neceffariis pro quam-

quampluribus Fratribus Altissimo perpetuo famulantibus construendi & ædificandi, seu construi & ædificari faciendi licentiam concedere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & dicti Ordinis propagationem intensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis Capellam ipsam recipiendi, & perpetuo retinendi, ac alia omnia supradicta, ut præmittitur, faciendi: fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua civitate, villa, castro, alia loca de novo recipere præsumant, absque Apostolicæ Sedis licentia speciali, faciente plenam &c. Jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius semper salvo, auctoritate Apostolica, de speciali gratia, tenore præsentium, licentiam elargimur: vobis nihilominus de uberioris dono gratiæ concedentes, quod Fratres dicti Ordinis, qui in hujusmodi domo pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis, gratiis, immunitatibus, & indulgentiis aliis Fratribus dicti Ordinis in aliis domibus dicti Ordinis commorantibus, a prædicta Sede, vel alias qualitercumque concessis libere & licite gaudeant, & utantur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis infringere &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Kalendis Januarii, anno XIII.

LII.

Conceditur, ut possint admittere domum sancti Martini de Lugniano. Ibid. fol. 17.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum, Provinciæ sancti Francisci.

§. I. Sacræ Religionis, sub qua devotum & sedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, in his præsertim, per quæ divinus cultus augeri, vesterque Ordo in Domino salubriter propagari valeat, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod dilectus filius nobilis vir Christianus de Chelfutiis Domicellus Civitatis Castelli, de propria salute recogitans, & cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, ob Dei reverentiam, & ad honorem sancti Francisci, silvam *de Buonoreposo* vulgariter nuncupatam, juxta villam sancti Martini de Lugniano, Civitatis Castelli diœcesis, situatam, ac duas domunculas cum horto, & unum ædificium tecto, seu coopertura carens in formam Capellæ, seu oratorii erectum, in silva eadem contigue situata, ad prædictum Christianum pertinentia, pro usu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum vestri Ordinis, si ad id Apostolicæ Sedis accedat assensus, vobis libere donare, & assignare proponit. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis silvam, ac domunculas, cum horto ipso, & ædificio hujusmodi recipiendi, ac domunculas & ædificium hujusmodi pro usu & habitatione vestris accipiendi, & perpetuo retinendi, & alia circa hoc, juxta morem vestri Ordinis faciendi, licentiam concedere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum nostris temporibus augeri intensis desideriis affectamus, prædictum laudabile propositum ejusdem Christiani plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis silvam & domunculas, cum horto & ædificio hujusmodi, postquam prædictus Christianus ea vobis donaverit, & assignaverit, ut præfertur, recipiendi, ac domunculas ipsas cum horto, juxta

xta morem vestri Ordinis aptandi, & ædificandi, ac de ædificio prædicto, vel alias prope dictas domunculas Ecclesiam, ac locum ibidem cum campanili, campana, cœmeterio, & aliis officinis necessariis, juxta morem eumdem faciendi, & construendi, ac silvam, domunculas, & hortum, ac ædificium hujusmodi cum campanili, campana, cœmeterio, & aliis supradictis pro vestris usu & habitatione perpetuis retinendi, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. non obstantibus quibuscumque, plenam & liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur. Ceterum Fratribus dicti Ordinis, qui in eisdem domunculis pro tempore morabuntur, præfata auctoritate concedimus, quod omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & indulgentiis uti & gaudere possint, quibus alii Fratres dicti Ordinis in aliis eorum domibus, Conventibus, ac locis commorantes gaudent, & quomodolibet potiuntur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum VI. Kalendas Martii anno XIII.

LIII.

Ut Fratres Vicariæ Bosnæ nequeant ab illis partibus recedere sine licentia Vicarii, & valeant ad hospitia Prælatorum & personarum secularium divertere. Regest. Vatic. ex lib. 2. anni 13. fol. 98.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

§. I. EX injuncto nobis circa gregem Dominicum Apostolicæ servitutis officio, ad ea, per quæ fidelium, præsertim religiosarum personarum in fide Catholica continuo fervore militantium, dispendiis & incommodis succurratur, ipsaque fides incrementa suscipiat, libenter intendimus, & ne ab inceptis divinæ laudis operibus detrahantur, nos convenit de opportunis remediis providere.

Quidam Fratres nolunt in suo primo remanere proposito.

§. II. Sane pro parte dilecti filii Bartholomæi Vicarii Bosnæ Ordinis Fratrum Minorum, juxta morem dicti Ordinis, quæ inter infideles a fide Catholica deviantes consistit, per sollicitas & continuas Fratrum dicti Ordinis in eadem Vicaria existentium, prædicationes & inductiones quinquaginta millia personarum infidelium, vel circiter, Evangelium veritatis amplectentes, ad orthodoxæ fidei sinceritatem unanimiter, eis gratia affluente divina, conversa fore noscuntur. Quorum quidem sic conversorum curæ & perseverationis in fide Catholica onus Vicario pro tempore existenti, & Fratribus dictæ Vicariæ dumtaxat incumbit. Et cum, sicut eadem petitio subjungebat, inter eosdem Fratres ipsius Vicariæ nonnulli instabiles reperiantur, qui postquam pro fidei prædictæ augmentatione insudarunt, seu in dicta Vicaria sunt Altissimo aliqualiter famulati, ab inceptis tantæ bonitatis operibus deviantes, litteris, vel licentiis importune, vel alio modo hactenus a Superioribus procuratis, recesserunt, & adhuc aliqui recedere conantur, ipsius Vicarii Bosnæ licentia minime requisita, vel obtenta, in non modicum ipsius fidei detrimentum, & desolationem & suppressionem fidelium: Et quod plerumque contingat Fratres ipsius Vicariæ per alias Provincias ipsius Ordinis pro eleemosynis petendis, vel aliis necessitatibus imminentibus per ipsum Vicarium, vel ejus Locumtenentem destinari; ipsique Fratres sic destinati sæpius ad hospitia Prælatorum, & secularium personarum divertere compelluntur. Quare pro parte dicti Bartholomæi Vicarii nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his de opportunis remediis providere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos itaque, prout nostri interest, ex debito pastoralis officii super

per his, quantum cum Deo possumus, salubriter providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuo & irrefragabiliter statuimus, volumus, & ordinamus, quod nullus Fratrum dicti Ordinis pro eadem Vicaria debite receptus, & in posterum recipiendus, cujuscumque conditionis, vel dignitatis fuerit, absque speciali Vicarii dictæ Vicariæ pro tempore existentis, vel ejus locumtenentis, in scriptis obtenta licentia, sub apostasiæ ac excommunicationis pœnis, quas contrafacientes incurrere volumus ipso facto, & a quibus, præterquam in mortis articulo, a nullo quam a Romano Pontifice, vel dicto Vicario pro tempore existente, post Generalem Ministrum ipsius Ordinis, absolvi valeat, quacumque occasione, vel causa, vel quovis quæsito colore, etiam vigore cujuscumque licentiæ impetrandæ a quocumque Superiore, ab eadem Vicaria & partibus illis recedere, vel absentare se, quoquo modo præsumat: & nihilominus eidem Vicario, suisque successoribus & Fratribus dictæ Vicariæ, quotiescumque ipsos, seu aliquem ex eis ad alienas partes pro eleemosynis petendis, seu aliis rationabilibus de causis destinari contigerit, ut ipsi, & quilibet eorum hospitia Prælatorum, & secularium personarum, alias tamen honesta intrare, ibique pernoctare possint, & permanere semel & pluries, prout fuerit opportunum, plenam & liberam, auctoritate Apostolica, licentiam elargimur: constitutionibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus dicti Ordinis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nec volumus, ut hoc privilegium, seu alia quæcumque privilegia ipsi Vicariæ per nos, & prædecessores nostros concessa, possint in aliquo revocari, nisi de præsentibus ipsorum toto tenore, ac de verbo ad verbum in eisdem litteris foret mentio specialis. Nulli ergo &c.

Nullus Frater possit a Bosnæ Vicaria recedere sine illius Vicarii facultate.

Conclusio.

Datum Romæ apud sanctum Petrum Nonis Martii anno XIII.

LIV.

Ut Fratres Minores Ducatus Aquitaniæ recipiant duas domos in eodem. Ibid. fol. 60.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Sacræ religionis, sub qua dilecti filii Petrus de Villanova, & nonnulli alii Fratres Ducatus Aquitaniæ, Ordinis Fratrum Minorum professores, devotum & sedulum exhibent Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis ipsorum, illis præsertim, quæ divini cultus augmentum, & prædicti Ordinis propagationem concernunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane petitio pro parte Petri & Fratrum prædictorum nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi attendentes professionem & votum, quibus se Domino voluntarie obligarunt, de observanda spiritualiter Regula beati Francisci Confessoris eximii, quæ in plerisque partibus non servatur, ut expedit, desiderant ex intimis desideriis cordis, sub obedientia, & voto jam præmissis, in aliquibus locis aptis & convenientibus, & præcipue in dicto Ducatu unam vel duas domos ejusdem Ordinis constructas recipere, vel de novo construere & ædificare, ut in illa, seu illis, tam ipsi, quam alii, qui a Domino fuerint inspirati, Regulam ipsam, prout a præfato Confessore ordinata censetur, & per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros approbata & declarata existit, observare valeant, & secundum ipsam vivere, & Altissimo perpetuo famulari. Quare pro parte dictorum Petri & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis unam, vel duas domos con-

conftructas, in dicto Ducatu confiftentes, dilecti filii Miniftri Generalis dicti Ordinis accedente confenfu, recipiendi, alioquin unam vel duas domos eis aptas, & convenientes in locis ad id congruis & honeftis, cum Ecclefiis, cœmeteriis, campanilibus, campanis, domibus, & aliis neceffariis officinis, pro ufu & habitatione Fratrum prædictorum conftruendi, & perpetuo retinendi, licentiam concedere, de benignitate Apoftolica, dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & dicti Ordinis propagationem intenfis defideriis affectamus, ac ipforum Petri, & Fratrum pium propofitum plurimum in Domino commendamus, hujufmodi fupplicationibus inclinati, prædictis Petro, & Fratribus, ut duas domos dicti Ordinis conftructas in Ducatu prædicto confiftentes, fi eis per præfatum Miniftrum concedantur: alioquin eis unum, vel duo loca in eodem Ducatu, in locis tamen congruis & honeftis, ubicumque recipere, & in eis unam, vel duas domos, cum Ecclefiis, cœmeteriis, campanilibus, campanis, domibus, & aliis neceffariis officinis de novo conftruere, ac illa pro ufu & habitatione hujufmodi Fratrum, qui dictam Regulam fpiritualiter, prout a præfato Confeffore ordinata, &, ut præmittitur, approbata & declarata exiftit, obfervare intendunt, perpetuo retinere; juribus tamen &c. falvis: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecefforis noftri prohibente &c. mentionem, & aliis conftitutionibus &c. quibufcumque, libere & licite valeant, plenam & liberam, auctoritate Apoftolica, de fpeciali gratia, tenore præfentium, licentiam elargimur. Eifdem Petro & Fratribus nihilominus de uberiori dono gratiæ concedentes, quod ipfi, & alii Fratres dicti Ordinis, qui in dictis domibus pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, & litteris Apoftolicis gaudeant & utantur, quibus alii Fratres dicti Ordinis in aliis domibus dicti Ordinis commorantes gaudent, feu quomodolibet potiuntur. Et infuper Petro & Guardianis, feu Fratribus præfidentibus in dictis domibus, ut præmittitur, recipiendis, qui pro tempore fuerint, quofcumque Fratres dicti Ordinis illarum partium, qui damnatæ memoriæ Roberto olim Bafilicæ duodecim Apoftolorum &c. publice & notorie adhæferunt &c. plenam & liberam concedimus facultatem &c. Forma autem dictæ regulæ talis eft; videlicet: *Ego &c.* Nulli &c.

Datum Romæ apud fanctum Petrum XIII. Kal. Maii anno XIII.

LV.

Permittitur eis confeffiones fecularium fibi confiteri volentium, audire, dummodo præfentati fuerint Ordinariis; & mendicare abfque litteris commendatoriis. Ibidem fol. 134.

Dilectis filiis Miniftro Provinciali, & Cuftodibus, ac Fratribus Ordinis Minorum provinciæ Auftriæ, fecundum morem ejufdem Ordinis.

Vide Regeft. Tomi 7. Conftit. 179. Clem. VII.

§. I. AD fructus uberes, quos facer Ordo vefter &c. præfidio foveamus. Sane ad noftrum nuper fide dignis relatibus pervenit auditum, quod licet Fratribus dicti Ordinis, juxta formam conftitutionis fel. rec. Clementis Papæ V. prædecefforis noftri, in Concilio Viennen. fuper hoc editæ, quæ incipit: *Dudum provida deliberatione* fit indultum, quod fi hujufmodi Fratribus ad hoc idoneis, per eorum Superiores locorum Ordinariis præfentatis, pro confeffionibus infra civitates & diœcefes ipforum Ordinariorum audiendis, iidem Ordinarii, poftquam fuper hoc humiliter fuerint requifiti, petitam licentiam faciendi præmiffa exhibere, eifque ad præmif-

Locorum Ordinarii FF. audiendi Confeffiones licentiam concedere negligunt.

missa licentiam concedere neglexerint, & recusaverint, ex tunc Fratres ipsi sic præsentati libere & licite confessiones sibi confiteri volentium audire, & ipsorum confessionibus sic auditis, eis pro commissis absolutionis beneficium impendere, de Apostolicæ potestatis plenitudine valeant, ac injungere pœnitentias salutares. Quidam tamen temere sentientes, & ad sobrietatem sapere nescientes, imprudenter præsumunt asserere, ipsos Fratres, quantumcumque per prædictos eorum Superiores Ordinariis hujusmodi, juxta formam constitutionis memoratæ fuerint præsentati, absque Ordinariorum eorumdem super hoc litteris testimonialibus, seu commendatoriis, præmissa facere non posse, neque ipsos Fratres sic præsentatos infra civitates & diœceses prædictas, absque hujusmodi litteris confessiones sibi confiteri volentium audire, & alia juxta dicti indulti formam, exequi permittunt. Nosque attendentes, quod si ipsis Fratribus sic præsentatis exequendi præmissa absque hujusmodi litteris non adesset facultas, frustratoria quoad hoc videretur constitutio antedicta. Nonnulli etiam ex hujusmodi Ordinariis & Ecclesiarum Prælatis, contra Instituta regularia dicti Ordinis per Sedem prædictam approbata, frivolis opinionibus asserunt, atque prætendunt, quod vobis & aliis Fratribus dicti Ordinis, quibus tamen ex Regula incerta mendicitas victum tribuere solet, non liceat per civitates & loca a subditis Ordinariorum hujusmodi, & aliis Christifidelibus eleemosynas, vel alia caritatis subsidia pro vitæ sustentatione petere, nisi Ordinariorum hujusmodi licentia, ac litteris testimonialibus, seu commendatoriis prius petitis, pariter & obtentis.

Alii absque licentia hujusmodi eisdem Confessiones audire non permittunt.

Aliorū alia falsæ opiniones.

§. II. Nos igitur assertiones tam temerarias penitus confutare volentes, prædictique prædecessoris in hac parte vestigiis inhærendo, universis & singulis locorum Ordinariis, aliisque Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus, ad quos præsentes litteræ pervenerint, per Apostolica scripta, & sub excommunicationis pœna, quam contra sentientes incurrere volumus ipso facto, districte præcipiendo mandamus, quatenus Ordinarii ...... videlicet hujusmodi Fratres ad hoc sufficientes & idoneos, qui per eorum Superiores pro hujusmodi confessionibus audiendis electi, & ipsis Ordinariis nominatim & in scriptis præsentati fuerint, absque hujusmodi litteris testimonialibus, seu commendatoriis libere, cujusvis impedimenti sublato obstaculo, quorumcumque ipsis Fratribus confiteri volentium infra hujusmodi civitates & diœceses, quocumque loco & tempore, juxta formam constitutionis antedictæ, confessiones audire, & ipsorum confessionibus sic auditis, eis pro commissis absolutionis beneficium impendere, & pœnitentias &c. libere permittant: necnon licentiam concedere non postponant.

Quæ a Pontifice confutantur.

§. III. Prælati vero & Rectores supradicti, quotiescumque per vos, vel aliquos, seu aliquem vestrum locis, & temporibus congruis, conjunctim, vel divisim super hoc fuerint requisiti, præmissa omnia & singula subditis suis fideliter publicare, seu publicari facere procurent, eaque faciant inviolabiliter observari. Districtius inhibentes eisdem Ordinariis & Prælatis sub pœna antedicta, ne per ipsorum litteras, vel alium quemcumque modum, directe vel indirecte, publice vel occulte, quovis quæsito colore, vos, vel aliquem vestrum impediant, quominus a prædictis subditis, omni loco & tempore, hujusmodi eleemosynas, & caritatis subsidia pro vitæ sustentatione petere & recipere valeatis. Volumus insuper & auctoritate Apostolica statuimus, quod præsentatio semel facta Ordinariis & Prælatis antedictis de hujusmodi Fratribus super confessionibus per eos, ut præmittitur, audiendis, quamdiu in civitatibus & diœcesibus, ad quas præsentati fuerint, perseveraverint, sufficiat. De qua præsentatione si alicui in dubium vertere-

Inhibitio Prælatis facta.

tur, sufficiat fidem facere per testimoniales litteras Ministri, aut Custodis pro tempore, ubi Fratres sic præsentati moram trahunt; super quo ipsorum Ministri & Custodum conscientias oneramus, Apostolicis, ac provincialibus & synodalibus constitutionibus, & aliis contrariis non obstantibus. Decernentes ex tunc irritum &c. contigerit attentari.

Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kal. Junii anno xiii.

L VI.

Ut permittat ædificari in sua diœcesi Monasterium Clarissarum, & consecret Ecclesiam. Ex copia authentica.

Venerabili fratri Andreæ Episcopo Agien.

§. I. Sinceræ devotionis affectus, quem dilectæ in Christo filiæ nobiles mulieres Constantia relicta quondam Petri Zancii vidua de Venetia, & Maria ejus nata, Domicellæ, Castellan. diœcesis, ad nos, & Romanam gerunt Ecclesiam, promeretur, ut votis earum, illis præsertim, quæ animarum salutem, & divini cultus augmentum, ac Religionis propagationem respicere dignoscuntur, favorabiliter annuamus.

§. II. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsarum Constantiæ, & Mariæ petitio continebat, dudum ipsæ de propria salute cogitantes, ac cupientes terrena in cœlestia, et transitoria in æterna felici commercio commutare, pro ipsarum & parentum suorum animarum salute, de bonis eis a Deo collatis quoddam Monasterium cum Ecclesia, sive oratorio in honorem, & sub vocabulo beatæ Mariæ Virginis, in burgo Caneæ, in insula Creten. in tua diœcesi, ad id etiam tuo accedente consensu, construi, & ædificari facere inceperint, & utrumque, juxta virium suarum facultates, dotare proponant, pro parte Constantiæ & Mariæ prædictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quod dictam Ecclesiam per aliquem Catholicum Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, ad laudem Dei, ac in honorem, & sub vocabulo beatæ Claræ, cum ad ipsam Sanctam gerant singularem devotionis affectum, & in dicta insula aliquod Monasterium hujusmodi Sanctæ non existat, facere construi valeant, hujusmodique Antistiti, postquam dicta Ecclesia taliter per ipsum consecrata fuerit, dictis Constantiæ & Mariæ, ac aliis quibuscumque honestis matronis in hujusmodi Monasterio morari, & Domino inibi perpetuo famulari volentibus, habitum regularem, per Moniales Ordinis sanctæ Claræ gestari consuetum tradendi, & postquam hujusmodi habitus prædictis Constantiæ & Mariæ per eumdem Antistitem traditus fuerit, eamdem Mariam in Abbatissam, ac Monasterio, postquam consecratum fuerit, præficiendi, licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos igitur ipsarum Constantiæ & Mariæ pium propositum in hac parte plurimum in Domino commendantes, ac hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis in Domino specialem fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus, postquam Monasterium & Ecclesia hujusmodi sufficienter dotata fuerint, eamdem Ecclesiam ad laudem Dei, ac in honorem dictæ sanctæ Claræ consecrare, & postquam taliter per te consecrata fuerit, dictis Constantiæ et Mariæ, ac quibuscumque aliis honestis matronis hujusmodi Monasterium intrare volentibus, habitum regularem dicti Ordinis sanctæ Claræ tradere et assignare, auctoritate nostra procures, præficiendo dictam Mariam eidem Monasterio, auctoritate prædicta, in Abbatissam, ac curam et administratio-

nem

nem ejusdem Monasterii eidem in spiritualibus et temporalibus committendo: jure tamen parochialis Ecclesiæ &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum III. Kal. Septembris, Pontificatus nostri, anno XIII.

LVII.

Uniuntur Monasterio de Deneye tres Ecclesiæ parochiales. Reg. Vat. ex lib. 5. diversorum annorum, fol. 213.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Sacræ Religionis, sub qua dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus Monasterii de Deneye, Ordinis sanctæ Claræ, Elien. diœcesis, devotum & sedulum &c. annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsarum Abbatissæ, & Conventus petitio continebat, quod facultates dicti Monasterii adeo sint tenues & exiles, quod ipsa Abbatissa & Conventus exinde sustentari, & onera eis incumbentia supportare, congrue non possint. Quare pro parte ipsarum Abbatissæ & Conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut in relevatione onerum præfatorum, parochiales Ecclesias sancti Andreæ de Niston,& sanctæ Pontaniæ Virginis de Eliesse, cum sancti Jacobi de Didenham Elien. prædictæ & Lincolnien. diœcesis. Quæ quidem parochiales Ecclesiæ de jurepatronatus Abbatissæ, & Conventus, ac Monasterii hujusmodi existunt, & quarum nonaginta, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Monasterio, cujus ducentarum marcharum sterlingarum fructus,reditus, & proventus secundum &c. non excedunt, perpetuo incorporare, annectere, & unire, de speciali gratia dignaremur. *Vide Constit. 54. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur præfatæ Abbatissæ & Conventui, ut eo quietius Domino famulari valeant, volentes de aliquo subventionis subsidio providere, ac hujusmodi supplicationibus inclinati, Ecclesias præfatas cum eisdem juribus & pertinentiis suis Monasterio præfato, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuo unimus, incorporamus & annectimus: ita quod cedentibus, vel decedentibus dilectis filiis Rectoribus dictarum Ecclesiarum, qui nunc sunt, vel Ecclesias ipsas alias quomodolibet dimittentibus, liceat præfatis Abbatissæ & Conventui per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Ecclesiarum, juriumque, & pertinentiarum præfatorum, auctoritate propria, libere apprehendere, & perpetuo licite retinere in usus earum, & dicti Monasterii, omnesque fructus, reditus, & proventus hujusmodi earumdem Ecclesiarum in earum & dicti Monasterii utilitatem, necnon relevamen eorumdem onerum, pro tempore convertere; Diœcesanorum locorum, & aliorum quorumcumque licentia super hoc minime requisita. Ita tamen quod quamlibet ipsarum Ecclesiarum regi, & curam animarum dilectorum filiorum parochianorum cujuslibet ipsarum Ecclesiarum exerceri per singulos idoneos Presbyteros ad nutum Abbatissæ prædicti Monasterii existentis pro tempore, de consensu dictorum Diœcesanorum, sive Ordinariorum locorum ponendos, & removendos facere, ipsaque Abbatissa existens pro tempore, necnon Conventus episcopalia jura solvere, & alia eisdem Ecclesiis incumbentia onera consueta teneantur in omnibus supportare. Volumus autem, quod in eisdem Ecclesiis &c. debeat exerceri: non obstan. &c. quibuscumque. Aut si aliqui &c. generari: & quibuslibet privilegiis &c. mentio specialis. Nos enim ex tunc irritum &c. attentari. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum VI. Idus Novembris, anno XIII.

LVIII.

Ne habeatur ingressus liber a domo seculari ad Ecclesiam Clarissarum Londonien. Ibidem fol. 26.

Dilecto filio Abbati Monasterii Westmonasterii, Londonien. diœcesis.

§. I. JUstis & honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Monialium Monasterii siti prope montem Turris Londonien. Ordinis Sororum Minorum inclusarum petitio continebat, quod quondam claræ memoriæ Thomas Comes Blonteseriæ, ratione cujusdam domus sitæ prope Ecclesiam dicti Monasterii, de consensu Abbatissæ ejusdem Monasterii, quæ tunc erat, ac licentia Sedis Apostolicæ, ut creditur, interveniente, quoddam ostium, per quod de domo sua prædictam Ecclesiam intrare posset, fieri fecit, & ordinavit.

§. II. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, domus prædicta post obitum dicti Comitis ad manus cujusdam Dominæ temporalis partium illarum pervenerit, ipsaque Domina per ostium hujusmodi &c. prohibemus eidem, ne hoc introitu de cetero uti præsumat &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, xv. Kal. Decembris, anno xiv.

LIX.

Conceditur Sororibus Monasterii sancti Pauli Januæ, ut recipiant Novitias, etiam ultra numerum præscriptum eidem Monasterio, in quacumque ætate constitutas. Ex lib. 1. anni 14. fol. 58.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXigit honestas sacræ Religionis, sub qua dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii sancti Pauli Januen. Ordinis sanctæ Claræ, sub Regula & observantia Sororum Minorissarum devotum & sedulum exhibent Domino famulatum, ut votis earum, illis præsertim, per quæ ipsarum quieti, & commoditatibus consulitur, favorabiliter annuamus.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsarum Abbatissæ & Conventus petitio continebat, quod olim auctoritate Apostolica, in dicto Monasterio statutum extitit, & etiam ordinatum, quod nulla de cetero in Monialem dicti Monasterii recipi posset, nisi in vigesimo suæ ætatis anno existeret constituta: & nihilominus quinquaginta Monialium numerus, & non ultra in eodem Monasterio extitit, auctoritate Apostolica, constitutus.

§. III. Verum, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictarum Abbatissæ & Conventus petitio continebat, hujusmodi divinus cultus ex eo in dicto Monasterio minuitur, quod illæ, quæ in hujusmodi ætate viginti annorum sunt constitutæ, in Moniales dicti Monasterii pro tempore recipiuntur, non ita dociles, & ad officium divinum addiscendum aptæ existunt, sicut essent, si forent in minori ætate constitutæ. Quare pro parte ipsarum Abbatissæ & Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut fratri Antonio Romano Visitatori dicti Monasterii, & successori suo Visitatori ejusdem Monasterii pro tempore existenti, recipiendi, cum consensu tamen Abbatissæ, quæ pro tempore fuerit, & earumdem Conventus, quascumque puellas, in quavis ætate constitutas, etiam ultra hujusmodi quinquagenarium numerum in Moniales dicti Mo-

Monasterii, & eis regularem habitum, juxta consuetudinem Monasterii præfati, exhibendi, easque ad regularem professionem admittendi. Et nihilominus Abbatissæ & Conventui præfatis, de licentia & consensu Visitatoris ejusdem, quascumque, seu quoscumque Procuratores, vel Procuratrices, aut Oeconomos, vel Oeconomas, qui, vel quæ terras, possessiones, & bona immobilia ejusdem Monasterii ministrent, deputandi, eosque, & eas inter clausuram, vel septa Monasterii præfati admittendi, & eorum corpora in cœmeterio, Ecclesia, seu clausura ejusdem Monasterii, si Procuratores, vel Procuratrices hujusmodi, quando transibunt ab hac luce, sepeliri ibidem voluerint, sepeliri faciendi, ac duos Ordinis Fratrum Minorum Professores, qui eidem Abbatissæ & Conventui, & aliis ad ipsum Monasterium confluentibus, Missam & alia divina Officia possint & valeant celebrare, recipiendi & assumendi licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. IV. Nos itaque &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, Antonio Romano & successori suo prædicto, cum consensu tamen Abbatissæ & Conventus dicti Monasterii, recipiendi quascumque puellas, vel mulieres puberes, vel impuberes, & in quavis ætate constitutas, in Moniales, vel Novitias dicti Monasterii, etiam ultra præfatum numerum, dummodo ex receptione hujusmodi ipsum Monasterium non gravetur, eisque præfatum regularem habitum exhibendi, & illas simul, vel separatim ad professionem hujusmodi admittendi, ac Abbatissæ & Conventui præfatis de dicti Visitatoris voluntate & consensu, quascumque personas utriusque sexus usque ad numerum &c. & ad procurandum bona hujusmodi dicti Monasterii, & personas easdem juxta septa, vel clausuras hujusmodi admittendi, eorumque corpora, cum decesserint, jure tamen matricis, vel parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius alias in omnibus semper salvo, in cœmeterio, Ecclesia, seu clausura dicti Monasterii sepeliri faciendi: ac duos Fratres dicti Ordinis Minorum Professores, qui eisdem Abbatissæ & Conventui, & aliis in dicto Monasterio degentibus, ac ad illud confluentibus, Missam, & alia divina Officia possint celebrare, assumendi, retinendi, plenam & liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus potestatem &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum Idibus Decembris anno XIV.

LX.

Moniales Monasterii sanctæ Claræ Saonen. subjiciuntur Generalis, & Provincialis Ministrorum regimini. Ibidem fol. 56.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Licet Apostolicæ Sedis munificentia liberalis, de suæ largitatis abundantia, quædam interdum aliquibus personis, certis ex causis inducta gratiose concedat; ea tamen, si decursu temporum conspexerit in plurimorum damnum, vel scandalum converti, non immerito studet, ut futuris obvietur damnis & scandalis, matura deliberatione præhabita, revocare. *Sedes Apostolica aliquando olim sancita revocat.*

§. II. Dudum siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sanctæ Claræ Saonen. Ordinis ejusdem Sanctæ, nobis exposito, quod licet hactenus Monasterium ipsum multa honestate & observantia regulari rectum foret, ac etiam gubernatum, & propterea populus ipse civitatis Saonen. ad Monasterium ipsum magnam haberet devotionem; tamen a nonnullo tempore citra nonnullas divisiones, & partialita-

Antiqua Monasterii disciplina demissa.

litates dilectorum filiorum Ministri Provincialis, & Fratrum Ordinis Minorum Provinciæ Januen. secundum morem ejusdem Ordinis Fratrum Minorum, quibus dictum Monasterium subesse dignoscebatur, ac etiam propter divisionem Monialium, necnon propter dissipationem bonorum, possessionum, ac etiam mutationem Abbatissæ dicti Monasterii, quam Minister & Fratres prædicti pro eorum libitu voluntatis a regimine, & administratione ipsius Monasterii amovere, ac ejus loco aliam, quam volebant, deputare consueverant, Monasterium præfatum ad debilem statum erat redactum: ac etiam quamplures rumores, rixæ, rancores, & inimicitiæ inter Ministrum & Fratres ex parte una, necnon Abbatissam & Conventum præfatos ex parte altera fuerunt exorta, & in futurum, nisi super hæc de opportuno remedio provideretur, majores formidabantur verisimiliter exoriri, in grave damnum Monasterii, & populi scandalum, eorum præsertim, qui in dicto Monasterio suas habebant filias, sorores, vel consanguineas, ac etiam infamiam Ministri & Fratrum, necnon Abbatissæ & Conventus præfatorum. Et nobis pro parte ipsarum Abbatissæ & Conventus, ac etiam dilectorum filiorum communis ejusdem civitatis fuit humiliter supplicatum, ut ad scandalum, rixas, rancores, rumores, & inimicitias hujusmodi jam exortas, & ad obviandum, ne inter Abbatissam & Conventum, Ministrum & Fratres prædictos, majores orirentur in futurum, easdem Abbatissam & Conventum & Monasterium ab omni jurisdictione, dominio & potestate, ac etiam visitatione Ministri Provinciæ pro tempore existentis, ac Fratrum prædictorum perpetuo eximere, ipsasque sub protectione beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Sedis Apostolicæ suscipere, ac statuere & ordinare, quod nullus de cetero, cujuscumque status, ordinis, sexus, vel conditionis foret, sub excommunicationis pœna, Monasterium ipsum ingredi, ac Abbatissam pro tempore existentem, & Moniales ipsius Monasterii, sine licentia loci Ordinarii, personis a jure permissis dumtaxat exceptis, posset quomodolibet visitare: sed visitationem hujusmodi, ac etiam correctionem & reformationem Abbatissæ & Conventus Monasterii prædictorum loci Ordinario pro tempore existentium, reservare dignaremur.

A jurisdictione Fratrum Moniales eximuntur.

§. III. Nos igitur easdem Abbatissam & Conventum ac Monasterium ab omni jurisdictione, dominio, potestate & visitatione Ministri & Fratrum præfatorum auctoritate Apostolica per alias nostras litteras totaliter eximimus, & perpetuo liberavimus, ipsasque Abbatissam & Conventum ac Monasterium sub beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Sedis præfatorum protectione suscepimus, ac statuimus & ordinavimus, ut de cetero nullus, cujuscumque status, ordinis, sexus, vel conditionis existeret, sub excommunicationis pœna, quam ipso facto incurreret, dictum Monasterium ingredi, ac Abbatissam pro tempore existentem, & Moniales ipsius Monasterii sine licentia loci Ordinarii, personis tamen a jure permissis dumtaxat exceptis, posset quomodolibet visitare, ac hujusmodi visitationem, correctionem & reformationem eorumdem Abbatissæ & Conventus Monasterii eidem Ordinario per easdem litteras perpetuo reservavimus, prout in dictis litteris plenius continetur.

Sic exemptæ habitum Clarissarum dimittunt, Regulamque nõ servant.

IV. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Henrici Ministri Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum petitio continebat, post liberationem, exemptionem, susceptionem, statum, ordinationem, ac reservationem prædicta, Abbatissa & Conventus præfatæ regularem habitum per eas, & alias personas dicti Ordinis sanctæ Claræ gestari consuetum, dimiserint, seu alias mutaverint, ac regulari observantia, & disciplina præfati Ordinis sanctæ Claræ prætermissis, juxta Regulam & observantiam alterius Re-

Religionis degerint, ut de præsenti degere dignoscuntur, non sine maximo scandalo, & dedecore aliarum personarum, Fratrum Minorum, & sanctæ Claræ Ordinum præfatorum; pro parte dicti Ministri Generalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut exemptionem, liberationem, ordinationem, susceptionem, & statutum prædicta revocare, & alias in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. V. Nos igitur attendentes quod omnes & singulæ personæ præfati Ordinis sanctæ Claræ, sub cura, & secundum Instituta Fratrum dicti Ordinis Minorum, vivere consueverunt, ac dicti Ordinis sanctæ Claræ Monasterium, & loca etiam ex indultis & privilegiis Apostolicis eidem Ordini Fratrum Minorum subesse debent, ex præmissis, & certis aliis de causis nostrum ad hoc inducentibus animum, liberationem, exemptionem, ordinationem, & statutum præfata, ac omnia alia, & singula in præfatis litteris contenta, & quæcumque inde secuta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, revocamus, cassamus, irritamus & annullamus, ac censemus nullius existere roboris, vel momenti: & nihilominus volumus, statuimus, & etiam ordinamus, quod Abbatissa pro tempore existens, & Moniales Monasterii præfati, habitum per Moniales dicti Ordinis sanctæ Claræ deferri consuetum deferant, & sub moribus, Regula, & observantia dicti Ordinis sanctæ Claræ vivant, ac Generali, & Provinciali Provinciæ Januen. prædictæ, juxta morem dicti Ordinis Fratrum Minorum, Ministris pro tempore existentibus, si & prout ante exemptionem, liberationem, susceptionem, statutum, reservationem, & ordinationem prædicta subesse consueverant, & sicut Monasterium, & aliæ personæ dicti Ordinis sanctæ Claræ subsunt, obedire, & subesse, sub excommunicationis pœna, quam si contra fecerint, incurrant ipso facto, debeant & teneantur, liberatione, statuto, exemptione, susceptione, ordinatione, & reservatione, ac litteris prædictis, & constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Et insuper ex nunc irritum decernimus & inane, quidquid contra revocationem, cassationem, & annullationem, ac ultimum statutum, & ordinationem hujusmodi a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, voluntatis, statuti, ordinationis, & constitutionis infringere &c. Iterum Ordini subjiciuntur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idibus Decembris, anno XIV.

L X I.

Moniales Monasterii sanctæ Mariæ Nonen. submittuntur gubernationi Ministri Provinciæ Dalmatiæ, & eximuntur a potestate Vicarii Bosnæ. Ibidem fol. 38.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Etsi forsan prima facie, cum quæ per Romanum Pontificem noviter sunt edita, retractantur, vel in effectum alium commutantur, cum sint rara, minus recte considerantibus a perseverantia solita appareant aliena; tamen illis, qui solide veritatem intuentur, talis apparentia parum efficit, & intemerata veritas in eorum mentibus clarius elucescit.

§. II. Dudum siquidem, videlicet, V. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno XIII. pro parte dilectarum in Christo filiarum Claræ Abbatissæ & Conventus Monasterii sanctæ Mariæ Nonen. Ordinis sanctæ Claræ, exposito quod ipsæ, quæ dum earum peccata confiteri cupiebant, multoties idoneo ca-

carebant Confessore, de bonis ab eisdem Abbatissa & Conventu pia largitione fidelium acquisitis, & etiam acquirendis, intra mœnia Civitatis Nonen. unam domum cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis necessariis officinis, pro uno Guardiano, & aliquibus Fratribus Ordinis Minorum in dicta domo pro tempore moraturis, construere, & ædificare proponebant, ut dictis Fratribus, cum eisdem Abbatissæ & Conventui expediret, possent ipsæ Abbatissa & Conventus peccata ipsarum habilius, & magis congrue confiteri.

§. III. Nos ad ipsarum Abbatissæ & Conventus instantiam, eisdem Abbatissæ & Conventui in Civitate prædicta, in loco tamen ad hoc congruo & honesto, domum hujusmodi cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, dormitorio, refectorio, & aliis hujusmodi officinis, pro Guardiano, & aliquibus Fratribus prædictis, ibidem Altissimo servituris, construendi & ædificandi, pro usu & habitatione hujusmodi recipi faciendi: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. Et in omnibus tenerentur obedire Vicario Vicariæ Bosnen. dicti Ordinis Minorum, secundum institutionem Ordinis antedicti, prout in eisdem litteris plenius continetur.

§. IV. Verum, sicut exhibita nobis nuper pro parte Henrici Generalis Ministri dicti Ordinis Minorum petitio continebat, Monasterium & domus hujusmodi a prædicta Vicaria non parum distant, & propterea magis expediens, & conveniens eidem Henrico videtur, quod Monasterium & domus hujusmodi Provinciali Provinciæ Dalmatiæ, secundum morem dicti Ordinis Minorum, qui pro tempore fuerint, subsint, & subesse debeant. Quare pro parte ejusdem Henrici Ministri Generalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut Monasterium & domum hujusmodi, necnon personas in illis morantes, & pro tempore moraturas, a jurisdictione & proprietate dicti Vicarii segregare, & ipsum Monasterium, domum, & personas prædictas Ministro Provinciali dictæ Provinciæ submittere, & alias licentiam & indultum prædicta confirmare, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. V. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, licentiam & indultum prædicta rata habentes, & grata, dicta auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes nihilominus omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem.

§. VI. Et insuper hujusmodi voluntatem nostram, quoad submissionem Monasterii & domus hujusmodi revocamus, cassamus & irritamus, ac annullamus, nulliusque esse censemus roboris, vel momenti. Ac volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod Monasterium & domus, ac personæ hujusmodi dicto Provinciali Ministro Provinciæ Dalmatiæ, qui pro tempore fuerit, subsint, & perpetuo, juxta consuetudines, & statuta dicti Ordinis Minorum, debeant esse subjecta: ipsæque personæ eidem Ministro Provinciali, & non Vicario prædicto, in omnibus tamquam earum Superiori obediant, & teneantur obedire; prioribus voluntatibus, & submissione, ac subjectione, & litteris prædictis, & aliis prædictis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idibus Decembris, anno XIV.

LXII.

LXII.

Præcipitur ut omnes Fratres Minores & Sorores Ordinis sanctæ Claræ in perpetuum celebrent festum sancti Antonii de Padua, cum tota octava, sicut colitur festum & octava Assumptionis beatissimæ Virginis Mariæ. Ibidem fol. 59.

Ad perpetuam rei memoriam.

PIum & honestum esse censemus, ut quos Deus merito sanctitatis coronat & honorat in cœlis, nos officio venerationis laudari & glorificari faciamus in terris. Hinc est, quod nos dilectorum filiorum Henrici Ministri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, statuimus, & etiam ordinamus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, in Ecclesiis, domibus, Monasteriis, & locis, tam prædicti, quam sanctæ Claræ, & Minorissarum Ordinum ubicumque sitis, annis singulis festum sancti Antonii de Padua, qui dicti Ordinis Minorum professor extitit, cum tota octava, vel per octo dies ipsum festum immediate sequentes, cum illis celebritate & solemnitate celebretur, cum quibus festum cum octava Assumptionis beatæ Mariæ Virginis annis singulis in Dei Ecclesia celebratur; districtius inhibentes Ministris, Guardianis, & Custodibus, ceterisque Fratribus Minoribus, necnon Abbatissis, Monialibus, & personis dictæ sanctæ Claræ Minorissarum Ordinum, in virtute sanctæ obedientiæ, ut statutum, & ordinationem hujusmodi studeant inviolabiliter observare: statutis & consuetudinibus dictorum Ordinum, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Et ut Christifideles Missis, & aliis divinis Officiis in Ecclesiis, & locis prædictis in festo, & per totam octavam hujusmodi dicti sancti Antonii celebrandis, devotius interesse cupiant, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui celebrationi hujusmodi intererunt, unum annum & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idibus Decembris, anno XIV.

Anno Christi 1403. Bonifacii IX. anno 14.

LXIII.

Explicatur dubium circa quædam privilegia Societati Peregrinantium concessa. Ex lib. 2. ann. 15. fol. 84.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. DEcens reputamus & debitum, ut cum de gratiis & ordinationibus Apostolicis ambigitur, summi Pontificis oraculo declarentur. Dudum siquidem dilectis filiis Vicario dilecti filii Ministri Generalis, & Fratribus Ordinis Minorum *Societatis Peregrinantium* nuncupatis, ad evangelizandum fidelibus, & infidelibus, ac schismaticis Catholicæ fidei salutaria documenta, per Sedem Apostolicam destinatis, in Lamburga partium Russiæ commorantibus, quasdam litteras concessimus, quarum tenores sequuntur per ordinem, & sunt tales.

§. II. *Bonifacius &c. Dilectis Filiis Vicario, dilecti filii Ministri Generalis, & Fratribus Ordinis Minorum, Societatis Peregrinantium nuncupatis, ad evangelizandum fidelibus & infidelibus, ac schismaticis Catholicæ fidei*

fidei salutaria documenta per Sedem Apostolicam destinatis in Lamburga partium Russiæ tommorantibus salutem &c. Exultat cor nostrum in Domino Jesu Christo, ipsique gratias agimus gratiarum omnium largitori, quoties nos sentire tontingit quod duritiæ cordium infidelium, tamquam terræ vastæ, & rudæ solitudines imbre divinæ gratiæ indigentes, per sanam doctrinam, & salubria documenta divina virtus imbrem compluit gratiæ baptismalis, qua ipsorum fidelium animæ a laqueo damnationis erutæ, sempiternis gaudiis præparantur, & ut laboris tam gratus fructus juxta cor nostrum ad Dei gloriam invalescat, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærendo, sumptis præceptis, quæ zizaniæ sator ex more subinfert, ministerium Christi servorum ad hæc operantium, libenter favoribus, & gratiis Apostolicis communimus. Dudum siquidem cum felicis recordationis Urbanus Papa V. prædecessor noster nonnullos Fratres vestri Ordinis ad Terras Ruthenorum Walachorum, Tartarorum, Saracenorum, Paganorum, Cretorum, Bulgarorum, & aliorum non credentium nationum Orientis, Aquilonis, & quaslibet alias partes Sedis Apostolicæ magisterio non intendentium, ad illuminandum mentes eorum, exterminandumque falsitates hæreseos, micantium animos confortandum luce divini sermonis, & docta celitus rectitudine operis, destinasset, eis inter cetera proponendi ipsis nationibus verbum Dei, ipsosque, & converti ex eis ad unitatem fidei cupientes recipiendi, ac baptizandi, & Ecclesiæ sanctæ filiis aggregandi, confessiones etiam omnium fidelium in terris prædictis audiendi, eosque a peccatis eorum, de quibus confessi essent, absolvendi in forma Ecclesiæ consueta, & injungendi eisdem pænitentias salutares, concessit, auctoritate Apostolica liberam potestatem. Et deinde cum dicti Vicarius, & Fratres ad partes Russiæ in quibus ob infidelium multitudinem multa messis apparuit, & operarii pauci essent, ut partes ipsæ, quæ se exhibebant divinæ gratiæ aptiores per imbrem celestem irrigari, redderentur aptæ colentibus, declinassent, eædemque partes tamdem ur... superiori irrigari, madefacere, pro magna parte caperent verbum Dei ... in fecundam segetem pullularent, pro parte ipsorum Vicarii, & Fratrum ... ctæ Societatis qui tunc in partibus illis erant, exposito felicis recordationis Gregorio Papæ XI. ipsius Urbani nostri mediato successori prædecessori nostro, quod licet ipsi, & quilibet eorum in dictis, & nonnullis aliis partibus schismaticorum, & infidelium baptizandi, & predicta alia Sacramenta Ecclesiastica conferendi, & ligandi, & absolvendi, & nonnulla alia spiritualia faciendi haberent a Sede Apostolica plenariam facultatem, & ab obedientia S. R. E. ministris, cujus vigore nonnullas personas utriusque sexus Russiæ partium predictarum ad Chatholicam fidem, & ad obedientiam S.R.E. matris, & magistræ tantorum fidelium, reductas baptizaverant, eisque hujusmodi alia Sacramenta contulerant; quidam tamen Joannes presbyter Uratislavien. in terra Lamburgæ, Halicien. Diæcesis, Sacerdotem catholicum verbis se asserens sed factis negans, invidiæ stimulis concitatus, sicut inimicus homo in agro dominico zizaniam seminans, ponendo schismata, & errores inter fideles, & filios dictæ Romanæ Ecclesiæ, & eos a dicta Sede recedere, & ad infidelitatem, seu damnabilem ritum schismaticorum reducere temere, & damnabiliter faciendo, & obviando ne alii infideles, & schismatici ad fidem, & obedientiam reverterentur, eisdem publice coram fidelibus, necnon schismaticis, & infidelibus predicaverat, quod iidem Vicarius, & Fratres predictas non habuerint potestates, & propterea baptizati per eos rebaptizandi erant, & eis Sacramenta prædicta iterum conferenda, & absoluti denuo absolvendi erant, cum gesta per eos, ut falso referebat, efficaciam nec haberent, & propterea multi ex eisdem commissi, & absolutis ad infidel...

tis vomitum reversi fuerant, & alii a conversione salutifera retrahebantur; alii vero de suo statu quem credebant dubium, non sine multa prolixitate vacillabant, in ipsius Joannis, & aliorum, quos secum in æternæ mortis præcipitium protrahebat, animarum periculum, & manifestam damnationem, & scandalum gravissimum fidelium partium prædictarum. Idem Gregorius prædecessor ex his, ut asseruit, merito perturbatus, per quasdam suas litteras primo certis dedit Judicibus in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium, seu alios in terra prædicta, & alibi, ubi expedire viderent, eorum populis tam fidelibus, quam infidelibus, & schismaticis quibuscumque publicarent, & facerent solemniter publicari, quod iidem Vicarius, & Fratres baptizandi, & cetera alia spiritualia exercendi, quæ concessa eis a dicta Sede privilegia continebant, habebant plenariam facultatem, dictumque Joannem & alios contrarium asserere præsumentes, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, status, vel conditionis existerent, etiamsi Pontificali, vel alià qualibet dignitate fulgerent, ad desistendum ab hujusmodi falsis assertionibus per censuram Ecclesiasticam, ac suspensionem, & interdictum a prædicationis officio, & privatione quorumlibet aliorum officiorum suorum, & beneficiorum, necnon carcerationem, & alia opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus foret, auxilio brachii secularis, & per alias suas litteras idem Gregorius prædecessor eidem Vicario, necnon Fratribus dicti Ordinis, quos ad hoc duceret deputandos, in dicta Terræ Lamburgæ, & aliis ipsius Russiæ partibus ministrandi eisdem fidelibus, ac etiam Neophitis Sacramenta prædicta, & omnibus aliis privilegiis eis a dicta Sede concessis utendi, usque ad beneplacitum dictæ Sedis, contradictione cujuslibet non obstante, tribuit facultatem, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis, qui dicto Gregorio necnon felicis recordationis Urbano Papa VI. ipsius Gregorii immediato successore prædecessore nostro, sicut Domino placuit, sublatis de medio, successive, divina favente clementia, fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, pro parte vestra petitio continebat, quod iniquitatis filius Joannes Ruter, qui se gerit pro Rectore parochialis Ecclesiæ Terræ Lamburgæ, Halicen. Diœcesis, alteri Joanni præfato succedens in vitium, ac mala malis accumulans in reprobum sensum datus, & quidam alii sui complices in hac parte, nomen Domini in vanum recipere minime formidantes, vobis, qui eisdem Vicario, & Fratribus ad continuandum hujusmodi ministerii fructum legitime successistis, prætextu quarumdam litterarum conservatoriarum per nos sibi concessarum, quæ incipiunt: Frequentes hactenus, *circa præmissa de quibus in eis mentio non habetur, diversa quotidie impedimenta ministrarunt hactenus, & ministrant, inde sumentes molitæ temeritatis colorem, quod ipsius Russiæ partes, & specialiter dicta Terra Lamburgæ, Halicien. Diœcesis, licet adhuc Neophytos admixtos Schismaticis, & infidelibus habeant, tamen, jam pro magna parte clero, & populo Christiano lætantur. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut in favorem, & augmentum ipsius fidei Catholicæ, ne per hæc fructum hujusmodi deperire contingat, opportunis remediis, de benignitate Apostolica, providere dignaremur. Nos igitur ad continuandum in partibus illis salutis hujusmodi fructum, auctoritate dictorum prædecessorum tam salubriter inchoatum, & ut summotis inde universæ perfidiæ sentibus, puritas ibi fidei pullulans invalescat, felixque Russiæ patria, quæ etiam Christi gratia Catholico Rege, & orthodoxis Baronibus gaudet, fiat Christianæ gratiæ latitudo, ejusque devotionis fama se per partes ceteras totius Orbis extendat, caritatem vestram in caritatis Christi visceribus præsentibus excitamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus propter adversita-*

sitates hujusmodi, quæ per hostem humani generis ad impediendum dictum fructum procul dubio ingeruntur, tamquam fideles Ministri Satoris æterni, semen gratiæ in agro sterili non credentium animarum serere nullatenus desistatis, etiam Neophytorum & credentium animas confirmantes in fide, corda fidelium in luce sermonis, & rectitudine operis confortetis, ministerium prædictum, quantum possibile redditur, sine affectione curratis. Nos enim, ut magis & plenius ipsum vestrum ministerium prosperetur, quo majore fueritis auctoritate sufulti, prædicta Urbani, & Gregorii, & omnia, & singula alia privilegia vobis a prædicta Sede concessa, dummodo alias specialiter, & expresse revocata non sint per Sedem eamdem, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, & nihilominus in Ecclesia vestri Ordinis, Terræ Lamburgæ præfatæ pro Cathecumenis, & Neophitis, eorumque pueris.....jam diutius habuistis, prout etiam possitis in dicta vestra Ecclesia pro Baptismo infidelium ad fidem, & obedientiam prædictas venientium libere retinere, & illi ex vobis, qui præsentati fuerint venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Haliciensi, vel Primisliensi, confessiones omnium fidelium, seu Neophytorum audire tam in domibus infirmorum, quam in Ecclesia vestra, eosque a peccatis eorum, quibus confessi fuerint, nisi talia sint de quibus Sedes Apostolica sit merito consulenda, absolutionem in forma Ecclesiæ consueta, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, eisque in vestra Ecclesia terræ prædictæ, vel alibi, ubi, & quando vobis expedire videbitur, proponere publice verbum Dei; legata etiam, seu relicta in testamentis vel voluntatibus, ac alias per aliquem Dominorum Terræ Russiæ prædictæ, vel minoris Walachiæ, seu Podoliæ, ac etiam Tartariæ partium pro Ecclesiarum constructione, seu pro ornamentis, & libris, vel paramentis earum, seu pro indumentis vestris donata libere, aut alias ad vos translata legitime fuerint, etiam si talia imobilia bona sint, vigore præsentium, de nostra, & dictæ Sedis licentia, libere recipere, & ad eum hujusmodi usum ad quem deputata fuerint, integrabiliter licite retinere valeatis. De funeralibus vero apud Ecclesiam vel Conventum loci vestri eligentium sepeliri, canonicam portionem solvere teneamini, ita tamen, quod si eligentium hujusmodi corpora pro ultimo vale juxta morem ad parochialem Ecclesiam ex cujus Parochia assumuntur, deferri contingat, ipsius Ecclesiæ Rector portione funeralium, quæ tunc dimittuntur ibidem, tantummodo contentus existat, nec de aliis funeralibus, quæ apud vos remanebunt, neque de obligationibus seu offertoriis, quæ pro tempore vobis fuerint ubilibet, aut de spoliis apud vos sepultorum, nec de legatis vobis in ultimis voluntatibus per quosvis sepultos hujusmodi, nec aliam canonicam portionem solvere teneamini, plenam, & liberam auctoritate Apostolica, tenore præsentium, facultatem, & licentiam elargimur: impedientes vero, seu contradicentes per nos concessa superius declarata, excommunicationis sententiam, a qua præterquam in mortis articulo, non possint absolvi nisi a Romano Pontifice, incurrere volumus ipso facto: & tam felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit: Super Cathedram, & Clementis VI. quæ incipit. Dudum a Bonifacio, quam etiam aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus ac statutis Apostolicis, privilegiis, indultis, & aliis in contrarium editis, nequaquam obstantibus, seu Archiepiscopi, Episcopi, vel Rectoris cujuscumque, aliorumque Prælatorum Cathedralium, & Parochialium Ecclesiarum contradictionibus, consuetudinibus, necnon inhibitionibus quomodolibet non obstan. quibuscumque. Nos enim decernimus irritum, & inane quidquid in contrarium per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter conti-

ge-

gerit attentari. Nulli ergo nostrarum confirmationis, communitionis, & concessionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, VIII. Idus Januarii, anno X.

§. III. Bonifacius &c. Ad futuram rei memoriam. Et si ex debito sollicitudinis pastoralis quibuslibet religiosis personis esse nos deceat in suis opportunitatibus favorabiles & benignos, tamen Fratres Minores ferventiori spiritus ardore succensos, qui non timentes, sed amantes barbaras Tartarorum, Walacorum, Rutenorum, Erminorum nationes ad illorum conversionem pergunt intrepidi, ut valeant ad aream Dominicam multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem, affectuosiori studio confovere tenemur, ut in eorum sanctis operibus, per quæ fides catholica pullulat, & sonus eorum in omnem terram dulciter intonat, nil eos impediat, vel perturbet, sed nostræ sollicitudinis studio, amotis ab eis litium anfractibus, & turbinibus commotionum quibuslibet, placidæ quietis dulcedine gratulentur. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Leonardi, dilecti filii Henrici Generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum, in partibus Rusciæ Vicarii, & aliorum Fratrum ipsius Ordinis, societatis peregrinantium, ad prædicandum Verbum Dei infidelibus, secundum Evangelicam veritatem, & Apostolicam, atque dictæ Sedis documenta, per Sedem Apostolicam destinatorum, in eisdem partibus commorantium, nobis nuper exposito, quod licet Vicarius, & Fratres Societatis, & Ordinis prædictorum in ipsis, & certis aliis partibus Schismaticorum, & infidelium pro tempore commorantes, baptizandi, & alia sacramenta Ecclesiastica conferendi, ac ligandi, & absolvendi, ac nonnulla alia spiritualia faciendi haberent a Sede Apostolica plenariam facultatem, cujus vigore nonnullas personas utriusque sexus partium prædictarum per eos ad catholicam fidem, & ad obedientiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cunctorum Christifidelium matris, & Magistræ reductas baptizaverant, eisque hujusmodi, & alia sacramenta Ecclesiastica contulerant, ac ipsas a peccatis earum absolverant, & alia fecerant secundum prædictam eis traditam facultatem, ac felicis recordationis Gregorius Papa XI. prædecessor noster hujusmodi facultatem populis tam fidelibus, quam infidelibus, & schismaticis ipsarum partium per suas certi tenoris litteras intimasset ac mandasset, & fecisset publicari, tamen venerabilis frater noster Matthias Episcopus Primislien. eos super præmissis contra tenorem prædictarum concessionum gravando, & molestando, prætextu quarumdam litterarum nostrarum, per dilectum filium Joannem Roten. asserentem se Rectore parochialis Ecclesiæ in Lamburga, Halicien. diœcesis præfatarum Russiæ partium a nobis tanto de præmissis, ut asseritur, obtentarum, per quas ipsum Matthiam Episcopum, una cum quibusdam aliis collegatis suis eorum propriis nominibus non expressis, conservatorem ad faciendum observari per Vicarium, & Fratres hujusmodi, & ipsum Joannem constitutionem fel. recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, quæ incipit: Super Cathedram, duximus deputandum, ipsum Leonardum, & Fratres ad instantiam dicti Joannis coram se citari fecerat, & nonnulla gravamina contra tenorem dictorum concessionum eis intulerat, & nihilominus postquam ipsi Vicarius, & Fratres ab eodem Matthia Episcopo, & citatione hujusmodi, ac præmissis, & nonnullis aliis impedimentis, perturbationibus, molestationibus, vexationibus, & gravaminibus tunc expressis, per eumdem Matthiam Episcopum eis illatis, ad Sedem appellarant eamdem, ipse Matthias Episcopus hujusmodi appellationi non deferens, post eamdem appellationem legitime interpositam, ut præfertur, diversas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias in eosdem Vicarium, & Fratres, ac ipsorum domos, & Ecclesias, prætextu dictarum ulti-

timarum litterarum, de facto promulgarat. Nos tunc ad instantiam eorumdem Vicarii, & Fratrum venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Halicien. & duobus aliis suis in hac parte collegatis, eorum nominibus propriis non expressis, per nostras litteras commisimus, ut vocatis, qui forent evocandi, de præmissis summarie, & simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii, se diligenter informarent, & si per informationem hujusmodi invenirent ita esse, cum nostræ intentionis non fuisset per dictas nostras litteras præfatam facultatem eisdem Vicario, & Fratribus, ut præfertur, concessam revocare, seu ei quovis modo derogare, præfatos Vicarium, & Fratres a prædictis excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, & ab impetitione dicti Joannis absolverent, eique, & aliis, quorum interesset, aut interesse posset, super impedimentis, perturbationibus, vexationibus, gravaminibus, & molestationibus hujusmodi perpetuum silentium imponerent, & nihilominus facultatem ipsam per dictam Sedem ipsis Vicario, & Fratribus, ut præmittitur, concessam facerent, auctoritate nostra, inviolabiliter observari, contradictores auctoritate nostra &c. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Vicarii, & Fratrum petitio continebat, ipsi Vicarii, & Fratres conspicientes quod per hujusmodi controversias, quæ inter eos ex una parte, nec non prædictum Joannem exortæ fuerant, fides prædicata decresceret, sive diminueretur multifarie, & etiam plerique prædictorum Fratrum lites execrando, & considerando quod per hujusmodi controversias in partibus illis magna scandala crebrius orirentur, & illis obviare, ac eas amicabiliter terminare affectantes. Tamdem Vicarius, & Fratres, & Joannes præfati in quatuor arbitros arbitratores, & amicabiles compositores tunc expressos super eisdem controversiis, & discordiis, quæ inter eos, occasione privilegiorum, & litterarum Apostolicarum prædictarum vigebant, sub certa pœna compromittere curaverunt; ipsi arbitri hujusmodi compromisso in se suscepto, & ejus forma non servata, numquam tulerunt arbitrium inter partes, quod tamen fuit ex utraque parte sponte susceptum. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, postea dicti Vicarius, & Fratres conspicientes, quod per hujusmodi arbitrium nedum hujusmodi privilegiis Vicario, & Fratribus ipsis a Sede prædicta concessis, sed etiam fidei derogaretur eidem, ipsique Vicarius & Fratres per illud enormiter & graviter læderentur, ac eisdem Vicario, & Fratribus redderetur pene impossibile, quod arbitrium possent hujusmodi pro tempore observare, pro parte dictorum Vicarii, & Fratrum asserentium, quod etiam dictum arbitrium absque scitu, & consensu, seu ratificatione dicti Ministri Provincialis de facto prolatum extiterit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eosdem Vicarium, & Fratres, ab hujusmodi excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis simpliciter, vel ad cautelam absolvere, ac dictum arbitrium declarare nullum, necnon alias eorumdem Vicarii, & Fratrum statui in præmissis pie consulere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, cujus interest, statum omnium præmissorum habentes præsentibus pro expresso, ac hujusmodi supplicationibus inclinati, eosdem Vicarium, & Fratres ab omnibus prædictis excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, auctoritate Apostolica ad cautelam absolvimus per præsentes, necnon processus per eumdem Matthiam Episcopum contra eosdem Vicarium, & Fratres conjunctim, vel separatim ad instantiam dicti Joannis, ut præmittitur, quomodolibet factos, ac compromissum, & arbitrium hujusmodi, auctoritate Apostolica, tollimus, revocamus, & annullamus, ac nullius esse decernimus roboris, vel momenti, & eosdem Vicarium, & Fratres in eo statu, in quo erant ante processus, & arbitrium hujusmodi plenarie restituimus auctoritate prædicta, & nihilominus tam eisdem Vicario,

& Fra-

& Fratribus super irregularitate, si quam hujusmodi sententiis, aut earum aliqua forsan ligati, divina officia, non tamen in contemptum clavium celebrando, sive ministrando se illis contraxerunt, etiam ad cautelam, de uberioris dono gratiæ, auctoritate præfata dispensamus, nec non abolemus omnem infamiæ maculam sive notam per eos præmissorum occasione contractam, præmissis, ac constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque: Decernentes irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli &c. nostræ absolutionis, revocationis, annullationis, constitutionis, dispensationis, abolitionis infringere. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, VIII. Idus Januarii, anno X.

§. IV. Postmodum vero, videlicet, XI. Kalend. Januarii, Pontificatus nostri, anno XIV. nonnullas annullationes, cassationes, & revocationes diversarum gratiarum & facultatum per nos prius diversis Ecclesiis, Monasteriis, & piis locis, ac personis Ecclesiasticis, secularibus, & regularibus, etiam Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, sub variis tenoribus concessas fecimus tunc expressas.

§. V. Cum autem, sicut nuper accepimus, a nonnullis asseratur, quod etiam prædictæ littteræ comprehendantur sub annullationibus, cassationibus, & revocationibus antedictis, aliis oppositum asserentibus in hac parte, propterea contra Vicarium, & Fratres præfatos, ac etiam inter noviter conversos ad fidem prædictam per eosdem Vicarium, & Fratres, necnon Neophytos & infideles earumdem partium scandala suscitentur, etiam non absque detrimento fidei memoratæ. Nos ad hujusmodi ambiguitatis tollendum dubium, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, tenore præsentium, declaramus, prædictas litteras non fuisse, nec esse sub eisdem annullationibus, cassationibus, & revocationibus comprehensas, decernentes, prout est irritum & inane &c. attentari. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Idus Februarii, anno XIV.

LXIV.

Ut possint admittere duo Cœnobia in provincia sancti Francisci, & Tusciæ. Ex lib. 2. anni 14. fol. 30.

Dilectis filiis Joanni de Stronconio, & aliis Fratribus Ordinis Minorum in provincia sancti Francisci, & Tusciæ, secundum morem dicti Ordinis.

SAcræ vestræ Religionis, sub qua &c. Vestris igitur in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, fili Joannes, qui ut asseris, Vicarius dilecti filii Nicolai de Perusio Ministri provinciæ sancti Francisci, sive potius Henrici de Ast, Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum, supra certa loca, sive eremitoria solitaria & devota prædicti Ordinis in provincia sancti Francisci, & Tusciæ, secundum morem dicti Ordinis consistentia, per eumdem Ministrum deputatus existis, ac tuo in hujusmodi officio successori, necnon vobis, filii alii Fratres, recipiendi duo loca, sive eremitoria pro usu & habitatione vestris in Italia, ad hoc Diœcesani loci, vel alicujus alterius licentia minime requisita, si loca, sive eremitoria hujusmodi vobis simul, vel successive, largitione fidelium, concedantur; & etiam sive sint Clerici, sive laici, qui vobis illa concesserint, & in utroque ipsorum locorum, dummodo ad hoc sint congrua & honesta, & vobis videatur, fundandi, & ædificandi, & construendi singulas Ecclesias cum cœmeterio, campanili, campana, *Ut in Constit. 5. hujus Pontificis.*

do-

domibus, & aliis neceſſariis officinis, & loca ipſa perpetuo habendi, & retinendi; fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. non obſtan. jure tamen parochialis &c. ſalvo, licentiam elargimur. Volentes, & vobis auctoritate Apoſtolica concedentes, quod vos, vel alii Fratres dicti Ordinis, qui &c. gaudent, ſeu etiam potiuntur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum x. Kalendas Aprilis, anno XIV.

LXV.

Fit Pœnitentiarius Baſilicæ ſancti Petri. Ex lib. 2. an. 15. fol. 105.

Dilecto filio Joanni Juliano de Bononia, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

Vide ut ſupra.

SAcræ Religionis &c. honoremus. Hinc eſt quod nos de perſona tua, præmiſſorum obtentu, plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in noſtrum Pœnitentiarium Minorem, in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, cum omnibus emolumentis, honoribus, & oneribus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, conſtituimus, facimus, ac etiam deputamus: tibi eadem auctoritate concedentes, quod tu hujuſmodi officium Pœnitentiariæ, ſicut alii Minores Pœnitentiarii noſtri in prædicta Baſilica fideliter gerere, & exercere libere & licite poſſis: conſtitutionibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum XVI. Kalend. Januarii, anno XV.

Finis Bullarum Bonifacii IX.

ANNO CHRISTI 1403.	BONIFACII IX. ANNO 15.	BENEDICTI XIII. ANTIP. ANNO 9.

Paucula hæ Bullæ nobis occurrerunt ex Tomo uno Regeſti Benedicti XIII. Antip. poſt ſcriptum a nobis hunc Tomum. Eas hic damus, ne pereant.

BULLA I. BENEDICTI XIII.

Concedit ei domum in territoria Lievanæ. Ex Reg. Vatic. lib. 1. ann. 9. fol. 23.

Dilecto filio Roderico de Villala, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

Vide in Regeſto Tom. 6. fol. 471.

SInceræ devotionis affectus &c. favorabiliter admittamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua &c. quod olim fama publica referente, quod habitatores territorii de Lievana, Legionen. diœceſis in fide Catholica plurimum errabant, tu licentia canonica ſuper hoc obtenta, ad præfatum territorium perſonaliter accedens, verbum Dei præfatis habitatoribus propoſuiſti, propter quod multi ipſorum nunc fidem ipſam profitentur. Quare quidam locus inibi conſiſtens ad tui, ac tuorum Ordinis Fratrum Minorum uſum tibi collatus extitit, tuque poſtmodum etiam habita ſuper hoc a Generali, & Provinciali Miniſtris dicti Ordinis licentia, locum hujuſmodi recipiens, in eo domum, cum Eccleſia ad uſum prædictum conſtruxiſti, in qua quinque dicti Ordinis Fratres reſident de præſenti. Nos igitur tuis in hac parte &c. inclinati, licentiam a præfatis Miniſtris tibi conceſſam, ut præ-

præmittitur, ratam, & gratam habentes, tibi in præfato loco ad usum decem, aut plurium Fratrum ejusdem Ordinis domum, cum Ecclesia, campanili, campana, & aliis necessariis officinis construendi, & ædificandi, ac ipsos Fratres, juxta dicti Ordinis regulam, corrigendi, tenore præsentium, licentiam elargimur, jure parochiali, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo &c.

Datum apud Pontem Sorgiæ, Avenionen. diœcesis II. Nonas Augusti, anno IX.

II.

Ut quædam fieri curet in Cœnobio Muri Veteris a Regina Aragonum constructo. Ibidem fol. 258.

Venerabili fratri Episcopo Valentin.

§. I. Eximiæ devotionis affectus, quo carissima in Christo filia nostra Maria Regina Aragonum illustris, nos & Romanam Ecclesiam reveretur, non indigne meretur, ut petitionibus suis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Nuper siquidem pro parte dictæ Reginæ nobis fuit expositum, quod ipsa devotionis ardore, quem ad Ordinem Fratrum Minorum gessit hactenus, & nunc gerit, quamdam domum inter deserta territorii Muri Veteris, Valentin. diœcesis, cum Ecclesia, & sub vocabulo sancti Spiritus, ad usum Fratrum dicti Ordinis, justo titulo construi fecit. Nos igitur de iis certam notitiam non habentes, ac cupientes præfatam Reginam attollere in hac parte, ejus supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, auctoritate nostra statuas & ordines, quod Guardianus & Vicarius in dicta domo vice prima deputandi, de voluntate & consensu ipsius Reginæ, per dilectum filium Franciscum, eximium ejusdem Ordinis professorem, Magistrum in Theologia, vel alium, quem ipsa ad hoc elegerit, deputentur, ac ipsorum Guardiani & Vicarii successores per Fratres dictæ domus, aut eorum majori parte de triennio in triennium, alias tamen canonice eligantur, qui eorum officia possint, juxta Instituta dicti Ordinis, absque alicujus confirmatione exercere; & quod Guardianus, & Fratres dictæ domus, recipi cupientes ibidem in Fratres, recipere, & professionem ipsorum admittere, necnon Guardianus ipse, casus per constitutiones approbatas dicti Ordinis reservatos, duobus ex ipsis Fratribus, de consilio ceterorum committere, & in ejus absentia dictus Vicarius Fratres dictæ domus, unum, vel plures, per totam provinciam Aragonum, secundum morem ipsius Ordinis, legitima de causa mittere, & illos Fratres dictæ provinciæ, quos voluerint, quorumque ad id consensus accesserit, ad dictam domum adducere, qui in ea, de consilio tamen & licentia Fratrum antiquorum & discretorum dictæ domus, habeant residere: necnon Fratres ipsius domus, ratione delicti & scandali, de consilio hujusmodi ac statutis dicti Ordinis laudabiliter observatis, visitare, corrigere, punire, expellere, vel incarcerare libere & licite valeant; iique Guardianus, Vicarius, & Fratres domus hujusmodi, eorumque familiares ab omni exactione, & quarumcumque pecuniarum, ratione expensarum Prælatorum dicti Ordinis, cujuscumque status & conditionis fuerint, solutione & satisfactione sint liberi penitus & immunes. Et insuper quod Minister ipsius Ordinis in dicta Provincia pro tempore existens non possit Fratres dictæ domus

ab ea removere, vel alibi mittere, sine voluntate dicti Guardiani & Fratrum antiquorum & discretorum dictæ domus; nec etiam dictum Guardianum visitare, corrigere, & punire, nisi solum & dumtaxat ratione delicti, vel scandali, ac de consilio sex, aut quatuor Fratrum antiquorum & discretorum ipsius domus, statutisque, ut præmittitur, observatis: non obstantibus quibuscumque &c.

Datum apud Pontem Sorgiæ, Avenionen. diœcesis XVII. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno IX.

III.

Ut quorumdam Sanctorum festivitates ritu duplici celebrent. Ibidem.

Dilectis filiis Guardianis & Fratribus Conventuum Ordinis Minorum in civitate & diœcesi Valentin. provinciæ Terraconen. consistentium.

Ut in Constit. 15. Bonif. IX. Exigit vestræ devotionis &c. favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitionis series continebat, quod vos ad gloriosos Sanctos Vincentium martyrem, & Alfiasium Confessorem, ac beatam Catarinam Virginem gerentes specialem devotionis affectum, ac zelo devotionis accensi eorumdem Vincentii, Alfiasii, & Catarinæ festivitates desideratis, ad divini nominis honorem & gloriam, exaltationem Catholicæ fidei, salutemque fidelium in vestris Ecclesiis, sub duplici officio celebrari. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis licentiam, hujusmodi festivitates, sub duplici officio celebrandi, concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi vestrum laudabile desiderium in Domino commendantes, vestris supplicationibus inclinati, festivitates prædictas, per universas Ecclesias & loca vestra in dictis civitate & diœcesi consistentia, sub duplici officio perpetuis temporibus, solemniter celebrandi, devotioni vestræ, auctoritate præsentium, licentiam elargimur. Nulli ergo &c.

Datum apud Pontem Sorgiæ, Avenionen. diœcesis V. Kal. Septembris, Pontificatus nostri, anno IX.

IV.

Confirmat donationem factam Monasterio Tertiariorum sanctæ Catarinæ de Monte de Faro. Ibid. fol. 263.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Iis, quæ pro utilitate Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, ac personarum in eis Domino famulantium provide facta sunt, ut illibata consistant, libenter adjicimus Apostolici muniminis firmitatem.

§. II. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Ministri, & Fratrum domus sanctæ Catarinæ de Monte de Faro Tertii Ordinis sancti Francisci, Fratrum de Pœnitentia nuncupatorum, Compostellan. diœcesis petitio continebat, quod olim venerabilis frater noster Lupus, Episcopus Midonien. propter evidentem necessitatem dictæ domus, & ut Fratres ipsi ibidem Domino famulando possent congrue sustentari, parochialem Ecclesiam sanctæ Mariæ de Minio, Midonien. diœcesis tunc vacantem, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, de dilectorum filiorum Ferrandi, Petri de An-

Andrade militis dictæ diœcesis veris patronis ipsius parochialis Ecclesiæ, in possessionem pacificam juris præsentandi personam idoneam ad ipsam Ecclesiam, cum eam hactenus vacare contigerit; necnon ad hoc vocatorum Capituli Midonien. expresso consensu, præfatis Ministro & Fratribus perpetuo donavit, per Ministrum dictæ domus, qui tunc erat, & esset in futurum, perpetuo regendam & etiam gubernandam, prout in quibusdam ipsius Episcopi litteris ejus sigillo signatis inde confectis, quorum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte ipsorum Ministri, & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi hujusmodi robur confirmationis adjicere, & omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eadem, supplere ex certa scientia, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos igitur ipsorum Ministri, & Fratrum supplicationibus inclinati donationem hujusmodi, ac omnia & singula in eisdem litteris contenta, rata & grata habentes, illa Apostolica auctoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in præmissis: tenor vero dictarum litterarum talis est: *In Dei nomine. Amen. Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos Lupus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Midonien. Episcopus, vocatis per campanam, uti moris est, ad negotium infrascriptum Decano, Personis, & Canonicis nostræ Ecclesiæ Midonien. cum consilio & consensu ipsorum, consentiente siquidem Ferrando Petri de Andrade Milite patrono Ecclesiæ infrascriptæ, & habito super hoc conventu, concedimus, & in perpetuum donamus totam Ecclesiam sanctæ Mariæ de Mignio, cum omnibus decimis, oblationibus, juribus, pertinentiis, & obventionibus suis Monasterio sanctæ Catarinæ de Monte de Faro, Tertiæ Regulæ sancti Francisci, Compostellan. diœcesis, & hoc propter indigentiam & paupertatem dicti Monasterii, & ut cultus divinus augeatur, & Religiosi ibidem commorantes debitum Deo possint impendere famulatum, utque frater Lupus Minister dicti Monasterii, & etiam alii Ministri pro tempore successores per se, vel alium celebrent in eadem Ecclesia officia divina, & parochianis dictæ Ecclesiæ impendant ecclesiastica sacramenta. In cujus rei testimonium præsentes litteras sibi concessimus sigilli nostri appensione munitas, ac nomine nostro roboratas, & per Notarium infrascriptum signatas. Datum apud Villam majorem civitatis nostræ Midonien.* VI. *die mensis Januarii, anno Domini* MCCCXCVI. *præsentibus testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, Joanne Didaci Licentiato in decretis, Joanne Roderici Canonico Seguntin. Vicario dicti Domini Episcopi, Ferdinando de Parega, & aliis. Et ego Lupus Didaci Clericus, Midonien. diœcesis, auctoritate ordinaria publicus Notarius ad omnia & singula supradicta, una cum prænominatis testibus præsens istud publicum instrumentum, aliis negotiis arduis occupatus, in mei præsentia scribi feci, ac signo meo assueto signavi, in testimonium omnium præmissorum, ad hoc vocatus specialiter & requisitus L. Episcopus Midonien. Lupus Didaci Notarius.* Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum apud Pontem Sorgiæ, Avenionen. diœcesis VI. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno IX.

Finis Bullarum Benedicti XIII. Antipapæ.

INNOCENTIUS VII.

Electus est anno Christi MCCCCIV. XVI. *Kalendas Novembris*.

ANNO CHRISTI 1404. INNOCENTII VII. ANNO I.

I.

Ut admittant domum in oppido Athiæ. Ex ipso Originali.

Dilectis filiis Vicario N. de mandato Angeli Coriarii, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Bosnæ, secundum morem ejusdem Ordinis.

Vide Constit. 53 Bonif. IX. SAcræ Religionis, sub qua sæculi abdicatis illecebris devotum &c. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Joannis de Maroth Bani Machovien. Quinqueecclesien. diœcesis petitio continebat, ipse zelo devotionis accensus, cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis sibi a Deo collatis, in quodam suo oppido *Athia* nuncupato, dictæ diœcesis in loco ad hoc congruo & honesto, pro suæ animæ salute, & divini cultus augmento, quamdam domum cum Ecclesia &c. & aliis necessariis officinis, sub vocabulo, & ad honorem sancti Spiritus, pro usu & habitatione unius Guardiani, & Fratrum Ordinis, qui ibidem resideant, & deserviant laudabiliter in divinis, canonice fundaverit, pro parte ipsius Bani nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis domum prædictam cum Ecclesia &c. licentiam elargimur. Et insuper Guardiano & Fratribus ipsis, quos in ipsa domo pro tempore morari contigerit, de uberiori dono gratiæ, concedimus, quod omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus & indulgentiis uti & gaudere possint, quibus alii Fratres prædicti Ordinis in quibusvis domibus ipsius Ordinis commorantes gaudent, seu quomodolibet potiuntur: jure tamen parochialis Ecclesiæ semper salvo &c. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii, x. Kalendas Novembris, anno I.

II.

Ut det facultatem transferendi Monasterium Interambos-rivos. Ex ipso Originali.

Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Tirsi de Ripaanis, Portugallen. diœcesis.

Vide ut supra. §. I. SAcræ Religionis, sub qua dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus Monasterii Interambos-rivos, Ordinis sanctæ Claræ, Portugallen. diœcesis &c. Sane carissimæ in Christo filiæ Philippæ Portugalliæ & Algarbii Reginæ illustris, ac earumdem Abbatissæ & Conventus petitio nobis nuper exhibita continebat, quod quia dictum Monasterium in solitudine, necnon inter quosdam montes procul ab habitatione hominum consistit, nonnumquam, & præcipue vigentibus guerris in regno Portugalliæ; & quia etiam murorum caret ambitu, seu præsidio, hostibus, & aliis hominibus frequens ad illud patet accessus, ac disciplina & observantia regulares, necnon pietatis opera usquequaque non vigent in eodem.

§. II. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, prædicta Abbatissa & Con-

& Conventus ad civitatem Portugallen. seu alium munitum, & ad id aptum locum, in quo magis tute & quiete Domino famulari valeant, transire, & in illo novum Monasterium cum Ecclesia &c. campanili, campana, hortis, hortalitiis, domibus, & aliis necessariis officinis, pro earum habitatione construere, necnon perpetuo residere desiderant, pro parte Reginæ, ac Abbatissæ & Conventus prædictarum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis Abbatissæ & Conventui super hoc salubriter providere, de speciali gratia dignaremur.

§. III. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de præmissis omnibus & singulis, auctoritate nostra, te diligenter informes, & si ita esse reperias, eisdem Abbatissæ & Conventui alium locum ad id congruum & honestum, si quem in civitate prædicta, vel alibi in eodem regno, largitione fidelium, vel alio justo titulo legitime per ipsas acquiri contingat, recipere, ac in illo hujusmodi novum Monasterium cum Ecclesia &c. construi facere: necnon postquam constructum fuerit, de veteri Monasterio, in quo modo resident, transire, ac in illo sub observantia regulari ejusdem Ordinis vivere perpetuo possint, & debeant libere ac licite, constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, licentiam largiaris: jure tamen parochialis Ecclesiæ & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Volumus autem, & eisdem Abbatissæ & Conventui auctoritate præfata concedimus, quod si dictam licentiam per te ipsis fieri contingat, in eodem novo Monasterio omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus & exemptionibus, veteri Monasterio hujusmodi a Sede Apostolica, seu alias quomodolibet concessis, etiam gaudere & potiri debeant Abbatissa & Conventus antedicti. Proviso tamen, quod Ecclesia dicti veteris Monasterii ad profanos usus, velut hæreditas, minime transferatur; quodque in illa pro tempore per aliquem idoneum Sacerdotem, cui de proventibus ejusdem veteris Monasterii congrue provideatur, Missæ, necnon alia divina Officia congrue celebrentur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, IV. Idus Martii, anno I.

III.

Tempus Officii Ministrorum Provincialium, & Abbatissarum sanctæ Claræ Ordinis limitatur. Ex ipso Originali autographo.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Romanus Pontifex in eminenti Apostolicæ dignitatis specula constitutus a Deo, in Ecclesia militanti Hierarcha summus existit, & super omnes mortales obtinens principatum, sedensque in solio judicii cum tranquillitate judicat, & suo intuitu dissipat omne malum.

§. II. Cum itaque nuper fide digna relatione noverimus, in Ordine Minorum beati Francisci, qui in agro plantatus Dominico fructus produxit uberrimos in Ecclesia militante, per quos fides Catholica pullulat, & sonus eorum in omnem terram dulciter intonat, nonnullos ambitione officiorum, & administrationum in eodem Ordine continuo gerendorum, ac cecitate seductos ut in illa possint perpetuare, ac continuare diutius, in eorum salutis interitum, dissentiones & scandala suscitare, &, quod deterius est, secularium Principum & Magnatum excitare potentias, quibus suffulti nequeant

per

per eorum Superiores ab administrationibus eorumdem suspendi, vel quomodolibet amoveri. Nos attendentes, quanti possit esse discriminis, talibus studiis inhaerere, & cupientes ambitionibus perniciosis, ac studiis hujusmodi scandalosis finem imponere, ad hoc ut contemplationi deditos nihil impediat, sed cum Maria sedentes ad pedes Domini, intendant jugiter divinis operibus, & in vera tranquillitatis pace queant perpetuo deservire, ex certa scientia, & auctoritate Apostolica, praesentium tenore decernimus & statuimus, quod omnes & singuli Ministri Provinciarum quarumlibet, secundum Instituta dicti Ordinis, qui hactenus officium Ministeriatus alicujus Provinciae in dicto Ordine, seu infra ipsum ultra decimum annum, a die electionis eorum computandum, quomodolibet exercuerint, & nunc exercent, sint, & esse intelligantur ex nunc ab officio & administratione hujusmodi Ministeriatus protinus absoluti, eosque, & eorum quemlibet nihilominus absolvimus per praesentes. Et quod de cetero nullus Minister alicujus Provinciae,qui pro tempore fuerit in praefato Ordine, possit, vel debeat ultra terminum sex annorum a die electionis de eo factae, per se, vel alium in dicto officio permanere, nec officium ipsum absque speciali Sedis Apostolicae licentia plenam & expressam facientem, ac de verbo ad verbum mentionem ... quomodolibet exercere.

§. III. Et quia similis ambitio stimulat, sicut accepimus,nonnullas etiam Abbatissas Monasteriorum Ordinum Minorissarum sanctae Clarae, seu sancti Damiani Monialium, Ordinis Minorum praefati sancti Francisci, & ipsius gubernationi commissarum, scientia & auctoritate, & ex causis supradictis, etiam statuimus ac decernimus, quod nullae Abbatissae Monasteriorum Minorissarum sanctae Clarae, vel sancti Damiani Ordinum praefatorum, vel alicujus eorum, tam praesentes, quam quae pro tempore fuerint, possint, vel debeant per se, vel alias, ultra tempus decem annorum, a die electionis earum computandorum, in officio Abbatissatus earum, vel alicujus earum quomodolibet remanere, vel ipsum exercere; constitutionibus Apostolicis, gratiis & confirmationibus factis, necnon statutis, vel consuetudinibus Ordinum praedictorum, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque; irritum & inane censentes ex nunc, si secus a quoquam, & quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit quomodolibet attentari. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii x. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno II.

IV.

Ex Poenitentiaria Ecclesiae Lateranen. transfertur ad Poenitentiariam basilicae sancti Petri. Reg. Vat. ex lib. 3. Innocentii VII. fol. 97.

Dilecto filio Laurentio de Sabina de Urbe, Ordinis Fratrum Minorum professori, in basilica Principis Apostolorum de Urbe Poenitentiario nostro.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas, providentia spiritualium, & alia multiplicia probitatis, & virtutum tuarum merita, quibus personam tuam fide dignis percepimus insignitam testimoniis, promerentur, ut te gratiis & condignis favoribus honoremus. Hinc est quod nos de persona tua praedicta, praemissorum obtentu, plenam in Domino fiduciam obtinentes, te qui Ordinis Fratrum Minorum professor existis &c. ut asseris, per plures annos in Ecclesia Lateranen. Poenitentiarius fuisti, in Poenitentiarium nostrum in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, usque ad beneplacitum nostrum, constituimus, & etiam ordinamus, tibi, tenore praesentium,

tium, committentes, ut hujuſmodi officium Pœnitentiariæ in eadem Baſilica, ſicut alii noſtri in dicta Baſilica Pœnitentiarii illud &c. exequaris &c.
Datum Viterbii, 11. Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno II.

V.

Confirmatur unio, & incorporatio Eccleſiæ parochialis Monaſterio Spoletano. Ibid. fol. 5.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ inter Angelos Spoletan. Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. Sacræ devotionis ſinceritas, ſub qua devotum exhibetis Domino famulatum, promeretur, ut votis veſtris, illis præſertim per quæ conſcientiæ pacem conſequi valeatis, veſtriſque, ac Monaſterii veſtri utilitatibus conſulatur, favorabiliter annuamus. Procemium.

§. II. Sane dudum pro parte veſtra fel. rec. Bonifacio Papæ IX. prædeceſſori noſtro expoſito, quod olim propter guerras, quæ in partibus illis vigebant, ipſum Monaſterium, quod tunc *de Ciciano* vocabatur, & prope Spoletum conſiſtebat, & etiam domus, ædificia, & officinæ, in quibus tunc habitabatis, adeo deſtructa erant, quod ibidem habitare, ac etiam fructus, & reditus dicti Monaſterii adeo attenuati fuerant, quod ultra centum & ſexaginta florenorum auri ſummam, ſecundum communem æſtimationem non valebant annuatim: & quod exinde vos, & Moniales dicti Monaſterii, quæ novem erant numero, ſuſtentari congrue non poteratis: quodque apud parochialem Eccleſiam ſancti Gregorii Minoris Spoletan. quæ a Monaſterio ſancti Eutychii de Nurſia, Ordinis ſancti Benedicti, Spoletan. diœceſis, dependebat, certæ domus ipſius Monaſterii ſanctæ Mariæ in civitate Spoletan. conſiſtebant, ad quas vos transferri; & ibidem, tamquam in loco ad id magis apto, congruo & honeſto, & ubi poteratis Domino quietius famulari, novum Monaſterium ſub vocabulo dictæ ſanctæ Mariæ inter Angelos, & novam domum cum ædificiis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro habitatione veſtra conſtruere, ac ibi perpetuo remanere deſiderabatis, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ accederet aſſenſus: & quod etiam prædicta Eccleſia ipſi antiquo Monaſterio perpetuo uniretur, & pro parte veſtra, quæ aſſerebatis, quod etiam dilecti filii Antonii Abbatis Monaſterii ſancti Eutychii accederet aſſenſus, quod eadem Eccleſia ipſi antiquo Monaſterio perpetuo uniretur, eidem prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut dictam Eccleſiam, cujus reditus & proventus ſexaginta florenorum auri, ſecundum eamdem æſtimationem valorem annuum, ut etiam aſſerebatis, non excedebant, eidem antiquo Monaſterio perpetuo incorporare, annectere & unire, ac vos de loco, in quo tunc degebatis, ad dictam civitatem tunc transferendi, & in loco, ubi domus prædicta conſiſtebat, ut præfertur, hujuſmodi Monaſterium & domus nova, cum eiſdem ædificiis, hortis, hortalitiis, & aliis officinis novis, pro habitatione veſtra prædicta conſtruendi, vobis licentiam concedere, & alias ſuper præmiſſis veſtro & dicti antiqui Monaſterii ſtatui ſalubriter providere dignaretur. Idem prædeceſſor per ſuas litteras dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Petri de Monte, dictæ diœceſis, ejus nomine proprio non expreſſo, ſuis dedit litteris in mandatis, ut ſi eſſet ita, prædictam Eccleſiam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis antiquo Monaſterio prædicto, auctoritate Apoſtolica, perpetuo incorporaret, annecteret & uniret; ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Eccleſiæ, qui tunc erat, vel Eccleſiam ipſam alias quomodolibet dimittente, liceret vobis ejuſdem Eccleſiæ cor-

Petitio Bonifacio IX. facta.

Ejuſdem Pontificis Bonifacii proviſio.

corporalem poſſeſſionem libere apprehendere, & perpetuo retinere, Diœceſani loci, & cujuſcumque alterius ſuper hoc licentia, vel conſenſu minime requiſitis. Proviſo tamen, quod congrua portio pro perpetuo Vicario in ipſa Eccleſia Domino ſervituro de ipſius Eccleſiæ fructibus, reditibus & proventibus antedictis aſſignaret: de qua idem Vicarius valeret congrue ſuſtentari, epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia ſibi onera ſupportare.

Et privilegia.

§. III. Et nihilominus vobis, ut de ipſo antiquo Monaſterio, ſeu loco, in quo tunc degebatis, ut præfertur, ad eumdem locum, ubi domus præfatæ conſiſtebant, tranſire, ac Monaſterium & domum novam hujuſmodi cum ædificiis eiſdem novis, hortis, hortalitiis, & aliis officinis conſtruere, & ibidem perpetuo reſidere poſſetis, licentiam, auctoritate præfata, concederet. Et voluit idem prædeceſſor, quod omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus & immunitatibus uti, & gaudere valeretis, poſtquam hujuſmodi Monaſterium & domum novam conſtruxiſſetis, & ad illa tranſiviſſetis, quibus in eodem antiquo Monaſterio, in quo tunc degebatis, ut præfertur, uti poſſetis, & gaudere, prout in ipſis litteris plenius continetur.

Idem Bonifacius Parochialium Eccleſiarum irritavit uniones.

§. IV. Verum præfatus prædeceſſor, videlicet vi. Kalendas Januarii, Pontificatus ſui anno xiv. caſſavit, irritavit & annullavit omnes uniones parochialium Eccleſiarum, Monaſteriorum, etiam Monialium, & dignitatum, perſonatuum, præbendarum, & officiorum Eccleſiaſticorum, & piorum locorum quorumlibet hactenus, ſive per ipſum prædeceſſorem, ſive per piæ memoriæ Urbanum Papam VI. etiam prædeceſſorem noſtrum, vel quoſvis Ordinarios factas quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, & locis aliis eccleſiaſticis, vel menſis epiſcopalibus, aut capitularibus, vel Abbatialibus, ſeu collegiis, officiis, dignitatibus & præbendis, ac quibuſvis aliis locis, & hoſpitalibus, quæ nondum ſortitæ erant effectum, & etiam illas, quæ eſſent ſortitæ effectum alias, quam per obitum illorum, qui dicta beneficia unita obtinebant, tempore unionum de illis factarum, etiamſi eſſent factæ motu proprio, & etiam illas, quæ factæ fuerant ſine magna neceſſitate, vel ex frivolis, ſive nullis cauſis, etiamſi ſuper ipſis unionibus lis pendeat indeciſa, in quacumque inſtantia foret.

Abbas Severutius prædictæ executioni demandat.

§. V. Ac ſucceſſive, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, dilectus filius Severutius Abbas Monaſterii ſancti Petri ad executionem ipſarum litterarum procedens, prædictam Eccleſiam tunc per liberam reſignationem dilecti filii Angeli Laurentii de Spoleto, tunc Rectoris ejuſdem Eccleſiæ, per eum de illa, quam tunc obtinebat extra Romanam Curiam in præſentia dicti Abbatis Monaſterii ſancti Petri ſponte factam, vacantem, vigore dictarum litterarum eidem Monaſterio veſtro, etiam dudum ante revocationem, caſſationem, irritationem, & annullationem prædictas perpetuo incorporavit, annexuit, & univit, eamdem portionem de fructibus, reditibus, & proventibus antedictis, pro dicto Vicario reſervando, vobiſque concedendo, quod de ipſo antiquo Monaſterio, ſeu loco, in quo tunc, ut præmittitur, degebatis, ad eumdem locum, ubi præfatæ domus conſiſtebant, tranſire, ac Monaſterium & domum nova hujuſmodi cum eiſdem ædificiis novis, necnon hortis, hortalitiis, & aliis officinis conſtruere, ac ibidem perpetuo reſidere poſſitis, licentiam concedendo.

§. VI. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet vos vigore incorporationis, annexionis, unionis, & licentiæ, ac conceſſionis prædictarum, poſſeſſionem Eccleſiæ prædictæ, etiam ad hoc prædicti Abbatis Monaſterii ſancti Eutychii accedente conſenſu, ſimiliter ante revocationem, caſſationem & annullationem præfatas adeptæ fueritis, & de ipſo antiquo Monaſterio, ſive loco, in quo tunc, ut præfertur, degebatis, ad eumdem locum, in

quo

quo domus ipsæ consistebant, transiveritis, ac ibidem Monasterium & domum nova hujusmodi cum eisdem ædificiis novis, necnon hortis, hortalitiis, & aliis officinis construxeritis, & ex tunc ibidem habitaveritis & habitetis ad præsens: tamen timeatis vos propter revocationem, cassationem, & annullationem prædictas posse super præmissis in posterum molestari, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc opportune vobis, & eidem Monasterio vestro providere de speciali gratia dignaremur.

VII. Nos igitur, ut eo quietius Domino famulari pro tempore valeatis, hujusmodi supplicationibus inclinati, volumus, & vobis, auctoritate Apostolica, præsentium tenore, concedimus, quod incorporatio, annexio, & unio, necnon provisio, assignatio, ac novorum Monasterii & domus, in qua nunc habitatis, constructio hujusmodi, ac omnia alia & singula, vigore præfatarum litterarum, ut præmittitur, facta, ac etiam quæcumque inde secuta a data præsentium valeant, plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si cassatio, revocatio & annullatio præfatæ factæ non fuissent; præmissis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c. nostræ voluntatis & concessionis infringere &c. Si quis autem hoc &c. *Unio bonorum pro Monasterio confirmatur.*

Datum Viterbii XIII. Kal. Januarii, anno II.

VI.

Domui Assisinaten. privilegium conceditur. Ex lib. 2. fol. 62.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. HOnestis supplicum votis libenter annuimus, illaque, quantum cum Deo possumus, favoribus prosequimur opportunis.

§. II. Dudum siquidem fel. rec. Bonifacius Papa IX. prædecessor noster, ad merita beati Francisci, cujus Ordo sacer, videlicet Fratrum Minorum, in pomœrio militantis Ecclesiæ, divina dispositione plantatus, ab ipso primordio uberes, & commendabiles fructus produxerat semper & producebat, ac, dante Domino, producet in futurum, dum etiam ad eximiam devotionem, quam fidelis populus Christianus ad Ecclesiam ejusdem Sancti in civitate nostra Assisinaten. consistentem, & insigni structura speciosam, in qua etiam corpus dicti Sancti venerabiliter requiescit, habere dignoscebatur, intuitum paternæ considerationis dirigens, ac Ecclesiam ipsam, necnon domum Fratrum dicti Ordinis prope sitam specialibus prærogativis & favoribus prosequens, ac rigorem juris mansuetudine temperans, ut dilecti filii Custos & Fratres domus prædictæ præsentes, & posteri a contentionum turbinibus, & litigiorum anfractibus segregati quietius Deo servire, & habilius onera valerent incumbentia supportare, eisdem Custodi & Fratribus, auctoritate Apostolica, per suas litteras indulsit, ut ex tunc dicti Custos & Fratres, & eorum posteri ratione obventionum omnium, tam funeralium, quam quorumcumque, aut quomodocumque relictorum, distincte, vel indistincte, ad quoscumque certos determinatos usus, necnon datorum, & qualitercumque donatorum in morte, vel mortis articulo, in infirmitate donantis vel dantis, de qua decederet, directe vel indirecte præfatis Custodi & Fratribus, vel aliis pro eisdem per eos, seu ratione funerum eorum, quos apud Ecclesiam, sive domum easdem sepulturam eligere, vel apud illos contingeret sepeliri, non prædictorum quartam partem, juxta constitutionem piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, super hoc editam, quæ incipit: *Super Cathedram &c.* Et quam fel. rec. Clemens Papa V. similiter prædecessor noster, in Concilio Viennen. nominavit: sed, *Ordinis Minorum encomium.* *Quem Bonifacius IX. favoribus est prosequutus.*

prout iidem Custos & Fratres in similibus casibus cum Episcopo pro tempore existente, & dilectis filiis Capitulo Assisinaten. necnon Rectoribus parochialium Ecclesiarum civitatis ejusdem, se facere assuevisse asserebant. Quam tamen consuetudinem idem Bonifacius IX. minime approbavit, medietatem dumtaxat ceræ, quæ in funeralibus eorum, qui apud ipsas Ecclesiam, seu domum sepulturam eligerent, & apud illos sepulti forent, ut præfertur, obveniret, loco quartæ, seu canonicæ portionis hujusmodi parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis, de quorum Parochiis eligentes, & sepulti hujusmodi forent, integre solvere tenerentur, & hujusmodi medietatem dictæ ceræ, eosdem parochiales Sacerdotes, Ecclesiarum Rectores & Curatos, loco dictæ quartæ seu canonicæ portionis ipse Bonifacius IX. voluit esse contentos, prædicta, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Ac decrevit ex tunc idem Bonifacius IX. quoslibet processus & sententias contra hujusmodi suam concessionem & voluntatem, quavis auctoritate forsan habendos & ferendos, irritos & inanes, prout in ipsis litteris plenius continetur.

Quæ in funeralibus FF. teneantur solvere.

Privilegium concessum confirmatur.

§. III. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Custodis & Fratrum petitio continebat, a nonnullis simplicitate forsan ductis asseratur, hujusmodi concessionem & voluntatem fore per generalem revocationem dudum per præfatum Bonifacium IX. prædecessorem XI. Kalendas Januarii, Pontificatus sui anno XIV. factam revocatas, pro parte eorumdem Custodis & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut supra hoc eis, per nostræ declarationis ministerium providere dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate prædicta, tenore præsentium, declaramus, concessionem & voluntatem prædictas per eamdem generalem revocationem non fuisse, nec esse revocatas. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii III. Kalendas Martii, anno II.

VII.

Ut recipiant domum in oppido Policii. Ibidem fol. 239.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Dalmatiæ, secundum morem dicti Ordinis.

§. I. Piis votis fidelium, illis præsertim quæ divini cultus augmentum, & fidelium animarum salutem respiciunt, libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur opportunis.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum Universitatis loci de Policio, Spalaten. diœcesis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum idem locus in terris multum silvaticis & petrosis consistat, & populus ejusdem loci sit modicum simplex, & in fide Christiana debiliter instructus, eidem Universitati unam domum Ordinis Fratrum Minorum, pro quatuor vel sex Fratribus ejusdem Ordinis, qui hujusmodi populum in fide prædicta instruere possent, fundandi & construendi, & vobis hujusmodi domum recipiendi, licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Universitati hujusmodi domum, cum necessariis tamen officinis, ac in loco ad id congruo & honesto construendi & fundandi, ac vobis eamdem domum, postquam constructa & fundata fuerit, recipiendi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam elargimur. Non. obstan. tam fel. rec. Bonifacii VIII. prædecessoris nostri &c. quam constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque: jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Datum Viterbii, VIII. Idus Martii, anno II.

VIII.

VIII.

Confirmatur electio Ministri Provinciæ Angliæ. Ex lib. 3. fol. 79.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Regis pacifici, qui regnat in cœlis, vices, licet immeriti, gerentes in terris solliciti corde reddimur, & solertes, ut Ecclesiasticarum personarum, & præsertim sub Religionis habitu Domino famulantium, quieti & tranquillitati, quantum cum Deo possumus, favorabiliter consulamus, & ea, quæ circa hæc proinde facta sunt, ut illibata persistant, cum a nobis petitur, Apostolicæ confirmationis munimine roboramus.

§.II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis Zouche, Ministri Provincialis Provinciæ Angliæ, Ordinis Fratrum Minorum, juxta morem dictorum Fratrum petitio continebat, quod cum olim ipse, juxta incumbentis ei officii exigentiam, aliquos excessus ex hujusmodi Fratribus in eadem Provincia commissis, corrigere vellet, prædicti Fratres correctionem hujusmodi fugientes, procurarunt, ut asserit, a bonæ memoriæ Francisco Episcopo Sabinen. Protectore dicti Ordinis per Sedem Apostolicam deputato, certam commissionem de facto fieri dilectis filiis Nicolao Fakenhiim, & Joanni Mallaert, prædicti Ordinis professoribus, quod eumdem Joannem Zouche officio Provincialatus hujusmodi penitus amoverent, dictique Nicolaus & Joannes Mallaert, prætextu dictæ commissionis, eumdem Joannem extra regnum Angliæ ex certa causa legitima tunc expressa existentem, quantum in eis fuit, ab eodem officio deposuerunt, etiam de facto, & depositum etiam pronuntiaverunt, necnon ad electionem alterius Ministri Provincialis Provinciæ, etiam contra voluntatem & assensum majoris partis hujusmodi Fratrum dictæ Provinciæ processerunt.

§.III. Sed cum postea prædictus Episcopus melius informatus de præmissis, per suas litteras dilectis filiis Generali & etiam Provincialibus Ministris, ac Fratribus, tunc in Capitulo generali dicti Ordinis congregatis scripsisset, quod præmissis omnibus contra eumdem Joannem Zouche taliter attentatis non obstantibus, secundum quod justitia exigeret, etiam hujusmodi factum depositionis finaliter definirent, prædictus Generalis Minister ipsum Joannem Zouche, secundum hujusmodi Instituta regularia in hujusmodi officio confirmavit, seu de novo Provincialem Ministrum dictæ Provinciæ deputavit, & quidquid vigore dictæ commissionis quomodolibet attentatum fuerat, revocavit & annullavit.

§. IV. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nihilominus dicti fratres Nicolaus, & Joannes Mallaert in reprobum sensum dati, eidem Joanni Zouche, ut eorum Superiori reverenter, ut creditur, obedire non volunt, nisi dictus Joannes Zouche majori super his fuerit facultate munitus, pro parte dicti Joannis Zouche fuit nobis humiliter supplicatum, ut confirmationi & deputationi prædictis robur Apostolicæ confirmationis adjicere, de speciali gratia dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, confirmationem & donationem præfatas, & quæcumque inde secuta rata habentes & grata, ea auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii, VIII. Idus Martii, anno II.

IX.

Fit Pœnitentiarius Apostolicus. Ibidem fol. 159.

Dilecto filio Honofrio Angelucii de Tuderto, Ordinis Fratrum Minorum professori, Pœnitentiario nostro.

Vide Bullam 4. hujus Pontif. Religionis &c. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod olim tu Pontificatus fel. rec. Urbani Papæ VI. præ decessoris nostri, anno undecimo, in minorem Pœnitentiarium Apostolicæ Sedis, auctoritate Apostolica, receptus, & aliorum Pœnitentiariorum, qui tunc erant, numero cum honoribus & gagiis consuetis aggregatus extitisti, & de hujusmodi officio fideliter exercendo in manibus venerabilis fratris nostri Augustini Spoletan. tunc Pennen. Episcopi, curam Pœnitentiariæ dictæ Sedis tunc regentis, præstitisti in forma solita juramentum: quodque nuper venerabilis frater noster Antonius Episcopus Prænestin. Pœnitentiarius noster, de mandato nostro facto sibi super hoc, oraculo vivæ vocis, venerabili fratri Paulo Archiepiscopo Montisregalis, in Urbe in spiritualibus Vicario nostro, per suas litteras mandavit, ut numerum eorumdem Pœnitentiariorum, qui tunc nimis excessivus erat, ad numerum senarium in Basilica Principis Apostolorum de ipsa Urbe reduceret. Qui quidem Archiepiscopus ad executionem litterarum prædictarum provida deliberatione procedens, dictum excessivum numerum ad eumdem senarium numerum reduxit, de quo te esse voluit: tuque ex tunc officium hujusmodi exercuisti, prout exerces laudabiliter de præsenti. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut præmissis per eumdem Archiepiscopum de te, ut præmittitur, factis, robur Apostolicæ confirmationis adjicere &c. dignaremur. Nos &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, VII. Idus Junii, anno II.

X.

Ut possint vendere aliquas possessiones. Ibidem fol. 187.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sancti Laurentii in Panisperna de Urbe, Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. Personas, quæ mundi spretis illecebris, sub Religionis habitu Altissimo militant, illas præcipue paternæ pietatis oculo debemus inspicere, quas gravari percipimus paupertate, ut gaudentes in nobis condignæ gratiæ invenisse subsidium, facilius & promptius virtutum Domino devotionis exhibeant famulatum.

§. II. Sane petitio vestra nobis nuper exhibita continebat, quod propter guerras, quæ novissime in illis partibus viguerunt, vos, & vestrum Monasterium in animalibus, & aliis rebus mobilibus ad dictum Monasterium spectantibus, maxima subiistis detrimenta, seu damna, & propterea etiam non modicis debitis involvamini, & adeo rerum inedia premamini, quod non habetis, unde ipsa debita solvere, aut de quo possitis congrue sustentari, quodque etiam non habetis aliqua bona mobilia venditioni forsan exposita, unde vos, & dictum Monasterium in præmissis possitis relevari.

§. III. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ne vos, quod absit, alias graviora onera sustineretis, mature deliberaveritis, urgente necessitate, ac suadente utilitate, vos in relevamen sustentationis vestræ, atque

que solutionem dictorum debitorum unam Valcham ad Turricella, & cum usu cursus aquæ extra portam sancti Pauli urbis præfatæ, ac etiam unum casale *Palacetum* nuncupatum, quadraginta rubiorum terræ arabilis, cum una turricella, & reclaustro diruto, ac stupariis in planitie Tyburtin. necnon duas ad sanctam Luciam in Siliciata de ipsa Urbe, duas alias extra sancti Joannis Lateranen. Urbis præfatæ, necnon tres alias petias terrarum vineatarum intra Domne de ipsa Urbe portas in loco, qui dicitur *la portarila*: & duas alias, quæ sunt ad manus vestras filiæ Conventus prope dictum Monasterium sitas petias terrarum vineatarum, jure proprietatis ad prædictum Monasterium pertinentia: in quibus quidem ad sanctam Luciam, necnon extra sancti Joannis, & intra Domne portas prædictas sitis petiis antedictis, nonnulli cives Romani habent utile dominium seu usumfructum in ipsis existentium; ex quo quidem usufructu quartam partem musti, quod in eisdem petiis terrarum recolligitur pro tempore, dicto Monasterio tenentur solvere annuatim, aliquibus personis, cum quibus vestram & ejusdem Monasterii conditionem efficere poteritis meliorem, vendere, ac pretium quod exinde provenerit, in sustentationem & solutionem præfatas convertere affectetis, nobis &c. supplicatum &c. Nos igitur &c. vendendi licentiam concedimus. Non obstan. &c. de rebus Ecclesiæ non alienandis &c. quibuscumque &c. Nulli &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, XVII. Kal. Septembris, anno II.

GREGORIUS XII.

Electus est pridie Kalendas, & coronatus IX. *Decembris, anno* MCCCCVI.

Anno Christi 1406. Gregorii XII. anno 1.

BULLA UNICA.

Cassatur, & revocatur unio Monasterio Spoletan. facta de Ecclesia parochiali. Ex lib. 3. Gregorii XII. fol. 240.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Rationi congruit, & convenit equitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis concessione processerunt, licet litteræ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suum sortiantur effectum.

§. II. Dudum siquidem fel. rec. Innocentius Papa VII. prædecessor noster, dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Mariæ inter Angelos Spoletan. Ordinis sanctæ Claræ, quod olim Monasterium *de Ciciano* vocabatur, & prope Spoletum consistebat, quasdam suas litteras concessit in hæc verba: *Innocentius Episcopus, servus &c. ut in Bulla 5. ejusdem Innocentii. Datum Viterbii*. XIII. *Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno* II. Postmodum vero eidem Innocentio prædecessori pro parte venerabilis Fratris nostri Augustini Episcopi Spoletan. exposito, quod ipse dilectis filiis Andreæ Nofrii Presbytero de Ecclesia sancti Gregorii in prædictis litteris expressa, tunc per liberam resignationem dilecti filii Angeli Laurentii de Spoleto, olim Rectoris ejusdem Ecclesiæ, per eum de illa, quam tunc obtinebat, extra Romanam Curiam sponte factam, vacante, & Sentio Viti Cobutii de uno, ac Joanni Peregrini Barthi Clericis Spoletan.

tan. de alio beneficiis in eadem Ecclefia tunc vacantibus, auctoritate ordinaria provideràt, quodque orta inter Epifcopum, Abbatiffam, & Conventum, necnon Andream, & Sentium, ac Joannem præfatos, præmifforum occafione materia quæftionis, præfatus Innocentius prædeceffor illam, quam Epifcopus Abbatiffæ, & Conventui ad Epifcopi, & illam, quam Abbatiffa & Conventus Andreæ & Sentio, necnon Joanni prædicto fuper præmiffis, & eorum occafione communiter vel divifim movere intendebant caufas hujufmodi, ad Abbatiffæ & Conventus præfatorum inftantiam, dilecto filio Magiftro Adæ Usk Capellano Sedis Apoftolicæ, & Auditori caufarum Palatii Apoftolici audiendas commiferat, & fine debito terminandas, non obftante, quod caufæ ipfæ de fui natura ad dictam Curiam legitime devolutæ, & apud eam tractandæ & finiendæ non effent: quodque idem Auditor, poftquam ad nonnullos actus in caufis hujufmodi procefferat, fe ab eadem Curia abfentaverat, ipfeque Innocentius prædeceffor caufas ipfas dilecto filio Magiftro Marino de Tocco Capellano Sedis Apoftolicæ, & Auditori caufarum Palatii Apoftolici audiendas commiferat, & fine debito terminandas: ipfeque Marinus Auditor ad nonnullos actus in caufa hujufmodi, citra tamen conclufionem inter partes eafdem, dicebatur proceffiffe, prædictus Innocentius prædeceffor, videlicet, IV. Kalendas Octobris, Pontificatus fui anno II. caufas ipfas ad fe advocans, ex certis caufis animum fuum ad id moventibus, unionem, annexionem, & incorporationem in dictis litteris expreffas, non obftantibus litis pendentia hujufmodi, & conftitutionibus Apoftolicis contrariis quibufcumque, auctoritate Apoftolica revocavit, & etiam annullavit.

§. III. Ne autem pro eo quod fuper revocatione & annullatione hujufmodi, dicti Innocentii prædecefforis fuperveniente obitu, litteræ Apoftolicæ defuper confectæ non fuerint, præfatus Epifcopus revocationis & annullationis earumdem fruftretur effectu, volumus & auctoritate Apoftolica decernimus, quod revocatio, & annullatio prædictæ, perinde ab eadem die, videlicet, IV. Kalendas Octobris valeant, fuumque fortiantur effectum, ac fi fuper eis fub ipfius diei data præfati Innocentii prædecefforis litteræ confectæ fuiffent; prout fæpius enarratur: quodque præfentes litteræ ad probandum plene revocationem, & annullationem prædictas, ubique fufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. noftræ voluntatis &c. infringere &c.

Datum Romæ apud fanctum Petrum, XIV. Kalendas Januarii, anno I.

Anno MCCCCVII. *&* MCCCCVIII. *nullum occurrit monumentum.*

ALE-

ALEXANDER V.

Electus est XXVI. *die Junii*, *anno* MCCCCIX.

ANNO CHRISTI 1409. ALEXANDRI V. ANNO I.

I.

Restituitur ad Provincialatum Bononien. Reg. Vat. ex lib. I. Alexandri V. fol. 245.

Dilecto filio Joanni Georgii de Bononia Ordinis Fratrum Minorum professori, ac provinciæ Bononiæ secundum morem ejusdem Ordinis Ministro.

§. I. JUstis &c. Cum itaque, sicut fide dignorum relatibus intelleximus, iniquitatis alumnus Angelus Corario, qui se dudum Gregorium XII. nominabat, te, qui Magister in sacra pagina existis, nuper unius anni spatio nondum elapso, pro eo quod cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, negotium pacis, & unionis universalis Ecclesiæ assumpseras, & prosequi curaveras, Ministeriatus officio Provinciæ Bononien. secundum morem tui Ordinis, cui tunc præeras, necnon gradu Magisterii, ac omnibus aliis præeminentiis, dignitatibus, officiis, & honoribus tui Ordinis per suas, ut dixit, litteras, licet de facto, privavit, teque etiam amovit ab eisdem. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc de opportuno remedio, de benignitate Apostolica dignaremur. *Vide Const. 57. Bonif. IX.*

§. II. Nos igitur tuis, qui in prosecutione pacis & unionis hujusmodi varios subiisti labores, teque personaliter ad generale Concilium Pisis legitime congregatum ibidem per trium mensium curriculum morando transtulisti, in hac parte supplicationibus inclinati, privationem & amotionem hujusmodi, utpote de facto factas, nullas, irritas, & inanes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus, decernentes quemcumque alium in dicto officio, seu exercitio ejus, vel administratione, prætextu privationis, seu amotionis præfatarum quomodolibet intrusum, quem etiam per præsentes, auctoritate præfata, amovemus, ipso facto fore amovendum: districtius inhibentes omnibus, & singulis Ministro Provinciali dictæ Provinciæ secundum morem dicti Ordinis subjectis, ut tibi, sicut eorum vero Ministro Provinciali pareant, & intendant; alioquin sententias, quas rite tuleris &c. observari. Tibi nihilominus de uberioris dono gratiæ concedentes, quod ab hujusmodi officio sine speciali Sedis Apostolicæ mandato, seu licentia, nequeas quomodolibet amoveri. Nulli ergo &c. nostræ declarationis, constitutionis, amotionis, & concessionis infringere &c.

Datum Pisis, Nonis Julii, anno I.

II.

Fit Provinciæ Januen. Minister. Ibidem.

Dilecto filio Guillelmo de Papia, Ordinis Minorum professori, in sacra pagina Magistro, Provinciæ Januen. secundum morem ipsius Ordinis, Provinciali Ministro.

§. I. TRaditæ tibi virtutes a Domino, ex quibus laudabilium fructus operum producuntur, nobis præbent fiduciam, quod ea, quæ

tuæ

tuæ sollicitudini duxerimus committenda, discrete tractabuntur, agentur utiliter, & feliciter prosperabuntur.

§. II. Hinc est, quod nos te totius Provinciæ Januen. secundum morem Ordinis præfati, cujus professor existis, & cujus partem laudabiliter & salubriter dudum, sicut accepimus, gubernasti, Provincialem Ministrum, usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, facimus, constituimus, & etiam deputamus, tibi dicto beneplacito durante, omnia & singula gerendi, exercendi, prosequendi, exequendi, & faciendi, quæ ad Provincialatus dictæ Provinciæ spectant officium, & quæ Provinciales Ministri ejusdem Provinciæ, qui fuerunt pro tempore &c. concedentes; amoventes nihilominus, & decernentes amotum quemlibet &c. Mandantes universis & singulis, quorum interest &c. plene pareant, & intendant; alioquin sententias, sive pœnas, quas rite tuleris in rebelles, gratas habebimus, illasque faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Pisis, x. Kalendas Augusti, anno 1.

III.

Instituitur Pœnitentiarius in Basilica sancti Petri. Ibidem fol. 240.

Dilecto filio Jacobutio de Cassia, Ordinis Minorum professori, Pœnitentiario nostro in Basilica Principis Apostolorum de Urbe.

Ut in Constit. 4. Innoc. IV.

Religionis zelus &c. Hinc est, quod de persona tua &c. obtinentes, te qui, ut asseris, Custodiæ Montanorum in diœcesi Spoletan. Ordinis præfati existis, in Pœnitentiarium nostrum in Basilica Principis Apostolorum de dicta Urbe constituimus &c.

Datum Pisis, II. Nonas Septembris, anno 1.

IV.

Ut admittant domum in Castro de Amboysa. Ibidem fol. 239.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, vel fratri Thomæ de Curcia Vicario Generalis Ministri, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Turoniæ, secundum morem dictorum Fratrum.

Vide Constit. 33. Bonifacii IX.

Sacræ Religionis, sub qua devotum &c. favorabiliter annuamus. Vestris igitur, & dilecti filii nobilis viri Petri, Domini castri de Amboysa, Turonen. diœcesis, in hac parte supplicationibus inclinati, eidem Petro de bonis sibi a Deo collatis, unam domum pro usu & habitatione vestris, in dicto castro, in loco ad hoc congruo & honesto, cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis & aliis officinis necessariis fundandi, & ædificandi, vobisque dictam domum cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis prædictis recipiendi, & perpetuo retinendi, & habendi; fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne &c. jure tamen parochialis &c. salvo, plenam & liberam, tenore præsentium, licentiam elargimur. Volentes, & juxta ipsius Petri desiderium, auctoritate Apostolica, statuentes, quod Guardianus & Fratres dicti Ordinis, qui in eadem domo, postquam constructa fuerit, ut præfertur, residebunt pro tempore, regulam, sive Instituta regularia beati Francisci confessoris, juxta declarationes Apostolicas observare, & secundum illa vivere teneantur, & gaudeant omni-

nibus privilegiis, indulgentiis, & gratiis, exemptionibus, & libertatibus, quibus alii Fratres ejusdem Ordinis ex concessionibus Apostolicis gaudent, seu etiam potiuntur. Nulli ergo &c.

Datum Pisis, v. Idus Semptembris, anno I.

V.

Ut possit secum retinere quatuor Fratres. Ibid. fol. 98.

Venerabili fratri Alexio Episcopo Vapincen.

SInceræ devotionis affectus &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim dilectus filius Antonius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, cujus professor existis, volens personam tuam specialibus honorare prærogativis, tibi ut quatuor Fratres dicti Ordinis, quos ad hoc duceres eligendos, recipere, & tecum pro honestis servitiis tibi impendendis retinere, libere & licite posses &c. duxit concedendum. Quare pro parte tua &c. supplicatum, ut concessioni hujusmodi &c. robur Apostolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur &c. concessionem &c. confirmamus. *Ut in Constit. 55. Bonifacii IX.*

Datum Pisis xv. Kalendas Octobris, anno I.

VI.

Ut propter tenues reditus retineant solummodo duos Capellanos in Ecclesia parochiali sancti Martini. Ibid. fol. 273.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sancti Martini Pisan. Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. SAcræ Religionis, sub qua devotum &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod licet Ecclesia sancti Martini Pisan. in cujus horto vestrum Monasterium, ac ejus domus, & aliæ officinæ fundata, & ædificata existunt, olim vobis, & eidem Monasterio cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, auctoritate Apostolica, incorporata, & appropriata fuisset: ita quod inter cetera vos in eadem Ecclesia quatuor Capellanos Presbyteros, qui in ipsa Ecclesia, quæ etiam parochialis est, Missas, & alia divina officia celebrarent, & ejusdem Ecclesiæ Parochianis Ecclesiastica ministrarent Sacramenta, retinere tenetemini; tamen adeo reditus, fructus, & proventus tam Monasterii, quam Ecclesiæ prædictorum diminuti, & ipsorum Monasterii, & Ecclesiæ conditio deteriorata existunt, quod nonnisi duos tantum Capellanos a multis temporibus citra in Ecclesia tenuistis antedicta. *Ut in Constitut. 5. Innoc. IV.*

§. II. Cum itaque, sicut accepimus, etiam Parochiani ipsius Ecclesiæ, temporum causante malitia, adeo in numero diminuti sint, quod in eadem Ecclesia duo tantum Capellani ad hujusmodi divina officia celebrandum, & ecclesiastica Sacramenta ministrandum Parochianis eisdem sufficiant: Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut de cetero duos dumtaxat Capellanos idoneos, & Presbyteros per vos pro tempore eligendos, & per Ordinarium loci, postquam sibi ad hoc per vos præsentati fuerint, instituendos, pro hujusmodi divinis officiis in dicta Ecclesia celebrandis, & Sacramentis ministrandis, tenere possitis, & teneamini, devotioni vestræ, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, indulgemus. Ita tamen, quod vos eisdem duobus Capellanis de salario congruo, & vitæ necessariis debea-

tis perpetuo providere. Vobis nihilominus de uberioris dono gratiæ concedentes, ut omnibus & singulis immunitatibus &c. aliis Abbatissis, & Conventibus dicti Ordinis a Sede Apostolica, vel alias quovis modo concessis, uti & gaudere, libere & licite valeatis.

§.III. Ceterum volentes vos, & Monasterium ipsum potioribus privilegiis, & gratiis honorare, vos, & idem Monasterium vestrum ab omnibus exactionibus, & aliis gravaminibus, necnon jurisdictione, dominio, & potestate Archiepiscopi Pisan.pro tempore existentis, ac aliorum quorumcumque Judicum ordinariorum, & Clericorum secularium, quacumque auctoritate fungentium, auctoritate prædicta, in perpetuum prorsus eximimus, & etiam liberamus. Decernentes omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quas, & quos, contra vos, & vestrum Monasterium, contra hujusmodi exemptionem nostram promulgari, & haberi contigerit, irritos, & inanes: fel. record. Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri circa exemptos edita, quæ incipit: *Volentes*. & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod in signum exemptionis, & libertatis hujusmodi in perpetuum Cameræ Apostolicæ unam ceræ, & unam thuris, & unam piperis libras singulis annis, in festo Assumptionis beatæ Mariæ Virginis solvere teneamini, & etiam debeatis. Nulli ergo &c.

Datum Pisis VIII. Kalendas Octobris, anno I.

VII.

Ut nullus se subtrahat a regimine & obedientia Generalis, & Provincialium Ministrorum, quovis quæsito colore, & omni prætextu cessante. Ibid. fol. 278.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§. I. Ordinem Fratrum Minorum præcipuæ dilectionis affectu prosequentes, ad hoc summæ sollicitudinis studio extendimus vires nostras, ut Ordo ipse, quibuslibet semotis obstaculis, in vinculo unitatis, & firmitate caritatis, juxta ejus fundationem, & regularia Instituta integre conservetur.

§. II. Quamvis, cum secundum ipsius Ordinis observantias, & Instituta regularia hujusmodi, votum obedientiæ inter cetera principium, & ejusdem Ordinis fundamentum principale existat, præcipiaturque omnibus, & singulis Fratribus ejusdem Ordinis, ut suis Generali, & Provincialibus Ministris in omnibus, quæ animæ saluti, & institutis prædictis non repugnant, obediant, & neque domum, aut locum, seu rem aliam quamcumque sibi appropient, unius formæ habitum, juxta ordinationes dicti Ordinis gestent, & suis Custodibus ejusdem Ordinis sint subjecti, pertineatque ad hujusmodi Ministros dumtaxat, seu ad Custodes, vel alios Fratres ipsius Ordinis, quibus iidem Ministri super hoc commiserint vices suas, secularium personarum ad dictum Ordinem, seu Novitiorum ad ipsius Ordinis professionem receptio. Tamen, sicut displicenter accepimus, nonnulli ex Fratribus ipsis, sui voti transgressores, absque ipsorum Ministrorum commissione, seu consensu, imo contra ipsorum Ministrorum prohibitionem, seculares personas ad Ordinem, & Novitios ad professionem hujusmodi recipere, ac loca ipsius Ordinis jam forsan ædificata, vel quæ ædificari procurant, ab aliis dicti Ordinis Fratribus omnino separatim inhabitare; Vicarium quoque de eorum societate sibi retinere, alterius vero formæ habitum gestare præsumpserunt, & præ-

Ea quæ in Regula præcipiuntur, recensentur.

Nonnulli FF. ad Ordinem Novitios recipiunt.

& præsumunt, prætendentes se, ut præsumitur, ad hæc, seu aliqua eorum ab iniquitatis alumno Petro de Luna olim in sua obedientia Benedicto XIII. nominato, seu a perditionis filio Joanne Berdolim fratre, dudum pro Ministro Generali dicti Ordinis se gerente, specialem habere licentiam, & ab ipsorum Ministrorum, & aliorum Superiorum suorum obedientia prorsus exemptos & immunes.

§. III. Nonnulli etiam ex eisdem Fratribus, ut fræno laxato, obedientiæ debitum fugiant, per se, ut ab hujusmodi obedientia eximantur, seu ad standum extra eorum domum, vel separatim a Conventibus dictorum Fratrum, in domibus, seu locis particularibus, vel ad insistendum servitiis Principum, vel aliarum personarum contra observantias, & Instituta prædicta licentientur, per Reges, Principes, seu alios Dominos, vel Dominas, seu personas, ad Romanum Pontificem, aut alios eorum Superiores scribi, & supplicari per se, vel alium, seu alios faciunt, & procurant, & sic in Ordine prædicto debitum obedientiæ pervertunt, unitatem separant, & vinculum dissolvunt caritatis, in magnam ejusdem Ordinis confusionem, & etiam læsionem. *Alii extra Claustra degunt.*

§. IV. Nos igitur ipsius Ordinis odoriferam famam, & integritatem singularis affectionis zelo conservari, ac super præmissis, quantum nobis ex alto permittitur, providere cupientes, omnes & singulas exemptiones, & alias concessiones & litteras, quorumcumque tenorum existant, quibuscumque Fratribus dicti Ordinis super præmissis, aut aliis contra observantias, & Instituta prædicta per Petrum de Luna, vel Joannem Berdolim præfatos, quoquo modo concessas, & concessa, etiamsi de ipsis, & ipsarum toto tenore, de verbo ad verbum præsentibus habenda foret mentio specialis, quibuscumque approbationibus, seu ordinationibus in Concilio generali nuper in civitate Pisan. celebrato, seu alias per Sedem Apostolicam, seu ejus auctoritate editis, & aliis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, revocamus & cassamus, ac nullius esse decernimus roboris, vel momenti. *Falsæ revocantur facultates.*

§. V. Et nihilominus volumus, & eadem auctoritate statuimus, & ordinamus omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis præsentibus & futuris, cujuscumque etiam status, gradus, seu præeminentiæ, vel conditionis fuerint, sub pœna excommunicationis, quam incurrant ipso facto, districte præcipiendo mandamus, ut juxta votum per eos emissum, ac observantias, & statuta prædicta, Generali & Provincialibus Ministris, & Custodibus præfatis parere, & obedire debeant, & teneantur, ac realiter cum effectu pareant, & obediant, nec aliquam personam secularem ad Ordinem, seu Novitium ad professionem hujusmodi, absque speciali commissione Generalis, vel Provincialium Ministrorum super hoc pro tempore factam, recipiant; habitus, juxta modum, & formam per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædecessorem nostrum super hoc ordinatos gestent, nec præsumant per se, vel alium, seu alios, publice, vel occulte, directe, vel indirecte litteras quascumque promotorias, ut ab eorumdem Ministrorum, & aliorum Superiorum suorum obedientia eximantur, vel alias qualitercumque contra hujusmodi observantias, & statuta quovis quæsito colore licentientur, a Regibus, Principibus, aut aliis quibuscumque Dominis, vel Dominabus, seu personis, ad Romanum Pontificem, seu ad alios eorum Superiores procurare, vel impetrare, aut undecumque procuratas recipere, sive eisdem procuratis, eis oblatis, vel exhibitis uti præsumant, sed eis pœnitus renuncient, ac alios ejusdem Ordinis Fratres, & personas quascumque Regulares, aut seculares, tales litteras impetrare, seu procurare volentes impe- *Modus vivendi eisdem præscribitur.*

pediant, juxta poſſe. Volumus etiam, quod hujuſmodi noſtri ſtatuti, & ordinationis tranſgreſſores ab hujuſmodi excommunicationis ſententia, niſi per Generalem, vel Provinciales Miniſtros, ſub quibus transgreſſores ipſi fuerint, dumtaxat abſolvi valeant, ita & taliter, quod ante omnia ſe Generalis, & Provincialium Miniſtrorum obedientiæ ſubmittant eorumdem. Nulli ergo &c.

Datum Piſis VIII. Kalend. Octobris anno I.

VIII.

Eligitur Capellanus Apoſtolicus. Regeſt. Vatic. ex lib. 2. Alexandri V. fol. 145.

Dilecto filio Tedaldo della Caſa, Ordinis Minorum.

§. I. CUm in memoriam venimus eorum hominum, qui in ſancta quaque Religione diebus noſtris, cum egregia laude diutius obſervati ſunt, non inter poſtremos tua devotio nobis occurrit. Sicut enim accepimus, tu zelo veræ ſalutis ardens, blanditiis ſeculi hujus omiſſis, junior Clauſtra ſubiiſti: ætate deinde maturiori omnia rite perficiens, quæ ad Religionis tuæ decus, imo ad tuum ipſum accidérent, in eis conſtantiſſimo animo permanſiſti. Nunc vero cum ſenium ipſum tuum quietem videtur optare, circa ea ita te geris avide, ſollicite, atque magnifice, nunc cultui divino vacando, nunc lectioni ſacræ invigilando, nunc verbo & exemplo firmando lubricos, exortando ſtabiles; ut cum ipſa ſenectute adoleviſſe ſimul amor tuæ perſeverantiæ videatur.

§. II. Quæ omnia, quamquam apud quoſcumque veræ rationi initantur, quoniam non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus eſt; tamen conſolationem non modicam nobis præbent, noſque incitant, ut illa tibi libentiſſime concedamus, per quæ non ſeculum fugax, non anguſtias hujus vitæ, non labores inanes mediteris, ſed animam tuam vero bono, hoc eſt, Redemptori noſtro Jeſu, valeas vendicare.

§. III. Unde volentes te fieri participem quorumdam Sedis Apoſtolicæ munerum, te in Capellanum noſtrum, & dictæ Sedis aſſumimus, & omnia tibi merita, quæ hujuſmodi Capellanis ad animæ ſalutem per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, & dictam Sedem indulta ſunt, plenius elargimur. Utque etiam uberius caritatis noſtræ affectum adeſſe tibi cum Deo noſcas, ut Confeſſor, quem duxeris eligendum, tibi in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & obedientia perſiſtenti, plenam remiſſionem omnium peccatorum tuorum in mortis articulo concedere valeat, indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ aſſumptionis, donationis, & conceſſionis infringere &c.

Datum Piſis IV. Nonas Octobris anno I.

IX.

Condemnat quaſdam erroneas propoſitiones aliquorum, qui fideles retrahebant a confeſſione facienda Religioſis Mendicantibus. Ex lib. 1. Alex. V. fol. 180.

Venerabilibus Fratribus univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & dilectis filiis, Electis.

Romanæ Eccleſiæ recenſentur dotes.

§. I. REgnans in excelſis triumphans Eccleſia, cui paſtor eſt Pater æternus, cuique Sanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ſibi Vicarium conſtituit Eccle-

ſiam

siam militantem, unigenito filio Dei vivi Domino nostro Jesu Christo ineffabili commercio copulatam: in hac quidem ipse Christus a Patre progrediens per illustrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, statuit fidei firmamentum, ut ab ea velut a primitivo fonte, ad singulas orthodoxas nationes ejusdem fidei rivuli deriventur. Ad hujusmodi autem Ecclesiæ regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem deputare Ministrum, cujus instructionem, ac doctrinam eloquio veritatis Evangelicæ traditam, cuncti renati fonte Baptismatis teneant, & observent. Qui enim sub hac doctrina cursus vitæ non peregerint, aut errores contra illam tenuerint, damnationis sententia ferientur. Et Romani Pontificis.

§. II. Sane dudum fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster, in Constitutione sua, quæ incipit: *Super cathedram*, quam piæ memoriæ Clemens V. etiam prædecessor noster postea in Viennen. Concilio innovavit, super prædicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum confessionibus, pœnitentiis injungendis eisdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum Ecclesias, sive loca, suam eligerent sepulturam; quæ quidem Constitutio etiam successive ad Eremitarum sancti Augustini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Fratres, per Sedem Apostolicam extensa fuit, auctoritate Apostolica statuit, & etiam ordinavit, ut dictorum Ordinum Fratres in Ecclesiis, & locis eorum, & in plateis communibus libere valeant Clero & populo prædicare, & proponere verbum Dei, hora illa dumtaxat excepta, in qua vellent Prælati Ecclesiarum coram se facere solemniter prædicare, in qua Fratres ipsi prædicare cessarent, præterquam si aliud de ipsorum Prælatorum consensu procederet ex licentia speciali. In studiis autem generalibus, ubi sermones ex more fieri solent, diebus illis, quibus prædicari solemniter consuevit, ad funera etiam mortuorum, & in festis specialibus, seu etiam peculiaribus eorumdem Fratrum, possent iidem Fratres, & liceret eis prædicare libere, nisi forsan in illa hora, qua solet ad Clerum in prædictis locis, seu studiis proponi verbum Dei, Episcopus, vel Prælatus superior Clerum ad se generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione, vel causa urgente Clerum ipsum duceret congregandum. In Ecclesiis autem parochialibus Fratres illi nullatenus auderent, nec deberent prædicare, vel proponere verbum Dei, nisi Fratres ipsi a parochialibus Sacerdotibus invitati, vel vocati fortassis existerent, vel de ipsorum placito, vel assensu petita licentia, vel obtenta foret, nisi Episcopus, vel Prælatus per eosdem Fratres prædicari mandaret. Bonifacius VIII. & Clem. V. Minoritis multa sic privilegia largiti. Tempus quo FF. est prædicare permissum.

§. III. Statuit etiam, & ordinavit idem Bonifacius prædecessor auctoritate prædicta, ut in singulis civitatibus & diœcesibus, in quibus loca Fratrum ipsorum consistere noscerentur, ac in civitatibus & diœcesibus, & locis ipsis vicinis, in quibus locis hujusmodi non habentur Magistri, Priores, Provinciales Prædicatorum, & eorum Vicarii, ac Generales, & Provinciales Ministri, ac Custodes Minorum, & Prædicatorum Ordinum præfatorum, ad præsentiam Prælatorum eorumdem locorum se conferrent, per se, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, ut Fratres, qui ad hoc electi forent, in eorum civitatibus & diœcesibus confessiones subditorum, sibi confiteri volentium audire valerent, & hujusmodi confitentibus, prout secundum Deum cognoscerent, imponerent pœnitentias salutares, & eisdem beneficium absolutionis impenderent, gratia & beneplacito eorumdem. Ac deinde præfati Magistri, Priores, Provinciales, & Ministri Ordinum prædictorum, eligere studerent personas sufficientes, idoneas, vita probatas, discretas, atque peritas ad tam salubre ministerium & officium Conditiones, quæ pro audiendis confessionibus a Fratribus servari debent.

eium exequendum, quas sic ab ipsis electas præsentarent, vel facerent præsentari Prælatis antedictis, ut de eorum licentia & beneplacito, in civitatibus & diœcesibus eorumdem hujusmodi personæ sic electæ confessiones sibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias salutares, ac beneficium absolutionis impenderent, prout superius est expressum, & alia rationabilia & utilia dictus Bonifacius prædecessor ordinavit & statuit, prout in eadem Constitutione plenius exprimitur.

Errores Joannis de Poliaco.

§. IV. Postea vero ad piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam prædecessoris notitiam deducto, quod quondam Joannes de Poliaco in sacra Theologia Magister, in quibusdam articulis tangentibus Pœnitentiæ Sacramentum, non sobrie, sed perperam sapiebat, infrascriptos articulos, periculosos continentes errores, docens publice in suis prædicationibus, & in scholis: primum siquidem astruens, quod confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, teneantur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti: Secundo, quod stante statuto: *Omnis utriusque sexus*, in Concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat esse parochialem Curatum, nec Deus possit hoc facere, quin, ut dicit, implicet contradictionem: Tertiò, quod Papa non posset dare generalem potestatem audiendi confessiones, imo nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam, teneatur eadem iterum confiteri suo proprio Sacerdoti, quem dicit esse, ut præmittitur, parochialem Curatum.

Joannes Pontif. ad se advocat causam.

§. V. Prædictus Joannes prædecessor volens scire, si suggesta sibi in ea parte veritatem haberent, præfatum Joannem de Poliaco, de Fratrum suorum consilio evocari, atque articulorum suorum copiam eidem Magistro Joanni tradi fecit, & ad defensionem suam audientiam plenam sibi præbuit, tam in sua dictorumque Fratrum præsentia, & in Consistorio, quam alibi coram aliquibus Fratribus ipsis, per eum ad hoc deputatis, si præfatus Magister dictos articulos, & contenta in ipsis defendere niteretur. Qui quidem Magister Joannes asserebat, se paratum credere, & tenere in præmissis & aliis, quæ tenenda & credenda fides Apostolica definiret; præfatusque Joannes prædecessor attendens, quod dictorum articulorum assertio, prædicatio, & doctrina redundare poterat in multarum perniciem animarum, ipsos per plures Magistros in Theologia examinari fecit diligenter, & ipse etiam cum dictis Fratribus suis collationem solemnem habuit super præmissis, per quas quidem collationem & examinationem super hoc præhabitas comperit, prædictos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum, & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes, & singulos idem Magister Joannes, veris sibi rationibus opinioni suæ dudum habitæ contrariis demonstratis, in eodem Consistorio revocavit, asserens eos non veros, sed contrarium verum esse, cum diceret, se nescire rationibus sibi factis in contrarium respondere. Ideoque ne per assertionem, prædicationem, & doctrinam hujusmodi, in errorem, quod absit, animæ simplicium prolaberentur, omnes prædictos articulos, & quemlibet eorum, tamquam falsos & erroneos, & a doctrina sana devios, idem Joannes prædecessor, auctoritate Apostolica, damnavit & reprobavit, de Fratrum suorum consilio prædictorum, doctrinam ipsis contrariam veram esse & Catholicam asserens, quod illi, qui prædictis Fratribus confiterentur, non magis tenerentur eadem peccata iterum confiteri, quam si alias illa confessi fuissent eorum proprio Sacerdoti, juxta dictum Concilium generale; optans veritatis vias notas etiam fidelibus, & cunctis erroribus aditum præcludere, fel. rec.

Coram quo reus palinodiam cantat.

Articuli recensiti proscribuntur.

rec. Alexandri Papæ IV. & Clementis IV. Romanorum Pontificum prædecessorum vestigia imitando, universis & singulis districtius inhibuit, ne quisquam dictos articulos per eumdem Joannem prædecessorem damnatos & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipsorum, utpote a Catholicis mentibus respuenda, tenere auderet, ac defensaret. Ac universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Electis per Apostolica scripta præcipiendo mandavit, ut in civitatibus & diœcesibus eorum, convocato Clero, communiter præmissa omnia & singula per se, vel alios, publicarent solemniter: necnon eidem Joanni mandavit, ut ipse in scholis, vel sermone Parisiis, prædictos articulos, & contenta in eisdem tamquam veritati contraria, propriæ vocis oraculo, & assertione constanti publice deberet revocare, & etiam se facturum illud dictus Joannes de Poliaco efficaciter repromisit.

§. VI. Cum autem, sicut nuper Fratrum Prædicatorum, & Minorum prædictorum, ac etiam Eremitarum sancti Augustini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum lamentabilis querela ad nostrum perduxit auditum, nonnulli Clerici, & Ecclesiasticæ personæ, ac utriusque sexus homines, nedum prædictos damnatos articulos prorsus erroneos, & sacris Canonibus contrarios per eumdem Joannem prædecessorem, ut præfertur, sed etiam quosdam alios articulos prorsus erroneos, & sacris Canonibus contrarios, etiam publice non verentur astruere, & per illos proprias & multorum simplicium animas inficere, illosque a devotione eorumdem Fratrum Ordinum prædictorum, & ne Christifideles sua peccata Fratribus ipsis confiteantur, damnabiliter detrahere satagant, etiam contra eamdem constitutionem Bonifacii prædecessoris, super hoc editam, ut præfertur. Qui quidem adjecti erronei articuli sequuntur per ordinem in hæc verba: *Primus videlicet articulus talis est: Confessus Fratri admisso in forma* Dudum, *tenetur eadem peccata in numero iterum Curato confiteri: damnatur per Joannem Papam XXII. in statuto, quod incipit*, Vas electionis. *Secundus, conclusiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joannem XXII. sunt satis veræ, & a quocumque litterato sufficienter possent teneri: statutum Joannis XXII. editum*, Vas electionis, *est irritum & inane, quia cum illud fecit, erat hæreticus, & per consequens quidquid fecit prædictus Joannes, sive Mendicantibus, sive aliis ante revocationem, inane fuit. Stante statuto* omnis utriusque sexus, *nec Deus, nec Papa de potentia sua potest facere, quin confessus Fratri Mendicanti admisso, iterum teneatur confiteri suo Curato. Confessio Fratribus admissis facta est dubitabilis & incerta: quapropter omnes tenentur dimittere incertam, & sic solum confiteri suis Sacerdotibus curam animarum habentibus, sub pœna peccati mortalis. Quamvis Fratres admissi habeant auctoritatem absolvendi, & audiendi confessiones, tamen populus subjectus non habet potestatem accedendi ad Mendicantes admissos, sine licentia proprii Sacerdotis, & Fratres petentes privilegia pro confessionibus audiendis, & sepulturis habendis, sunt in peccato mortali, & excommunicati, & Romani Pontifices talia privilegia concedentes Mendicantibus, aut eisdem confirmantes, sunt in peccato mortali, & excommunicati. Fratres non sunt aut fuerunt pastores, sed fures, latrones, & lupi. Sacerdos Curatus dans licentiam Mendicantibus audiendi confessiones, magis dispensat cum statuto*; omnis utriusque sexus, *quam Papa, Fratribus dans licentiam juxta formam decretalis*, dudum.

Alii in Regulares hostes suscitantur.

§. VII. Nos vero attendentes, quod nimis perniciosum esset, antiquos dudum, ut præmittitur, per eumdem Joannem prædecessorem cum tanta solemnitate & maturitate damnatos & reprobatos, & etiam hujusmodi novos

Denuo Articuli examinati & proscripti.

vos articulos, per nos veluti erroneos, & etiam eisdem Canonibus contrarios, tenere, astruere, vel docere, necnon in hac parte salubriter providere volentes, eosdem novos articulos, & quos nos etiam una cum Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus mature, prout tanti negotii qualitas exigit, vidimus, & examinavimus, necnon etiam per plerosque in sacra Theologia Magistros, ac quosdam Doctores in jure Canonico recenseri fecimus diligenter, per quam quidem examinationem reperimus, etiam ipsos novos fuisse, & esse falsos, confictos, & erroneos, ac eisdem Canonibus contrarios: & propterea ipsos, ut tales, de eorumdem Fratrum consilio, damnamus & reprobamus. Volentes, quod si quis deinceps prædictos articulos asserere, aut in scholis, vel alibi glossare, defendere, seu tenere, aut prædicare præsumpserit, tamquam hæreticus sit censendus, & excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, a qua nisi per summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, non possit absolvi.

Quod damnatio publicetur Pontifex jubet.

§. VIII. Quocirca universitati vestræ &c. mandamus, quatenus universi & singuli vestrum, convocato Clero civitatum & diœcesum vestrarum, eis præmissa omnia & singula per vos, vel alios, ubi, & quando super hoc per eosdem Fratres, seu ipsorum aliquem, aut aliquos requisiti fueritis, auctoritate nostra solemniter publicetis, ac etiam per Rectores ipsarum parochialium Ecclesiarum, civitatum & diœcesum præfatarum, in hujusmodi parochialibus Ecclesiis publicari faciatis. Et si quos forsan hujusmodi damnatos articulos, novos, & veteres, aut eorum aliquem, seu aliquos astruere, vel tenere, sive prædicare repereritis, contra illos communiter vel divisim, tamquam hæreticos, seu de Catholica fide suspectos procedere, necnon ipsos, & eorum quemlibet, juxta tantorum excessuum qualitatem, per censuram ecclesiasticam, & alia juris opportuna remedia, auctoritate prædicta compescere; necnon ad observandam dictam constitutionem præfati Bonifacii prædecessoris, juxta ejus tenorem, compellere, ratione prævia studeatis. Contradictores &c. non obstan. prædicta, quæ incipit, *omnis utriusque sexus*, ac aliis constitutionibus contrariis quibuscumque.

Datum Pisis, IV. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno I.

X.

Dispensatur cum eo, ut ad Ecclesiam Lascuren. assumatur. Ex lib. 2. Alexand. V. fol. 97.

Dilecto filio Petro de Fuxo, Ordinis Fratrum Minorum de Morlanis, Lascuren. diœcesis professori.

§. I. Divina supereminens largitas nonnumquam in multis sic suæ gratiæ dona diffundit, quod tunc defectum ætatis patientes, per suarum virtutum merita defectum supplentes ætatis, merentur ad dignitatum culmina promoveri.

§. II. Cum itaque nos Ecclesiæ Lascuren. Pastoris solatio destitutæ, de persona tua, propter grandia dona virtutum, quibus personam ipsam novimus multipliciter insignitam, providere hodie intendamus, tuque patiaris in ætate defectum, cum in vigesimo primo ætatis tuæ anno, vel circa constitutus existas, sperantes, quod tu per hujusmodi tua merita, quibus circumsultus existis, & alia tibi affutura suffragia, eidem Ecclesiæ esse poteris, auctore Domino, multipliciter fructuosus, tecum ut, prædicto defectu, necnon generalis Concilii, & quibuscumque aliis constitutionibus Apostolicis nequaquam obstantibus, curam regiminis, & administrationis ejusdem Ec-

Ecclesiæ libere recipere, illamque in spiritualibus & temporalibus regere & exercere licite valeas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium dispensamus. Nulli ergo &c.

Datum Pisis, x. Kal. Novembris anno I.

X I.

Eximuntur ab omnibus impositionibus. Ibidem fol. 87.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Joannis Pistorien. Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. Religionis zelus, sub qua sedulum &c. Sane, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos propter varias tam seculares, quam alias exactiones, & tallias, vobis per Episcopum pro tempore existentem, & dilectos filios Clerum Pistorien. ac Officiales Cameræ Apostolicæ, necnon commune Florentin. retroactis temporibus impositas, quamplurimum gravatæ fuistis, & timetis in futurum per similes exactiones & tallias vobis imponendas gravari, adeo quod nisi vobis super his succurratur, formidatis, vos non posse vitam condecentem ducere, nec congrue sustentari. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis, & eidem Monasterio super his de opportuno remedio providere dignaremur. *Ut in Constit. 4. Innoc. VII.*

§. II. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, vos, & dictum vestrum Monasterium ab omnibus & singulis impositionibus quarumcumque exactionum, seu talliarum, vel aliorum gravaminum per Episcopum, & Clerum, aut Officiales, seu commune præfatos, aut quascumque ecclesiasticas, seu seculares personas, cujuscumque etiam status, gradus, conditionis &c. fuerint, de cetero imponendorum, auctoritate &c. prorsus eximimus, & etiam liberamus: ita quod ipsi in vos, occasione impositionum hujusmodi nullam possint jurisdictionem exercere, aut excommunicationis, seu alias sententias promulgare, seu vobis pœnas quascumque infligere, nec vos ipsis super impositionibus hujusmodi respondere teneamini quoquo modo. Decernentes irritos & inanes quoscumque processus & sententias, si quos, vel si quas, contra præsentium tenorem haberi contigerit, seu etiam promulgari: ac irritum & inane quidquid in contrarium a quoquam &c. Nulli ergo &c.

Datum Pistorii XIX. Kal. Januarii, anno I.

X I I.

Unitur parochialis Ecclesia sancti Laurentii Monasterio sancti Francisci Florentin. Ex lib. I. Alexandri V. fol. 305.

Dilecto filio Magistro Benozzio Francisci Friderici Canonico Florentin. Notario nostro.

§. I. Sacræ Religionis, sub qua dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii sancti Francisci Florentin. Ordinis sanctæ Claræ devotum & sedulum &c. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Prioris Artium, & Vexilliferi Justitiæ, civitatis Florentin. nobis nuper exhibita continebat, quod parochialis Ecclesia sancti Laurentii de Cruce prope Scarpariam plebanatam de Fagna, de Mugello, Florentin. diœcesis, quæ de jure patronatus laicorum existit, quæque tantum quatuor habet parochianos, li- *Ut in Constit. 5 Innoc. IV.*

bris, calicibus, & aliis paramentis Ecclesiasticis, ad divinum cultum in ipsa Ecclesia peragendum, necessariis penitus caret, & in eadem Ecclesia vix semel in anno, videlicet in festo dicti sancti Laurentii celebratur, & ad tantam devenit ruinam, quod portis ejusdem Ecclesiæ fractis, seu sublatis, etiam bestiis patet introitus in eadem: quodque Abbatissa & Conventus præfatæ ex fructibus dicti Monasterii non habent unde congrue possint sustentari, & nisi eis de opportuno subventionis auxilio provideatur, in eodem Monasterio, ut timetur, non poterunt remanere. Quare pro parte dictorum Prioris, & Vexilliferi nobis fuit humiliter supplicatum, ut præfatam Ecclesiam eidem Monasterio in perpetuum incorporare, annectere, & unire, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ &c. mandamus, quatenus, si est ita, & ad hoc patronorum ipsius Ecclesiæ accedat assensus, super quo tuam conscientiam oneramus, Ecclesiam prædictam, cujus sexaginta, eidem Monasterio, cujus quinquaginta florenorum auri fructus, reditus, & proventus secundum communem æstimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, auctoritate Apostolica, in perpetuum incorpores, unias & annectas: ita quod cedente, vel decedente dilecto filio Rectore ipsius Ecclesiæ, qui nunc est, aut Ecclesiam ipsam alias quomodolibet dimittente, etiamsi dictus Rector litterarum Apostolicarum scriptor, vel abbreviator, aut alias Officialis Sedis Apostolicæ fuerit, & propterea ipsa Ecclesia generaliter, vel specialiter dispositioni Apostolicæ reservata existat, liceat Abbatissæ & Conventui prædictis per se, vel alium, corporalem possessionem Ecclesiæ, juriumque &c. auctoritate propria apprehendere, ac in earum, & dicti Monasterii usus perpetuo retinere: Diœcesani loci, & cujuscumque alterius super hoc licentia minime requisita. Proviso quod dicta Ecclesia per idoneum Presbyterum secularem per Abbatissam dicti Monasterii existentem pro tempore, necnon hujusmodi Conventum, & ad earum nutum ponendum, & regendum, sumptibus ipsarum regatur, & animarum cura eorumdem parochianorum diligenter exerceatur. Quod prædictæ Abbatissa, & Conventus jura Episcopalia solvere, & alia onera Rectori ejusdem Ecclesiæ incumbentia ratione ejusdem Ecclesiæ, supportare integre teneantur. Non obstantibus &c. quibuscumque &c. Nos enim ex nunc irritum &c.

Datum Pistorii, XII. Kalendas Januarii, anno I.

XIII.

Ut possint legata, & eleemosynas recipere. Ex lib. 2. Alexandri V. fol. 81.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Domus Ordinis Fratrum Minorum de Chamberiaco, Gratianapolitan. Diœcesis.

Vide ut supra. §. I. Sacræ Religionis, sub qua devotum & sedulum &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod nonnulli Christifideles aliquas pecuniarum summas, res, & bona alia, vobis, & domui vestræ annis singulis super bonis, & rebus suis exsolvenda, tam pro anniversariis, quam Missis celebrandis, & aliis piis suffragiis, pro suarum animarum salute, per vos Altissimo effundendis, in eorum testamentis, & ultimis voluntatibus, ac alias pias eleemosynas legitime donare, & erogare consueverunt, quæ, obstantibus prohibitionibus Canonum, & statutis, & regulis vestri Ordinis, vobis recipere non licet.

§. II. Qua-

§. II. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis legata, & eleemosynas hujusmodi recipiendi, & in vestros, & dictæ domus usus & utilitates convertendi licentiam concedere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis ut legata, relicta, & eleemosynas hujusmodi, necnon quascumque pecuniarum summas, & res, ac bona alia, quæ vobis in futurum pia largitione fidelium, per quascumque personas largiri, & erogari, ac relinqui contigerit, & legari, ut præfertur, dummodo res & bona ipsa mobilia fuerint, per vos, vel procuratores vestros ad hoc a vobis specialiter deputatos, petere, recipere, exigere, & habere, ac in usus, ad quos donata, vel erogata fuerint, convertere libere & licite valeatis: fel. rec. Nicolai IV. & Clementis V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & quibuslibet aliis constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Domus, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque, tenore præsentium, indulgemus. Nulli ergo &c.

Datum Pistorii, 11. Kalendas Januarii, anno 1.

In eumdem modum pro Conventu Gebennen.

XIV.

Eligitur Provinciæ Mediolanen. Minister. Ibidem fol. 83.

Dilecto filio Francisco de Crivellis, Ordinis Fratrum Minorum professori, in sagra pagina Magistro, Provinciæ Mediolanen. ejusdem Ordinis Provinciali.

§. I. In eminentis Sedis Apostolicæ specula divinitus constituti, pro personarum Ecclesiasticarum, præsertim sub regulari habitu degentium statu salubriter dirigendo, juxta pastoralis officii debitum, libenter intendimus, ac partes nostræ sollicitudinis adhibemus.

§. II. Attendentes itaque, quod Mediolanen. Provincia per assumptionem venerabilis fratris nostri Francisci, tunc ejusdem Provinciæ Ministri, ad Ecclesiam Mediolanen. opportuno Ministri regimine præsentialiter remanet destituta; quodque propter emergentes in eadem Provincia varias, ac turbulentas nonnullorum dissensiones, atque dissidia, quæ (proh dolor!) humani generis adversario causante, diutius ibi viguerunt, nequit pro electione Ministri Provinciale Capitulum de præsenti congregari. Nos cupientes dilectos filios Conventus, & universos Fratres dicti Ordinis, ac Monasteria Monialium, & inclusarum, tam sanctæ Claræ, ac sancti Damiani, & Minorissarum Ordinum præfatæ Provinciæ, quas pariter ac præcipua in Domino benignitate prosequimur, juxta ejusdem Ordinis Instituta salubriter proficere, eisque de persona utili, & idonea pro hujusmodi Provinciali Ministro hac vice, prout expedire cognovimus, rerum & temporum pensatis qualitatibus, providere, & Religionis zelum, scientiæ dotem, vitæ ac morum conspicuam honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personam tuam illorum largitor Dominus multipliciter insignivit, debita meditatione pensantes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra liberalitate, te Ministrum Provincialem Fratrum, & Sororum Ordinum, & Provinciæ prædictorum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, facimus, constituimus, & etiam ordinamus, dantes, & concedentes tibi plenariam potestatem, hujusmodi Ministeriatus officium in omnibus & per om-

omnia, ad ipsum, juxta Instituta, & consuetudines dictorum Ordinum spectantia, & pertinentia, libere exercendi: contradictores &c. compescendo. Dilectis filiis Conventibus, Fratribus, & Sororibus supradictis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus tibi in omnibus, quæ tuum concernent officium, juxta ejusdem Ordinis Instituta, pareant, & intendant. Decernentes etiam ex nunc irritum &c. Volumus autem, quod quoad absolutionem de dicto Ministeriatu de te faciendam, & omnia alia, & singula præfati Ordinis Minorum instituta, sub potestate dilectorum filiorum Generalis Ministri, & generalis Capituli ejusdem Ordinis remaneas, & esse intelligaris, sicut sunt alii Provinciales Ministri præfati Ordinis, auctoritate ordinaria instituti: quodque per has nostras litteras constitutionibus, statutis, & consuetudinibus supradictis in nullo alias derogetur. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ Idibus Februarii, anno 1.

JOANNES XXIII.

Successit Alexandro V. electus XVI. *Kal. Junii, anno* MCCCCX.

ANNO CHRISTI 1410. JOANNIS XXIII. ANNO 1.

I.

Ut observetur statutum inter Fratres Daciæ, & Fratres Swetiæ, & Norwegiæ circa electionem Ministri Provincialis. Reg. Vat. ex lib. 2. anni 1. fol. 186.

Venerabili Fratri Episcopo Lincopen.

Ut supra in Concil. unica Gregorii XII.

Alternativa in electione Ministri Provincialis statuitur.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum universorum Fratrum Ordinis Minorum Provinciæ Daciæ, secundum morem ejusdem Ordinis, in Swetiæ, & Norwegiæ regnis degentium, fel. rec. Alexandro Papæ V. prædecessori nostro exposito, quod olim ad procurandum pacem & concordiam inter Fratres dictæ Provinciæ, quondam Henricus de Ast, tunc prædicti Ordinis Minister Generalis, una cum Capitulo generali ejusdem Ordinis, tunc Januæ celebrato, circa præfectionem, seu deputationem Ministri Provincialis Provinciæ prædictæ, matura deliberatione statuerat in hunc modum, videlicet, quod si pro tunc Minister Ptovincialis dictæ Provinciæ de regno Daciæ foret, finito officio suo Provincialatus hujusmodi, ejus successor de Swetiæ, & Norwegiæ regnis hnjusmodi esse deberet: & versa vice quoties hujusmodi Minister de Regno Swetiæ, vel Norwegiæ esset, ejus successor immediatus de ipso Regno Daciæ existeret, & sic perpetuis futuris temporibus circa præfectionem, seu deputationem Ministri Provincialis hujusmodi vicissitudinarie observari voluerat, & nihilominus pro ampliori corroboratione præmissorum, statutum ipsum a Sede Apostolica, per ejusdem Sedis litteras, in quibus omnes Fratres Provinciæ antedictæ præsentes, & posteri ad observationem dicti statuti astringebantur, sub pœna excommunicationis, quam transgressores ejusdem statuti eo ipso incurrerent, obtinuerat confirmari, quodque postmodum Ministro Provinciali ejusdem Provinciæ, qui tunc de dicto regno Daciæ fuerat, ab hac luce subtracto, Fratres Provinciæ de eodem regno Daciæ existentes in reprobum sensum dati, nunc minis, tunc vero blanditiis deceptivis, & quandoque conspirationibus, aliisque iniquis machinationibus dictos

Non servatur, & inique aboletur.

Fra-

Fratres de Swetiæ, & Norwegiæ regnis, ad eligendum Ministrum Provincialem hujusmodi, de dicto regno Daciæ, contra statuti, & litterarum hujusmodi tenorem, ac in dispendium dicti Ordinis, instigare non cessaverant, ipsique Fratres de dictis regnis Swetiæ, & Norwegiæ astutiis ipsorum Fratrum de dicto regno Daciæ circumventi, in electionem hujusmodi Ministri Provincialis, de eodem regno Daciæ existentis, ad effectum, ut per ipsum statutum hujusmodi approbaretur, consenserant, quodque postmodum idem Minister Provincialis sic electus, cum suis in ea parte complicibus, præmissis non contentus, nedum vota & promissiones violaverat; verum etiam statuto hujusmodi penitus spreto, litteras prædictas ausu temerario laniare præsumpserat, excommunicationis sententiam in talia perpetrantes promulgatam, damnabiliter incurrendo, ac pro parte dictorum Fratrum de Regnis Swetiæ & Norwegiæ eidem prædecessori humiliter supplicato, ut cum ipsi prædicto statuto, prout tenebantur, inhærere desiderarent, super hoc eis opportune providere, de benignitate Apostolica, dignaretur. Idem prædecessor hujusmodi supplicationibus annuens, voluit, & concessit, videlicet, nono Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno 1. tibi dari in mandatis, ut de præmissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis universis, auctoritate Apostolica, te diligenter informares, & si per informationem hujusmodi ea reperires veritate fulciri, statutum prædictum, eadem auctoritate renovares ex tunc in antea perpetuo, sub hujusmodi pœna excommunicationis, in dicta Provincia inviolabiliter observandum, quodque omnes Fratres de ipso regno Daciæ huic statuto inobedientes, & quos in hujusmodi laniatione litterarum prædictarum culpabiles invenires, excommunicatos tamdiu publice nunciares, & ab aliis faceres nunciari, & a prædictis Fratribus de regnis Swetiæ, & Norwegiæ tamdiu arctius evitari, donec eorum sumptibus, & expensis alias litteras, eisdem laniatis litteris consimiles, prædictis Fratribus Swetiæ & Norwegiæ restituerent, & de expensis inde factis eisdem Fratribus de Swetiæ, & Norwegiæ regnis plenarie satisfacerent, & quasvis ordinationes in ipsa Provincia a tempore hujusmodi laniationis dictarum litterarum, per ipsos Ministrum Provincialem, & Fratres, quomodolibet factas, eadem auctoritate, penitus annullares; & nihilominus illos ex eisdem Fratribus de ipso regno Daciæ prædicto statuto inobedientibus, qui ad observationem ipsius statuti redire vellent, si hoc humiliter peterent, ab excommunicationis sententia hujusmodi, quam propter præmissa incurrerant, auctoritate prædicta, absolveres in forma Ecclesiæ consueta, injunctis &c. Et nihilominus cum eis super irregularitate, si quam hujusmodi sententia ligati celebrando divina, vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxissent, eadem auctoritate, dispensares.

Oppressi recurrunt ad Apostolicam Sedem.

Episcopo demandatur commissio ut renovetur.

Aliæ etiam eidem concessæ facultates.

§. II. Ne autem, pro eo, quod dicti prædecessoris superveniente obitu, litteræ Apostolicæ super voluntate & concessione hujusmodi confectæ non fuerunt, præfati Fratres ipsarum voluntatis, & concessionis frustrentur effectu, volentes, & auctoritate Apostolica decernentes, quod eædem voluntas, & concessio perinde a dicta die, videlicet, nono Kalend. Decembris, sortiantur effectum, ac si super eis ejusdem prædecessoris litteræ sub ipsius diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentes litteræ ad probandam plene voluntatem, & concessionem antedictas ubique sufficiant, nec ad id probationis adminiculum requiratur, fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, præmissa omnia juxta voluntatem, & concessionem prædictas, auctoritate nostra, executioni studeas effectualiter demandare, contradictores &c. compescendo. Non obstan.

Omnia hæc acta a Pontifice Joanne confirmata.

stan. tam fel. rec. Bonifacii VIII. &c. ac de una, & duabus dietis in Concilio generali, quam aliis constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Seu si eidem Ordini a Sede prædicta sit indultum, quod personæ ipsius Ordinis suspendi &c. tuæ jurisdictionis explicatio valeat quomodolibet impediri, quæ, quoad hoc, eis nolumus in aliquo suffragari.

Datum Bononiæ VIII. Kal. Junii, anno 1.

II.

Ut quadringenti floreni auri pauperibus destinati, in earum necessitates convertantur. Ex lib. 1. an. 1. fol. 58.

Dilectis in Christo filiabus Beatrici Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Agathæ Papien. Ordinis sanctæ Claræ.

Ut sup. in Const. unica Greg. XII.

RAtioni congruit &c. Dudum siquidem fel. record. Alexandro Papæ V. prædecessori nostro pro parte vestra exposito, quod olim idem prædecessor tunc in minoribus constitutus, & in partibus illis Apostolicæ Sedis Legatus, pie attendens, quod fructus, reditus, & proventus Monasterii vestri olim uberes, sed postea, occurrentium temporum malitia causante, adeo effecti erant tenues & exiles, quod vos ex ipsis sustentari, & ruinæ dicti Monasterii, quam minabatur, occurrere non poteratis: quinimo aliquæ ex Monialibus præfati Monasterii inedia & fame laborantes, coactæ existebant præfatum Monasterium exire, atque parentum, & amicorum suorum lares expetere, ut ibidem sustentari valerent, & quod Blancha, relicta quondam Galeatii de Vicecomitibus militis vidua, fundatrix & donatrix Monasterii sanctæ Mariæ Annunciatæ Papien. dicti Ordinis, in fundatione & dotatione prædictis canonice factis, disposuerat, quod per Abbatissam, quæ esset pro tempore, & dilectas in Christo filias, Conventum ipsius Monasterii sanctæ Mariæ, ac ipsis in hoc forsan negligentibus, seu remissis, per Episcopum Papien. ac Provincialem Ordinis Fratrum Minorum, Provinciæ Januen. qui etiam essent pro tempore, singulis annis in perpetuum in usus pauperum, quadringenti floreni auri, qui restarent, seu excrescerent ex fructibus, reditibus, & proventibus dicti Monasterii sanctæ Mariæ, ultra victum, seu sustentationem Abbatissæ, & Monialium ejusdem Monasterii sanctæ Mariæ, quæ similiter essent pro tempore, distribuerentur, seu erogarentur. Voluit & ordinavit dictus prædecessor, tunc Legatus auctoritate legationis hujusmodi, quod ducenti floreni auri ex dictis quadringentis florenis, qui, ut præfertur, superessent annis singulis, ex fructibus, reditibus, & proventibus antedictis, per ipsas Abbatissam, & Conventum Monasterii sanctæ Mariæ, in hujusmodi sustentationem, reparationem, & conservationem perpetuis temporibus, annis singulis fideliter, & integre converti deberent in duobus terminis, videlicet, pro una in Maii, & reliqua medietatibus in Novembris mensibus in præmissis, quavis dilatione cessante, certos etiam executores super hoc deputando, prout in litteris ipsius prædecessoris, tunc Legati, desuper confectis dicebatur plenius contineri. Et pro parte vestra prædicto prædecessori humiliter supplicato, ut eisdem voluntati & ordinationi suis pro eorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apostolica dignaretur. Idem prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, videlicet, X. Kalendas Octobris, Pontificatus sui anno primo, voluntatem, & ordinationem suas præfatas ratas habens & gratas, ipsas, auctoritate Apostolica, confirmavit, & sui scripti patrocinio voluit communiri; prædictis dispositione ipsius viduæ, & constitutio-

tionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Ne autem pro eo quod super confirmatione hujusmodi litteræ Apostolicæ ipsius prædecessoris, superveniente ejus obitu, confectæ non fuerint, vos ejusdem confirmationis effectu frustremini, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod confirmatio prædicta perinde a dicta die eumdem consequatur effectum, ac si die &c. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, VIII. Kalendas Junii, anno I.

III.

Renovantur quædam litteræ. Ibidem fol. 174.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Mariæ in Veteribuda, Ordinis sanctæ Claræ, Vesprimien. diœc. &c.

SInceræ devotionis &c. Sane pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut quasdam litteras concessas Ordini vestro, per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, quibus vos asseritis indigere, & quas in Cancellaria nostra diligenter inspici, quarumque tenores de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, cum incipiant vetustate consumi, innovare de benignitate Apostolica dignaremur: quarum quidem litterarum tenores tales sunt: *Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis & Conventibus Monialium sive Ordinis sanctæ Claræ, sive sancti Damiani, seu Minorissæ dicantur &c. Laudabilis sacra Religio &c.* ut in Bulla XVIII. Bonifacii VIII. usque ad finem. *Datum Anagniæ* V. *Non. Junii, Pontificatus nostri anno* II. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati easdem litteras auctoritate Apostolica innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus de novo &c. Nulli ergo &c. *Ut in Constit. 5. Innoc. IV.*

Datum Bononiæ, VII. Kal. Julii, anno I.

IV.

Item aliæ. Ibidem.

EISDEM.

§. I. MEntis vestræ industria &c. Sane pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras fel. rec. Innocentii Papæ VI. prædecessoris nostri, in quibus privilegium per piæ memoriæ Joannem Papam XXII. etiam prædecessorem nostrum, Ordini vestro concessum, insertum est, quas quidem litteras in Cancellaria nostra diligenter inspici, quarumque tenores, quibus pro conservatione juris Monasterii vestri vos indigere asseritis, de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, cum incipiant vetustate consumi, innovare de benignitate Apostolica dignaremur. Quarum quidem litterarum tenores tales sunt.

§. II. *Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Tenorem quarumdam litterarum fel. rec. Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri in Registro ipsius prædecessoris repertum, ad dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sanctæ Mariæ in Veteribuda, Ordinis sanctæ Claræ, Vesprimien. diœc. asserentium se indigere illis, supplicationis instantiam de registro ipso, de verbo ad verbum transcribi, & præsentibus annotari fecimus; qui talis est: Joannes Episcopus &c. Dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis & Conventibus Monialium inclusarum sive Ordinis sanctæ Claræ, sive sancti Damiani, sive Minorissæ dican-*

cantur &c. in eis degentibus ſub onere voluntariæ paupertatis &c. Hinc eſt, quod nos pium & congruum reputantes, ut vos illa proſequamur gratia, quam veſtris neceſſitatibus conſpicimus opportunam, vobis univerſis & ſingulis ad inſtar fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, auctoritate præſentium indulgemus, ut ad præſtationem decimarum, de quibuſcumque poſſeſſionibus, & aliis omnibus bonis veſtris, quæ in præſentiarum habetis, & juſtis modis, præſtante Domino, acquiſiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet Ordinariorum, & etiam Legatorum, & Nunciorum Sedis Apoſtolicæ, & quibuslibet talliis, & collectis, ad exhibendum pedagia, colonia, & alias exactiones quibuſvis Regibus & Principibus, ſeu aliis perſonis ſecularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo &c. Datum Avenione XV. *Kalendas Octobris Pontificatus noſtri anno* II. *Ceterum, ut earumdem litterarum tenor ſic inſertus, omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim, eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litteræ ſupradictæ, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque & ubicumque, ſive in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus litteris ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum jus de novo dictis Abbatiſſæ & Conventui dicti Monaſterii beatæ Mariæ acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo &c. Datum Avenione* II. *Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno* VII.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eaſdem litteras auctoritate Apoſtolica innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus de novo vobis &c. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, VIII. Kal. Julii, anno I.

V.

Confirmantur eis varia privilegia. Ibidem fol. 120.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Minorum in partibus Lubaniæ conſtitutis &c.

§. I. SAcra veſtra Religio, quæ ſub onere voluntariæ paupertatis jugiter colitur.... ut puritate fulgeatis obſervantiæ regularis, & voluntatis libitum coarctantes, dignam & ſedulam exhibeatis Domino ſervitutem. Hinc eſt, quod nos pium & condignum reputamus, ut vos illa proſequamur gratia, quam veſtris neceſſitatibus fore conſpicimus opportunam.

§. II. Sane pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quædam privilegia, dudum conceſſa Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis veſtri, per litteras fel. rec. Clementis IV. & Benedicti XI. Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, quarumque tenores de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, cum incipiant vetuſtate conſumi, & quibus, ut aſſeritis, vos in Provincia veſtra non mediocriter indigetis, innovare de benignitate Apoſtolica dignaremur; quarum quidem litterarum tenores ſequuntur per ordinem in hæc verba: *Clemens Epiſcopus &c. Dilectis filiis Generali & univerſis Miniſtris, Guardianis & Fratribus de Ordine Minorum &c. In quibuſdam locis aliquando illas, prout accepimus, perſecutiones &c.* ut ſupra anno MCCLXVI. uſque ad finem. *Datum Peruſii* III. *Kal. Julii, anno* I. *Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis*

Vide in Regeſto Tomi 4. fol. 525.

filiis Generali & Provincialibus Ministris, ac universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum &c. Virtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores &c. ut supra ibidem, usque ad finem. *Datum Perusii* XII. *Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno* 1. *Benedictus Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali ac Provincialibus Ministris, ac universis &c. Inter ceteros Ordines, quos cœlestis agricolæ summa benignitas &c.* ut in Bulla XII. ejusdem Benedicti XI. usque ad finem. *Datum Romæ, apud sanctum Petrum* IV. *Non. Aprilis, Pontificatus nostri anno* 1. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, eadem privilegia auctoritate Apostolica innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus de novo vobis acquiri volumus, sed antiquum, si quod Generalis & Provinciales Ministri, ac Fratres prædicti, vosque per ipsos habetis, tantummodo conservari. Nulli ergo &c. *Vide in Regesto Tomi 6. fol. 445.*

Datum Bononiæ, III. Non. Julii, anno I.

ANNO CHRISTI 1411. JOANNIS XXIII. ANNO 2.

VI.

Datur ei facultas ad provinciale Capitulum convocandi. Ex lib. 2. anni 2. fol. 75.

Dilecto filio Antonio de Tybure, Ordinis Fratrum Minorum professori.

§. I. PAstoralis officii cura nobis, licet immeritis ex alto commissa, cor nostrum continua pulsat instantia, ut gregem nobis creditum a noxiis & adversis præservare sollicita diligentia studeamus, & oves nobis commissas, ne luporum patiantur incursus, & illorum morsibus lanientur, satagamus nostræ protectionis munimine confovere.

§. II. Cum itaque, sicut accepimus, Provincia Romana Ordinis Fratrum Minorum ad præsens careat Provinciali Ministro, nos ne ipsum Ordinem propterea circa regularem observantiam sustinere detrimenta contingat, super hoc salubriter providere volentes, tibi omnes & singulos Custodes, Guardianos, & alios Prælatos, & Religiosos dicti Ordinis in dicta Provincia constitutos, cujuscumque status vel gradus fuerint, qui secundum statuta & consuetudines ejusdem Ordinis consueverunt, & tenentur ad provinciale Capitulum dicti Ordinis convenire, ad aliquem locum idoneum ejusdem Provinciæ, de quo tibi videbitur, pro provinciali Capitulo celebrando, ac novi Ministri electione, auctoritate nostra convocandi, & ibidem provinciale Capitulum dicti Ordinis tenendi & celebrandi, ac celebrari faciendi, juxta ipsius Ordinis instituta, & observantias regulares: necnon voces Custodum & Guardianorum, & aliorum Prælatorum, & Fratrum dicti Ordinis absentium, per alios Fratres supplendi, ac ad præmissa auctoritatem præstandi, ac omnia alia & singula statuendi, faciendi & ordinandi in præmissis, & circa ea, quæ per Custodes & Guardianos, & alios Prælatos hujusmodi pro tempore, & provinciale Capitulum dicti Ordinis fieri possunt, & debent, secundum morem Ordinis antedicti: contradictoresque quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendi, plenam & liberam, usque ad nostrum beneplacitum, potestatem concedimus, tenore præsentium, & etiam facultatem. Non obstantibus &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, IV. Idus Junii, anno II.

VII.

Continuatur eis adminiſtratio Hoſpitalis ſanctæ Crucis Ortan. Ibidem fol. 4.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Ordinis Minorum Ortan.

§. I. Laudibus & honore digna Ordinis veſtri Religio ab ipſius inſtitutione felici per latitudinem Orbis terræ, diverſitate virtutum ſemper claruit; unde piæ memoriæ quondam prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, quibus etiam ipſa Religio delectabilis fuit, illam interno, & efficaci amore in Chriſto dilexerunt, ac ſincera proſequi voluntate, multis ipſam attollendo laudibus, & præſidiis curarunt, veſtigia piis immitantes affectibus, vos & eos, qui eamdem Religionem profeſſi ſunt, quadam ſingulari benevolentia proſequentes, libenter illa concedimus, cum a nobis petitur, quæ ad ſubſtantiam Religionis hujuſmodi expedire conſpicimus.

§. II. Cum autem ſit nobis firma fiducia, quod quanto plus ipſa Religio benignitatis Apoſtolicæ favore reficitur, tanto in ipſa devotionis & reverentiæ ſtudium circa nos, & Romanam Eccleſiam adaugetur.

§. III. Sane petitio veſtra nobis nuper exhibita continebat, quod a centum annis proxime præteritis, ac citra & ultra, Hoſpitale pauperum ſanctæ Crucis Ortan. cujus fructus, reditus & proventus ultra viginti florenos auri, ſecundum communem æſtimationem, non valent, ut aſſeritis, annuatim, pro recreatione & receptione pauperum in eodem, tam vos, quam illi, Guardiani & Fratres Ordinis præfati, qui in illa, quam prius tenuiſtis, civitate noſtra Ortan. & in ea, quam nunc tenetis, apud Eccleſiam ſancti Angeli Ortan. Domibus dicti Ordinis, præceſſerunt, hactenus regere conſueviſtis & conſueverunt, prout pacifice vos etiam illud regitis de præſenti.

§. IV. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos, pro eo forſan, quod propter antiquitatem temporis hujuſmodi, vel aliqua inconvenientia, non appareat, quo jure, vel titulo, vos & dicti prædeceſſores Hoſpitale prædictum rexeritis, ſive rexerint, timeatis ſuper eodem regimine dicti Hoſpitalis poſſe in poſterum moleſtari, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, qui olim, ut etiam aſſeritis, de mandato fel. rec. Urbani Papæ V. prædeceſſoris, propter utilitatem Romanæ Eccleſiæ ad prædictam domum prope ipſam Eccleſiam ſancti Angeli, cum promiſſione, quod vobis propterea per dilectos filios Commune Ortan. condigna compenſatio fieret; quæ tamen uſquequam ſubſecuta extitit, tranſlati fuiſtis, in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur pie præmiſſis attentis, & dictam tranſlationem vobis minus accommodam aliquali munificentia Sedis Apoſtolicæ compenſare volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod ſicut dicti veſtri prædeceſſores, voſque poſt illos Hoſpitale prædictum hactenus gubernaſtis, & prout illud pacifice gubernatis, tam vos, quam etiam ſucceſſores veſtri Guardiani & Fratres dicti Ordinis, qui pro tempore in ipſa domo apud eamdem Eccleſiam ſancti Angeli reſidebunt, regere & gubernare perpetuis futuris temporibus libere & licite valeatis, & valeant, præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon privilegiis, ſeu indultis Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prædicti Ordinis quibuſcumque, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, etiamſi de privilegiis, ſeu indultis hujuſmodi de

verbo

verbo ad verbum præsentibus habenda esset mentio specialis, vobis & eisdem successoribus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, XVIII. Kal. Octobris, anno II.

VIII.

Ut dispenset cum Thoma filio Regis Angliæ, volenti matrimonio copulari Margaritæ de Holand, affinitatis, & consanguinitatis gradibus sibi conjunctæ. Ex lib. I. anni 2. fol. 61.

Dilecto filio Antonio de Pireto, Magistro in sacra Theologia, Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro, in regno Angliæ Nuncio nostro.

§. I. OBlatæ nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Thomæ, carissimi in Christo filii nostri Henrici Regis Angliæ illustris, nati, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Margaritæ de Holand, relictæ quondam Joannis de Beaufort, Comitis de Somerset, petitionis series continebat, quod ipsi certis, ut asserunt, rationabilibus causis ducti desiderant invicem matrimonialiter copulari; sed quia prædicti Thomas, & Margarita secundo affinitatis, & secundo & tertio consanguinitatis gradibus sunt conjuncti, desiderium hujusmodi eorum adimplere nequeunt, dispensatione super hoc Apostolica non obtenta. Quare pro parte Thomæ & Margaritæ prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eis de opportunæ dispensationis gratia providere, de benignitate Apostolica dignaremur; super quo dilectus filius nobilis vir Henricus Princeps Valliæ, ipsius Regis primogenitus, ejusdemque Thomæ germanus, nobis per suas litteras etiam humiliter supplicavit.

§. II. Nos igitur prædictarum causarum certam notitiam non habentes, ac affectantes Regem, & ipsius natos prædictos, pro eorum, & regni prædicti statu & quiete, quantum cum Deo, & Sedis Apostolicæ honestate fieri valeat, benigne, prout dignum censemus & congruum, in eorum petitionibus exaudire, discretioni tuæ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus, si diligentibus indagatione, & inquisitione præcedentibus, causas evidentes & rationabiles ad hujusmodi matrimonium contrahendum fore repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, & Regis prædicti ad id voluntas interveniat pariter & assensus, dictaque Margarita propter hoc rapta non fuerit, tu prædictis Thomæ, & Margaritæ, ut impedimentis consanguinitatis & affinitatis hujusmodi, quæ ex præmissis proveniunt, non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, & in eo postquam contractum fuerit, remanere libere & licite valeant, auctoritate Apostolica dispenses, prolem ex hujusmodi matrimonio suscipiendam, legitimam nunciando.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, IV. Idus Novembris, anno II.

IX.

Ut poſſit indicere Capitulum provinciale in Provincia ſancti Antonii cum ampla facultate. Ex lib. 2. an. 2. fol. 113.

Dilecto filio Laurentio Ordinis Minorum profeſſori Paduan. ac ſacræ Theologiæ Magiſtro.

Præfatio.

§. I. AMabiles fructus, quos ſacer Ordo Minorum, cujus, ut præfertur, profeſſor exiſtis, velut pomerium quoddam divina manu conſitum in agro militantis Eccleſiæ in ubertate produxit hactenus, & producet in poſterum, ac odorem ſuavitatis in omnem terram ex laudabilibus actionibus hujuſmodi profeſſorum jugiter prodeuntem, in noſtræ conſiderationis ſpecula adducentes, de ſtatu præfati Ordinis proſpere conſervando, ut ſublatis de medio vepribus, undelibet felicibus ſemper ſucceſſibus augeatur, & ſub prudenti, regulari, proboque regimine, Deo propitio, qui ipſum in agro hujuſmodi plantavit, coluit, & rigavit, præfutura ſuſcipere valeat incrementa, nos inducunt cogitare ſæpiſſime, & ad ſingula tranquillitatem præfati Ordinis concernentia extendere paſtoralis officii noſtri curas.

Miniſtro Provinciæ mortuo alius debet ſubſtitui.

§. II. Cum itaque, ſicut nobis nuper innotuit, in Provincia beati Antonii, & Marchiæ Tarviſin. ſecundum Inſtituta dicti Ordinis, propter obitum quondam Franciſci de Civitate Bellunen. dudum præfati Ordinis profeſſoris, & in Theologia Magiſtri, & dictæ Provinciæ Miniſtri, extra Romanam Curiam vita functi, ne Provincia hujuſmodi, & profeſſores ipſius Ordinis degentes in illa Miniſtro careant, & regimine ſalutari, neceſſitas de futuro Miniſtro flagitet, ſecundum Inſtituta hujuſmodi, pro Provinciale Ordinis & Provinciæ prædictorum Capitulum providere. Nos attendentes, quod dilectus filius Antonius de Pireto, ipſius Ordinis Generalis Miniſter, pro nonnullis noſtris, & Romanæ Eccleſiæ arduis negotiis agit præſentialiter in remotis: ac de Miniſteriatu Ordinis, & Provinciæ prædictorum celeriter, & ſalubriter providere volentes, & de fidei puritate, ſinceritate devotionis, religionis zelo, ſcientiæ claritate, ac exemplaris vitæ munditia, reliquiſque virtutum dotibus illis, quibus, prout fide dignorum teſtimoniis novimus, perſonam tuam earum largitor Dominus multifariam inſignivit, ſumpſerimus, & ſumamus in Altiſſimo fiduciam ſpecialem, quod ea, quæ prudentiæ tuæ committenda duxerimus, exequeris fideliter & prudenter, diſcretioni tuæ hac vice dumtaxat, auctoritate noſtra indicendi, vocandi, & celebrandi Provinciale Capitulum Ordinis, & Provinciæ beati Antonii prædictorum, in loco ad id congruo & honeſto, hoc tempore per tuam diligentiam declarandis, cum poteſtate etiam incorporandi & inſtituendi voces electionum ſecundum hujuſmodi Inſtituta, ita & taliter, quod de hac ipſa electione nemo alius, ſive Vicarius Generalis a prædicto Antonio de Pireto Generali Miniſtro, ſive ab alio quocumque, & quacumque auctoritate deputatus, te poſſit aliquatenus impedire; & cum hoc etiam, quod ſi contigerit te eligi, ſis capax electionis, & ſtatuti, ſis verus Miniſter, & poſſis omnia, quæ Miniſtri hujuſmodi facere poſſunt, & conſueverunt, nullaque obſtante exceptione, Fratres dicti Ordinis in dicta Provincia degentes, ac Moniales quæcumque, quæ Ordini ſubſunt in dicta Provincia conſtitutæ, tibi tamquam vero Miniſtro teneantur in omnibus, quæ ſecundum Inſtitutiones ſupradictas ſtatuenda duxeris, obedire. Et tibi inſuper dicendi, faciendi, & exequendi omnia & ſingula, quæ pro electione dicti futuri Miniſtri, & pro aliis opportunitatibus, circa ſalutare regimen, & guberna-

Generalis legitime impeditus.

Facultas papalis indicendi Capitulum.

Capax declaratur paſſivæ vocis.

tio-

tionem Ordinis & Provinciæ prædictorum, ac professor hujusmodi secundum ipsius Ordinis Instituta fuerint opportuna,& prout in similibus Capitulis fieri hactenus consuevit; ac etiam supra proponendis, ordinandis & statuendis, & in ipso Capitulo proponendi & proponi, ordinari & statui, ac reformari, & provideri faciendi omnia & singula, quæ circa electionem dicti futuri Ministri, & dependentia ab eodem, ac pro aliis concernentibus Ordinis professorum, ac Provinciæ prædictorum commoda, & divini cultus, & ipsius Ordinis incrementa, juxta ipsius Ordinis Instituta, quæ utilia, seu opportuna videbuntur, illaque adimpleri, & observari per censuram Ecclesiasticam, & alia juris remedia, appellatione cessante, auctoritate præfata mandandi & exequendi, ac etiam decernendi, quæ in præmissis, seu circa ea, seu dependentia visa fuerint salubriter expedire: & ut talis in Ministrum assumatur hujusmodi, qui tamquam ardens lucerna sub modio, ardore divini luminis, scientiæ claritate,morum venustate, consilii maturitate, docta experientia in agendis, fidei puritate, devotionis sinceritate erga nos, & præfatam Ecclesiam exemplariter in domo Dominica luceat, bonos protegat, indirecta dirigat, & convertat aspera in vias planas, & professores Ordinis & Provinciæ prædictorum sub ipsius salutari regimine, & spiritualibus & temporalibus alimentis, valeat, prout speramus & cupimus, refovere: constitutionibus Apostolicis, vel dicti Ordinis, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, plenam & liberam, tenore præsentium, concedimus facultatem. Mandantes ex tunc in virtute sanctæ obedientiæ dilectis filiis Guardianis, Professoribus, Conventibus, atque Domibus Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, quatenus tibi in his, quæ ad indictionem & convocationem Capituli, ac nominationem & electionem dicti Ministri, & aliorum dependentium seu connexorum, secundum præfati Ordinis Instituta spectare, seu pertinere noscuntur, tibi & deputandis rite pareant fideliter, & intendant: alioquin sententias, sive pœnas, quas rite tuleris, seu statueris per te, vel alios in rebelles, ratas & gratas &c. Præsentibus usque ad assumptionem dicti Ministri, & absolutionem præfati Capituli tantummodo valituris. Tu autem juxta traditam tibi a Domino prudentiam sic studeas in præmissis te gerere, quod sperati exinde fructus proveniant, & ultra nostram & præfatæ Sedis benedictionem & gratiam, apud Deum crescas meritis, & Ordo ipse tuæ diligentiæ exinde ad gratiarum rependia teneatur.

Ei optima commendatur electio.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idibus Martii, anno II.

ANNO CHRISTI 1412. JOANNIS XXIII. ANNO 3.

X.

Ut reformet aliquas domos, & Monasteria in Provincia Tusciæ, & alium ei præficiat Ministrum, si Ministri pro tempore existentis culpa aliqui errores sint in easdem domos inducti. Ex lib. 5. an. 3. fol. 92.

Dilecto filio Antonio de Massa Ordinis Fratrum Minorum professori, in sacra Theologia Magistro.

§. I. Circa status religiosorum locorum, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium, necnon personarum in eis degentium salubriter dirigendum, ad eorum reformationem, cum illa deformata sentimus, libenter intendimus, & ut personæ ipsæ a quibuscumque retrahantur excessibus, & de commissis per eos salubriter corrigantur, partes Apostolicæ sollicitudinis adhibemus.

§. II. Sane ad nostrum nuper pervenit auditum, quod nonnulla loca, sive

sive domus Fratrum Ordinis Minorum, secundum morem dicti Ordinis, necnon Monasteria Sororum Ordinis sanctæ Claræ, sive Minorissarum in Provincia Tusciæ consistentia, culpa, seu defectu, & negligentia Ministri dictæ Provinciæ, qui nunc est, ac quorumdam ex Officialibus locorum, sive domorum hujusmodi, per eumdem Ministrum institutis, & etiam deputatis, necnon Abbatissarum Monasteriorum prædictorum, male reguntur, & gubernantur, spreta in aliquibus locorum, sive domorum, seu Monasteriorum ipsorum disciplina, seu observantia regulari.

§. III. Nos itaque cupientes, quod dicta loca, sive domus, seu Monasteria, semotis & procul pulsis impedimentis nocivis, commodis affluant, & successibus prosperis gratulentur, discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus ad præfata loca, sive domos, seu Monasteria ipsa te personaliter conferens, habens præ oculis solum Deum, loca, sive domos, seu Monasteria ipsa, auctoritate nostra, visites & reformes tam in capite, quam in membris, & quæ in eis correctionis & reformationis, necnon privationis, positionis, & depositionis Fratrum, ac quorumdam ex Officialibus prædictis, necnon Abbatissarum prædictarum in eisdem locis, sive domibus, seu Monasteriis degentium, officio noveris indigere, eadem auctoritate, corrigas & reformes: necnon prædictos Fratres, & quosdam ex Officialibus prædictis, ac Abbatissas præfatas punias, ponas & deponas, prout secundum Deum, & animæ tuæ salutem, videris expedire. Contradictores per censuram &c. non obstantibus quibuscumque indulgentiis, privilegiis &c.

§. IV. Volumus autem, quod si per diligentem examinationem præfatum Ministrum dictæ Provinciæ repereris talia commisisse, vel alias eum minus idoneum ad Ministeriatum dictæ Provinciæ, seu ejusdem Ministeriatus officium & exercitium, propter quæ, exigentibus ejus demeritis, Ministeriatu, seu officio Ministeriatus ejusdem, & ejus exercitio privandus, & ab eo amovendus extiterit, Ministeriatu, seu officio & exercitio hujusmodi prives, & amoveas realiter ab eodem. Et nihilominus post privationem, & amotionem hujusmodi, Fratres alias discretos secundum statuta, & consuetudines dicti Ordinis ad Capitulum, seu congregationem celebrandum, ad aliquem locum idoneum dictæ Provinciæ, prout tibi videbitur, pro electione alterius Ministri in dicta Provincia nominandi & eligendi, auctoritate præfata, convoces, seu congreges, & hujusmodi Capitulum, sive congregationem inter dictos Fratres, alias discretos, tenere & celebrare, ut est moris, supplendo omnes & singulas voces Fratrum prædictorum, si quæ defuerint in Capitulo, seu congregatione hujusmodi, & in Capitulo, seu congregatione præfatis, alium Ministrum in dicta Provincia nominare & eligere in locum dicti Ministri, si per te ipsum Ministeriatu & ejus officio, & exercitio privari, & ab eo amoveri contigerit, ut præfertur, ad Ministeriatum, & ejus officium, & exercitium in præfata Provincia, eadem auctoritate, procures. Ita tamen, quod nominatio & electio dicti alterius Ministri, cum hujusmodi Capitulo, seu congregatione, per te celebrata, per dilectum filium Antonium de Pireto, dicti Ordinis Fratrum Minorum Generalem Ministrum debeant protinus confirmari. Et insuper, quod si alicui alteri de celebrando electionem dicti alterius Ministri in præfata Provincia, Apostolica, vel alia quavis auctoritate, concessum fuerit, concessio ipsa, etiamsi de verbo ad verbum in præsentibus, de ejus toto tenore habenda foret mentio specialis, irrita & inanis existat, nulliusque roboris vel momenti.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, II. Kal. Octobris, anno III.

XI.

X I.

Eximuntur ab omnibus decimarum & gabellarum solutionibus. Ibidem fol. 115.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Mariæ Montis-sancti, prope Tudertum, Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. Caritas indissolubilis, quæ ad Ordinis sanctæ Claræ, quem dextera Domini in sua vinea plantavit, honorem & commodum, nostram vertit sollicitudinem incessanter; quoties statum prosperum illius intelligimus, vultum & animum nostrum exhilarat, & cum ejus gravamina & vexationes audimus, ad remedia debita, cura pervigili properamus; unde illis, quæ circa ipsum Ordinem facta sunt, ut illibata persistant, libenter favorem Apostolicum impertimur.

§. II. Sane petitio vestra nuper nobis exhibita continebat, quod olim fel. rec. Benedictus Papa XI. prædecessor noster, per speciale ejus privilegium universis Abbatissis, & Sororibus Monasteriorum dicti Ordinis, a piæ memoriæ Urbano Papa IV. prædecessore nostro institutis, viventibus, quæ tunc erant, & essent in futurum, indulsit, ut ad præstationem decimarum de quibuscumque possessionibus, & aliis omnibus bonis eorum, quæ tunc habebant, & justis modis acquirerent legitime in futurum, vel ad exhibendum annuum reditum, sive censum ipsarum diœcesanis Episcopis, seu pedagia, telonia, & alias exactiones quibusvis Regibus, seu aliis personis sæcularibus, vel etiam ad dandum procurationes aliquas Legatis, vel Nunciis Sedis Apostolicæ, sive decimam, vel aliam portionem, aut subventionem aliquam de ipsarum proventibus cuiquam exhibendum, vel ad contribuendum in exactionibus, aut collectis, seu subsidiis aliquibus, minime tenerentur, nec ad id cogi possent per litteras Sedis Apostolicæ, vel Legatorum prædictorum, vel quorumcumque aliorum; etiamsi in illis caveretur exprese, quod ad quævis exempta, & non exempta loca, & Monasteria se extenderent, & alia illis, cujuscumque tenoris existerent, ipsius Sedis Indulgentia non obstaret: etiamsi forte dictæ litteræ Sedis ejusdem de indulto, & Monasteriis ipsis plenam & expressam facerent mentionem. Necnon etiam Abbatissæ, Sorores, & Monasteria prædicta a jurisdictione, & potestate Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum eorumdem diœcesanorum, & quorumcumque aliorum exemit, & decrevit ex tunc irritas, & inanes interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas in Abbatissas, Sorores prædictas, vel aliquam ipsarum, aut Monasteria hujusmodi, & loca dicti Ordinis contra indulti, & exemptionis eorumdem tenorem, per quemcumque contingeret promulgari.

§. III. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, licet illæ, quæ vos in eodem Monasterio vestro præcesserint, & vos etiam ... eodem indulto in aliquibus non fuerit contraventum, tamen dilectus filius Jacobus, Prior sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ sancti Nicolai Balneoregien. jurium, fructuum, proventuum Cameræ Apostolicæ inter alia in eisdem civitate, & diœcesi per nos collector constitutus, vigore quarumdam litterarum nostrarum, per quas colligere habet decimam omnium redituum, & proventuum Ecclesiasticorum in Provinciis nostri patrimonii beati Petri in Tuscia, Sabinen. & eisdem Tudertin. & quibusdam aliis civitatibus, & diœcesibus per triennium a data ipsarum litterarum computandum, ab omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Admnistratoribus, Electis, & Abbatibus, ce-

terisque Prælatis, & Ecclesiasticis personis, secularibus, & regularibus, exemptis, & non exemptis, hujusmodi reditibus, & proventibus in prædictis Provinciis, civitatibus, & diœcesibus habitantibus, & infra triennium habitaturis, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis, status, gradus, Religionis, Ordinis, vel conditionis existerent, etiamsi de eis, & propriis eorum Ordinibus, locis, & personis, nominibus, & cognominibus, ac de verbo ad verbum plenam, & expressam debuerint facere mentionem: quibus, aut eorum alicui nulla privilegia, aut indulgentias, sub quacumque forma, vel expressione verborum ipsis concessa, quoad hoc volumus suffragari; aliquibus tamen exceptis in nostris litteris antedictis, vos ad contribuendum in certa collecta hujusmodi, Clero in dicta civitate, & diœcesi, vigore dictarum litterarum imposita, compellere conetur, contra tenorem indulti memorati, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis, & statui vestro in præmissis salubriter providere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. IV. Nos igitur volentes vos favore prosequi speciali, & ut quietius Domino famulari sub humilitatis spiritu valeatis, hujusmodi supplicationibus inclinati, vos, & illæ, quæ vobis in eodem Monasterio successerint pro tempore, per easdem, & etiam quascumque alias nostras litteras sub quavis verborum forma derogatoria, etiamsi caveatur in eis, quod quibuscumque privilegiis, & indultis concessis nos intendimus derogare, etiamsi specialis & expressa, & de verbo ad verbum deberet fieri mentio de eisdem, & cum aliis clausulis quibuscumque derogatoriis generalibus, vel specialibus, super impositione decimæ, vel alterius portionis, aut caritativi subsidii, exactionis, & collectæ per hujusmodi Clerum, seu dictum Monasterium Cameræ Apostolicæ, aut Sedi prædictæ, seu Legatis, aut Nunciis hujusmodi solvendorum, & aliorum in dicto indulto Benedicti concessorum & in posterum concedendas, etiamsi de Ordine sanctæ Claræ, & vestro Monasteriis prædictis, in eisdem nostris, aut aliis litteris Apostolicis fieret mentio generalis, vel specialis, ad contribuendum, vel quidquam solvendum de possessionibus, & aliis bonis vestris, quæ in præsentiarum habetis, & illis etiam, quæ, præstante Domino, acquisiveritis legitime in futurum, minime teneamini, nec ad id invitæ compelli possitis, ejusdem Benedicti prædecessoris vestigia sequentes, vobis de speciali gratia, tenore &c. indulgemus. Et nihilominus idem privilegium Benedicti prædecessoris nostri, & quæcumque alia privilegia dicti Monasterii, quorum continentiam & tenorem hic volumus de verbo ad verbum pro expressis haberi, eadem auctoritate, ex certa scientia, confirmamus. Decernentes ex nunc etiam irritas &c. si quæ per ipsum Priorem &c. illarum sibi directarum latæ fuerint hactenus, ac illas, etiamsi quæ forsan per ipsum, vel quemvis alium, aliarum litterarum Apostolicarum vigore in futurum promulgari contigerit, vel haberi. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Kalendas Februarii anno III.

XII. Re-

XII.

Restituitur ad Ministeriatum Angliæ a se dimissum. Ex lib. 1. an. 4. fol. 216.

Dilecto filio Willelmo Butler Ministro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Angliæ, secundum morem ejusdem Ordinis, in sacra Theologia Magistro.

SInceræ devotionis affectus &c. Cum itaque, sicut nobis innotuit, licet dudum tu in Ministrum Provincialem Ordinis Fratrum Minorum, provinciæ Angliæ, secundum morem ejusdem Ordinis, rite deputatus fueris, ac hujusmodi Provincialatus officium aliquandiu laudabiliter exercueris: postea vero, ut informamur, hujusmodi officium libere & sponte resignasti, ac dilectus filius Vincentius Bors sacræ Theologiæ, & dicti Ordinis professor in eodem officio extitit subrogatus. Nos tamen ex certis rationabilibus causis ad id animum nostrum moventibus, eumdem Vincentium a prædicto officio, auctoritate Apostolica penitus amoventes, te ad illud, eadem auctoritate, tenore præsentium, plenarie restituimus, teque Ministrum Provincialem dictæ Provinciæ, auctoritate præfata, facimus, constituimus, ac etiam deputamus; tibi omnia & singula, quæ ad officium ipsum pertinent, de consuetudine, vel de jure faciendi, ordinandi, statuendi, mandandi, & exequendi; necnon contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, facultatem plenam, & liberam concedentes, mandantesque nihilominus prædicto Vincentio, ac universis, & singulis Fratribus dictæ Provinciæ præsentibus & futuris, ut tibi tamquam vero, & legitimo Ministro Provinciali ejusdem Provinciæ in omnibus, quæ ad officium hujusmodi quomodolibet pertinent, effectualiter pareant, & intendant: alioquin sententiam &c. Volumus autem, quod dictus Vincentius propter amotionem hujusmodi nullam incurrat infamiæ maculam, sive notam. *Ut in Constit. 5. Innocentii IV.*

Datum Bononiæ XVI. Kalend. Junii anno IV.

XIII.

Ut Moniales Monasterii sancti Nicolai Senensis lites, & quæstiones circa Legata per arbitros dijudicari faciant sine figura judicii. Ex lib. 7. an. 4. fol. 57.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. SAcræ Religionis, sub qua dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus Monasterii sancti Nicolai Senensis, Ordinis sanctæ Claræ &c. Sane petitio pro parte ipsarum Abbatissæ, & Conventus nobis nuper exhibita continebat, quod licet hactenus nonnullæ possessiones, res, jura, & bona mobilia, & immobilia, eidem Monasterio per Christifideles pia largitione legata fuerunt, & relicta, seu donata; tamen a nonnullis in eisdem possessionibus, rebus, & bonis jus habere prætendentibus, quominus Abbatissa, & Conventus præfati eisdem bonis pacifice uti, & gaudere valeant, sæpe numero molestantur, & litigiis involvuntur, in ejusdem Monasterii incommoditatem, præjudicium, atque damnum, & ipsarum Abbatissæ, & Conventus turbationem, scandalum, & jacturam. Quare pro parte ipsarum Abbatissæ, & Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, & earum statui in præmissis opportune consulere, de benignitate Apostolica, dignaremur. *Vide Constitut. 5. hujus Pontificis.*

§. II. Nos igitur intendentes easdem Abbatiſſam, & Conventum, ne per litigia in cauſis, quæ ſuper hujuſmodi relictis, & legatis, ac donatis vertentur pro tempore, diſtrahantur, prout ex primo caritatis tenemur officio, ab hujuſmodi incommodis, & litium anfractibus relevare, & ut eo ferventius Altiſſimo famulentur, quo quietior fuerit illarum ſtatus, ac ſe amplioribus noverint, per Sedem Apoſtolicam privilegiis communitas: Volumus, & auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium decernimus, ſtatuentes, quod Abbatiſſa exiſtens pro tempore, & Conventus dicti Monaſterii omnes, & ſingulas cauſas, lites & quæſtiones contra quaſcumque perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, habitus, præeminentiæ, vel conditionis exiſtant, de, & ſuper quibuſcumque poſſeſſionibus, rebus, & bonis mobilibus, & immobilibus, juribus, & actionibus per quoſcumque Chriſtifideles eidem Monaſterio quomodocumque relictis, legatis, donatis, vel aliter conceſſis, aut futuris temporibus, auctore Domino, relinquendis, legandis, donandis, & concedendis, motas, & movendas, in manibus cujuſcumque perſonæ, tam ſecularis, quam Regularis, Ordinis, & habitus cujuſcumque, quam pro earum parte ſuper hoc duxerint eligendam, quoties opus fuerit, libere compromittere, & hujuſmodi compromiſſum facere, & in arbitrium hujuſmodi perſonæ alias idoneæ ponere, quodque perſonæ hujuſmodi per eaſdem Abbatiſſam, & Conventum ex parte una, ut præmittitur, eligendæ, ſuper cauſis, litibus, & quæſtionibus ſupradictis hujuſmodi compromiſſum, & arbitrium in ſe ſponte ſuſcipere, ac etiam acceptare.

§. III. Et nihilominus in cauſis, & quæſtionibus ſupradictis, hujuſmodi compromiſſi, ſeu arbitrii vigore, procedere ſummarie, ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti neceſſitate inſpecta, ac etiam in præmiſsis laudare, & arbitrari, & hujuſmodi laudum ſub illis pœnis, & modis, & conditionibus in talibus adjici conſuetis roborare, & inviolabiliter obſervari facere; ac omnia & ſingula alia agere, & exercere, quæ in præmiſsis, & circa ea fuerint opportuna, & quæ alii arbitri arbitratores, & amicabiles compoſitores in ſimilibus quomodolibet facere poſſunt, de conſuetudine, vel de jure, licite valeant, atque poſsint.

§. IV. Nos enim eidem perſonæ per eaſdem Abbatiſſam, & Conventum, ac ejus Collegæ per partem alteram eligendæ hujuſmodi cauſas, controverſias, lites, & quæſtiones, in eo ſtatu, in quo coram quocumque Judice, Auditore, vel Officiali eas pendere invenerint, indeciſas reſumendi, & vocatis, qui fuerint evocandi, audiendi, & uſque ad finalem ipſarum cauſarum diviſionem ſine debito terminandi, ac faciendi quod decreverint, ſi perſonæ hujuſmodi ſeculares, & laicæ per diſtrictionem temporalem, quæ convenit; ſi vero Regulares, & in ſpiritualibus dignitatibus conſtitutæ fuerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alias eadem auctoritate firmiter obſervari: teſteſque qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellendi perhibere teſtimonium veritati, plenam, & liberam, harum ſerie, licentiam elargimur. Non obſtan. tam fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem &c. in contrarium editis quibuſcumque: quodque Religioſi de negotiis ſecularibus abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia ſe nequeant impedire, aut cauſas ſuſcipere quoquo modo &c. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ xv. Kalendas Junii anno iv.

XIV.

XIV.

Ut in suis capellis uti campanis, & missas decantari facere possint. Ex lib. 1. ann. 4. fol. 2.

Dilectis filiis Fratribus, & dilectis in Christo filiabus Sororibus domuum Fratrum, & Sororum de Pœnitentia, seu Tertio Ordine sancti Francisci nuncupatorum de sancto Audomaro, Morinen. diœcesis, sub Regula dicti Sancti viventibus.

§. I. SAcræ Religionis, sub qua &c. Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, filii Fratres, unam, & vos, in Christo filiæ, aliam Sorores domos ab invicem distantes in oppido de sancto Audomaro, Morinen. diœcesis habetis, & seorsim, seu separatim inhabitatis, in quibus secundum regularia Instituta Ordinis sancti Francisci vivitis, & in quarum qualibet una capella pro celebratione missarum, & aliorum divinorum officiorum ad vestrum, & aliorum Christifidelium usum constructa & consecrata consistit. Ac, sicut eadem petitio subjungebat, ob divini cultus, & eorumdem Christifidelium devotionis augmentum desideratis, ut in qualibet dictarum capellarum unam campanam habere, & illis pro Horarum, & Christifidelium convocatione ad hujusmodi Missas, & divina officia audiendum, illisque interessendum, ac alias etiam, prout, & quando vobis videretur, uti; necnon Missas, & alia officia hujusmodi solemniter, & alta voce ad notam decantari facere possitis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod hujusmodi campanas habere, & eis uti, ac missas, & alia officia hujusmodi decantari facere, ut præfertur, valeatis, vobis, & successoribus vestris Fratribus, & Sororibus dictarum domuum, qui erunt pro tempore, concedere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum, & devotionem præfatas nostris temporibus adaugeri, intensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis & eisdem successoribus, ut in qualibet dictarum capellarum unam condecentem campanam habere, & ea uti; necnon Missas, & alia Officia hujusmodi, quoties, & quando vobis, & dictis successoribus videbitur, in eisdem capellis decantari facere, ut præfertur; absque tamen alicujus præjudicio, vos, & iidem successores libere & licite possitis, quibusvis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus. Per hoc autem Regulam, vel Ordinem vestrum non intendimus aliquatenus approbare. Nulli ergo &c.

Datum apud sanctum Antonium extra muros Florentin. III. Nonas Julii, anno IV.

XV.

Ut fruantur possessionibus Prioratus Ecclesiæ de Cossio, ad earum necessitates sublevandas. Ibidem fol. 12.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Montis-alban. Ordinis ejusdem Sanctæ.

§. I. MErita vestræ Religionis exposcunt, quod nos libenter illam vobis gratiam faciamus, quam vestris commoditatibus fore conspicimus opportunam.

§. II. Sane petitio pro parte veftra nobis nuper exhibita continebat, quod fructus, reditus, & proventus Monafterii veftri, in quo olim triginta Sorores, & Moniales Ordinis fanctæ Claræ effe folebant, & vitam honorabilem habebant, ac divinum cultum faciebant, poftea propter guerras, & mortalitates, quæ in illis partibus viguerunt, adeo funt diminuti, quod vos, quæ nunc decem eftis numero, ex eis congrue fuftentari non poteftis: quinimo timetis, nifi per Sedem Apoftolicam vobis de alicujus fubventionis auxilio confulatur, vos ad tantam devenire inopiam, quod exinde nequeatis congrue relevari, & per confequens etiam divinus cultus minuetur ibidem, & quod abfit, vobis daretur materia evagandi. Quare pro parte veftra nobis fuit humiliter fupplicatum, ut veftræ indigentiæ paterno compatientes affectu, Prioratum fecularis, & non collegiatæ Ecclefiæ de Coffio, Caturcen. diœcefis, ad collationem, & provifionem Epifcopi Caturcen. pro tempore exiftentis, pertinentem, & cujus parochianorum animarum cura per perpetuum Vicarium inibi inftitutum pro tempore, exercetur, eidem Monafterio in perpetuum incorporare, annectere & unire, de benignitate Apoftolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujufmodi fupplicationibus inclinati, prædictum Prioratum, fi vacat ad præfens, vel cum vacaverit, etiamfi difpofitioni Apoftolicæ, generaliter vel fpecialiter refervatus exiftat, cum omnibus juribus & pertinentiis fuis, cujus vigintique pro tempore, ipfum obtinenti, & in eo non refidenti, dicto Monafterio, cujus centum librarum Turonen. parvorum fructus, reditus, & proventus, fecundum communem æftimationem valorem annuum, ut afferitur, non excedunt, auctoritate Apoftolica, in perpetuum incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod cedente, vel decedente moderno ipfius Prioratus Priore, vel dictum Prioratum alias quomodolibet dimittente, liceat vobis corporalem poffeffionem Prioratus, juriumque, & pertinentiarum prædictarum, per vos, vel alium, feu alios, auctoritate propria apprehendere, nec non in veftros, & dicti Monafterii ufus perpetuo retinere, ac fructus ipfius Prioratus in fupportationem onerum vobis incumbentium, & utilitatem dicti Monafterii convertere: ipfumque Prioratum per aliquem idoneum Presbyterum, de quo vobis videbitur, pro tempore facere gubernari, de hujufmodi fructibus, reditibus, & proventibus Monafterii, dicti Epifcopi, vel alterius cujufvis licentia fuper hoc minime requifita. Volumus autem, quod vos epifcopalia jura folvere, & alia confueta onera, ratione prædicti Prioratus teneamini integre fupportare, non obftantibus &c. quibufcumque. Nulli ergo &c. noftræ incorporationis, annexionis, unionis, conftitutionis, & voluntatis infringere. Si quis &c.

Datum apud fanctum Antonium extra muros Florent. VIII. Kal. Septembris, anno IV.

XVI.

Ut faciant Ecclefiam novi Monafterii confecrare, & cæmeterium benedicere per quemlibet Antiftitem. Ibidem fol. 13.

Eisdem.

§. I. Fructus præcipuæ honeftatis, & caftitatis infignia, quibus celebes fponfæ Sorores Ordinis fanctæ Claræ in fancta Dei Ecclefia, relucere nofcuntur, non indigne merentur, ut loca dicti Ordinis, & per-

& personæ eorum, pro ipsarum incremento ab Apostolica Sede opportunum favorem inveniant, & gratiarum plenitudinem consequantur.

§. II. Sane dudum pro parte vestra fel. rec. Gregorio Papæ XI. prædecessori nostro exposito, quod Monasterium vestrum, quod tunc in suburbiis civitatis Montis-albani situatum erat, occasione guerrarum, quæ in illis partibus viguerunt, prout tunc vigebant, per cives & incolas prædictæ civitatis erat adeo dirutum, atque destructum, quod vos ibidem habitare nequibatis, nec sperabatis in futurum ibidem tute & quiete vos posse morari; quodque vos infra mœnia prædictæ civitatis in parochia parochialis Ecclesiæ sancti Jacobi Montis albani habebatis quasdam possessiones & domos, in quibus quidem domibus, & possessionibus novum Monasterium, in quo quiete & commode possetis Altissimo famulari, fundare, & construere affectabatis; idem prædecessor vobis fundandi, & construendi hujusmodi novum Monasterium, de novo construendum infra dictam civitatem, in loco ad hoc congruo & honesto, cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis necessariis officinis; necnon de dicto primo Monasterio ad hujusmodi Monasterium de novo construendum, cum constructum foret, vos transferendi, & ibidem habitandi perpetuo Domino servituræ, licentiam vobis duxerat largiendam: & successive Clementi VII. in ejus obedientia nuncupato, per vos significato, quod infra eadem mœnia in loco ad hoc congruo & honesto novum Monasterium cum Ecclesia &c. quodque licet apud Episcopum Montis-Albani, qui tunc erat, instititissetis, ut ipsa Ecclesia consecraretur, & ejus cœmeterium benediceretur, ac propter fundationem & constructionem hujusmodi nullum dilectis filiis Capitulo Montis-Albanen. Ecclesiæ Ordinis sancti Benedicti, cum primum novum Monasterium infra eamdem parochiam, in qua dictum antiqunm Monasterium consistebat, consisteret, præjudicium factum foret; tamen hujusmodi Capitulum, qui dictam Ecclesiam sancti Jacobi in usus proprios obtinebant, prout obtinent, intendentes a vobis de oblationibus & funeralibus, quæ ipsi Monasterio obvenerant & obveniebant, ultra quam a vobis, dum in eodem primo Monasterio resederatis, percipere consueverant, extorquere, ne Ecclesia consecraretur, & cœmeterinm prædictum benediceretur, contra justitiam impedire præsumebant: prædictus Clemens vestris supplicationibus annuens, per suas litteras prædicto Episcopo commisit & mandavit, ut si esset ita, Ecclesiam consecrare, & cœmeterium prædicta benedicere non postponeret, vosque in vestris juribus, & libertatibus solitis manuteneret, atque defenderet, nec permitteret, vos super his ab eisdem Capitulo, vel quibusvis aliis indebite molestari, prout in eisdem litteris plenius continetur.

§. III. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, Ecclesia consecrata, & cœmeterium novum benedictum nondum fuerint, seu existant, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc vobis opportune providere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. IV. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis consecrari Ecclesiam, & benedici faciendi novum cœmeterium hujusmodi per aliquem Catholicum Antistitem, gratiam, & communionem Sedis prædictæ habentem, de quo vobis videbitur, & etiam Antistiti hoc peragendi, ad hoc Episcopi Montis-Albanen. existentis pro tempore, necnon hujusmodi Capituli, & alterius cujuscumque licentia, & consensu minime requisitis, ac etiam eorum contradictione nequaquam obstante, plenam & liberam, aucto-

ctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur. Nulli ergo &c. nostræ elargitionis & voluntatis infringere &c.

Datum apud sanctum Antonium extra muros Florentin. II. Nonas Septembris, anno IV.

XVII.

Incorporatur Ecclesia parochialis sancti Justi Monasterio sanctæ Mariæ Montis-Domini. Ibidem. fol.3.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. INter opera pietatis illam devotionis spem cordialiter amplectimur, qua divinus cultus extollitur, seu depressus reducitur per munificam largitionem.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Conventus Monasterii sanctæ Mariæ Montis-Domini, prope Florent. Ordinis sanctæ Claræ, & dilecti filii Andreæ Joannis de Florentia Rectoris, Prioris nuncupati parochialis Ecclesiæ sancti Justi de Monte-Albano, Pistorien. diœcesis petitio continebat, quod Ecclesia prædicta quæ olim Collegiata, & honorabilis erat, necnon fructibus, reditibus & proventibus abundabat, tractu temporis propter inconvenientia plurima desiit esse Collegiata, & libris, calicibus, & paramentis ad eumdem cultum peragendum necessariis, seu utilibus ipsa Ecclesia destituta est, & nisi sex, vel octo habet parochianos: & qui quidem fructus, reditus, & proventus adeo diminuti sunt, quod ultra triginta florenos auri, secundum communem æstimationem non valent annuatim, de quibus solus Rector ipsius Ecclesiæ existens, pro tempore vix potest congrue sustentari: quodque si prædicta Ecclesia præfato Monasterio uniretur, ex hoc, ut speratur, ipsa Ecclesia magnum in spiritualibus & temporalibus susciperet incrementum, & ad salubrem statum redigi posset. Quare pro parte Abbatissæ, & Conventus, ac Rectoris prædictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eamdem Ecclesiam prædicto Monasterio unire, & alias ipsius Ecclesiæ statui in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictam Ecclesiam cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Monasterio, cujus fructus, reditus, & proventus ducentorum & quinquaginta florenorum auri, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut prædictæ Abbatissa & Conventus asserunt, non excedunt, auctoritate Apostolica in perpetuum incorporamus, annectimus, & unimus; ita quod cedente, vel decedente ipso Rectore, vel eamdem Ecclesiam alias quomodolibet dimittente, liceat eisdem Abbatissæ & Conventui per alium, seu alios, corporalem possessionem ipsius Ecclesiæ, auctoritate propria apprehendere, necnon in ipsarum & dicti Monasterii usus perpetuo retinere; ita etiam quod præfatæ Abbatissa & Conventus prædictam Ecclesiam gubernari, necnon curam animarum parochianorum ipsius Ecclesiæ existentium pro tempore, per idoneum Presbyterum secularem, ad solum nutum earum ponendum, & removendum, exercere facere, &c. Diœcesani loci & cujuscumque alterius licentia super hoc minime requisita. Volumus autem, quod Abbatissa dicti Monasterii pro tempore existens, & hujusmodi Conventus Episcopalia jura solvere, & alia &c. supportare integre teneantur. Non obstan. constitutionibus &c. ju-

ra-

ramento &c. Nulli ergo &c. nostræ incorporationis, annexionis, unionis, voluntatis, & constitutionis infringere &c.

Datum apud sanctum Antonium extra muros Florentin. Idibus Octobris, anno IV.

XVIII.

Confirmantur statuta facta a Tertiariis Belgicis. Ibidem fol. 218.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. PErsonas vacantes divinis obsequiis &c. Sane petitio dilectorum filiorum universorum Fratrum, & dilectarum in Christo filiarum universarum Sororum Tertii Ordinis *de Pœnitentia* nuncupati, quem beatus Franciscus instituit, in partibus Flandriæ, & præsertim in Episcopatu Morinen. ac in locis, scilicet, Furnis, Novoportu, Ipris, Paupringis, Dixmudæ, & Bergis, Morinen. diœcesis, degentium petitio continebat, quod ipsi olim, ut quietius & salubrius animas suas Deo lucrifacerent, vivendo etiam juxta Regulas, ac modum vivendi per felicis recordationis Nicolaum Papam IV. prædecessorem nostrum omnibus Fratribus & Sororibus dicti Ordinis, qui tunc erant, & essent pro tempore, auctoritate Apostolica datos, & ordinatos, provida deliberatione prævia statuerunt & ordinarunt, ut per salutaria exempla ad æternam vitam cum Dei adjutorio salubrius proficere possent, prædicti Fratres & Sorores neminem reciperent ad professionem dicti Ordinis, nisi finito anno probationis, ut ipsa Regula dictat, & nisi in die professionis suæ haberent decem & octo annos, & nisi satisfecissent Ecclesiæ, & ubique secundum contenta in Regula memorata, & fieret per ipsos professio in hæc verba, videlicet: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego N. voveo & promitto Deo, & beatæ Mariæ Virgini, beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi F. N. omnibus diebus vitæ meæ esse obediens Domino Joanni Papæ, & suis successoribus canonice intrantibus, & vivere in obedientia, & paupertate, sine proprio, & in castitate, & observare Regulam Tertii Ordinis beati Francisci, secundum declarationem, & ordinationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ factam, & traditam per prædictum Dominum Nicolaum Papam, & contra omnia, quæ huic modo vivendi ad salutem animæ meæ conveniunt, ad discretionem meorum Superiorum*. Et recipiens eamdem professionem promittat ei, quod si hæc faceret, meretur vitam æternam: & fiat illa receptio per Ministrum tantum, secundum Regulam, tam de ipsis Fratribus, quam de Sororibus ejusdem Tertii Ordinis, uti bono modo posset haberi, & si non de consilio Visitatoris Superior Soror in Dei nomine illud faceret de Sororibus ipsis.

Ut in Constit. 10. Innoc. VII.

Diversorum locorum Tertiarii recurrunt ad Apostolicam Sedem.

Conditiones quæ ad professionem requiruntur.

Formula ejusdem.

§. II. Et quia in Evangelio dicitur, quod *nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*, voluerunt, & etiam ordinarunt ipsi Fratres in locis antedictis degentes, quod nullus inter dictos Fratres & Sorores professos posset illum statum & communitatem dimittere, & reverti ad seculum, seu ad minorem, sive ad leviorem statum in Ecclesia declinare, sed potius quilibet eorumdem Fratrum & Sororum firmiter sua vota, & suum statum observarent, sicut Domino promiserunt: dictique Fratres, & Sorores in eisdem locis degentes, qui ad hoc essent habiles, dicerent Horas Canonicas secundum morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sine nota; & alii, seu aliæ non ad hoc habiles Horas ejusdem beatæ Mariæ Virginis secundum præfatum Ordinem, vel nocturnum Psalterii pro Matutinis, & alios Psalmos pro aliis Horis, prout tenerentur dicere, si dictas Horas legerent: & qui

Nullus Professus potest statum dimittere.

& qui ista nescirent, vel bono modo addiscere non possent, sicut de ipsis cavetur in ipsa Regula, dicerent orationem Dominicam, scilicet, *Pater noster*, ut super illis discernerent eorum Visitatores, & Superiores ad majorem profectum suarum animarum.

Debent habere Visitatorem.

§. III. Dicti vero Fratres, & Sorores, prout de eorum Regula, & antiqua consuetudine habebant, etiam deinceps haberent Visitatorem religiosum virum alterius Ordinis, & semper unum Magistrum de Fratribus ipsis, qui esset super omnes Fratres & Sorores, & cum hoc Sorores ipsae eligerent sibi unam de praefatis Sororibus, prout eligitur Minister, quae etiam renovaretur in ejus ministerio, sicut ipse Minister; quae sic electa in absentia dicti Ministri, haberet potestatem super omnes Sorores, sicut ipse Minister super praefatos Fratres & Sorores, & fieret in qualibet domo praedicta Fratrum & Sororum unus, vel una, Superior omnium Fratrum & Sororum domus illius, & cui omnes de domo illa in absentia Ministri, vel Superioris Sororis inter Sorores obedirent, & hoc per electionem omnium Fratrum & Sororum singularum domorum, quae etiam renovarentur, sicut ceteri. Tamen uterentur Visitator & ceteri Superiores Ordinis de suspensione Officiariorum, & ceteris similibus, secundum eamdem Regulam, & antiquam consuetudinem in necessitatibus, & alias, prout decens & honestum omni tempore appareret: & de cetero in qualibet domo eorumdem Fratrum, & Sororum haberentur aliqua loca honesta satis magna, in quibus simul convenirent ad orandum, comedendum, & dormiendum, scilicet, Sorores in locis Sororum, & Fratres in locis Fratrum seorsim, seu ab invicem separatim: dum tamen non haberent aedificia, vel loca excessiva, ac si essent honesti Religiosi Fratres secundum paupertatem, & eorum necessitatem satis parva, & vilia; & nemo extra communitatem maneret aliquo notabili tempore, nisi de licentia Superiorum, in quibus Superiores omnes in necessitatibus, & causis rationabilibus possent dispensare, secundum quod eis secundum Deum videretur expedire: praeciperentque dictis Fratribus & Sororibus omnibus ad hoc petentibus & habilibus, quod operarentur, & laborarent in aliquo tempore, labore honesto, unde sibi victum acquirerent; non tamen taliter laborarent, quod spiritum devotionis extinguerent, tempus devotionis & orationis ad hoc exponendo, sed Superiores eorumdem Fratrum & Sororum providerent, quod in qualibet domo praeordinarent, & dividerent ipsum tempus, tam aestatis, quam hiemis, tam diei, quam noctis, prout ratio dictaret, ad utrumque faciendum; ita quod temporibus congruis orarent, & laborarent, & quod otiositas, vel pigritia non impediret laborem, se velando sub specie devotionis, vel orationis.

Et alium in qualibet domo Superiorem.

In illis habenda loca ad orandum &c.

Quomodo laborare debent.

Tempus quomodo distribuendu.

Vita communis, & mendicitas praescribuntur.

§. IV. De mercede vero & labore viverent omnes in communi, tam insufficientes ad laborem, quam alii, & ubi merces laboris non sufficeret ad eorum victum, humiliter recurrerent ad eleemosynam postulandam, & Superior uniuscujusque domus hujusmodi reciperet mercedem laborum omnium domus, & eleemosynas per seipsum, vel alium loco sui, & sicut reciperent, exponerent fideliter in necessitatibus communitatis unde reddituri rationem hujusmodi Visitatori, & Ministro, ac Sorori, & Superioribus, si & quando eis placeret, & secundum quod videretur eis expedire, quorum conscientias ipsi ordinantes super praemissis voluerunt onerare; praedictique Fratres & Sorores secundum usum communem dicti Ordinis induerentur, & haberent Fratres unam tunicam griseam, vilem, quae vilitas attenderetur, in pretio & colore, & unum scapulare, pro cingulo chordam rudem de canape nodatam, ut moris est, haberent longum caputium, & magnum mantellum de eodem panno, ad modum simplicium hominum, socculares ligatos, vel

Forma habitus qualis.

vel cum vinculis, secundum quod pauperes illius patriæ habebant. Sorores autem omnia prædicta haberent, ut tunicam, scapulare, chordam, & caputium, quando liceret, ac etiam socculares, haberent etiam super caput velum, vel caputergum album, & hoc intra domum. *Etiam pro Sororibus.*

§. V. Quando autem eas contingeret exire domo, possent habere unum mantellum de panno supradicto, una parte reversa super caput, ad cooperiendum aliqualiter faciem: quando etiam itinerarent, vel laborarent, dictæ possent Superiores suæ eis concedere ad portandum ipsarum caputia; & quod sibi caveant ipsi Fratres & Sorores habere aliqua, in quibus non reluceret asperitas, vilitas, & paupertas, cum talia valerent multum ad puritatem observantiæ sui status.

§. VI. De cetero autem nec ipsi Fratres, nec Sorores subjacerent jurisdictioni Ecclesiæ, videlicet eorum diœcesani Episcopi: tenerentque prædicti Fratres Capitulum suum in aliqua domo eorumdem Fratrum, ad placitum Visitatoris, & Ministri prædictorum. Et similiter Capitulum Sororum teneretur in aliqua domo Sororum prædictarum, ad quæ Capitula quælibet, videlicet earum ad suum Capitulum tenerentur mittere, necnon ipsi Fratres & Sorores tenerentur ad illa venire in tali numero, & tali modo, sicut ordinatum fuerat inter eos; ita quod non esset discursus eorumdem Fratrum & Sororum in magna multitudine per villas & itinera, possentque dicti Fratres & Sorores in eorum Capitulo tractare de omnibus causis, suum statum tangentibus, ac constituere Officiarios, & absolvere, necnon corrigere casus, quorum ad eos correctio pertineret. *Non debent Ordinariis subjici.* *Capitula quando & quomodo facienda.*

§. VII. Insuper facere statuta nova, & vetera corrigere, augendo, vel minnendo, secundum quod eis melius & purius ad observationem suorum votorum in hac parte videretur expedire, cum consilio tamen eorum Visitatoris sæpedicti. Sed si Fratres, vel Sorores prædicti statuta nova facerent, vel aliquid renovarent, nullius esset auctoritatis, donec illud per Diœcesanum loci foret confirmatum, ad quod faciendum teneretur Episcopus loci; dum tamen præfata ordinatio, seu innovatio foret rationabilis & utilis ad eorum observantiam, & puritatem votorum, & alias non; possentque de cetero dicti Fratres, & Sorores in suis capellis earumdem domorum coram se facere Missam, & alia divina Officia solemniter celebrari: & campanile, & campanam ab extra suum tectum habere toties, quoties eis placeret, & facultatem haberent, ut eis expediendum fore videretur. Quare prædicti Fratres & Sorores dictorum locorum nobis humiliter supplicarunt, quatenus præmissis per eos statutis, & ordinationibus, ut præfertur, omnibus pro ipsorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, de speciali gratia dignaremur. *Ordinationes pro opportunitate.*

§. VIII. Nos igitur hujusmodi &c. inclinati præmissa omnia & singula, prout per eosdem Fratres & Sorores in dictis partibus ac domibus locis & Episcopatu degentibus, ut præmittitur, provide statuta, & ordinata, facta fuerunt, & omnia inde secuta rata habentes & grata, ea ex certa scientia, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem: jure tamen parochialium Ecclesiarum, in quarum jurisdictionibus dictæ domus situantur, & alterius cujuscumque in omnibus semper salvo. Statuentes nihilominus, & eadem auctoritate ordinantes, quod hujusmodi Capitula, seu Regulæ, necnon modus vivendi per ipsos Fratres & Sorores, qui nunc sunt, & illos etiam, qui erunt pro tempore in partibus, & diœcesi Morinen. debeant inviolabiliter observari: quodque ipsi Fratres & Sorores illos diligenter sequendo, & observando per Diœcesanum & locorum Ordinarios, *Omnia hæc a Sede Apostolica confirmata.*

 seu

feu quofque alios, quavis auctoritate fungentes, contra capitula Regularum, & modum vivendi hujufmodi, fub quovis quæfito colore, non poffint, nec debeant in aliquo moleftari. Non obftan. fel. rec. Joannis Papæ XXII. etiam prædecefforis noftri, quæ incipit: *Sancta Romana* &c. & aliis Apoftolicis, necnon &c. contrariis quibufcumque. Decernentes etiam ex nunc irritos & inanes omnes proceffus, necnon excommunicationis &c. fententias, fi quos, vel quas contra præmiffa, vel eorum aliquod fcienter, vel ignoranter forfan promulgari contigerit, vel haberi. Nulli ergo &c.

Datum apud fanctum Antonium extra muros Florentin. VII. Kalendas Novembris, anno IV.

XIX.

Conftituuntur Confervatores circa executionem prædictorum privilegiorum. Ibidem fol. 219.

Venerabilibus fratribus Parifien. & Tornacen. Epifcopis, ac dilecto filio Decano Ecclefiæ fancti Donatiani Brugen. Tornacen. diœcefis.

NUper dilectis filiis univerfis Fratribus, & dilectis in Chrifto filiabus Sororibus Tertii Ordinis *de Pœnitentia* nuncupati, quem beatus Francifcus inftituit, in partibus Flandriæ, & præfertim in Epifcopatu Morinen. ac in locis, fcilicet, Furnis, Novoportu, Ipris, Paupringis, Dixmudæ, & Bergis, Morinen. diœc. degentibus, litteras noftras conceffimus in hæc verba: *Joannes Epifcopus fervus fervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Perfonas vacantes &c.* de verbo ad verbum, ut fupra. Cupientes igitur, quod prædicti Fratres & Sorores contra tenorem ipfarum indebite non vexentur &c.

Datum apud fanctum Antonium extra muros Florentin. V. Kalendas Novembris, anno IV.

Anno Christi 1414. Joannis XXIII. anno 4.

XX.

Tertiarii Trajectenfis diœcefis declarantur perfonæ Ecclefiafticæ, & toto vitæ curriculo fuis Superioribus fubjectæ; eorumque privilegia confirmantur. Ibidem fol. 135.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. PAftoralis officii cura, licet infufficientibus meritis, nobis ex alto commiffa, continue pulfat, & excitat mentem noftram, ut opem & operam, quantum poffumus, impendamus, quod ftatus quarumlibet perfonarum religiofarum in humilitatis fpiritu Domino famulantium non folum ubique floreat, fed etiam, auctore Domino, felicibus proficiat incrementis, ipfifque perfonis, ne fecularibus moleftiis indebite pergravatæ, ab intima fua devotione, ac jugi divina laude retrahantur, de remedio falubriter provideamus opportuno.

Ea quæ Bonifacius IX. Tertiariis præfcripfit.

§. II. Dudum fiquidem quondam Bonifacius IX. in fua obedientia nuncupatus, dilectis filiis Fratribus, & dilectis in Chrifto filiabus, Sororibus Ordinis fancti Francifci *de Pœnitentia* nuncupati, in Civitate & diœcefi Trajecten. in communi fub regulari obfervantia degentibus, per quafdam fuas litteras ordinavit, ut Miniftri Fratrum, & Sororum hujufmodi pro tem-

tempore, aliquem ex seipsis ad certum tempus in suum possent eligere Superiorem, qui cum personis, quas singulæ Domus Religionis ejusdem ad hoc deputarent, singulis annis Capitulum celebraret generale, cum plenaria potestate statuendi, corrigendi, & reformandi, quæ secundum Deum pro conservatione Religionis hujusmodi viderentur expedire: nullum tamen ex hujusmodi Ministris Fratribus, & Sororibus, si contra ordinationem hujusmodi Capituli agerent, ad culpam obligari voluit, sed ad pœnam. Quodque etiam quælibet personarum hujusmodi Domorum, diœcesum prædictarum, ad manus sui Ministri cum aliis observantiis ejusdem Ordinis, etiam solemne votum perpetuæ continentiæ, si vellet, emittere valeret. Possunt eligere Superiores. Votumque emittere continentiæ.

§. III. Et deinde per alias suas litteras inter alia etiam omnes, & singulas personas utriusque sexus Domorum hujusmodi, tunc præsentes, & futuras, quæ post professionem hujusmodi per eas factam, ut præfertur, propria temeritate, sine suorum Ministrorum expresso consensu, nisi in casibus a Jure, seu Regula dicti Ordinis exceptis, Domos suas, vel Conventus exire præsumerent, & per dictos suos Ministros canonice moniti infra competentem terminum redire non curarent ad easdem, excommunicatione latæ sententiæ innodavit, & tamquam apostatas reputari voluit, ac haberi. A quibus quidem excommunicationis sententia & crimine apostasiæ, nisi per Romanum Pontificem, seu per Ministrum suum Superiorem, pro tempore existentem, si tamen Sacerdos foret, nisi in mortis articulo, nullatenus absolverentur, prout in prædictis litteris plenius continetur. Domos sine licentia excuntes considerandi tamquam Apostatæ.

§. IV. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Fratrum, & Sororum petitio continebat, quidam curiosi volentes plus sapere, quam oporteat, asserant personas dicti Ordinis per hujusmodi votum sic juxta tenorem concessionis ejusdem præfati Bonifacii, ut præmittitur, emissum, ad solemne votum castitatis, ut alios Religiosos approbatorum Ordinum minime obligari, ac votum hujusmodi matrimonium jam contractum non dirimere, nec etiam impedire contrahendum. Nonnulli etiam temporale dominium in partibus illis habentes, ac seculares Judices, necnon Communitates Civitatum, ac Universitates oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, prætendentes hujusmodi personas dicti Ordinis sancti Francisci non esse Religiosas, vel eas conati sint, & conentur eas, ut laicos ipsis subjectos in servitiis personalibus, & realibus, ac supportationibus aliorum onerum laicalium suis subditis incumbentium, aggravare. Pro parte ipsorum Fratrum, & Sororum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eis providere de opportuno remedio, de benignitate Apostolica, dignaremur. Plerumque falsæ opiniones.

§. V. Nos igitur super præmissis dictis Fratribus, & Sororibus, ut eo quietius possint Christo Domino sub Religionis habitu famulari, quo a secularibus perturbationibus, & molestiis hujusmodi magis liberi fuerint, & immunes, salubriter providere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præmissa omnia & singula alia privilegia, libertates, & immunitates hactenus dictis Fratribus, & Sororibus omnimodis sancti Francisci, & diœcesis prædictarum per Sedem Apostolicam, vel alias rationabiliter concessa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & etiam confirmamus. Pontifex eorum quieti consulit. Omnia privilegia confirmantur.

§. VI. Et nihilominus ad omnis dubitationis scrupulum, qui circa præmissa forsitan oriri posset, summovendum, decernimus & ordinamus, quod hujusmodi Fratres & Sorores Ordinis sancti Francisci Domorum, & diœcesis prædictarum ex nunc in antea votum solemne continentiæ, & castitatis, juxta tenorem præfatæ concessionis dicti Bonifacii sponte ad manus hujusmo-

jusmodi Ministri, cum aliis observantiis antedicti Ordinis sancti Francisci emittentes, ad observationem ejusdem voti, sicut aliæ personæ professæ aliorum Ordinum approbatorum, perpetuo sint astricti, ipsosque Fratres, & Sorores, Religiosos, & Ecclesiasticos esse, & quoad hoc omnibus, & singulis libertatibus, immunitatibus, privilegiis, & indulgentiis, aliis Religiosis & Ecclesiasticis personis, tam a Jure, quam ab homine quomodolibet concessis, uti & gaudere posse, & debere, auctoritate prædicta declaramus: hoc adjecto, quod illi ex Fratribus & Sororibus hujusmodi, qui post regularem professionem hujusmodi, per eos, ut præfertur, emissam, propria temeritate, sine Ministrorum suorum expressa licentia, exceptis casibus, a Jure, seu Regula dicti Ordinis sancti Francisci permissis, Domos suas, vel Conventus hujusmodi exire præsumpserint, vel suis Superioribus juxta regularem observantiam hujusmodi obedire contempserint, per eosdem Superiores carceribus mancipari, & usque ad satisfactionem condignam, prout personarum, & facti qualitas exegerit, sub convenienti disciplina in eisdem carceribus detineri possint, & debeant: ipsosque Fratres, & Sorores, qui absque hujusmodi licentia, ut præmittitur, suas Domos & Conventus exierint, nulla etiam alia monitione præmissa, sententiæ majoris excommunicationis ipso facto subjacere volumus, ac apostatas reputari, & haberi; nec eos ab hujusmodi excommunicationis sententia, & apostasiæ crimine, ab alio, quam a Romano Pontifice, seu Ministro suo hujusmodi pro tempore existente, si tamen in Sacerdotio fuerit constitutus, quomodolibet, præterquam in mortis articulo, absolvi posse, vel debere; constitutionibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus Ordinis, & Domorum hujusmodi, ac aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c. nostræ approbationis, confirmationis, constitutionis, ordinationis, declarationis, adjectionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c.

Pœna in contravenientes.

Datum Bononiæ, 11. Kalendas Aprilis, anno iv.

In eumdem modum: *Dilectis filiis sancti Martini Embricen. Trajecten. diœc. & beatæ Mariæ Præpositis, ac Decano sancti Salvatoris Trajecten. Ecclesiarum &c.* ut prædictas litteras executioni curent mandari.

XXI.

Conceduntur eisdem privilegia. Ibidem fol. 134.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Speciosus forma, & plenus gratia Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus inter cetera sanctitatis insignia præcipue diligit castitatem, ut sibi virgini nato de virgine, ac immaculato Agno virgines famulentur, statum etiam vidualem a sua misericordia non repellit, cum juxta sacræ Scripturæ eloquia, non solum virgines, verum etiam viduæ ad regna perveniant Cœlorum, propter quæ dignum reputamus, ut Apostolicæ Sedis benignitas virgines, quæ se parant accensis lampadibus eidem obviam ire Sponso, necnon etiam devotas viduas, quæ in humilitatis spiritu in hujusmodi virginum consortio ipsi Sponso servire desiderant, tanto propensioris caritatis studio prosequamur, quanto ipsæ, secundum fragilitatem sexus, majori dignoscuntur auxilio indigere.

§. II. Ad nostram siquidem, fide dignis relatis pervenit notiam, quod dudum, in oppido Delfen. in parochia Ecclesiæ parochialis sancti Hippolyti ejusdem oppidi, Trajecten. diœcesis, ex nonnullorum Christifidelium suffragio quædam capella congrue & honeste fuit ædificata, ac licentia & aucto-

tate

tate venerabilis fratris nostri Friderici Episcopi Trajecten. consecrata, cum habitatione, in qua nonnullæ virgines, ac etiam viduæ, sub Regula, & secundum Instituta Ordinis sancti Francisci *de Pœnitentia* nuncupati, vivere cupientes, de consensu ejusdem Episcopi, ac dilecti filii Ministri ipsarum, a quo habitum dicti Ordinis rite, & secundum ipsius Ordinis Regulam susceperunt, sunt inclusæ, & pro tempore includentur, tali conditione, quod lapso uno anno, si inibi sponte remanere voluerint, ex tunc includentur inibi perpetuo Domino servituræ. Quare pro parte dictarum inclusarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut præmissis, & circa ea rite ordinatis robur Apostolicæ confirmationis adjicere, & eis quod juxta dictam capellam in loco ad hoc congruo & honesto cœmeterium habere, ac in eisdem capella & cœmeterio, ipsæ & alii Christifideles hoc sponte eligentes, sepeliri, ac quemcumque Sacerdotem ad hoc idoneum, qui eis in eadem capella verbum Dei publice prædicare possit, eligere, ac in eadem Missas & alia divina Officia, etiam alta voce, decantare facere valeant, concedere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, præmissa, & circa ea rite ordinata, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus &c. Proviso tamen, quod dictæ inclusæ Curato dictæ Ecclesiæ pro portione canonica, & obventionibus occasione hujusmodi sepulturæ, aut alias qualitercumque provenientibus respondeant, prout alii Religiosi Civitatis Trajecten. faciunt, & facere consueverunt, in quo etiam dictum Curatum pro tempore existentem volumus contentari, Apostolicis, ac Provincialibus, & synodalibus constitutionibus, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis, communitionis, suppletionis, concessionis, & voluntatis infringere &c.

Datum Bononiæ II. Kalendas Aprilis, anno IV.

In eumdem modum: *Venerabili fratri Episcopo Trajecten. &c.* ut supradictas litteras mandet executioni.

XXII.

Deputatur Provincialis Minister Provinciæ Romaniæ. Ex lib. 7. an. 4. fol. 5.

Dilecto filio Marco de Candia Slavo Ministro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum in Provincia Romaniæ, secundum morem dicti Ordinis per Sedem Apostolicam deputato.

Religionis zelus &c. Cum itaque Ordo Fratrum Minorum in Provincia Romaniæ, secundum morem dicti Ordinis, Provinciali Ministro carere noscatur ad tempus præsens, nos cupientes quod idem Ordo, ad quem gerimus specialem devotionem, præsertim in dicta Provincia regatur utiliter, & salubriter dirigatur, ac gerentes de probitate & industria tua fiduciam in Domino specialem, te Ministrum Provincialem Fratrum Minorum ejusdem Ordinis, in dicta Provincia, usque ad quinque annos, constituimus, & etiam deputamus, dantes & concedentes tibi plenam, & liberam potestatem in præfata Provincia dictum Ordinem & loca, ac personas ejusdem Ordinis regendi, & etiam gubernandi, ac omnia alia & singula faciendi, gerendi, & exercendi, quæ Provincialis Minister Frater ipsius Ordinis dictæ Provinciæ, qui est pro tempore, juxta constitutionem ipsius Ordinis, vel alias facere potest, seu consuevit. Ac mandantes universis Fratribus, & personis Ordinis ejusdem in præfata Provincia consistentibus, *Ut in Constit. 14. Innoc. VII.*

bus, ut tibi, durante hujusmodi quinquennio, humiliter pareant, & intendant; alioquin sententias, quas rite tuleris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, quod sub obedientia dilecti filii Antonii de Pireto Ministri Generalis dicti Ordinis, per omnia permaneas, & esse noscaris, sicut alii Ministri Provinciales dicti Ordinis permanere consueverunt, seu etiam debuerunt. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, IV. Nonas Aprilis, anno IV.

In eumdem modum venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Patracen. & Milopotanien. ac Ceronen. Episcopis &c. Ut eum ad Ministeriatum faciant admitti.

XXIII.

Ut Græci Presbyteri possint celebrare in Ecclesia Domus Candidæ. Ibidem.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Justis & honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur opportunis. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, & Fratrum Domus Candidæ Ordinis Minorum, Provinciæ Romaniæ, secundum morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita continebat, quod Græci, ac quasi singuli de natione Græca illarum partium zelo devotionis accensi, quem ad beatum Franciscum gerere comprobantur, ad Ecclesiam Domus præfatæ in die festi ipsius beati Francisci confluunt in multitudine copiosa, & plerique ex eisdem Græcis, tam Religiosi, quam seculares Presbyteri in eadem Ecclesia Missam, ac alia divina Officia cupiunt celebrare. Quare pro parte dictorum Ministri, & Fratrum fuit nobis humiliter sppplicatum, ut super præmissis providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui divinum cultum, nostris ubilibet adaugeri temporibus, intensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, statuimus, & etiam ordinamus, quod omnes & singuli ex præfatis Græcis, sive Religiosi Ordinis cujuscumque, sive seculares Presbyteri, Missam & alia divina Officia secundum eorum morem & consuetudinem, a primis Vesperis, usque ad secundas Vesperas inclusive diei, & festi præfatorum possint, & valeant in præfata Ecclesia celebrare, constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, IV. Nonas Aprilis, anno IV.

XXIV.

Ut nulla Monialis Monasterii sancti Pauli Januen. possit ad aliud Monasterium transire. Ibidem fol. 20.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Dispositione divina gregi Dominico, licet immeriti præsidentes, Christifidelibus singulis, præsertim sexus fœminei, fragilitate comite, vacantibus studio piæ vitæ, gubernationis optatæ, beneficium impendere cupimus, ut omni super casibus improbans nota propulsa, statusque prosperi in contemplationis suavitate, incremento suscepto, illi, cujus obsequiis censentur ascriptæ, fœcundioribus accensis lampadibus, occurrere properent, cœlestia complectendo. §. II.

§. II. Hinc est, quod nos ad dilectas in Christo filias Abbatissam, & Conventum Monasterii sancti Pauli Januen. Ordinis sanctæ Claræ, sub cura & secundum Instituta Ordinis Fratrum Minorum viventes, præviæ considerationis aciem extendentes exacte, ut de cetero nulla ex Monialibus Monasterii præfati præsentibus, & futuris, ipso Monasterio relicto, cujuscumque etiam super hoc habitis licentia, vel consensu, etiam ad quodvis Monasterium, vel alium locum paris, seu arctioris observantiæ Regularis transire, ac in illo in Monialem, ac Sororem recipi valeat, nisi in Ordinis sanctæ Claræ præfati, etiam illius novorum Monasteriorum, sive locorum obtentu cederet augmentum, auctoritate Apostolica, statuimus, & etiam ordinamus: decernentes irritum, &c. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, VII. Idus Maii, anno IV.

XXV.

Ut Presbyter, qui in dicto Monasterio sancti Pauli Januen. deserviet in divinis, eligatur ab Abbatissa, & Monialibus, & post electionem censeatur auctoritate Apostolica confirmatur. Ibidem fol. 21.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Digna reddimur attentione soliciti, ut illis per nos Apostolicæ Sedis ministretur libertas, quæ spreto mortalis viri Toro, ei qui speciosus est præ filiis hominum, se sponte voventes, sub Religionis habitu Monasticæ normæ laudabiliter se coaptant.

§. II. Hinc est, quod nos dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Conventus Monasterii sancti Pauli Januen. Ordinis sanctæ Claræ sub cura, & secundum Instituta Fratrum Ordinis Minorum viventium, in hac parte supplicationibus inclinati, ipsis, ut sicuti de dilecti filii Generalis Ministri dicti Ordinis Fratrum eorumdem licentia, Presbyterum idoneum pro celebrandis singulis diebus Missis, & aliis divinis Officiis in præfato Monasterio hactenus eligere consueverunt, ita etiam in antea perpetuis futuris temporibus hujusmodi Presbyterum, de quo eis videbitur, pro celebrandis &c. pro tempore eligere possint, auctoritate &c. indulgemus. Adjicientes nihilominus, quod electus ipse, quamdiu inibi Missas, & Officia celebraverit antedicta, censeri debeat ad instar illius, qui super Ecclesiastico titulo Apostolicæ confirmationis munimine existit circumfultus: constitutionibus &c. contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, VII. Idus Maii, anno IV.

XXVI.

Ut aliquis Frater a Monialibus Monasterii sancti Pauli Januen. electus visitet earum Monasterium. Ibidem fol. 20.

Dilecto filio Archidiacono Ecclesiæ Januen.

§. I. Etsi ex susceptæ servitutis officio, quibuslibet Religiosis personis nos decet in suis opportunitatibus esse favorabiles & benignos, mulieribus tamen, quæ sub regulari habitu Domino famulantur, tanto propensiori nos convenit auxilio subvenire, quanto ex fragilitate sexus fœminei majoribus dignoscuntur subsidiis indigere.

§. II. Sane petitio dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Conventus Monasterii sancti Pauli Januen. Ordinis sanctæ Claræ, sub cura & se-

secundum Instituta Fratrum Minorum Ordinis viventium, nobis nuper exhibita continebat, quod licet quondam Bonifacius IX. in sua obedientia nuncupatus, ipsis Abbatissæ & Conventui, ut aliquem idoneum Ordinis Fratrum præfatorum professorem, de quo videretur eisdem, qui quoties de eis, ac dicto Monasterio tempus faciendæ visitationis ingrueret, de consuetudine, vel de jure septa Monasterii præfati ingrediendo, inibi debitæ visitationis officium, juxta morem dicti Ordinis Fratrum eorumdem, impendere deberet & teneretur, eligere valeant, suis duxerit litteris indulgendum. Ingruente tamen tempore supradicto, nonnumquam plerique ex Fratribus Ordinis Minorum hujusmodi, super hoc, tamen loco & tempore congruis sufficienter requisiti, licet ad id utiles, & profuturi existerent, Monasterium ipsum accedere, illique, ac dictis Abbatissæ & Conventui de hujusmodi visitationis officio providere recusant, in illorum præjudicium non modicum pariter, & jacturam. Quare pro parte dictarum Abbatissæ, & Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his eis, ac dicto Monasterio opportune consulere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, sicuti hujusmodi recusatione seclusa, alias etiam in vim litterarum earumdem fieri hactenus est consuetum, ita circa illum ex Fratribus præfatis, quem ipsæ Abbatissa, & Conventus ad id pro tempore duxerint eligendum, ut Monasterium præfatum, quoties hujusmodi visitationis tempus ingruerit, visitare teneatur & debeat, inviolabiliter observari facias pariter, & procures. Mandando nihilominus Generali Ministro, sive Superiori pro tempore existenti Fratrum præfatorum, ut electum ipsum, & renitentem, etiam invitum ad impendendum inibi beneficium præfatum constringere non postponat: non obstante, si eidem Ordini Fratrum præfatorum a Sede Apostolica sit indultum, quod illius personæ ad judicium trahi, aut suspendi, seu excommunicari, vel ipsæ, aut hujusmodi Ordinis Fratrum loca interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam mentionem &c. Et qualibet aliæ dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat.

Datum Bononiæ, VII. Idus Maii, anno IV.

Anno Christi 1414. Joannis XXIII. anno 5.

XXVII.

Conceditur Indulgentia visitantibus Ecclesiam Minorum Castri Kusmartonalis. Ex libr. 1. de diversis form. ann. 5. & de exhibitis ann. 3. & 5. fol. 77.

Universis & singulis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem &c.

Additio Aliorum.

„ Dilectos filios Guardianum, & Fratres domus Fratrum Minorum in „ Castro Kusmartonalis Ssustach, Janrien. diœcesis constitutos, qui „ in decore sanctæ Religionis, virtutum Domino militantes, ad divinæ „ majestatis obsequia trahunt alios per exemplum, infra pietatis Apostolicæ „ ubera amplectentes, dignum quin potius debitum arbitramur, ut Eccle- „ sias, domos, & loca, ad laudem & honorem Religionis, & Ordinis præ- „ dictorum ubilibet dedicata, gratiosis remissionum prosequamur impen- „ diis, & indulgentiarum muneribus honoremus. Cupientes igitur ut Eccle- „ sia domus Fratrum Minorum in eodem Castro fundata a Christifidelibus „ con-

„ congruis honoribus frequententur, & etiam conservetur, & ut fideles Christi eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, & ad conservationem ipsius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gatiæ uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, & Nativitatis beati Joannis Baptistæ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & ipsius Ecclesiæ dedicationis festivitatibus, & celebritatis omnium Sanctorum, necnon per ipsarum Nativitatum, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Assumptionis beatæ Mariæ, & Nativitatis beati Joannis, & Apostolorum prædictorum festivitatum octavas, & per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes, eamdem Ecclesiam devote visitaverint, annuatim, & ad ejus conservationem adjutrices manus porrexerint, singulis videlicet festivitatum & celebritatis quinque annos, & totidem quadragenas octavarum vero, & sex dierum prædictorum, diebus quibus Ecclesiam ipsam visitaverint, & ad hujusmodi conservationem adjutrices manus porrexerint, ut præfertur, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus, præsentibus post decennium minime valituris. Volumus autem quod si alias visitantibus dictam Ecclesiam, ad ejus conservationem hujusmodi manus porrigentibus adjutrices, vel alias pias eleemosynas erogantibus, seu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum, durante, per nos concessa fuerit, hujusmodi præsentes litteræ nullius existant roboris vel momenti.

„ Datum Constantiæ, IV. Kalend. Martii anno V.

XXVIII.

Præficitur Ecclesiæ Actonensi. Ex libr. 2. de diversis formis ann. 5. fol. 11.

Dilecto filio Hermanno electo Actonen. Ordinis Fratrum Minorum professori salutem &c.

„ §. I. Sinceræ devotionis affectus quem ad nos & Romanam geris Ecclesiam promeretur, ut in his quæ sunt favoris & gratiæ, nos tibi benevolos gaudeas invenisse. Dudum siquidem Ecclesia Actonen. tunc vacante, de persona tua nobis, & Fratribus nostris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem Fratrum consilio, auctoritate Apostolica, per alias nostras litteras duximus providendum, præficiendo te illi in Episcopum & Pastorem; volentes inter cetera quod quam primum dictas litteras haberes expeditas, ad prædictam Ecclesiam te conferres, & resideres personaliter in eadem: quodque extra civitatem & diœcesim Actonen. Pontificalia officia nequires exercere, prout in ipsis litteris plenius continetur.

„ §. II. Nos igitur ad ea, quæ in honoris, & commodi tui augmentum cedere valeant favorabiliter attendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut etiam extra dictas civitatem & diœcesim, in quibusvis aliis civitatibus & diœcesibus, de Ordinariorum tamen locorum voluntate & consensu pro eisdem Ordinariis hujusmodi officia exercere licite & libere va-

valeas, voluntate priore, & quibusvis aliis contrariis nequaquam obstan. auctoritate præfata, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis infringere &c. Si quis &c.

Datum Constantiæ 11. Idus Martii anno v.

XXIX.

Ut possit in Episcopum consecrari. Ex eodem libro fol.23.

Eidem.

Cum nos pridem Actonen. Ecclesiæ pastoris regimine destitutæ, de persona tua nobis, & Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem consilio, auctoritate Apostolica duxerimus providendum, præficiendo te eidem Ecclesiæ in Episcopum, & Pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente .... & in hoc sibi assistentibus duobus, vel tribus Catholicis Episcopis similem gratiam & communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas; ac eidem Antistiti ut munus præfatum, auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam & liberam concedimus, tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod idem Antistes, qui tibi præfatum munus impendet, postquam tibi illud impenderit, a te nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum juramentum recipiat, juxta formam quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam juramenti, quod te præstare contingat, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium Nuntium quantocius destinare procures; quodque per hoc venerabili fratri Archiepiscopo Tiren. cui dicta Ecclesia metropolitico jure subesse dignoscitur, nullum in posterum præjudicium generetur.

Datum Constantiæ, 11. Idus Martii anno v.

XXX.

Transfertur ad Ordinem sancti Benedicti. Ex libr. 1. de diversis formis, de regularibus, de exhibitis, de provisionibus Prælatorum, de fructibus percipiendis, de officio Tabellionat. de Conservatoriis, de locis interdictis &c. ann. 1. 4. & 5. fol.54.

Dilecto filio Antonio Ezogeler Ordinis Fratrum Minorum professori salutem &c.

§. I. Religionis zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus & gratiis prosequamur. Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod tu pro majori animi tui quiete & conscientiæ tuæ pace, de Ordine Fratrum Minorum cujus professor existis, ad Ordinem S. Benedicti, ad quem geris specialis devotionis affectum, desideras te transferre. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut de dicto Ordine Fratrum Minorum ad eumdem Ordinem sancti Benedicti transeundi licentiam tibi concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igi-

„ igitur votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, tuis in hac parte „ supplicationibus inclinati, ut de dicto Ordine Fratrum Minorum ad prædictum Ordinem sancti Benedicti, vel ad locum ipsius Ordinis, in quo „ voluntarios inveneris receptores, transire, & in eo professionem regula„ rem per Monachos dicti Ordinis sancti Benedicti emitti consuetam emit„ tere, & in eo perpetuo remanere &c.

„ §. II. Et nihilominus quæcumque beneficia ecclesiastica, cum cura, „ vel sine cura per Monachos dicti Ordinis sancti Benedicti gubernari, & „ regi consueta, si tibi alias canonice conferantur, vel assumaris ad illa, re„ cipere & retinere libere & licite valeas; felicis recordationis Benedicti „ Papæ XII. & Urbani V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostro„ rum, & aliis quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Aposto„ licis, necnon statutis, & consuetudinibus Ordinum eorumdem, ac Mo„ nasteriorum seu locorum, in quibus seu a quibus hujusmodi beneficia „ forsan fuerint, seu dependerint, etiam juramento, confirmatione Aposto„ lica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis ne„ quaquam obstant. auctoritate Apostolica, tenore præsentium de specialis „ dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis infringe„ re &c. si quis &c.

„ Datum Friburgh, Constantiensis diœcesis, 11. Kal. Maii anno v.

XXXI.

Aditus Monasterii Pragen. & mora in eo prohibentur omnibus secularibus. Ex libr. 1. ann. 5. fol. 141.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Dispositione divina gregi Dominico &c. Sane petitio pro parte dilecti filii Ministri Generalis Fratrum Ordinis Minorum nobis nuper exhibita continebat, quod licet olim in Monasterio sanctæ Claræ Monialium Pragen. sub cura, & secundum Instituta Fratrum præfatorum viventium, etiam ab ipsius institutione & dotatione primævis, cultu propagato divino, Regularis observantia per Moniales inibi sub perpetua clausura Domino dicatas, & ab oblectationibus, ac illecebris mundanis, necnon aliorum contagione, mutua quoque conversatione immunes, vigere consueverit, condecenter ex illarum piis operibus Domino manipulis porrectis uberibus pariter & oblatis. *Ut in Constit. 24. hujus Pontif.*

§. II. Quia tamen Apostolicæ Sedis litteris, præsertim fœminei sexus personis plerisque, ut Monasterium ipsum ingredi, & in eo etiam ad tempora permanere, ac personas alias, etiam sexus utriusque, opportunitate captata intromittere possint, concessum extitit pariter, & indultum, jugo monastico, necnon hujusmodi cultu & observantia dissolutionis caligine multipliciter offuscato, scandalorum quoque, & indecentiæ nexibus foribus apertis, nisi celeris Sedis provisio succrescat ejusdem, hujusmodi dilatatis scandalis etiam inibi de proventuris in antea, Religionis scissuræ dispendiis verisimiliter formidatur. Quare pro parte dicti Ministri nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis etiam Monasterio, & Ordini præfatis opportune consulere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos vero attendentes, quod a domo Domini, quam nempe decet sanctitudo, & cujus in pace factus est locus, illi cum debita veneratione, cultu pacifico relicto, necnon habitantium in ea in omni sanctimonia, vetustate servata, adventitiorum & forensium quorumlibet strepitus alienus existat, effi-

efficaciter propulsandi, hujusmodi quoque supplicationibus inclinati, omnia & singula, litteras, & indulta, personis quibusvis, cujuscumque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, super ingressu pro tempore in ipso Monasterio faciendo, sive inibi stando, vel manendo, a Sede præfata, contra hujusmodi statuta, sub quacumque verborum forma hactenus concessa, etiamsi de illis, ac totis eorum tenoribus, de verbo ad verbum præsentibus mentio foret habenda, auctoritate Apostolica, ex certa scientia revocamus, necnon cassamus, & irritamus, ac nullius subsistentiæ volumus roboris, vel firmitatis. Mandantes nihilominus, ac interdicentes expresse, ne dilecta in Christo filia moderna, ac illæ, quæ erunt pro tempore, ipsius Monasterii Abbatissæ, etiam sub excommunicationis pœna, quam alias ex eis contrafacientes ab illa, nisi in mortis dumtaxat articulo, alias quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium nullatenus suscepturam, incurrere volumus eo ipso, forensibus eisdem tempore insinuationis præsentium illi ex Abbatissis præfatis, quæ tunc erit, faciendæ in dicto Monasterio forsitan existentibus, ad exeundum, & dimittendum ex tunc Monasterium ipsum, & illius septa infra unius mensis spatium, per eum, quantum in ipsa fuerit, constrictis pariter & compulsis, nullum ex dictis forensibus, nisi de ipsius Monasterii ministris existat, ad ingrediendum in antea Monasterium præfatum admittere audeat aliquatenus, vel personaliter: non obstantibus litteris & indultis præfatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c. nostræ revocationis, cassationis, irritationis, voluntatis, mandati, & interdicti infringere &c.

Datum Bononiæ Idibus Junii, anno V.

XXXII.

Ut Visitator Fratrum de Pœnitentia in Lombardia assumatur ex Ordine Minorum. Ibid. fol. 218.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. CUm de privilegiis & litteris Apostolicis ambigitur, expedit, ut illa per oraculum summi Pontificis declarentur. Dudum siquidem per felicis recordationis Innocentium Papam IV. prædecessorem nostrum accepto, quod quidam dilecti filii Ministri, & Fratres Ordinis de Pœnitentia in Lombardia cupiebant in illis devotionis augmento proficere, per quæ felicitatis æternæ præmium eis posset facilius provenire; dictusque prædecessor propterea precibus dictorum Ministrorum, & Fratrum annuens, dilectis filiis Ministris Provincialibus, Ordinis Fratrum Minorum de Lombardia per suas litteras mandavit, ut ipsis Ministris, & Fratribus de Pœnitentia opportunis temporibus per se, & Fratres dicti Ordinis Minorum, ad hoc idoneos, visitationis officium impenderent, & instruerent regularibus disciplinis, corrigendo & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio noscerentur indigere: Contradictores per &c. compescendo.

§. II. Deinde piæ record. Nicolaus Papa IV. etiam prædecessor noster, qui eidem Innocentio in apice summi Apostolatus successit, inter alia multa, quæ pro salubri statu ipsius Ordinis de Pœnitentia noverat profutura, etiam per suas litteras statuit, ut Ministri & Fratres, ac Sorores de Pœnitentia hujusmodi cujuslibet civitatis, & loci, ubi pro tempore morarentur, Visitatorem haberent Sacerdotem, qui alicujus probatæ Religionis existeret, quique illis de commissis excessibus injungeret pœnitentiam salutarem,

nec

nec quivis alius posset eis ejusmodi visitationis officium exhibere; quodque ipsum officium semel exerceretur in anno; nisi necessitate aliqua suadente, foret pluries faciendum. Incorrigibiles vero, & inobedientes monitio trina prævenire deberet, qui sese corrigere non curarent, de ipsius Ordinis de Pœnitentia consortio expellerentur omnino. Ac consuluit, ut Visitatores & Reformatores hujusmodi de Fratribus præfati Ordinis Minorum assumerentur, quos Custodes, vel Guardiani ejusdem Ordinis Minorum cum super hoc requisiti forent, ducerent assignandos. Noluit tamen præfatos Ministros Fratres & Sorores de Pœnitentia hujusmodi a laico visitari, prout in eorumdem Innocentii, & Nicolai prædecessorum litteris plenius continetur.

§. III. Cum igitur, sicut ex relatione dilectorum filiorum Ministri, & Fratrum domus, seu Conventus Ferrarien. Ordinis antedicti accepimus, a nonnullis vertatur in dubium, an Ministri & Fratres ipsi possint dictos Ministros, & Fratres, ac Sorores de Pœnitentia visitare: Nos volentes præfatos Ministros, & Fratres gratiis & favoribus prosequi gratiosis, ac hujusmodi dubium amputare, ipsis Ministris & Fratribus quidem, ut Ministros Fratres, & Sorores de Pœnitentia hujusmodi, opportunis temporibus per se, ac Fratres dicti Ordinis Minorum ad hoc idoneos, in capite, & in membris in civitate, & diœcesi Ferrarien. visitare, ac excessus eorum corrigere, & punire, ipsosque regularibus disciplinis instruere, necnon alia facere, quæ officio visitationis incumbunt, vigore litterarum Innocentii supradicti libere, & licite possint, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus; præmissis constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ XVI. Kalendas Julii, anno V.

XXXIII.

Eorum privilegia confirmantur. Ex ipso Originali.

Dilectis filiis Ministro Terræ sanctæ, Guardiano, & Fratribus Montis Sion, Ordinis Minorum,

Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus grato concurrentes affectu, omnia privilegia indulgentiarum concessarum temporibus retroactis, vobis, & Conventibus, locis, seu domibus, in quibus ad præsens vestri Fratres morantur, ac singulis aliis locis dicti Ordinis in partibus Terræ sanctæ, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, vel alias Indulgentias, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum a Regibus, & Principibus, & aliis Christifidelibus rationabiliter vobis, & per vos domui, Ordini, ac locis prædictis, auctoritate Apostolica, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ IV. Kalend. Julii, Pontificatus nostri anno V.

XXXIV.

XXXIV.

Ut Fratres Hiberniæ tres domos admittant. Reg. Vat. lib. 1. an. 5. fol. 128.

Venerabili fratri Episcopo Clonferten. vel ejus in spiritualibus Vicario.

§. I. Sacræ Religionis, sub qua dilecti filii Minister Provincialis, & Fratres Ordinis Minorum provinciæ Hiberniæ, secundum morem dicti Ordinis, mundanis abjectis illecebris, cum adoptione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino in humilitatis spiritu, devotum impendunt & sedulum famulatum, merita promerentur, ut Apostolica Sedes eos, ipsorumque Ordinem favoribus benignis confoveat, & specialibus gratiis prosequatur, in illis præsertim, per quæ cultus divini nominis augeatur, ipsique Minister, & Fratres piæ vitæ studio sibi ipsis, & aliis Christifidelibus, ad animarum salutem proficere valeant. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsorum Ministri, & Fratrum petitio continebat, quod cum ipsi zelo devotionis accensi, ac pro salute animarum habitantium in partibus illis, & incremento divini cultus propensius augendi, unam in Fernen. apud Thacineling, & duas in Clonferten diœcesi. unam videlicet apud Cloch in Cantualaig in parochia de Killconnayne, & aliam in Milecfynna dictæ Clonferten. diœcesis domos, pro usu & habitatione Fratrum ipsius Ordinis, qui sunt, & erunt pro tempore cum Ecclesiis, capellis, claustris, campanis &c. & aliis necessariis officinis, in locis illarum partium ad id congruentibus, & honestis, quæ eis pia largitione fidelium offeruntur, erigere desiderent, & fundare: pro parte Ministri, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis easdem domos &c. fundandi, & erigendi, licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus de præmissis omnibus, & eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi præmissa inveneris in augmentum divini cultus, ac pro Christifidelium animarum salute, ut præmittitur, eventura, super quibus tuam conscientiam oneramus, eisdem Ministro, & Fratribus præfatas domos cum Ecclesiis &c. fundandi, & erigendi: quodque Minister, & Fratres ipsius Ordinis in eisdem domibus pro tempore residentes, omnibus & singulis &c. uti & gaudere libere & licite &c. licentiam largiaris: fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. non obstant. quibuscumque. Jure tamen parochialium Ecclesiarum in omnibus semper salvo.

Datum Bononiæ, IV. Nonas Julii, anno V.

XXXV.

Eximuntur a jurisdictione Ordinarii. Ibid. fol. 236.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Mariæ Montis-Domini prope Florentiam, Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. Sacræ Religionis zelus, sub qua devotum, ac sedulum exhibetis Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, illis præsertim, quæ utilitatem vestram, & Monasterii vestri respiciunt, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem pro parte vestra, & dilecti filii Joannis Andreæ de Florentia, Rectoris, Prioris nuncupati, parochialis Ecclesiæ san-

sancti Justi de Monte-Albano, Pistorien. diœcesis nobis exposito, quod Ecclesiam præfatam, quæ olim Collegiata, & honorabilis &c. *ut supra in Bulla 17. usque ad:* statum redigi posset. Nos per alias nostras litteras prædictam Ecclesiam cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, eidem Monasterio, auctoritate Apostolica, perpetuo incorporavimus, annexuimus, & univimus, ita quod cedente, vel decedente Rectore &c. *ut in eadem Bulla usque ad:* minime requisita, prout in eisdem litteris plenius continetur.

§. II. Nos igitur volentes vos amplioribus privilegiis, & gratiis honorare, vobis, ut singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, & indulgentiis, quoad eamdem Ecclesiam, uti & gaudere libere, & licite valeatis, quibus alias ex Apostolicis, vel Imperialibus concessionibus, aut alias quomodolibet utimini, seu etiam gaudetis. Et nihilominus ipsam Ecclesiam, & eam nomine vestri pro tempore regentem, ab omni jurisdictione, dominio, & visitatione, vel correctione, seu etiam potestate Episcopi Pistorien. qui nunc est, & erit pro tempore, & quorumlibet aliorum Judicum ordinariorum prorsus eximimus, & totaliter liberamus. Ita quod idem Episcopus, vel Judices præfati ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in Ecclesiam, vel regentes hujusmodi, aut vos, nomine, vel occasione ipsius Ecclesiæ, possint jurisdictionem, potestatem, vel dominium exercere: constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c. nostræ exemptionis, & liberationis infringere &c.

Datum Bononiæ x. Kalendas Augusti, anno v.

XXXVI.

Instituitur Capellanus Pontificius. Ex eodem lib. fol. 178.

Dilecto filio Philippo Antonii de Florentia Ordinis Fratrum Minorum Professori, Capellano nostro salutem &c.

ADDITIO ALIORUM.

„ Virtutibus clarens &c. ut igitur in effectu percipias quod suggerit
„ nostræ mentis affectus, te in nostrum, & dictæ Sedis Capellanum
„ gratiose recipimus, ac nostrorum, & ipsius Sedis Capellanorum consor-
„ tio favorabiliter aggregamus, intendentes, quod per hæc Apostolici fa-
„ voris præsidia plenius fortiaris, & quod omnibus Indulgentiis, immunitati-
„ bus, exemptionibus, & privilegiis per felicis recordationis Joannem Pa-
„ pam XXII. & Clementem VI. Romanos Pontifices prædecessores no-
„ stros, Capellanis dictæ Sedis concessis uti & gaudere libere, & licite va-
„ leas; piæ memoriæ Innocentii VI. & Gregorii XI. Romanorum Pontifi-
„ cum, & prædecessorum nostrorum restrictionibus, & aliis contrariis non
„ obstant. quibuscumque; sic igitur de bono in melius studiis virtutum in-
„ tendas, quod merito ad faciendum tibi pleniorem gratiam innitemur.
„ Nulli ergo &c. nostræ receptionis, & aggregationis infringere &c. Si
„ quis &c.
„ Datum Bononiæ, x. Kalendas Augusti, anno v.

XXXVII.

XXXVII.

Inſtituitur Capellanus Pontificius. Ex eodem lib. fol. 177.

Dilecto filio Franciſco Ducai de Burmo Ordinis Fratrum Minorum. Profeſſori, Capellano noſtro ſalutem &c.

ADDITIO ALIORUM.

„ VIrtutibus clarens &c. ut igitur in effectu percipias, quod ſuggerit „ noſtræ mentis affectus, te in noſtrum, & dictæ Sedis Capellanum, „ gratioſe recipimus, ac noſtrorum, & ipſius Sedis Capellanorum conſortio „ favorabiliter aggregamus, intendentes, quod per hæc favoris Apoſtolici „ præſidia plenius ſortiaris, & quod omnibus Indulgentiis, immunitatibus, „ exemptionibus, & privilegiis, per felicis recordationis Joannem Pa- „ Pam XXII. & Clementem VI. Romanos Pontifices prædeceſſores no- „ ſtros Capellanis dictæ Sedis conceſſis, uti & gaudere libere & licite va- „ leas, piæ memoriæ Innocentii VI. & Gregorii XI. Romanorum Pontifi- „ cum prædeceſſorum noſtrorum reſtrictionibus, indultis, privilegiis „ eidem Ordini forſan conceſſis, & aliis contrariis non obſtan. quibuſcum- „ que. Sic igitur de bono in melius ſtudiis virtutum intendas, quod merito „ ad faciendum tibi pleniorem gratiam innitemur. Nulli ergo &c. noſtræ „ receptionis, aggregationis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c.
„ Datum Bononiæ, VIII. Kalendas Auguſti, anno v.

XXXVIII.

Ut in locum Provincialium Miniſtrorum, & Cuſtodum Schiſmaticorum, alios ſubroget, eoſque ducat ad Concilium Conſtantien. Ibidem fol. 219.

Dilecto filio Antonio de Pireto, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, ac ejuſdem Ordinis Generali Miniſtro.

Ut in Conſtit. 9. hujus Pontif.

§. I. AMabiles fructus, quos facer Ordo Minorum &c. Cum itaque, ſicut nuper ex ſerie tuæ petitionis accepimus, tu de proximo generale Capitulum ſecundum morem, & regularia Inſtituta dicti Ordinis, in civitate Lauſanen. Provinciæ Burgundiæ, in loco utique ad id congruo intendas, auctore Domino, celebrare: & propterea nonnulli, qui ſe gerunt pro Cuſtodibus, & Provincialibus Miniſtris ejuſdem Ordinis profeſſores diverſarum Provinciarum, civitatum, terrarum, & locorum, in Conventibus præfati Ordinis velut intenſi, ac tua monita, & mandata in reprobum ſenſum dati, temerarie contemnentes, in partibus illis, tamquam ſchiſmatici, & perditionis alumni, nobis, & Romanæ Eccleſiæ non parentes, ad ipſum Generale Capitulum per te, ut præfertur, de proximo celebrandum, loco & tempore præſtitutis accedere negligant, & perſonaliter convenire, in grave ipſorum præjudicium, & damnationem perpetuam animarum.

§. II. Nos igitur, ne ipſum Capitulum contingat propterea retardari, circa ſtatum, & tranquillitatem dicti Ordinis in præmiſſis ſalubriter providere volentes, diſcretioni tuæ, hac vice dumtaxat, auctoritate noſtra in locum dictorum pro Cuſtodibus & Provincialibus Miniſtris ſe gerentium, aliquos ex nobilioribus dicti Ordinis profeſſoribus, pollentes exemplo bonorum operum, ſcientiæ claritate, moribus, & virtute, quos ad id duxeris eligendos, nominandi, & ſubrogandi, ipſoſque in Cuſtodes, & Provinciales Miniſtros cum omnibus, & ſingulis libertatibus, privilegiis, gratiis, & honoribus Fratribus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam quocumque mo-

do

do concessis, & alias juxta morem, & Instituta hujusmodi debitis, & consuetis, de consilio tamen trium proborum dicti Ordinis, & sacræ paginæ professorum, quibus id visum fuerit convenire, assumendi, constituendi, ordinandi, ac etiam deputandi, illosque tecum ad prædictum Capitulum, & successive ad Generale Concilium in civitate Constantiæ, Provinciæ Moguntin. divina superillustrante clementia, etiam de proximo celebrandum, cum hujusmodi honoribus, & præeminentiis habendi, tenendi, & adducendi, & alia omnia & singula in præmissis, & circa ea disponendi, faciendi, & exequendi, quæ pro incremento ac statu pacifico præfati Ordinis utilia fuerint, seu quomodolibet opportuna, plenam & liberam concedimus, tenore præsentium facultatem.

Datum Bononiæ, v. Kalendas Augusti, anno v.

XXXIX.

Ut quatuor professores idoneos ad Magisterii gradum promoveat. Ibidem fol.220.

EIDEM.

§. I. Viri sacræ lectionis studio dediti, & in lege Domini eruditi, sub Religionis habitu Domino militantes &c. eoque benignius decet honestis eorum desideriis annuere, quo ex eorum profectibus major potest in Dei Ecclesia utilitas provenire.

§. II. Cum itaque, sicut nuper accepimus, tu generale Capitulum secundum morem, & regularia Instituta Ordinis Fratrum Minorum, in civitate Lausanen. Burgundiæ Provinciæ, in loco utique ad id congruo, intendas, auctore Domino, de proximo celebrare. Et propterea nonnulli dicti Ordinis professores vitæ munditia, & scientiæ claritate pollentes, ad dictum Capitulum de variis mundi partibus sunt verisimiliter profecturi, qui etiam a juventute ipsorum adeo litterarum studiis ab annis plurimis insudarunt, & in sacra Theologia Lectores in eorum Conventibus extiterunt, qui ad obtinendum honorem Magisterii in eadem Theologia, & docendi licentiam reddunt se idoneos & condignos. Nos volentes ea tibi concedere, per quæ te eisdem professoribus possis reddere gratiosum, discretioni tuæ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, hac vice dumtaxat, quatuor ex hujusmodi professoribus ad dictum Capitulum accessuris, sufficientia litterarum, & idoneitate præditos, quos duxeris eligendos, postquam per quatuor Magistrorum in dicta pagina professorum, in dicto Capitulo existentium, diligentem examinationem ipsos ad hoc sufficientes & idoneos esse repereris, super qun tuam conscientiam oneramus, Magistralem honorem, & docendi licentiam, servatis constitutionibus Viennen. Concilii, & aliis solemnitatibus in talibus consuetis, & ut ipsi quatuor professores, per ipsos quatuor Magistros ad gradum hujusmodi Magisterii promovendi, infra dictum Ordinem, & extra, quibuscumque gratiis, privilegiis, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede Apostolica, quam a dicto Ordine Fratribus ejusdem Ordinis in eadem Theologia Parisiis Magistratis concessis, proinde uti, & gaudere valeant, ac si Parisiis studio hujusmodi Magisterium recepissent, auctoritate Apostolica concedendi, non obstantibus quibuscumque privilegiis &c. plenam & liberam concedimus, tenore præsentium facultatem.

Datum Bononiæ, v. Kalendas Augusti, anno v.

XL.

Ut ad arbitrium sibi eligant Confessarium. Ibidem fol.219.

Dilectis filiis Antonio de Pireto, Ordinis Fratrum Minorum professori, ac ejusdem Ordinis Generoli Ministro; necnon universis, & singulis Custodibus, Provincialibus Ministris, ceterisque præfati Ordinis professoribus, ad Capitulum generale in civitate Lausanen. Provinciæ Burgundiæ de proximo celebrando, præstante Domino, profecturis, & in ipso Capitulo tunc præsentibus.

Ut in Constit. 9. hujus Pontif.

AMabiles fructus &c. Cum itaque, sicut nobis nuper innotuit, generale Capitulum secundum morem & regularia Instituta dicti Ordinis, in civitate Lausanen. Provinciæ Burgundiæ, de proximo debeat celebrari: nos volentes ea vobis benevolo favore concedere, per quæ animarum vestrarum salutem consequi valeatis, & deinde præmia felicitatis æternæ; ut Confessor vester, quem vestrum quilibet, ea vice dumtaxat, sibi duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fueritis, pro tunc semel tantum, plenam remissionem vobis, & cuilibet vestrum in præfato Capitulo tunc præsenti, in sinceritate fidei, unitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, devotione, ac obedientia nostris, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistenti, auctoritate Apostolica, concedere valeat, devotioni vestræ, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus. Sic tamen quod idem Confessor, quem vestrum quilibet tunc, ut præfertur, sibi duxerit eligendum, de his, de quibus alteri satisfactio fuerit impendenda, eam vobis per vos, si supervixeritis, vel per alios, si tunc forsan transieritis, faciendam injungat, quam vos, vel illi, quam citius commode poteritis, facere teneamini. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita in posterum committenda: volumus, quod si ex confidentia remissionis hujusmodi, alia forte commiseritis, quoad illa præfata remissio vobis nullatenus suffragetur. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, v. Kalendas Augusti, anno v.

XLI.

Confirmantur quædam litteræ Alexandri V. Ibidem fol.220.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. HIs, quæ pro statu pacifico & tranquillo personarum religiosarum proinde facta sunt, ut illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, adjicimus Apostolici roboris firmitatem.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Antonii de Pireto, Ordinis Fratrum Minorum professoris, ac ejusdem Ordinis Ministri Generalis, petitio continebat, quod olim fel. rec. Alexander Papa V. prædecessor noster, nonnullas litteras Apostolicas, & indulta in favorem, & pro incremento & observantia regularium institutorum Religionis, & Ordinis prælibati gratiose concessit, & indulsit Ordini supradicto, prout in ipsis litteris, quarum tenorem de verbo ad verbum fecimus annotari, plenius continetur. Quare pro parte ipsius Antonii nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro felici statu, & observantia Ordinis ejusdem, litteris ejusdem prædecessoris, ac omnibus in eis contentis robur Apostolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos

§. III. Nos igitur qui præfatum ordinem adaugeri, & semotis quibuscumque obstaculis in unitatis vinculo conservari cupimus, juxta quamvis fundationem & regularia instituta, præmissorum intuitu, ac hujusmodi supplicationibus inclinati, litteras præfati prædecessoris, & omnia, & singula in eis contenta, & quæcumque inde secuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus &c. Volentes, ac etiam eadem auctoritate statuentes, quod Ministri Provinciales in suis Provinciis, & Conventibus pro tempore existentes, Fratres volentes Regulam ipsius Ordinis secundum Deum servare, non possint, aut debeant quomodolibet impediri: quod si oppositum egerint, correctioni, ac judicio Generalis Ministri dicti Ordinis, & pro tempore existentis, de consilio tamen duorum, vel trium proborum dicti Ordinis professorum, præfata auctoritate decrevimus subjacere. Tenor autem litterarum ipsius prædecessoris sequitur, & est talis: *Alexander Episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ordinem Fratrum Minorum &c.* (*ut habetur in Bulla* 7. *Alexandri V.*) *sub Datum Pisis*, VIII. *Kalendas Octobris*, *Pontificatus nostri*, *anno* 1. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis, communicationis, voluntatis, statuti, & constitutionis &c. infringere &c.

Datum Bononiæ, quinto Kalendas Augusti, anno v.

XLII.

Constituuntur Conservatores Mendicantium. Reg. Vat. ex lib. 2. de diversis formis, an. 5. fol. 255.

Venerabili fratri Episcopo Streginen. & dilectis filiis Streginen. ac Arosien. Ecclesiarum Præpositis.

§. I. Frequentes hactenus, imo innumerosæ quodammodo de diversis mundi partibus venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum, aliorumque Superiorum Prælatorum, necnon dilectorum filiorum Rectorum, Curatorum, & parochialium Sacerdotum querelæ contra dilectos filios Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratres Apostolicæ Sedis jamdudum excitarunt, nostrumque clamosis insinuationibus excitare, & fatigare non cessant auditum: quodque iidem Fratres Decretalem dudum editam a fel. rec. Bonifacio Papa VIII. prædecessore nostro, quæ incipit: *Super Cathedram* &c. ac deinde per piæ mem. Clementem Papam V. prædecessorem nostrum in Viennen. Concilio innovatam temere observare non curant, sed ipsam transgredi non verentur, in ejusdem Sedis contemptum, animarum suarum periculum, & eorumdum conquerentium, & Ecclesiarum parochialium præjudicium & gravamen. Contra Prædicatores & Minores querelæ.

§. II. Intelleximus quoque, quod plerumque præfatis dictorum Prædicatorum, & Minorum, necnon Eremitarum sancti Augustini & Carmelitarum, ac Servorum beatæ Mariæ dicti sancti Augustini Ordinum Fratribus, in cujus Ordinis dictorum Eremitarum personis idem prædecessor Bonifacius Decretalem præfatam, in qua tantum ipsis Prædicatorum, & Minorum cavetur Ordinibus, per omnia voluit postmodum integraliter, & inconcusse observari, quam subsequenter fel. rec. Joannes Papa XXII. primo ad dictorum Carmelitarum, deinde Urbanus VI. ad Servorum beatæ Mariæ, Fratrum Prædicatorum Ordines antedictos, quoad omnia in eis contenta, extenderunt, a præfatis Episcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem Decretalis præfatæ graves injuriæ, atque molestiæ, in diversis mundi partibus inferuntur. Nuper & pro parte venerabilis fra- Eis aliisque Regularibus gravamina, & molestiæ inferuntur. Archiepiscopi Upsalen. intimatio.

fratris nostri Archiepiscopi Upsalen. & dilectorum filiorum Cleri Civitatis & dioecesis Upsalen. nobis extitit intimatum, quod eorumdem Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres, contra tenorem Decretalis ejusdem, multa eisdem Archiepiscopo, & Clero, & eorum singulis gravamina & injurias inferunt, & jacturas.

Decretalis Bonifacii VIII. observanda.

§. III. Quia igitur parum esset jura concedere, nisi qui eadem tueatur, existat, nos dicti prædecessoris, qui Decretalem præfatam de Fratrum suorum consilio, voluit, & mandavit integraliter observari, vestigiis inhærentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis Conservatores, & Judices, eisdem Archiepiscopo, & Clero, & eorum cuilibet adversus Fratres præfatos, quam e converso eisdem Fratribus adversus Archiepiscopum, & Clerum præfatos, & singulos eorum, efficacis defensionis præsidio assistentes, ac facientes Decretalem præfatam quoad omnia ejus capitula firmiter observari, non permittatis contra tenorem ipsius per memoratos Fratres dictorum Ordinum præfatis Archiepiscopo & Clero, vel alicui, seu aliquibus eorumdem; nec etiam per dictos Archiepiscopum & Clerum, seu aliquem, vel aliquos eisdem Fratribus gravamina, aut injurias irrogari, facturi ipsis hinc inde de quibuscumque injuriis, molestationibus, gravaminibus & damnis illatis hactenus, & etiam in posterum inferendis eisdem contra tenorem Decretalis ejusdem; in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii; in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, justitiæ complementum: molestatores & injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, quandocumque & quotiescumque videritis expedire, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: non obstantibus quibuscumque exemptionibus generalibus vel specialibus, tam Fratribus & Ordinibus præfatis, vel alicui, seu aliquibus Fratrum & Ordinum eorumdem, quam præfatis Archiepiscopo & Clero, vel ipsorum alicui, sen aliquibus conjunctim vel divisim, sub quacumque forma, vel expressione verborum ab eadem Sede concessis; ac ejusdem Bonifacii, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem & dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ dioecesis ad judicium evocetur, seu, ut Judices & Conservatores a Sede deputati præfata extra civitatem & dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii, vel aliis, vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine dioecesis eorumdem trahere præsumant: dummodo ultra duas dietas aliquis extra suam civitatem & dioecesim auctoritate præsentium non trahatur. Seu quod de aliis, quam manifestis injuriis & molestiis, & aliis, quæ judicialem indaginem exigunt, poenis in eos, si secus egerint, & in procurantes adjectis, Conservatores nullatenus se intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis & Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum per litteras Apostolicas ad judicium non vocando, aut aliis editis, quæ vestris possent in hac parte jurisdictioni aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu tam eisdem Fratribus, vel eorum Ordinibus, aut alicui, seu aliquibus, vel quibuscumque aliis communiter vel divisim, a præfata sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra, vel ultra certa loca, vel alio quocumque modo ad judicium evocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi, & eorum personis

Contradictores per Ecclesiasticas censuras compescendi.

Conservatores non intromittendi in hac causa.

sonis, locis, Ordinibus, & nominibus mentionem, & quibuslibet aliis indulgentiis seu privilegiis dictæ Sedis generalibus seu specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta vestræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum specialem oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Non obstantibus privilegiis.

§. IV. Ceterum Judicibus seu Conservatoribus quibuscumque per litteras Apostolicas, sub quacumque alia, quam præsenti verborum forma, vel expressione confectis, aut tam eisdem dictorum Prædicatorum & Minorum, Eremitarum & Carmelitarum, ac Servorum Ordinum Fratribus, seu tam ipsis Ordinibus, quam Archiepiscopo & Clero præfatis, vel aliquibus, seu alicui eorum communiter vel divisim, super damnis, injuriis, & aliis quibuscumque rebus, seu negotiis alias deputatis, & subdelegatis eorum præsentibus & futuris, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne aliquem, seu aliquos, auctoritate litterarum ipsarum, prætextu seu occasione quorumcumque damnorum, vel injuriarum seu gravaminum contra tenorem præfatæ Decretalis: *Super Cathedram &c.* tam ipsis Fratribus, seu eorum Ordinibus antedictis, quam Archiepiscopo & Clero præfatis, seu alicui eorum communiter vel divisim a quibuscumque personis illatorum hactenus, & etiam inferendorum in posterum coram se alicui deinceps ad judicium, vel alias quoquo modo vocant, seu in causam aliquatenus trahere præsumant, inhibitionem hujusmodi non solum ad futura, sed etiam ad quovis modo adhuc pendentia, & jam cœpta negotia volentes extendi, ac decernentes præfatas litteras, & processus earum, auctoritate quacumque habitos & habendos, ad damna, gravamina & injurias hujusmodi contra tenorem dictæ Decretalis illata & inferenda, ut dictum est, deinceps aliquatenus non extendi: ac etiam irritum & inane, si secus super præmissis, per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Vobis nihilominus injungentes, ut inhibitionem nostram hujusmodi ad dictorum Judicum, seu Conservatorum & Subdelegatorum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Monitum Conservatoribus faciendum.

§. V. Insuper volumus, & auctoritate nostra decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonice præpeditus. Quodque a data præsentium, sit vobis, & unicuique vestrum in præmissis omnibus, & eorum singulis, cœptis & non cœptis, præsentibus & futuris, & pro præfatis procedere, ac si præfata omnia & singula coram vobis cœpta fuissent, & jurisdictio nostra, & cujuslibet vestrum in præfatis omnibus & singulis per citationem, vel modum alium citati legitime extitissent. Constitutione præfata super Conservatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante. Ut possint ad ulteriora procedere.

Datum Bononiæ v. Kalendas Septembris, anno v.

XLIII.

Conceditur Indulgentia visitantibus Monasterium Montis Marsani. Ex eodem folio 190.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem &c.

ADDITIO ALIORUM.

„ Licet is &c. Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterii Monialium
„ Montis Marsani, Ordinis sanctæ Claræ, Aduren. diœcesis, in qua, ut
„ asseritur, velum beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, quod in capite tempore
„ passionis Christi ferebat, venerabiliter conservatur, propter quod ibi mul-
„ ta miracula Altissimus operatur, & propterea Christifidelium multitudo,
spe-

Provincia constitutos, eadem auctoritate ab officiis visitationis, commissionis, & vicariatus hujusmodi absolvimus, districtius inhibentes eisdem, ne in officiis præfatis, aut de ipsis te quoquo modo impedire valeant, vel aliquid in eisdem exercere, nisi in quantum tibi placuerit, & de tua processerit voluntate. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus & privilegiis Provinciæ & Ordinis præfatorum in contrarium editis &c.

Datum Bononiæ, VI. Kalendas Octobris, anno V.

XLV.

Confirmantur litteræ Bonifacii IX. circa unionem Ecclesiæ parochialis de Sicton factam Monasterio sanctæ Mariæ de Brusforde. Ibidem fol. 198.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Pastoralis officii debitum, quo universis Ecclesiis & Monasteriis adstringimur, continue pulsat, & excitat mentem nostram, ut circa Ecclesiarum & Monasteriorum eorumdem, ac personarum in illis, præsertim sub Religionis observantia divinis laudibus dedicatarum, statum prosperum dirigendum, paternis, & sollicitis studiis intendamus, consulendo ipsarum personarum necessitatibus, & opportunitatibus providendo. Exordium.

§. II. Dudum siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Conventus Monasterii beatæ Mariæ de Brusforde, Ordinis sanctæ Claræ, Norwicen. diœcesis, quondam Bonifacio Papæ IX. in sua obedientia nominato, exposito, quod licet olim præfatum Monasterium, in quo viginti duæ Moniales inclusæ, præter earum familiares degebant, honorifice constructum, & sufficienter dotatum fuerit, idem tamen Monasterium postmodum propter inundationes aquarum, & pestilentias, necnon ejusdem Monasterii diversorum bonorum combustionem, & alios eventus fortuitos, ad tantam pervenisset inopiam, quod de totali, & præcipue de refectorii, & dormitorii dicti Monasterii ruina in brevi verisimiliter formidaretur: quodque dilecti filii Rogerus Wlverston, & Joannes Stoveham laici, prædictæ diœcesis, veri Patroni parochialis Ecclesiæ de Sicton, ejusdem diœcesis, jus patronatus ipsius Ecclesiæ, ad finem quod eadem Ecclesia dicto Monasterio uniretur, præfatis Abbatissæ & Conventui libere donare proponerent: ac pro parte ipsarum Abbatissæ & Conventus dicto Bonifacio supplicato, ut eamdem Ecclesiam præfato Monasterio unire, annectere, & incorporare dignaretur, idem Bonifacius eisdem supplicationibus annuens, per suas litteras Abbati Monasterii beatæ Mariæ de Leyston, dictæ diœcesis dedit in mandatis, ut Ecclesiam prædictam, cujus octo, eidem Monasterio, cujus sexaginta marcharum sterlingorum fructus, reditus, & proventus secundum communem æstimationem valorem annuum, ut asserebatur, non excederent, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, postquam patroni præfati jus patronatus hujusmodi donavissent, eidem Monasterio incorporaret, & annecteret; ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Ecclesiæ, qui tunc erat, vel Ecclesiam ipsam alias quomodolibet dimittente, liceret ipsis Abbatissæ, & Conventui corporalem possessionem ejusdem Ecclesiæ apprehendere, & perpetuo retinere, alicujus licentia super hoc minime requisita, reservata tamen de hujusmodi fructibus, reditibus, & proventibus ipsius Ecclesiæ, pro perpetuo Vicario in ea instituendo, congrua portione, de qua idem Vicarius valeret congrue sustentari, & alia jura solvere, & alia incumbentia sibi onera supportare, prout in dictis litteris plenius continetur. Monasterium fere dirutum. Unio Monasterii cum Ecclesia Parochiali petitur, & conceditur. Conditiones servandæ.

§. III. Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictarum Abba-

Executioni demandatur.

batiſſæ, & Conventus petitio continebat, præfatus Abbas ad executionem dictarum litterarum procedens, Eccleſiam præfatam, poſtquam ipſi patroni jus patronatus hujuſmodi dictis Abbatiſſæ, & Conventui pia largitione donaverant, eidem Monaſterio, juxta ipſarum litterarum tenorem & formam, auctoritate præfata univit, annexuit, & incorporavit.

Bonifacius IX. uniones hujuſmodi irritas declarat.

Abbatiſſa, & Moniales confirmationem poſtulant.

§. IV. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet ipſæ Abbatiſſa, & Conventus hujuſmodi unionis, annexionis, & incorporationis vigore corporalem poſſeſſionem ejuſdem Eccleſiæ, tunc certo modo vacantis, fuerint pacifice aſſecutæ, illaque dicta portione nihilominus reſervata, ex tunc tenuerint, & poſſederint, prout tenent & poſſident de præſenti. Quia tamen poſtmodum idem Bonifacius, videlicet XI. Kal. Januarii, Pontificatus ſui anno XIV. ſub certa forma omnes uniones Eccleſiarum parochialium factas quibuſcumque Monaſteriis, quæ nondum ſortitæ effectum, & etiam illas, quæ ſortitæ erant effectum, alias quam per obitus eorum, qui dicta beneficia unita obtinebant, caſſaverit, irritaverit, & annullaverit; ac dilectus filius Alexander Colobre, qui ſe gerit pro Presbytero dictæ diœceſis, eamdem Eccleſiam tamquam per caſſationem, irritationem, & annullationem hujuſmodi vacantem, a Sede Apoſtolica dicitur impetraſſe, præfatæque Abbatiſſa, & Conventus timeant unionem, annexionem, incorporationem, & Eccleſiam præfatas ſub hujuſmodi caſſatione, irritatione, & annullatione fore comprehenſas, ſeque propterea per dictum Alexandrum, vel alios ab eadem Sede propter beneficia Eccleſiaſtica impetranda ſuper ipſa Eccleſia poſſe in poſterum moleſtari; pro parte Abbatiſſæ, & Conventus præfatarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni, incorporationi, & aſſecutioni præfatis robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & alias ipſis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Conceditur.

§. V. Nos igitur eiſdem Abbatiſſæ & Conventui paterno compatientes affectu, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem, incorporationem, & aſſecutionem præfatas, ac omnia & ſingula in dictis litteris contenta, ac ex eis ſecuta rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et inſuper volumus, ac prædictis Abbatiſſæ & Conventui, eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus, quod unio, annexio, incorporatio, & aſſecutio, & litteræ præfatæ ab earum data proinde valeant, plenamque in omnibus, & per omnia obtineant roboris firmitatem, etiamſi præfato Alexandro de ipſa Eccleſia, tamquam per hujuſmodi caſſationem, irritationem, & annullationem vacante, præfata auctoritate proviſum fuerit, aut mandatum, ſeu conceſſum provideri, ac ſi caſſatio, irritatio, & annullatio antedictæ, per prædictum Bonifacium factæ non fuiſſent: præmiſſis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ, IV. Kalendas Octobris, anno V.

XLVI.

Arnulphus de Fonte reſtituitur ad Miniſteriatum Provinciæ Burgundiæ. Ibidem fol. 188.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Illa, quæ pro perſonis egregiis, nobis & Apoſtolicæ Sedi devotis, ac religionis obſervantia approbatis, provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter Apoſtolicæ confirmationis munimine roboramus.

§. II. Sane

§. II. Sane petitio pro parte dilecti filii Arnulphi de Fonte, Ordinis Fratrum Minorum, & sacræ Theologiæ professoris, nobis exhibita continebat, quod olim pro parte ipsius Arnulphi fel. rec. Alexandro Papæ V. prædecessori nostro exposito eidem, quod licet ipse ante Concilium Pisanum eo tempore, quo obedientia per regnum Franciæ pro Petro de Luna, tunc Benedicto XIII. in ejus obedientia nuncupato, subjectum, extiterit in Ministrum, & ad Ministeriatus officium ipsius Ordinis tunc vacans, exercendum in Provincia Burgundiæ canonice electus, & per Generalem ejusdem Ordinis tunc existentem, juxta morem Ordinis antedicti, confirmatus fuerat, ac vigore confirmationis, & electionis hujusmodi possessionem dicti Officii extitit assecutus, illudque per spatium novem annorum, vel circa, laudabiliter rexerat, & administraverat: tamen dictus Petrus ex eo contra ipsum odii rancore concepto, quod idem Arnulphus ante dictum Concilium cum carissimo in Christo filio nostro Carolo Rege Francorum illustri, ac dilectis filiis Universitate studii Parisien. necnon Clero Gallicano, materiam unitatis Sanctæ Matris Ecclesiæ prosequebatur, ipsum Arnulphum præfato officio privavit, & in eo Joannem de Cintibus, dicti Ordinis professorem, qui tunc etiam post Concilium hujusmodi præfato Petro adhærere præsumpserat, per suas litteras intruserat.

§. III. Et nihilominus in eumdem Arnulphum, ac quosdam Fratres ejusdem Ordinis, sibi in hujusmodi unionis negotio adhærentes, & faventes, excommunicationis sententiam promulgaverat, illamque duxerat aggravandam; præfatus prædecessor venerabili fratri nostro Jordano, Episcopo Alban. tituli sancti Laurentii in Damaso Presbytero Cardinali, ac ejusdem Ordinis Protectori commisit oraculo vivæ vocis, ut se de præmissis summarie informaret; & si ita esse reperiret, litteras ac processum dicti Petri contra Arnulphum, & sibi adhærentes Fratres hujusmodi, factum annullaret, & revocaret, necnon declararet ipsos nullius existere roboris, vel momenti, ac Joannem ab eodem officio amoveret, & Arnulphum præfatos ad illud restitueret, præfatus Episcopus super his per eum summaria informatione recepta, quia per eamdem informationem ea vera esse reperit, litteras, & processum hujusmodi excommunicationis, & aggravationis sententias præfatas continentes, & omnia inde secuta, vigore dictæ commissionis annullavit, revocavit,& irritavit, eaque quatenus de facto processerint, decrevit nullius existere firmitatis, ac Joannem ab eodem officio amovit, & Arnulphum præfatos ad corporalem possessionem officii hujusmodi, ejusque exercitium restituit, & reintegravit, ac decrevit & declaravit ipsum Arnulphum fuisse, & esse verum Ministrum dicti Ordinis Provinciæ antedictæ; necnon singula per eum circa idem officium gesta & administrata, fuisse & esse valida, & pro talibus haberi & teneri debere. Et plura dictus Episcopus fecit, prout in ejus litteris super hoc confectis, ipsius sigillo munitis dicitur plenius contineri.

§. IV. Quare pro parte dicti Arnulphi, qui etiam, ut asserit, per dilectum filium Antonium modernum Generalem ipsius Ordinis in eodem officio approbatus extitit, fuit nobis humiliter supplicatum, ut annullationi, revocationi, irritationi, institutioni, reintegrationi, decreto, & declarationi hujusmodi, ac omnibus & singulis in eisdem litteris ipsius Episcopi contentis, & quibusvis inde secutis, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. V. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, annullationem, revocationem, irritationem, restitutionem, reintegrationem, decretum, & declarationem, ac omnia & singula in præfatis litteris dicti Episcopi con-

contenta, & quæcumque inde secuta hujusmodi rata habentes & grata, ea auctoritate Apostolica approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem, præmissis & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo &c.
Datum Constantiæ, VII. Idus Novembris, anno V.

XLVII.

ADDITIO ALIORUM.

Instituitur Capellanus Pontificius. Ex eodem libro fol. 191.

Dilecto filio Nicolao Lemmoel Ordinis Fratrum Minorum professori Capellano nostro salutem &c.

„ Virtutibus clarens &c. ut igitur in effectu percipias quod suggerit nostræ mentis affectus, te in nostrum, & dictæ Sedis Capellanum „ gratiose recipimus, & aliorum nostrorum, & dictæ Sedis Capellanorum „ consortio favorabiliter aggregamus, tibi nihilominus concedentes, quod „ omnibus indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, ac „ privilegiis, per felicis recordationis Joannem XXII. & Clementem VI. „ Romanos Pontifices prædecessores nostros Capellanis prædictæ Sedis „ concessis uti, & gaudere libere & licite valeas, piæ memoriæ Innocen„tii VI. Urbani V. & Gregorii XI. Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum restrictionibus super indulgentiis, immunitatibus, exem„ptionibus, libertatibus, & privilegiis supradictis, ac aliis in contrarium „ editis, non obstan. quibuscumque; intendentes, quod per hæc favoris „ Apostolici præsidia plenius fortiaris. Sic igitur de bono in melius studiis „ virtutum intendas, quod merito ad faciendum tibi pleniorem gratiam „ arctius innitemur. Nulli ergo &c. nostræ aggregationis, & concessionis „ infringere &c. si quis &c.
„ Datum Constantiæ III. Nonas Decembris anno V.

XLVIII.

Instituitur Capellanus Pontificius. Ex libro mixto de omnibus materiis.

Dilecto filio Alberto Bonsan Ordinis Fratrum Minorum Professori, Capellano nostro, salutem &c.

„ Virtutibus clarens &c. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit „ nostræ mentis affectus, te in nostrum, & dictæ Sedis Capellanum „ gratiose recipimus, ac nostrorum, & dictæ Sedis Capellanorum consor„tio favorabiliter aggregamus, tibi nihilominus concedentes quod „ omnibus Indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, & „ privilegiis, per felicis recordationis Joannem XXII. & Clementem VI. „ Romanos Pontifices prædecessores nostros Capellanis prædictæ Sedis „ concessis, uti & gaudere libere & licite valeas; piæ memoriæ Innocen„tii VI. Urbani V. & Gregorii XI. Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum restrictionibus super Indulgentiis supradictis, & aliis in „ contrarium editis non obstan. quibuscumque; intendentes, quod per hæc „ favoris Apostolici præsidia plenius fortiaris. Sic igitur de bono in melius „ studiis virtutum intendas, quod merito ad faciendum tibi pleniorem „ gratiam arctius innitemur. Nulli ergo &c. nostræ receptionis, aggre„gationis, & concessionis infringere &c. Si quis &c.
„ Datum Constantiæ III. Idus Decembris anno V.

XLIX.

Instituitur Capellanus Pontificius. Ex eodem libro fol. 192.

Dilecto filio Nicolao Danielis Ordinis Fratrum Minorum professori, Capellano nostro salutem &c.

„ VIrtutibus clarens &c. Ut igitur in effectu percipias quod suggerit „ nostræ mentis affectus, te in nostrum, & dictæ Sedis Capellanum, „ auctoritate Apostolica gratiose recipimus, & aliorum nostrorum, ac „ dictæ Sedis Capellanorum consortio favorabiliter aggregamus; tibi ni- „ hilominus concedentes, quod omnibus & singulis indulgentiis, im- „ munitatibus, exemptionibus, & privilegiis, per felicis recordationis „ Joannem XXII. & Clementem VI. Romanos Pontifices prædeces- „ sores nostros Capellanis dictæ Sedis concessis, uti & gaudere libere & „ licite valeas, piæ memoriæ Innocentii VI. Urbani V. & Gregorii XI. „ Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum restrictioni- „ bus super indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus, & privilegiis „ supradictis, ac aliis in contrarium editis, non obstan. quibuscumque; „ intendentes, quod per hæc favoris Apostolici præsidia plenius sortiaris. „ Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod merito ad „ faciendam tibi pleniorem gratiam innitemur. Nulli ergo &c. nostræ ag- „ gregationis, receptionis, & concessionis infringere &c. Si quis autem &c.

„ Datum Constantiæ, III. Kal. Januarii anno V.

L.

Instituitur Capellanus Pontificius. Ex eodem lib. fol. 193.

Dilecto filio Ulrico Redrojoz Ordinis Fratrum Minorum professori Capellano nostro salutem &c.

„ VIrtutibus clarens &c. Ut igitur in effectu percipias quod sugge- „ rit nostræ mentis affectus, te in nostrum, & dictæ Sedis Capellanum, „ Apostolica auctoritate gratiose recipimus, & aliorum nostrorum, ac di- „ ctæ Sedis Capellanorum consortio favorabiliter aggregamus; tibi nihi- „ lominus concedentes, quod omnibus & singulis indulgentiis, immuni- „ tatibus, exemptionibus, & privilegiis, per fel. record. Joannem XXII. „ & Clementem VI. Romanos Pontifices prædecessores nostros Capellanis „ dictæ Sedis concessis, uti & gaudere libere & licite valeas, piæ me- „ moriæ Innocentii VI. Urbani V. Gregorii XI. Romanorum Pontifi- „ cum, etiam prædecessorum nostrorum, restrictionibus super indul- „ gentiis, immunitatibus, exemptionibus, & privilegiis supradictis, ac „ aliis in contrarium editis, non obstan. quibuscumque; intendentes, ut „ per hæc favoris Apostolici præsidia plenius sortiaris. Sic igitur de bono „ in melius studiis virtutum intendas, quod merito ad faciendam tibi ple- „ niorem gratiam innitemur. Nulli ergo &c. nostræ receptionis, aggre- „ gationis, & concessionis infringere &c. Si quis &c.

„ Datum Constantiæ, III. Kal. Januarii anno V.

Finis Bullarum Joannis XXIII.

MARTINUS V.

Deposito Joanne XXIII. electus est III. *Idus Novembris, anno* MCCCCXVII.

Anno Christi 1417. Martini V. anno 1.

I.

Præficitur Ecclesiæ Fulginati. Reg. Vat. ex lib. 1. de Provisionibus, an. 1. fol. 205.

Dilecto filio Nicolao de Bictonio, Electo Fulginat.

Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini præsidemus, utiliter exequi, adjuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur & solertes, ut cum de ipsarum, præsertim Romanæ Ecclesiæ immediate subjectarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem Dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint & valeant, duce Domino, salubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum siquidem in nostri Apostolatus primordiis per nos intellecto, quod Ecclesia Fulginas, eidem Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta, cui bon. mem. Fridericus Episcopus Fulginas, dum viveret, præsidebat, per ipsius Friderici Episcopi obitum, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacaverat, & vacabat tunc. Nos cupientes eidem Ecclesiæ per dictæ Sedis providentiam, utilem, & idoneam præsidere personam &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Theologia Magistrum, ac in Presbyteratus Ordine constitutum, cui de religionis zelo &c. direximus oculos nostræ mentis; quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua (pro quo etiam dilecti filii Capitulum ipsius Ecclesiæ per eorum patentes litteras, nobis super hoc humiliter supplicarunt) nobis, & dictis Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Ecclesiæ, de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem &c.

Datum Constantiæ, XIII. Kalendas Januarii, anno 1.

II.

Ut permittat, Fratres recipere locum in civitate Gratianopolitana, remotis obstaculis. Ex lib. 1. de Regularibus, anno 1. fol. 98.

Dilecto filio Officiali Gratianopolitan.

FF. in civitate Dien. a prædonibus vexati.

§. I. Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum Ordinis Fratrum Minorum Dien. petitio continebat, quod dudum pro parte ipsorum Petro de Luna, tunc Benedicto XIII. in sua obedientia nominato, exposito, quod locus eorum extra muros civitatis Dien. consistebat, & quod in eo propter gentium armigerarum, & prædonum incursus tute morari, & Domino servire non valebant; ac dubitabant, quod locus ipse, ne gentes, & prædones præfati ad eum declinando, dictam civitatem, & partes illas damnificarent, pro tempore demoliretur; & quod

& quod eis quædam domus infra muros præfatos pro usu & habitatione ipsorum apta, & congrua, pia largitione fidelium dari fuerat oblata, ac supplicato, ut eis recipiendi intra muros præfatos alium locum ad hoc congruum, & honestum pro usu & habitatione ipsorum, si ipsis largitione præfata donaretur, aut alias legitime per eos acquireretur, ac ibidem ædificandi, & construendi Ecclesiam, seu oratorium cum campanili, campanis, cœmeterio, domibus, & aliis necessariis officinis, loco præfati loci antiqui, ipsumque locum antiquum diruendi, & lapides, & alias materias ipsius in constructionem, & ædificationem hujusmodi loci intra muros convertendi; ac plateam, in qua dictus locus antiquus consistebat, cum hortis, & omnibus aliis juribus, & pertinentiis suis, quæ tenebant, & possidebant, tunc retinendi, eis licentiam concedere dignaretur: dictus Petrus, hujusmodi obedientia durante, dilecto filio Officiali Dien. suis dedit litteris in mandatis, ut si esset ita, eisdem Guardiano, & Fratribus præmissa faciendi, Diœcesani, & cujuslibet alterius licentia minime requisita, auctoritate sua, licentiam largiretur.

Postulat ut eis alia domus intra Civitatis mœnia concedatur.

Facultatem Benedictus Antipapa concedit,

§. II. Et nihilominus eisdem Guardiano & Fratribus eadem auctoritate concederet, quod hujusmodi locus exinde construendus, postquam Fratres ipsi ad illum se transtulissent moraturi, ut præfertur, ac personæ in eo degentes pro tempore omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus, quibus locus antiquus præfatus, ac degentes in ipso gaudebant, & utebantur, libere uti valerent, & gaudere. Proviso quod etiam cœmeterium dicti loci antiqui ad profanos usus velut hæreditas minime transferetur, sed in eo per aliquem Presbyterum idoneum dicti Ordinis perpetuo deserviretur in divinis, prout in ipsius Petri, tunc Benedicti XIII. nuncupati, confectis litteris dicitur plenius contineri.

Cum privilegiis quibus locus antiquus fruebatur.

§. III. Et deinde, sicut eadem petitio subjungebat, postquam præfati Guardianus & Fratres certum locum in civitate præfata eis pro mora sua aptum, & sibi gratiose concessum invenerant, & dictus Officialis, hujusmodi obedientia durante, ipsum, vel alium eis idoneum in eadem civitate recipiendi, vocatis qui fuerant evocandi, ac juris ordine servato, per suam sententiam licentiam concesserat antedictam, & dilecti filii Decanus, & Capitulum, ac aliæ personæ Ecclesiæ Dien. prætendentes, quod hujusmodi locus ipsis Fratribus concessus de feudis ipsius Ecclesiæ existeret, a præfata sententia ad Sedem Apostolicam appellassent; inter ipsos Decanum, Capitulum, & personas ex una, & Guardianum ac Fratres ex alia partibus, super præmissis in fide dignorum testium præsentia concordatum extitit, quod præfati Guardianus & Fratres quemcumque alium locum in dicta civitate possent libere & licite pro sua mora recipere, & etiam retinere. Qui quidem Guardianus & Fratres de hujusmodi concordia confisi locum præfatum dimiserunt, & alium locum in eadem civitate pro mora sua aptum, & congruum per eos acquisitum receperunt.

Capitulum Cathedralis se opponit, & ad Sedem Apostolicam appellat.

§. IV. Sed præfati Decanus & Capitulum, ac personæ contra hujusmodi concordiam venientes, asserentes dictum alium locum etiam de feudis dictæ Ecclesiæ, & duarum perpetuarum Capellaniarum in eadem fundatarum existere, seque per eosdem Guardianum & Fratres, ac receptionem hujusmodi fore gravatos, ad Sedem appellarunt antedictam, dictosque Guardianum, & Fratres in cujuslibet dictorum locorum intra eamdem civitatem receptione, per appellationes hujusmodi, quas minime sunt prosecuti, impediverunt, prout impediunt, in ipsorum Guardiani & Fratrum præjudicium & gravamen. Quare pro parte dictorum Guardiani, & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis super hoc opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. V. Nos

Commissio super causam Officiali demandata.

§. V. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ &c. mandamus, quatenus vocatis præfatis Decano, & Capitulo, ac personis, & aliis, qui fuerint evocandi, de appellationibus, & impedimentis hujusmodi, auctoritate nostra, te diligenter informes; & si per informationem eamdem ea ex nullis, vel frivolis causis inveneris processisse, eosdem Decanum, Capitulum, & personas, ut ab impedimentis hujusmodi desistant, eadem auctoritate, prævia ratione, compellas: contradictores per censuram &c. Non obstante &c.

Datum Constantiæ, XIII. Kalendas Januarii, anno 1.

LITTERÆ FRANCISCI CARDINALIS PROTECTORIS,

In quibus idipsum concedit Fratribus, quod Philippus Cardinalis Protector.

Frater Henricus Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, & servus, salutem, & pacem in Domino sempiternam.

Litteras Philippi Cardinalis hic indicatas vide in fine Regesti tomi 1.

IN Christo sibi carissimo fratri Nicolao Romanæ Provinciæ Ministro, ac sacræ Theologiæ Magistro. Quasdam litteras recepimus a Reverendissimo in Christo Patre, & Domino D. Francisco Protectore nostri Ordinis, super commissione nobis facta de Ordine sanctæ Claræ, cujus tenor per omnia talis est: *Franciscus miseratione divina tituli sanctæ Susannæ, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, ac Fratrum Minorum, & Sororum sanctæ Claræ, & Minorissarum Ordinum Protector, Gubernator, & Corrector a Sede Apostolica deputatus, venerabilibus, & Religiosis viris, dilectis in Christo Fratribus, Generali, & universis Provincialibus Ministris Ordinis Fratrum Minorum salutem in Domino. Licet ex injuncto nobis ab Apostolica Sede protectionis officio, de universis gubernationi nostræ commissis curam sollicitam gerere, ac ad proximos communiter, & remotos vigilantiæ nostræ aciem extendere teneamur; ad Ordinem tamen sanctæ Claræ, quem almus Christi confessor, beatus Franciscus, & felicis memoriæ Urbanus Papa IV. in agro militantis Ecclesiæ plantaverunt, solertiæ nexu astringimur amplioris, ac potioris circa ipsum diligentiæ studium adhibentes, eo ferventius spirituales, & temporales profectus, quantum cum Deo possumus, eidem Ordini procuramus, quo personæ ipsius Ordinis, quas reddit sexus fragilitas imbecilles, uberius favoris præsidiis, & promptioris sustentaculi fulcimentis indigere noscuntur. Quare de vestri maturitate consilii, vestræque providentiæ circumspectione sollicita, plenam, & firmam in Domino fiduciam obtinentes, & cupientes, ut dictus Ordo per nostræ ministerium providentiæ præservetur a noxiis, & ad salubria dirigatur, ac tam spiritualiter, quam temporaliter ad laudem, & gloriam divini nominis valeat ampliari, visitationis, inquisitionis, correctionis, ac reformationis officium Monasteriorum, dicti Ordinis vobis Generali Ministro, quoad singula dicta Monasteria ubilibet constituta, quæ regulam a prædicto Domino Urbano editam susceperunt, vel suscipient in futurum, necnon Monasteriorum, tam sanctæ Claræ de Assisio, quam aliorum, quæ sunt, vel pro tempore erunt nostræ gubernationi commissa, ac unicuique vestrum Provincialium Ministrorum, quoad ea de prædictis Monasteriis tantum, quæ fuerint*

rint infra limites Provinciarum commissarum nostro regimini, vel committendarum in posterum constituta, tenore præsentium concedimus exercendum. Ut autem levius ferre possitis onera commissionis præfatæ, & ut sperati fructus de communitatis laboribus colligantur, volumus, atque concedimus, ut non solum vos Generalis Minister, ubilibet, sed & quilibet vestrum Provincialium Ministrorum, unum, vel plures Fratres idoneos in suis Provinciis, ad hujusmodi officium exercendum, instituere, & destituere, prout expedire cognoveritis, valeatis, de consilio dumtaxat aliquorum Fratrum vestræ Provinciæ discretorum, ut in litteris antecedentibus Philippi Cardinalis Protectoris. In præmissorum omnium testimonium, præsentes litteras fieri fecimus., & nostri sigilli muntmine roborari. Datum Romæ apud sanctum Spiritum, in domo habitationis nostræ solitæ, sub anno Nativitatis Domini MCCCXC. *Indictione tertia decima, die veneris, quinta decima mensis Aprilis, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Bonifacii, divina providentia Papæ IX. anno* I. Igitur Minister carissime, prædictas litteras scribi facias, & per omnia, tam per te, quam per Fratres, ac Moniales dicti Ordinis sanctæ Claræ constitutas in tua Provincia penitus facias observari. Vale in Christo Jesu, & ora pro me.

Datum Mantuæ, tempore nostri Generalis Capituli in Pentecostem ibi celebrati, MCCCXC. Indictione tertia decima, die XXVI. mensis Maii.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

An-

B

C

G

Geor-

Hie-

I

Ja-

Ju-

Lu-

M

N

Ni-

O

P

Pe-

San-

T

V

Ul-

Y

Z

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus noni Tomi Regesto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus vero per ordinem positas Bullas.

Exigit

Sin-

FINIS TOMI NONI.

Menda, quæ in hujus novi Tomi editione irrepserunt, benevole Lector ita corriges.

Pag. 4.	§. VI.	*lin.* 1.	cetcidit	cecidit
Ibidem.		*lin.* 2.	accurri	accurrit
8.	§. IX.	*lin.* 7.	Erruria	Etruria
34.	§. XIV.	*lin.* 8.	fama	forma
86.	§. IV.	*lin.* 7.	Calajo	Galæcos
129.	§. II.	*lin.* 9.	MDCLXXXI.	MCCCLXXXI.
135.	§. IV.	*lin.* 32.	incrudeli	increduli
142.	§. XV.	*lin.* 11.	Templis	Templi
193.	§. XX.	*lin.* 15.	Beccano	Pechamo
196.	§. XLII.	*lin.* 3.	Procinæ Termularum	Procinæ, Termularum
203.	§. IV.	*lin.* 6.	inspiratio,	inspiratio-
256.	§. XIII.	*lin.* 2.	Nrapolitano	Neapolitano
265.	§. XIII.	*lin.* 4.	obsequebatur	obsequebantur
275.	§. XXII.	*lin.* 1.	Sancti	Sancto
309.	§. XCI.	*lin.* 8.	usura	visura
319.	§. II.	*lin.* 2.	Religionis	Religioni
321.	§. IV.	*lin.* 3.	Gregorium	Gregorius
367.	§. XVII.	*lin.* 5.	Diœcesis	Diœcesi
368.	*in argum.*	*lin.* 1.	Pontificatus	Pontificatu
369.	§. II.	*lin.* 10.	Ostiensem	Ostiensem
373.	§. VII.	*lin.* 28.	velumus	volumus
Ibidem.		*lin.* 18.	circumductit	circumductis
380.	§. XXVII.	*lin.* 9.	fuiffe	fuisse
385.	§. I.	*lin.* 15.	Evingonelli	Quingonelli
386.	§. II.	*lin.* 6.	fuscipiens	suspiciens
389.	§. X.	*lin.* 5.	usque	eisque
391.	§. IV.	*lin.* 1.	occurrerunt	occurrunt
393.	§. IV.	*lin.* 14.	detunsa	detonsa